









DE ORIGINE ET VSV OBELISCORVM AD PIVM SEXTVM PONTIFICEM MAXIMVM

AVCTORE

GEORGIO ZOEGA DANO





ROMAE MDCCXCVII

TYPIS LAZZARINII TYPOGRAPHI CAMERALIS

SUPERIORVM PERMISSV






PIO VI. P. M.

QVI VT OMNIA AD VETEREM GLORIAM SPLENDOREMQUE REVOCARET ET AD PVBLICAM VTILITATEM REFERRET VRBEM AETERNAM AEDIFICIIS INGENTIBVS VATICANVM LIBRIS TABVLIS BENE PICTIS NVMIS OMNIS GENERIS STVDIOSE COMPARATIS AMPLIFICAVIT LOCVPLETAVIT ORNAVIT . MARMOREA AEGYPTIORVM GRAECORVM ETRVSCORVM ROMANORVMQVE MONVMENTA VEL E TERRAE VISCERIBVS VEL EX ABDITIS LOCIS IN APRICVM PROLATA IN MVSEVM PVBLICVM COMPORTAVIT.

AEGYPTIAE IMPRIMIS ANTIQVITATIS QVAE RELIQVA SVNT NOBILISSIMA OPERA OBELISCOS IN PARTES HINC INDE PER VRBEM DISIECTOS COENOQVE ET SQVALORE OBSITOS ATTOLLENDOS INSTAVRANDOS ET IN AREIS MAXIMA VVLGI FREQVENTIA CELEBRATIS STATVENDOS CVRAVIT .

QVORVM VNVM QVI AD AVGVSTI MONVMENTVM STETERAT SOLO ERVTVM IN QVIRINALEM TRANSTVLIT VT INTER CASTORVM SIGNA COLOSSALIA INGENTI MOLITIONE IN OBLIQVVM AVERSA STYLOBATE ET BASI AVCTVS EMINERET. SALLVSTIANUM IN CAMPO LATERANO IACENTEM AD COLLEM HORTVLORVM REVEXIT ET AD TRINITATIS IN SCALARVM VERTICE CONLOCAVIT. CAMPENSEM OMNIVM QVI ROMAE SVNT PVLCHERRIMVM HELIOPOLI AB SESOSTRIDE ERECTVM ROMAE AB AVGVSTO IN CAMPVM DEDVCTVM AD SOLIS VMBRAS DIERVMQVE NOCTIVMQVE MAGNITVDINES COMMONSTRANDAS VRBIS CLADIBVS ET IGNIS VI EVERSVM CORRVPTVMQVE ET A BENEDICTO XIV. P. M. QVI EX AGGESTA HVMO EFFODI EVM IVSSERAT ERECTIONIS DIFFICVLTATE DETERRITO RELICTVM SVPPLETIS INCENDIORVM ET TEMPORVM DAMNIS CVLTVQVE OMNI ADDITO IN AREA CVRIAE INNOCENTIANAE VETERI BASI SVPERPOSVIT.

STVDIORVM OPTIMORVM BONARVMQVE ARTIVM
FAVTORI ET CVLTORI SVMMO
LIBRVM DE OBELISCIS OPTIMI PRINCIPIS AVSPICIIS
COEPTVM ABSOLVTVMQVE
LVBENS MERITO DAT AVCTOR.



In Hortis Vaticanis V. pag. 59.

PRAEFATIO




UAE sit obeliscorum Aegyptiorum praestantia, quantumque faciant ad vetustissimae gentis historiam investigandam, scientiasque et artes ab Aegyptiis mature excultas cognoscendas, ut caetera nunc omittam, declarant tot clarissimorum virorum volumina de iis edita, Mercati inprimis, Kircheri et Bandinii, aliorumque; quorum observata et quas de obeliscorum usu atque origine sententias in medium attulere, in hoc meo libro in unum collecta proponere studui, quae quisque egregie animadverterit adnotare, quae vero minus certa affirmaverint ad examen revocare, additis praeterea quae ad accuratiorem uberioremque argumenti expositionem facere putavi. Nam licet et acre ingenium et multifariam eruditionem suspiciam in scriptoribus qui ante me hanc provinciam suscepere, multa tamen sunt in Aegyptia antiquitate quae nunc rectius sciri possunt quam quo tempore illi scripserunt: dum et ipsa Aegyptus a peregrinatoribus majori sane cum diligentia perlustrata sit, et Aegyptia monumenta quam plurima in Euro-

pam advecta inque museis ordinata , magnamque partem aeneis tabulis divulgata , viam patefaciant ad illius gentis opera inspicienda , et aliquam sibi velut familiaritatem cum indole eorum ingenioque comparandam . Ut enim nunc taceam quae sunt in museo Pio-Clementino vetera Aegyptiorum simulacra , et quae in variis Urbis locis variisque Italiae civitatibus conspexi , et quae Caylus in ditissima monumentorum collectione luce donavit , eximiam prae reliquis utilitatem percepi ex praestantissima illa Aegyptiorum operum serie , quam in museo suo quod Velitris est , adornavit Eminentissimus Cardinalis Borgia , quae postquam in ea ordinanda atque describenda primum feci hujus militiae tirocinium , deinceps saepe diligenterque perlustrata Aegyptiae antiquitatis amorem continuo in me aluit atque auxit .


Verum enimvero quod cunctis accidit qui Aegyptiam antiquitatem explorare aggressi sunt , ut a tenebris illis quae totum istud argumentum involvunt et obtegunt repulsi in primis consteterint liminibus , neque adyta adire sustinuerint , idem et mihi , licet amplioribus subsidiis adjuto , evenisse fateor : quapropter dum ipse adyta illa subire prohiberer , id tantum sategi ut aliis viam commonstrarem et velut dromi aperirem ostium , per quod ingressi longius quam mihi datum fuit , pergere tentent sensimque ad penitiora accedant atque sacrarii valvas recludant . Aegyptia quae nobis innotuerunt monumenta in classes distributa recensere , aetatem eorum , significandi rationem et artis modum in unoquoque deprehensum declarare , characterum hieroglyphicorum naturam explicare , numerum eorum generaque et varietates adnotare , ac diversas quibus Aegyptii usi sunt scribendi methodos definire , vicissitudinesque earum enarrare : haec fere sunt quae ut res nunc se habent , aliqua cum probabilitate adsequi possit Aegyptiae antiquitatis interpres . Ulteriora posteris relinquenda duxi , qui ubi ipsa Aegyptus nostris hominibus patuerit latius , et monumenta quae ibi spectantur amplissima et vetustissima , accurate fuerint explorata et descripta , aliquando forsan hieroglyphica legent et secretiorem Aegyptiorum monumentorum sensum percipient .

Ordo rerum quas in libro exposui apparet ex Synopsi , quam lecturis gratam fore ratus sum , quo varii generis res quae brevius fusiusve explicatae in eo continentur , uno velut obtutu considerare , et quam de singulis quae circa obeliscos et hieroglyphica quaeri solent ,

sententiam amplexus sim, noscere queant. Postquam enim prima secundaque sectione exhibuerim quae sunt totius disputationis fundamenta, nimirum quae de antiqua obeliscorum historia prodiderunt scriptores veteres, circa obeliscos vero uti nunc visuntur quid ipse cognovi aut ex hodiernorum auctorum libris collegi; tertia sectione adnotavi, quid de usu eorum et argumento senserint viri docti, meamque sententiam breviter declaravi. Quarta deinde sectione fusius quaerere institui, ad quod monumentorum genus pertineant obelisci, quidque induxerit priscos in Aegypto homines ut iis excidendis erigendisque operam darent: et occasione oblata disserui de monumentorum apud varias gentes instituto, inprimis de monumentis sepulcralibus, quae omnium longe sunt frequentissima omnibusque populis communia, deque inscriptis monumentis, ac de litterarum, maxime apud Aegyptios ortu atque usu. Denique quinta sectione exposui obeliscorum historiam chronologicam, quidque de iis meruerint veteres in Aegypto reges, quid postea Ptolemaei Romanique imperatores, et omnium ultimi Pontifices Maximi, prae caeteris Sixtus V. et PIVS VI., qui vetusti aevi nobilissima monumenta, superiorum temporum barbarie eversa, diffracta ac neglecta, instauraverunt ac velut nova vita donata coelo restituerunt.







Scarabaeus e porphyrite viridi in Museo Borgiano Velitris. V. pag. [illegible] not. [illegible]

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. Xaverius Passari Archiep. Larissen. Vicesg.

TESTIMONIVM

FR. PHILIPPI ANGELICI BECCHETTI ORD. PRAED.

Postquam sapientium hominum judicio firmata sententia fuit, Aegyptios fuisse qui omnium primi vel casu, vel loci necessitate opportunitateque, vel certe divino quodam consilio philosophiam, omnesque artes excoluerint, ita, ut omnis etiam superstitio ab iis ad ceteras gentes promanaverit, incredibile est quo studio, quo animi conatu in eorum investigandis eruendisque antiquitatibus desudarint qui eruditionis laude nostra, et parentum nostrorum aetate floruerunt. Obstabat vero quominus, quae maxime sperabantur commodorum partes studiis nostris accederent, monumentorum vetustissimae gentis singularis et nulla ratione supplenda caritas. Si enim exceperimus, quae Cl. Caylus collegit, quaeque et numero, et praestantia magni sane facienda sunt, in ceteris omnibus sive litterati alicujus hominis sive Principum, aut gentium cimeliis, vix unum, aut alterum Aegyptium signum occurrebat, quo desperata potius quam occupanda provincia videretur. Stephani Borgiae Eminentissimi Romanae Ecclesiae Principis diligentia vero atque vigiliis effectum tandem fuerat, ut litterati homines jam tantam eorum vim, et tot vetustae gentis monumenta in unam veluti aciem collecta atque disposita haberent, quod hanc spartam novo lumine brevi illustrandam confidere se posse jure arbitrarentur. Nova deinceps injecta illis spes fuit quando Cl. Georgius Zoëga ex Dania Romam advena, totus in eo fuit, ut aliquam tot peregrina monumenta interpretandi viam sibi aperiret. Dolendum nihilominus erat quod multa quae vir solertissimus assecutus erat, ac modeste admodum in amicorum veluti aures infuderat, publici juris nunquam futura videbantur. Nec fuissent sane nisi D.O.M. Ecclesiae, atque Reipublicae PIVM SEXTVM praefecisset bonarum artium restitutorem, qui ut nomini suo consuleret, et litteratorum votis annueret, et cimelium institueret omnium, quae usquam fuerunt, splendidissimum, et novis e terra effossis Obeliscis Urbem aeternam augeret, et ipsi Zoëgae, ut omnem Obeliscorum rationem Latinis litteris traderet, atque aperiret, difficilem committeret provinciam. Vir doctissimus Principi omnium maximo ut morem gereret, quod sane summo sibi honori futurum erat, operi manum admovit, et ita rem praestitit, ut de Obeliscis disserendo, omnem simul Aegyptiae gentis antiquitatem aperiret, traderet, atque explorando illustraret. Cum vero jussus ego fuerim, ut illud percurrerem, tantam ex ejus lectione accepi voluptatem, ut praeclarum judicii mei testimonium, quo Auctorem et mandato satisfecisse, & rem sine ulla sacrarum legum offensione, multa vero cum doctrinae laude absolvisse constaret, Rmo M. S. P. dare opus omnino mihi esse crederem.

Datum ad S. M. S. M. VIII. Kal. Jan. Anno R. S. MDCCLXXXXVI.

IMPRIMATVR.

Fr. Thomas Vincentius Pani Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apost. Magister.

SYNOPSIS OPERIS

Sectio I. Veterum de obeliscis et de stelis Aegyptiis testimonia .

Caput I. De obeliscis ex auctoribus Graecis et Latinis .

Herodot. lib.2. cap.111. 170. *pag.*2 = Theophrast. de lapid. *pag.* 3. 8. 142. = Diodor. Sicul. lib.1. cap.46. 57. 69. lib.2. cap. 11. *pag.*4. = Strab. lib.17. pag.1158. 1171. *pag.*6. = Joseph. cont. Apion. lib. 2. cap. 2. ex cod. ms. bibl. Angel. cum adnott. criticis . *pag.*7. = Plin. lib. 16. cap. 40. lib. 37. cap. 5. *pag.* 8. = Plin. lib. 36. cap. 8. — 11. collatis codd. mss. Roman. XVI. adjectisque variantt. lectt. et animadverss. criticis . *pag.*9. *sqq.* = Tacit. annal. lib.2. cap.60. = Sueton. in Claud. cap 20. *pag.*19. = Herm. in sacro libro . *pag.* 20. = Tertullian. de spectac. cap.8. = Dion. Cass. lib. 63. cap. 21. lib. 78. cap. 8. *pag.* 21. = Porphyr. ap. Euseb. praep. evang. lib. 3. cap. 7. = Julian. Caes. epist. ad Alexandrin. *pag.* 22. = S. Cyrill. adv. Julian. lib. 9. *pag.*23. = Aphthon. progymn. num. 12. = Ammian. Marcell. lib. 16. cap. 10. *pag.* 24. = Id. lib.17. cap.4. *pag.*25. = Hermapion. interpret. obelisci . *pag.* 26. = Topographh. Romae et Constantinopol. *pag.* 28. = Marcellin. Com. chron. = Cassiodor. var. lib. 3. epist. 51. = Epigramm. ex anthol. Latina = S. Isidor. etymol. lib. 18. cap. 31. *pag.* 30. = Johann. Lyd. de mensib. ms. = Cedren. histor. = Anonym. imper. Caesarum . *pag.*31. = Scholiast. Aristoph. in vesp. = Hesych. v. ακροβολιδες . = Suid. v. αξιος. *pag.* 32. = Synes. serm. aegypt. 1. *pag.* 645.

Caput II. De stelis Aegyptiis ex auctoribus Graecis et Latinis .

Herodot. lib. 2. cap. 102. 103. 106. *pag.* 32. = Plat. in Timaeo pag. 22. *pag.* 34. = Maneth. ap. Syncell. *pag.* 40. cum adnott. *pag.* 35. = Id. ibid. pag. 59. *pag.* 37. = Maneth. apotelesm. lib. 1. init. = Melamp. de divin. e palpit. = Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 20. 27. 55. *pag.* 38. = Id. lib. 5. cap. 46. cum adnott. *pag.* 40. = Id. lib. 1. cap.45. *pag.*45. Id. lib.3. cap.42. 44. *pag.* 645. = Strab. lib. 16. pag.1113. lib. 17. pag. 1138. 1173. *pag.*41. = Joseph. antiqu. Jud. lib. 1. cap. 2. cum adnott. *pag.* 42. = Plin. lib. 6. cap.28. 29. *pag.* 43. = Dion. Chrysost. orat. trojan. = Plutarch. de Isid. *pag.* 44. = Theon. Smyrn. mathem. Plat. lib. 2. cap.47. *pag.* 45. Galen. adv. Julian. cap. 1. = Pausan. lib. 9. cap. 16. *pag.* 46. = Aristid. orat. aegypt. = Herm. in Asclep. = Philostrat. in Apollon. lib. 6. cap. 4. = Porphyr. ap. Euseb. praep. evang. lib. 3. cap. 7. *pag.* 47. = Trebell. Poll. in XXX tyrann. cap. 22. = Achill. Tat. isag. in Arat. num. 1. = Jamblich. de myster. sect. 1. cap. 1. 2. sect. 8. cap. 5. cum adnott. *pag.* 48. = Procl. in Tim. Plat. lib. 1. *pag.* 49. = Mart. Capell. lib. 2. 8. = Ammian. Marcell. lib. 22. cap. 15. = Tzetz. chil. 8. vers. 583. *pag.* 50.

Caput III. Vetera obeliscorum epigrammata .

§. I. Inscriptio Caesaris Augusti bis exarata in stylobate obelisci Flaminii . *pag.* 51.

Capvt IV. Monumenta in quibus expressi cernuntur obelisci.

Sectio II. Enarratio obeliscorum Aegyptiorum, qui hodie vel integri, vel aliqua sui parte superstites offenduntur.

Capvt I. Obelisci veteres Romae exsistentes.

§. II. Obeliscus Vaticanus purus, longus palm. 113 $\frac{1}{2}$. *pag.* 69. Fractum esse antiquitus et summa sui parte privatum. *pag.* 71.

§. III. Obeliscus Flaminius, olim altus palm. 110, nunc 107. Scalpturarum dispositio eadem fere ac in Lateranensi, sed in capitulo unus tantum figurarum ordo. *pag.* 72.

§. IV. Obeliscus Campensis, altus palm. 94 $\frac{1}{2}$ *pag.* 73. In trunci lateribus binae grandium characterum columnae: in pyramidio et in basi figurae historicae et minuti characteres. *pag.* 74.

§. V. Obeliscus Pamphilius palm. 74. *pag.* 74. In pyramidio figurae historicae: in trabe singulis lateribus una grandium characterum columna, sulcis inclusa utrinque. Scalpturae modus accedens ad eum qui est in obelisco Barberino. *pag.* 75. 83. 646.

§. VI. Obelisci Exquilinus et Quirinalis, puri, longi palm. 66, pyramidio reciso. *pag.* 75.

§. VII. Obeliscus Sallustianus palm. 62 $\frac{1}{4}$. Scalptura rudis ac minime Aegyptia. Dispositio figurarum atque characterum fere ut in Flaminio. *pag.* 76.

§. VIII. Obeliscus Barberinus palm. 42 $\frac{1}{4}$, ima parte mutilus. *pag.* 77. Pyramidion purum: in capitulo figurae historicae et characteres minuti: in scapo binae columnae grandium characterum, sulcis verticalibus separatae et inclusae. De artis modo ab eo qui est in tribus illis maximis obeliscis prorsus diverso. *pag.* 78. 189.

§. IX. Obeliscus Mahutaeus palm. 27 $\frac{1}{2}$, pyramidio fere conico. Scalptura multo quam in maximis obeliscis incomptior, sed modus idem. Figurae historicae nullae: una in quovis latere characterum columna. *pag.* 79.

§. X. Obeliscus Minerveus palm. 22 $\frac{1}{2}$. Scalptura imitatorem prodens. Pyramidion purum: in trunci lateribus singulae characterum columnae, sulcis inclusae. *pag.* 79.

§. XI. Obeliscus Matthaejanus palm. 10, superior pars parvi obelisci, in omni re similis Mahutaeo. Obeliscus Albanius palm. 16, pars e trunco parvi obelisci, cum singulis characterum columnis, quae sulcis includuntur. Scalptura negligens. *pag.* 80.

§. XII. Parvi obelisci Romae memorati a scriptoribus saec. XVI. XVII. *pag.* 81.

§. XIII. Obeliscorum fragmina in Urbe residua. *pag.* 81. Insularis obelisci reliquiae in suburbano Albaniorum et in museo Borgiano. *pag.* 82.

Caput II. Obelisci in Europae provinciis extra Urbem superstites.

§. I. Velitris in aedibus Borgianis truncus parvi obelisci, palm. 9, in omni re similis Albanio, infima parte coarctatus ut in plinthum defigeretur. *pag.* 83. Adservantur ibidem fragmenta obeliscorum Lateranensis, Campensis, Pamphilii, Insularis. *pag.* 84. 646.

§. II. Beneventi in foro obeliscus palm. 16 $\frac{1}{2}$, cuspide et basi destitutus. Singulae in lateribus characterum columnae, sulcis inclusae. Scalpturae modus uti in Pamphilio. *pag.* 84.

§. III. Florentiae obeliscus palm. 22, in omni re similis Mahutaeo. *pag.* 84.

§. IV. Alter obeliscus Florentinus omnium minimus, e lapide thebaico fus-

co, longus palm. 8, latus infra palmum. Pyramidion purum: in trunco binae characterum columnae, incompte et velut cursive exaratae, sulcisque separatae atque inclusae. *pag.* 84. 188.

Not. 2. Palmare obelisci imitamentum hieroglyphice inscriptum in museo Borgiano. *pag.* 84. 646.

§. V. Catanae obeliscus palm. 18 $\frac{1}{2}$, ima parte mutilus, figura octangulari, peripheria colligens palm. 8. Quatuor in toto obelisco figurarum ordines verticales, scalptura ut videtur non Aegyptia. *pag.* 86. 647.

§. VI. Arelate obeliscus purus palm. 75 $\frac{2}{3}$. *pag.* 87.

§. VII. Wanstedii in Anglia cuspis obelisci alta palm. 3 $\frac{1}{2}$, lata 4; figuris historicis et minutis characteribus inscalpta. *pag.* 88.

§. VIII. Constantinopoli in hippodromo obeliscus palm. 70 vel 80, ima parte mutilus, ostendens in pyramidio et in capitulo figuras historicas cum minutis characteribus, in scapi singulis lateribus unam grandium characterum columnam. *pag.* 88. 91. Ibidem in hortis regiis obeliscus hieroglyphice inscalptus, palm. 45. *pag.* 88. De stylobate obelisci in hippodromo. *pag.* 89. De structili colosso sive obelisco e marmoreis truncis coagmentato, ibidem in hippodromo. *pag.* 90. Obeliscum triangularem e pluribus frustis compactum, palm. 60, cum epigraphe Graeca sepulcrali, vidit Pocockius in Asia minori prope Nicaeam. *pag.* 91.

Caput III. Obelisci hodie exstantes in Agypto et in Aethiopia.

§. I. Generatim de obeliscis qui hodie cernuntur in Aegypto: e Sicardo et Nordenio. *pag.* 92.

§. II. Alexandriae ad portum duo obelisci, hieroglyphice inscalpti, alter erectus, alter prostratus et fractus. *pag* 93. Obeliscus stans altus est palm. 90. *pag.* 94. defixus in stylobaten rusticum, quadratum, altum pedes 6, latum 8. *pag.* 96. In pyramidio figurae historicae et characteres minuti: in trunco ternae columnae characterum grandium. *pag.* 100. De obelisco jacente. *pag.* 98. Arabum de hisce obeliscis traditiones. *ibid.*

Not. 1. sqq. Sistuntur relationes peregrinatorum de obeliscis Alexandrinis. *pag.* 94. *sqq.* 647.

§. III. Fragmenta obeliscorum hieroglyphice inscripta, jacentia Alexandriae, juxta columnam quam Pompeji vocitant: e Nordenio et Pocockio. *pag.* 100.

§. IV. Fragmenta obelisci in castro Rosettano, memorata a Pocockio. Obelisci prope oppidum Themaye, quorum meminit Paulus Lucas. *pag.* 102.

§. V. Obeliscus stans inter rudera Heliopoleos, palm. 84 aut 90. *pag.* 102. 105. Basis aggesta humo contecta. *pag.* 106. Pyramidium purum. In trunci singulis lateribus una characterum columna. *pag.* 107. Arabes tradunt superfuisse Heliopoli duos obeliscos usque ad aetatem Mohamed-ebn-tulon, inque eorum summitate fuisse lebetes aeneos. *pag.* 104.

Not. 1. sqq. Relationes peregrinatorum de obelisco Heliopolitano. *pag.* 103. *sqq.* 647.

§. VI. Obeliscorum hieroglyphice inscriptorum fragmenta Cairi: e Niebuhrio, Pocockio, Mailleto. *pag.* 108.

§. VII. Obeliscus stans prope Fajumam, altus supra terram palm. fere 60, latus in imo binis lateribus palm. 8 $\frac{5}{6}$, binis 5 $\frac{1}{6}$, pyramidio carens. In lateribus amplioribus summo loco terni figurarum ordines, inferius XIV columnae parvorum characterum sulcis separatae: in angustioribus singulae grandium characterum columnae. Memoratus a Paulo Luca, Vanslebio, Pocockio. *pag.* 108.

§. VIII. Obelisci duo fracti et prostrati in ruderibus Berbi sive Abydi, a Grangerio proditi. *pag.* 110. Obelisci in ruinis Caenes, de quibus Lucas. Fragmentum obelisci longum palm. 42, quod in lapicidinis montis Terfowey vidit Brucius. *pag.* 111.

§. IX. Obelisci VIII, sive ut alii retulere X, in Thebarum ruinis apud Carnac et Luxor. *pag.* 112. Apud Carnac IV obelisci grandes positione diagonali circa cellam sive adyton, tres adhuc stantes, quartus jacens, hieroglyphicis pulcre inscalptis insignes. Horum duo alti circiter palm. 105, duo 86. Ibidem ante aediculam stant duae pilae quadratae sive obelisci sine pyramidio, palm. 17, cum figuris inscalptis et pictis. Inveniri etiam ajunt immanium obeliscorum fragmina e lapide calcareo albicante, in quibus sunt figurae et notae hieroglyphicae, incisae et coloribus obductae. *pag.* 113.

Not. 1 — 7. Relationes Sicardi, Protasii, Nordenii, Pocockii, Savarii, Perrii, Brucii. *pag.* 112. *sqq.*

§. X. Apud Luxor ante magni templi vestibulum duo obelisci stant, alti ut minimum palm. 110, lati circiter palm. 11, cum figuris et characteribus ad pollicarem profunditatem incisis. Hi omnium in toto orbe celebrantur pulcherrimi, sive saxi polituram cogites sive scalpturarum artificium. In pyramidio atque in capitulo figurae historicae: in scapo ternae characterum columnae. Basis humo abdita. Distant ab invicem pedes 40, parique spatio absunt a colossis qui stant ad ostium vestibuli. *pag.* 116.

Not. 1 — 6. Relationes Pocockii, Nordenii, Grangerii, Perrii, Savarii. *pag.* 116.

§. XI. Obeliscus jacens in latomiis apud Syenen, necdum finitus. Hermaea inter Syenen et Philas. Ex Pocockio et Nordenio. *pag.* 118.

§. XII. Quatuor obelisci in Phile insula, quorum maximus palm. 31 $\frac{1}{2}$, cum una in quovis latere hieroglyphicorum columna. Ex his duo sunt in templi area porticibus cincta: duo ad murum quo insula munita est. Secundum Pocockium et Nordenium. *pag.* 120.

§. XIII. Obeliscorum hieroglyphice inscriptorum fragmina a Brucio reperta in Curgos insula, ubi olim fuit Meroe. *pag.* 121.

§. XIV. De Axumae ruderibus, in quibus praeter multos parvos obeliscos palmorum 30 aut 40, tres grandes sunt, quorum unus qui adhuc erectus stat altus est palm. 100, latus 13 $\frac{1}{2}$. Hic ab Aegyptiis obeliscis prorsus differens, repraesentare videtur turrim cum janua et multis fenestrarum ordinibus, et in vertice discum sustinet. Disceptatur utrum erecti fuerint a Ptolemaeo Evergete an ab Elesbaa rege ejusque successoribus. *pag.* 121. *sqq.*

Not. 2. Veterum loca de Axuma. *pag.* 121.
Not. 4. De nomine oppidi. *pag.* 122.
Not. 5 — 9. Relationes Alvarezii, Marmoli, Mendezii, Almeydae, Ponceti, Brucii. *pag.* 122. *sqq.* 608. *not.* 1.

§. IV. Recensio obeliscorum hodie superstitum, molis ratione in quatuor classes distributorum. Primae classis qui palmos 80 aequant aut superant. Secundae qui sunt inter palmos 80 et 40. Tertiae qui ut minimum duas hominum staturas colligunt. Quartae minimi. *pag.* 149. Memorantur veteribus obelisci Aegyptii primae et secundae classis XXII, praeter eos quos numero non definito Sai et Thebis stetisse produnt. Hodie superstites comperiuntur XXV, non comprehensis iis qui Axumae sunt. *pag.* 151.

Caput V. De situ obeliscorum.

§. I. Obeliscos plerumque stetisse binos in templorum aditu. Sed neque hoc constanter factum: alios enim inveniri in intimo delubrorum recessu, alios in areis aut juxta muros nullo ostio pervios: nonnullos quoque singulos erectos commemorari. *pag.* 151.

§. II. Falli eos qui obeliscorum frontes in Aegypto quatuor mundi cardinibus accurate obversas affirmant. *pag.* 154.

Not. 2. Neque de pyramidibus hoc pro certo affirmari posse. *ibid.*

§. III. Obeliscos in veteri Aegypto defixos fuisse in humiles quosdam stylobatas sive plinthos; interdum super plintho additum fuisse torum. *pag.* 154.

Caput VI. Quo fine erecti fuerint obelisci.

§. I. Recentiores plerique obeliscos pro gnomonibus stetisse putant. In his Kircherus, Academici inscriptionum Parisiis, Goguetus, Brucius. *pag.* 156. Non posse hoc probari ex Apionis loco apud Josephum, ubi sermo non est de gnomone, sed de simulacro Harpocratis in columnae vertice posito. *pag.* 159. Brucii observata circa obeliscos conciliari non posse cum reliquorum peregrinatorum narrationibus. Esse tamen indicia nonnulla quae suspicari faciunt, Aegyptios interdum obeliscorum verticibus globos imposuisse. *pag.* 161.

Not. 7. Contra Winkelmannum, qui ex eodem Apionis loco arguit, columnas originem traxisse ab obeliscis. *pag.* 159.

Not. 12. Sententia Pauwii, nostrae affinis. *pag.* 160.

§. II. Sententia Stuarti, qui in laterum inclinatione certum aliquod consilium invenit, ut ita ex obeliscorum umbris colligerent Aegyptii dierum longitudines et anni cardines; atque inde rationem patere credidit, qua nos certi fieri possimus de latitudinis gradu ad quem primitus erectus fuerit quivis obeliscus. *pag.* 162. Refellitur. *pag.* 165.

Not. 4. De Nili aestuatione et anni tempestatibus in Aegypto. *pag.* 166.

Not. 5. De anni initio et ortu Sothidos in Aegypto. *ibid.* De oryge. Explicatur locus Horapollinis lib. 1. cap. 49. *pag.* 167.

§. III. Disputatur contra Pierium, Bellonium, aliosque qui obeliscos accensent monumentis sepulcralibus. *pag.* 168.

Not. 7. De loco Strabonis. *pag.* 169. 648.

§. IV. Contra Jablonskium, qui obeliscos pro simulacris fuisse putat. *pag.* 170. Fuisse circa aetatem Juliani Caesaris superstitiosos homines, qui cultu prosequebantur obeliscos. *pag.* 172.

§. V. Contra Mercatum, qui omnes obeliscos Soli sacratos fuisse asserit.

pag. 172. Varios obeliscos variis diis dicatos fuisse, recte advertit Bargaeus: *pag.* 173.

§. VI. Aegyptios passim statuisse stelas sive lapides inscriptos, obeliscos autem non aliud esse quam eximium stelarum genus in templis poni diisque sacrari solitum. Itaque destinatos fuisse ut res memoriae commendandas frontibus suis inscriptas haberent. Sed hoc nonnunquam omissum propter festinationem, dum jam mole sua digni viderentur qui diis offerrentur, et praecipuis accenserentur templorum ornamentis. *pag.* 174.

Capvt VII. De argumento scalpturarum in obeliscis.

§. I. Contra Pauwium, qui scalpturas ad disputationem de obeliscis pertinere negat. *pag.* 175. Non esse ignorantiae tribuendum quod obelisci nonnulli puri fuerint erecti. *pag.* 176.

§. II. Mercati sententia: antiquissimis obeliscis inscriptas fuisse praedictiones ex astrologia de rebus imperii; in sequioribus res gestas regum, potentiam et vectigalia. *pag.* 176.

§. III. Kircheri: in obeliscis solas res ideales exhiberi intellectualesque et captu difficiles, ad divinae naturae proprietates, ad angelorum geniorumque ordines, ad theurgiam et expiationes spectantes: Hermapionem aliosque veteres auctores fidem non merere. *pag.* 177.

§. IV. Varia doctorum virorum de Hermapionis interpretatione judicia: *pag.* 178. Sententia Warburtoni: in obeliscis nil aliud contineri quam gestarum rerum memoriam. Pauwii: in cunctis scriptas esse res philosophicas. Brucii: omnes inscriptiones hieroglyphicas spectare ad astronomiam. *pag.* 179. 181.

§. V. Laudatur sententia Bandinii: nos hieroglyphicorum interpretationem assequi non posse; assentiendum esse antiquis scriptoribus qui regum laudes in obeliscis contineri tradunt; sed has, fidem faciente Hermapione, ita esse cum deorum honoribus commixtas, ut obelisci et ad deos et ad reges spectare dici queant: in cuspide dedicationem eorundem videri repraesentatam. *pag.* 179.

§. VI. In diversis obeliscis inscalptas esse res diversae naturae, nec aliquid affirmari posse generatim de cunctorum argumento. *pag.* 181. In Aegyptiis rebus tarde credendum Graecis scriptoribus, neque omnino fidem habendam narrationibus de regibus Aegyptiis qui Asiam Indiamque armis suis subjecissent. *pag*, 182. Ex obeliscorum scalpturis inter sese collatis haec fere colligi: in parvis obeliscis sive stelis varia contineri argumenta; magnis autem obeliscis speciali munere numini consecratis pro argumento esse invocationem deorum, et aliquos velut hymnos exhiberi in notis quae scapum occupant; grandioribus figuris in capitulo et basi, quibus adscribi solent notae quaedam minutae, exprimi dedicationis formulam et occasionem: in pyramidio esse tanquam epigraphen, qua dei illius nomen et natura declarentur, cui dedicatus unusquisque obeliscus. Rythmicum quid apparere in dispositione atque repetitione notarum in singulis obeliscis. Interpretationem Hermapionis aptissime vocari hymnum. *pag.* 183.

Not. 1. Contra Blanchinium annales in obeliscis contineri asserentem. *pag.* 184.

Capvt VIII. De mechanica obeliscorum.

§. I. De obeliscis in latomiis excidendis. *pag.* 185.

§. II. De iisdem a latomiis ad fluvium et per fluvium ad oppida devehendis. *ibid.*

§. III. De iisdem subrigendis . *pag.* 186.

Not. 2. De mechanica Peruvianorum . *ibid.*

§. IV. Praecipuum in obeliscis miraculum scalpturam esse . Videri Aegyptios habuisse aliquam ferri attemperandi scientiam hodie deperditam . Observari in obeliscis varias figurarum in granite exscalpendarum rationes , praecipuas quinque : primam et rudissimam in obelisco Florentino , secundam in Insulari , tertiam in Mahutaeo , quartam eamque praestantissimam in Campensi , quintam in Barberino . *pag.* 188.

Not. 6. De instrumentis quibus ad figuras in granite inscalpendas utuntur nostrates . *pag.* 189.

§. V. Obeliscorum fabricam magnam in nobis excitare opinionem de Aegyptiorum industria et de artium apud eos antiquitate, dum constet coepisse eos longe ante Trojana tempora obeliscos erigere hieroglyphice inscalptos . *pag.* 190.

Sectio IV. De origine obeliscorum .

Caput I. De monumentorum instituto .

§. I. Varii modi quibus usi rudes homines rerum memoriam servare instituerunt : calculi , clavi , bacilli , funiculi , quipu. *pag.* 193.

§. II. Rudes lapides vel trunci lignei in factae faciendaeve rei memoriam statuti . *pag.* 194. Exempla a variis gentibus petita . *pag.* 195. Saxum in Aulide sub platano , in quod serpentem conversum fabulabantur . *pag.* 196.

§. III. Hujusmodi lapides sacri habiti , cum omnium interesset ne loco moverentur . Lex Platonis de terminis . *pag.* 197. Terminus in Capitolio . Ritus in ponendis terminis observari solitus . *pag.* 198.

§. IV. Inde lapides uncti in agris et triviis , quos Graeci Romanique velut tutelares quosdam locorum genios honorabant . *pag.* 198. Lapis Saturnius Delphis , signum conventus Amphictyonici : inde nata fabula de saxo a Saturno devorato . *pag.* 199. Idem deus Terminus . *pag.* 200.

Not. 1. Lapides uncti in vasculorum picturis obvii . *pag.* 199.
Not. 4. De Delphis et Amphictyonibus . *pag.* 200.

§. V. Baetylus deus Syrorum a lapide Bethel quem sacravit Jacobus . *pag.* 201. Inde minora Baetylia , lapides portatiles . *pag.* 202. Baetylia Persica . Baetylium Ammoniacum in museo Borgiano . *pag.* 203. 648. Majores Baetyli : Abaddir , Elagabalus , Casius , alii . *pag.* 203. Arabum numina quadrata : Dusares et Oboda . *pag.* 205. Dusares *dominum* significat ut apud Graecos Zevs a δαιc . *pag.* 206

Not. 18. De Dusare et Lycurgo Thrace . Fabula Lycurgi in marmore Burghesio et in nummis gemmisque . *pag.* 206.

§. VI. Vetusta quaedam Graecorum Romanorumque numina , quae a monumentorum instituto orta videntur : Jupiter Lapis , Tutelae hortorum , Lares viales , Vesta , Agyeus . *pag.* 208. Apollo Agyeus . *pag.* 211. Phallus olim stipes ad agrum tuendum aut forum designandum statutus , postea generationis symbolum creditus , et modo ad Bacchum Priapumve , modo ad Mercurium relatus . Anonymi et informes fuerunt primaevae Graciae dii , quos postea cum deos sibi adscivissent intellectuales , fastidire coeperunt , sed quoniam abolere nollent , nobiliorum deorum simulacra appellaverunt . *pag.* 213. Praeclarus locus Herodoti lib. 2.

cap. 49. 50. 52., e quo pariter colligitur Osiridis Phallique cultum recentiorem fuisse apud Aegyptios, quam caeterorum deorum. In universum nil obscoeni esse in vetustissimis religionibus, sed ancipita illa mysteria tardioris inventionis videri. *pag.* 214. Phales Cylleniorum. *pag.* 215. Pales Etruscorum. *pag.* 216. Hermes Pharensium. Variorum deorum signa quadrata cum solo capite, maxime apud Arcades. Hermae acoli Atticorum. *pag.* 217. Quicunque lapides locorum signa et custodes Mercurio sacri: inde frequentissima illa signa Mercurii sive Hermae. *pag.* 218. Hermae bifrontes et trifrontes. *pag.* 219. Hermes bifrons Plinio Janus dictus. Janus Romanis fere quod Hermes Graecis. *pag.* 223. Janus Numae non aliud quam truncus lapideus. *pag.* 224.

Not. 2. Jusjurandum deorum maximus. *pag.* 208.
Not. 7. Foederum ritus apud Arabes. *pag.* 209.
Not. 9. Vesta non aliud quam focus domesticus. *pag.* 210.
Not. 14. Dii Prothyraei. *pag.* 211.
Not. 16. Agyeus apud Delphos. Anaglyphon pulcherrimum quater repetitum in Villa Albania, repraesentans Delphica sacra ex coelestium decreto concessa Apollini cum sorore et matre, Iride ministra ipsis libante ante templum Pythicum. Iidem dii in alio ejusdem villae marmore, a Winkelmanno non satis bene explicato. Iris ibidem in anaglypho Herculis quiescentis. *pag.* 212.
Not. 21. Columellae sepulcrales phallo similes: inde nata Polymni fabula, qui Dionyso ostendit viam ad inferos. Caedes Dionysi a Perseo occisi mystice repraesentata in sacris Lernaeis, quemadmodum caedes Osiridis Sai in lacu orbiculari. *pag.* 215.
Not. 37. Mythus Pelasgicus de Hermis ithyphallicis: Hermes amator Proserpinae; Proserpina Luna, Hermes Sirius. Cabiri Samothraces ex Aegypto oriundi et nomina eorum Aegyptia. Mercurius Graecus insimul Thoth et Anubis. *pag.* 219. 220.
Not. 36. Hermas bicipites non Phanetem exprimere sed ipsum Mercurium. Statuas quadratas cum capite barbato plerumque repraesentare Mercurium, raro Bacchum. Dionysus Morychus. *pag.* 222. Simulacra quadrata quae non sint Mercurii, ab antiquis non vocari Hermas. *pag.* 223.
Not. 39. De affinitate Janum inter et Hermen, licet origine plane diversos. Initio quamvis tribum, quamvis domum habuisse suam religionem peculiarem; postea coaluisse superstitiones. *pag.* 223. Vocabulum *Hermes* ab Aegyptio sermone derivandum. *pag.* 224.
Not. 40. Quando apud Romanos coeptum sit simulacris uti arte expolitis. *pag.* 224.

§. VII. Alii informes dii per Graeciam obvii, in Achaja maxime et Boeotia: Docana Spartana. Hercules Hyettius. *pag.* 225. Cupido Thespiensium. Gratiae apud Orchomenios. Septem planetae in monte Taygeto. Triginta dii in foro Pharensium. Jupiter Milichius et Diana Patroa apud Sicyonios. Apollo Carinus Megaris. Venus Paphia. Bacchus Cadmeus. *pag.* 226. Pallas Attica. Ceres Rharia. Diana Icaria. Juno Cithaeronia et Samia. *pag.* 277. Bacchus agrestis. *pag.* 228. Bacchus Phallenus Lesbiorum. Priapus hortorum. *pag.* 229.

Not. 12. Ceres *Rharia*, non *Pharia*, nec *Farrea* apud Tertullianum. Campus Rharius, ubi primas fruges seminavit Triptolemus. *pag.* 227.
Not. 13. Pulcras columnas nunquam stetisse simulacrorum loco, neque ex columnarum forma aliquid transiisse in vetustarum statuarum habitum. Pictura vasculi in bibl. Vaticana, ubi cernitur Jovis simulacrum quod Olympiae fuit in Alti. Pictura vasculi Hamiltoniani adludens ad tres animas in homine. *pag.* 228.

§. VIII. Informia simulacra apud gentes barbaras. *pag.* 229.

§. IX. Habuisse etiam vetustissimos Aegyptios hujusmodi rudia monumenta et simulacra, sed nullam rei memoriam ad nos pervenisse. *pag.* 230. Antiquissima in Aegypto templa simulacris omnino caruisse. *pag.* 231. 648. Sacer truncus apud

Byblios, quo aliquando inclusum corpus Osiridis. *pag.* 231. Cippi et stipites adorati a Phoenicibus. *pag.* 232.

§. X. Arbores sacrae apud quas conventus agere consueverunt gentes variae: quercus ac tiliae Germanorum Gallorumque, fraxinus Ygdrasil Scandinavorum. *pag.* 232. 649. Wanzey Gallanorum. Quercus Dodonaea. Palma Deliaca. *pag.* 233. Dodona Pelasgis, quod Hellenibus Pytho, Arcadibus Lycosura. *pag.* 234. Ficus ruminalis, et alia sacrarum arborum exempla in Italia et Graecia. *pag.* 235. Ulmus aedes antiquissima Dianae Ephesiae. Arbor apud Afros pro templo et oraculo. *pag.* 237.

Not. 7. De Delo insula. *pag.* 233.
Not. 10. De Dodona. *pag.* 234.
Not. 11. De Lycosura et de arcano cultu Jovis Lycaei. *pag.* 235.
Not. 15. De oleis moriis et Jove Morio. *pag.* 236.
Not. 20. Recensentur vetustissimae in Graecia arbores. *pag.* 238.

§. XI. Lectorum lapidum acervi, testes foederum. *pag.* 238. Tumuli Hermaei apud Graecos et Tibetanos. *pag.* 239.

§. XII. Procul a veritate abesse qui falsas hominum de deo persuasiones omnes ab una origine derivandas censent. Apud singulos homines tribusque et populos exstitisse causas peculiares, quae effecere ut initium facerent sive ab uno sive ab altero superstitionis genere. *pag.* 240. Religio amuletorum antiquissima et latissime inter gentes diffusa. *pag.* 241. Astrorum cultus, rupiumque et fontium. *pag.* 243. Veneratio rerum eximie utilium. *pag.* 244.

Not. 1. De Moeride a crocodilo servato. Exempla huic similia. *pag.* 241. 649.
Not. 2. De Fetissis. *pag.* 241.
Not. 3. De phylacteriis, erymatibus et palladiis. *pag.* 242.
Not. 4. Astra tardius coli coepisse quam amuleta, solem tardius quam lunam. Persas initio non solem adorasse sed focum domesticum. *pag.* 243.
Not. 5. Maximus Tyrius de antiquissimis apud gentes numinibus. *pag.* 244.

§. XIII. De sepulcris. Reperiri quidem gentes quae mortuorum corpora memoriamque quantum possent delerent penitus. *pag.* 245. Mores Scytharum, Magorum, Tibetanorum, Siamensium, Indorum, Ciorum. *pag.* 248. Plerasque gentes id quaesivisse ut et corpora defunctorum quoad fieri posset incorrupta servarent, et parentum amicorumque memoriam futuro aevo traderent. Celebrari inprimis apud Aegyptios condiendorum cadaverum studium, et parentum corpora domi asservata. *pag.* 250. Locus Herodoti de cadaverum curatione apud Aegyptios. *pag.* 251. Diodori. *pag.* 254. Strabonis, Plinii, Platonis. *pag.* 257. Observata chemicorum nostri aevi circa cadavera Aegyptia. *ibid.* Tres corporum medicandorum rationes. Fasciae byssinae: extimae interdum figuris et characteribus insignes. Larva vultui injecta. *pag.* 259. 649. Superius integumentum e panniculis conglutinatis, pigmentorum varietate decorum, cum figuris et characteribus. *pag.* 261. In cadavere et inter fascias inveniri sigilla, amuleta, scarabaeos, lamellas aureas, plantarum ramulos, flores, folia, radices. *pag.* 262. 650. Quando in Aegypto coeptum sit corpora condire, quando cessatum, non satis constare. Fieri consuevisse ab hominum memoria, durasse saltem usque ad saeculum V. *pag.* 263. Moris originem non aliunde quaerendam quam a pietate in parentes, cadavera servare suadente. Quod cum in Aegypto propter aëris siccitatem facilius fieret, sensim eo pervenere ut corpora aeterna reddere adlaborarent. *pag.* 264.

Consuevisse Aegyptios domi servare defunctos, atque ubi pecunia indigerent pignori apponere. *pag.*265. Aegyptiis in mortuis curandis simillimos inveniri Aethiopes Meroënses. *pag.* 266. Idem conservandorum corporum studium viguisse apud Babylonios, Persas, Scytharum partem. *pag.* 267. Pariter apud Guanchos, variosque cum in veteri continenti tum maxime in America populos. Videri et priscos Graecos Latinosque parentum cadavera domi custodisse. *pag.*268. Esse gentes quam plurimas quae cadavera ad breve tempus, mensium aut annorum spatio definitum, servasse contentae, post terrae flammisve concedunt. *pag.* 269. Moris fuisse apud nonnullos ut reliquo cadavere e conspectu amoto, caput aliudve membrum domi reponerent. Neque aliam originem habuisse cremandi institutum, quam quod corpus sic ad angustius volumen redactum, commodius in tuto loco reponi, vel ubi quis in bello aut peregrinatione obiisset ad larem suum referri posset. *pag.* 270. Promiscua cremandi humandique consuetudo apud Graecos Romanosque et alios populos. *pag.* 273. Antiquissimum sepulturae genus humatio. *pag.* 274.

Not. 1. Hibernorum scribente Strabone feritas. *pag.*245.

Not. 4. Herodotus de Indorum feritate. *pag.* 246.

Not. 13. 14. Auctores hodierni de mumiarum conditura. *pag.* 250. 649.

Not. 16. Praestantissimum condiendi genus referri ad Osiridem. *pag.* 252.

Not. 23. Taricheutas in honore fuisse apud Aegyptios. *pag.* 255. Paraschisten incisione facta ritus causa aufugisse; perperam inde argui anatomiam interdictam fuisse in Aegypto. *pag.* 256.

Not. 30—46. Varia observata in mumiis. *pag.*257. *sqq.* 649. 650.

Not. 47. Antiquissima Aegyptiae conditurae vestigia. *pag.* 263. 651.

Not. 69. Virginiensium mos. *pag.* 271.

Not. 76. De ossilegio et busto. Partem tantum ossium legi et ollae includi consuevisse. *pag.* 275.

§. XIV. De conditoriis. Vitae post mortem extrahendi desiderium, et affectus erga amicos parentesque, quos memoria tanquam viventes fingit ac somnia saepe sistunt ante oculos, in causa fuisse ut cadaveri etiam postquam sepultum foret adhuc sensum aliquem et vitam superesse crederetur, et quasi umbram animae non nisi corpore penitus destructo perituram. Ideo cubiculum paratum mortuo, cum cibis, vestibus, armis, interdum additis equis, canibus, servis, uxoribus: institutum quoque inferiis sospitare defunctos. *pag.* 275. Eos quoque quibus anima ad Haden abire credita fuit, eam de corporis statu post discessum sollicitam putasse. Hinc sepulcrorum religio, ne quis defunctorum quietem turbaret. *pag.* 277. Antiquissima conditoria fuisse cavernas rupiumque fissuras spontaneas. His apud Aegyptios successere antra cum arte excavata, scalpturaque et pictura eximie adornata, nonnunquam et atriis templisque ante ostia exstructis, quae circa Thebas memorantur. Descriptio eorundem secundum peregrinatores hodiernos. *pag.* 279. Ejusdem generis antra in reliqua Aegypto. Loca Strabonis et Diodori de sepulcris Thebaeensibus. *pag.* 281. Descriptio cryptarum circa Memphin et Busirin, ex peregrinatoribus: cadavera stantia, jacentia, cum aut sine sarcophago: scalpturae, sigilla, arculae, vasa. *pag.* 282. Sacrorum animalium cadavera in cryptis apud Busirin reperta. *pag.* 283. Similes cryptae in aliis Aegypti partibus. *pag.* 284. Necropolis Alexandrina, ex Strabone et peregrinatoribus. Plutarchus de sepulcris Osiriacis apud Abydum, Memphin, Philen, Busirin, Taphosirin. *pag.* 285. Diodorus de sepulcris Memphiticis. *pag.* 289.

Not. 2. Indorum mos viduas cremare cum marito. *pag.* 276.

Not. 3. Antiquissimos Graecos persuasum sibi habuisse animam cum corpore abire sub-

ter terram, et manere in sepulcro. Postea sibi finxisse mutuum inter sepultos commercium, mundum subterraneum, mortuorum rempublicam et deum inferum. *pag.* 277. Eodem fere redire barbararum gentium de statu post mortem opiniones. *pag.* 278.

Not. 13. Generatim de antris in Aegypto visendis. *pag.* 281. 651.
Not. 19. De sepultura Apidis. *pag.* 284.
Not. 28. De Phile insula: vocabuli etymon. *pag.* 285.
Not. 30. De Aydo. *pag.* 287.
Not. 31. 37. De Busiri et Taphosiri. *pag.* 288.
Not. 34. De Charontis et Cerberi vocabulis ex Aegyptio idiomate derivandis. *pag.* 289.

§. XV. Universus sepeliendi ritus apud Aegyptios et judicium de mortuis, e Diodoro, *pag.* 290. Aegyptios sepulcra sibi parasse in locis a Nili accessu semotis, quo parentum corpora, postquam certum tempus domi servassent medicata, deferrent. Inde negotium datum oppidorum praefectis, ne pignori obligatum cadaver sepeliretur. Ampliata inde judicum potestate, quaeri coeptum de acta vita hominis sepeliendi, nec permissum ut sacris cryptis inferretur, nisi qui scelere purus fuisset judicatus et Osiridis avorumque societate dignus. *pag.* 292. A crocodilis rapti vel in Nilo submersi, sacri crediti et in sacris conditoriis sepulti. *pag.* 293.

Not. 1. Palus mortui apud Diodorum i. e. Osiridis. *pag.* 290.
Not. 4. Publicum de regibus defunctis judicium apud Aegyptios. *pag.* 293.

§. XVI. Doctrina Aegyptiorum de statu animae post mortem. *pag.* 294. Locus Herodoti. Animam esse immortalem nec ullo unquam tempore perituram, disertius docuisse sacerdotes Aegyptios quam reliquorum populorum sapientes. Manere animam cum corpore, ac cum eo descendere ad inferos, quibus Isis et Osiris praeesse credebantur, ibique aevum ducere eo beatius quo quisque mortalem vitam gesserat diis acceptiorem, usque dum corpus vetustate fractum concideret. Tunc animam reverti ad nova corpora animanda, et initio facto ab infimis animalium generibus ad nobiliora pergere, donec post ter mille annorum circuitum denuo in humanam formam rediret. Qui vero in tribus circuitibus perfecte justi inventi fuissent, hos reliquum aevum beate duraturos esse cum Osiride, nec amplius in nova corpora reversuros. *pag.* 295. Locus Pindari de Elysio, Aegyptias doctrinas Graecorum ingenio accommodatas exprimens. *pag.* 297. Sententia Platonis. *pag.* 298. Graecorum sapientes metempsychosin mutuatos esse ab Aegyptiis, pariterque populos orientales nonnullos. *pag.* 299. Primos in Graecia Thaletem, Pherecydem, Pythagoram, qui ex Aegyptiis fontibus hauserant, asseruisse immortalitatem animae. *pag.* 300. Inferiae ab Aegyptiis proscriptae. Isis sive Luna inferis praeesse credita, cui adjunctus Osiris heros. *pag.* 302. Isis et Osiris in sepulcralibus monumentis Aegyptiorum ubique obvii. *pag.* 303. Enarratio picturarum in sarcophagis ubi judicis munere fungitur Osiris inferus. *pag.* 304. Osiridem ex mortali homine factum heroem, postea deorum principem, et veram ejus historiam, mortem et descensum ad inferos, mysterii velo obtectam. Eundem dictum Serapidem seu patrem mortuorum. Apin taurum sepeliri solitum in templo Serapidis apud Memphin, quod aliis dictum Hecates Scotiae seu Isidis inferae. *pag.* 306. Ad hoc templum spectare ritum mysticum, quem appellabant descensum Rampsiniti. De lupis ministris Osiridis inferi. *pag.* 307. Mortuorum conditoria ab Aegyptiis dicta domus aeternae. Locus Servii de anima cadaveri obnoxia. *pag.* 310. Variae Graecorum philosophorum de metempsychosi sententiae. *pag.* 311. Aegyptios nullas agnovisse poenas apud inferos. *pag.* 312.

Not. 4. De Aegyptio vocabulo Amenri, quod occasum solis et inferos denotat. *pag.* 293.
Not. 5. De Elysio et Rhadamantho, fabula ex Aegypto derivata. Morte descendi ad Haden, ad Rhadamanthum autem sine morte fieri transitum. *pag.* 296.
Not. 8. Magos metempsychosin didicisse ab Aegyptiis, a Magis Lamas, Brachmanes, Talapoinos et reliquas sectas Asianas. *pag.* 299.
Not. 27. Serapeum Alexandrinum ortum a sacello Osiridis inferi. *pag.* 306.
Not. 32.—35. Lupi in Aegypto sacri et in monumentis Aegyptiis obvii. *pag* 307.
Not. 41. Poetarum fabulae de inferis ab Aegyptiorum doctrina alienae. *pag.* 312.

§. XVII. Antra sepulcralia et hypogaea apud varias gentes, vel singulis hominibus familiisve vel integris tribubus aut oppidis destinata. *pag.* 312. Labyrinthi Graciae. *pag.* 315. Puticuli. *pag.* 316. Aedes sepulcrales super solo. *pag.* 317.

Not. 3. Sepulcra caeteraque aedificia Persepolitana sub Dario coepta videri. *pag.* 314. 651.

§. XVIII. De arcis sepulcralibus. *pag.* 317. Aegyptios plerumque usos esse arcis ligneis e sycomoro, cum operculo corpus referente medicatum fasciisque obvolutum, vultu ad vivum expresso, interdum et brachiis manibusque et attributis indicatis. *pag.* 318. Quae virilia includunt cadavera, sub mento habere barbulam oblongam. Omnes dealbari consuevisse, saepe et pigmentis, interdum auro decorari. Nonnullas inveniri admodum pulcre pictas, figurisque et characteribus hieroglyphicis refertas. *pag.* 319. Arca Lethieulleriana omnium quae noscuntur pulcherrima. *pag.* 320. Arca magna Bononiensis. Arca Werliana nunc Hafniae. *pag.* 371. 652. Reperiri et arcas ex telis linteis conglutinatas, aliasque lapideas ad eandem pariter formam factas. *pag.* 322. 652. Nobilissimas esse ex granite, ad 12 usque pedum longitudinem, cadaveribus jam in ligneas arcas inclusis recipiendis paratas, cum mumiae supine jacentis effigie super operculo exscalpta, lateribus interdum puris, saepius figuris notisque hieroglyphicis tam externa quam interna facie refertis. Hujus generis sarcophagus in magna quam vocant pyramide. Alter in antro apud Thebas omnium maximus. *pag.* 323. Unus Cairi. Unus inventus apud Sain, cujus pars nunc in museo Borgiano, pars Oxonii, pars Bulaki prope Cairum. *pag.* 324. Multos praterea conspici in Aegypti oppidis. *pag.* 328. Consuevisse Aegyptios vigente adhuc aetate sepulcrales arcas sibi comparare cum sumptu et magnificentia. Osiris a Typhone deceptus. *pag.* 329. Sinensium consuetudo. Arcarum usus apud Indos aliasque gentes barbaras. *pag.* 331. Apud Graecos pariter Romanosque. *pag.* 332.

Not. 3. Sarcophagi Aegyptii duo e sycomoro in museo Borgiano. *pag.* 318.
Not. 12. Sarcophagus Cairinus e sycomoro admodum elegans, a Niebuhrio delineatus. *pag.* 320.
Not. 13. 15. Variae in sarcophagis Aegyptiis picturae. *pag.* 321.
Not. 30. De ariete Minervae sacro. *pag.* 327.
Not. 37. Leo mumiam gestans in gemma Borgiana. Feretrum leontomorphon in mumiis et sarcophagis obvium. *pag.* 329. 652.
Not. 38. De mystica sepultura Osiridis. *pag.* 330.
Not. 39. Sarcophagi apud Aegyptios interdum ad sacrorum animalium formam facti. *pag.* 331.
Not. 44. sqq. De sarcophagorum usu apud Graecos et Romanos. *pag.* 332. *sqq.*

§. XIX. De monumentis in defunctorum memoriam erectis. Plerasque gentes majorem curam impendisse sepulcris quam domibus. *pag.* 335. Monumenta omnium vetustissima et plurimis gentibus communia tumuli sive aggeres. *pag.* 337. Excelsi tumuli Scandinavorum, Getarum, Zarinae, Nini, Alyattis. *pag.* 338.

Tumuli heroici apud Italos, Graecos, Trojanos. *pag.* 339. 652. Antiquus mos juxta fluvios fontesque sepelire et arbores plantare circum tumulos: cepotaphia. *pag.* 341. Alcmaeonis sepulcrum in Psophide praealtis cupressis cinctum. Primae in Italia platani in sepulcro Diomedis. Quae Pausania scribente vetustissima sepulcra ostendebantur in Graecia maximam partem colles fuisse, interdum arboribus consitos, interdum lapidea crepidine cinctos, ac vertice sustinentes saxum asperum. *pag.* 342. Tumuli e lectis lapidibus congesti. *pag.* 343. Aggeres terreni substructione alta subrecti. *pag.* 344. Mausoleum Augusti. Moles lapideae in Graecis Romanisque sepulcris ad tumulorum imitationem factae. Sepulcrum Hadriani. *pag.* 345.

Not. 43. De tumulis spatiosis e magnis lapidibus in Scotia et Scania. *pag.* 343.
Not. 52. Mausoleum Artemisiae. *pag.* 345.
Not. 53. Sepulcrum Porsenae, *pag.* 347.

§. XX. Alterum sepulcralium monumentorum genus lapides terrae infixi, quam plurimis populis commune. *pag.* 347. Agrestes populos nonnullos uti ligneis stipitibus, aut arboribus monumenti loco plantatis, aut armis utensilibusve suspensis super tumulo. *pag.* 348. In septentrionali Europa passim inveniri ingentes lapides oblongos in sepulcris positos, nativa asperitate horridos, interdum rudi arte complanatis lateribus aliquo modo similes obeliscis pyramidibusve. Praeclarissimus in hoc genere apud Jellingam Juthlandiae ad trilaterae pyramidis formam factus, cum figuris inscalptis et inscriptione Runica; altissimi in Scotia, obeliscis comparari soliti, quorum unus est pedum 23, multisque figuris insignis. *pag.* 350. Graecos in lapidibus mortuorum honori dicatis non tam moli studuisse quam elegantiae. Stele Apharei. *pag.* 353. Stele Ili. Metae ludorum. Stelae in vasculis pictis. Homerum nullibi meminisse inscriptionum in sepulcris. Neque Herodotum a sepulcris descripsisse vetustissima epigrammata sed a donariis. *pag.* 354. Graecas civitates tyrannis pulsis instituisse viros de patria bene meritos publico sepulcro honorare cum stele et epigrammate, unde ad alios quoque fluxit inscriptionum consuetudo. Modicis cippis successisse excelsas columnas. *pag.* 355. De columnis Trajani et Antoninorum. De obelisco sepulcrali apud Nicaeam. De cippis sepulcrorum Graece aut Latine inscriptis. *pag.* 356. De urnis et sarcophagis inscriptis. De sarcophagis sub divo positis. *pag.* 357. Scalptas effigies in stelis vetustioris instituti videri quam epigraphas. Vetustissima signa a Pausania conspecta stetisse in sepulcro Coroebi Megaris. Sepulcra Thyestae, Midae, Sardanapali. *pag.* 358. De rebus in sepulcris exscalpi solitis. *pag.* 359. Monumenta Archimedis, Leonidae, Epaminondae, Diogenis, Isocratis. *pag.* 360. Vultus defuncti expressus in stele. Integra statua in locum stelae. *pag.* 363.

Not. 21. De praegrandibus lapidibus erectis in insula Paschali. *pag.* 351.
Not. 22. De rudibus saxis ingenti numero erectis in Armorica. *pag.* 357.
Not. 26. De grandibus columnis fastigiatis barbari operis in sepulcris apud Aradum, *ibid.*
Not. 59. στηλη, κιων, τραπεζα, λουτροφορον, mensa, labellum. *pag.* 361.
Not. 61. Leonum effigies frequentes in sepulcris. *pag.* 362.
Not. 63. Statua in aedibus Rondininiis decumbens in sepulcro, manibusque sustinens protomen muliebrem. Statua Barberina duas protomas gestans. *pag.* 363. 652.

§. XXI. Tertium genus, aediculae et septa mortuorum memoriae dicata. *pag.* 363. Agrestium populorum consuetudo, sepulcra sepire, et super tumulo

texere domunculam omnigena supellectili ac tutelarium deorum simulacris instructam. Alios consuevisse intra deorum templa reponere mortuos aut circum ea defodere. *pag.* 364. Sepulcrum Cyri Pasargadis. *pag.* 365. Apud Graecos aedificia in sepulcris veteris instituti esse quamquam rarius occurrant. Monumenta Alcmaeonis, Meleagri, Inus, Aeaci. *pag.* 366. Septum sepulcrale Buselidum Athenis. Sicyoniorum sepulcra. *pag.* 367. Clari apud Graecos viri foeminaeque in deorum templis sepulti, maxime urbium conditores vel caeremoniarum antistites: virgines Hyperboreae in Delo. Aedificia in sepulcris inferis diis sacrari solita, interdum ei numini quod singulari cultu prosecutus erat defunctus, interdum ei quod morte sua placasse credebatur. *pag.* 368. Defuncti simulacris in deorum formam honorati. *pag.* 370. 652. Solemnis apud Romanos aedicularum usus in sepulcris, cum atriis, hortis, puteis, pergulis, tabernis, et omnis generis magnificentia. *pag.* 371.

Not. 14. Sepulcrum Nitocridis super porta Babylonis. *pag.* 365.
Not. 28. Heroon Epictetae Spartanae. De apotheosi privata. *pag.* 369.
Not. 34. Sepulcrum Trimalchionis. *pag.* 371.
Not. 35. De sepulcris in Ceramico, *pag.* 372.

§. XXII. Aegyptios nec terrenis tumulis usos inveniri neque stelis in sepulcris. *pag.* 372. Diodorum fidem non mereri, dum stelas commemorat in sepulcris Isidis et Osiridis extra Aegypti terminos. Aegyptios Osiridem in ipsa Aegypto sepultum tradere, Isidis nullum agnoscere sepulcrum. Sarcophagos in Aegypto, defunctorum vultus referentes, singulis familiis domesticorum monumentorum loco stetisse. *pag.* 373. Figuras et notas hieroglyphicas in sarcophagis non spectare ad defunctorum res gestas, sed e gentis religione esse depromptas. Ara e granite in museo Borgiano, mumiarum figuris 22 insignis, cum adjectis unicuique inscriptionibus hieroglyphicis, in cognatorum memoriam dicata diis inferis. *pag.* 374.

§. XXIII. Quae hactenus innotuere publica monumenta, Aegyptiorum sepulcra denotantia, aut rupium facies esse scalpro complanatas, aut aediculas seu templa, aut pyramides. Sepulturam plerumque fuisse in montium lateribus, aut in cryptis arena occultatis, ne in terram arbori plantandae aut semini jaciendo idoneam mortuum corpus inferretur. Rupium latera complanata, cum columnis et epistyliis, scalptis figuris et inscriptionibus hieroglyphicis, in variis Aegypti locis obvia. *pag.* 375. Memorabilis scalptura in rupe montis Esselsele. *pag.* 376. Alia in monte Tuna. Pictura in rupis fronte in finibus Savadi. *pag.* 377.

Not. 12. Rupium frontes scalpturis et inscriptionibus decorae apud Persepolin et Naxirustan, inque aliis Asiae et Europae locis. *pag.* 377.

§. XXIV. Pyramides in ea potissimum Aegypti parte occurrere, ubi pro sepulcris fuere cryptae subterraneae in campis sabulosis infossae, quae ut denuo adiri possent, necesse erat ostiis earum superimponere firma aedificia. Plurima adhuc rudera conspici circa Busirin et Saccaram, forma plerumque quadrata, singula includentia puteum. Ista aedificia ubi altius attollere studuerent, fastigiumque addere, ultro sese obtulit figura pyramidalis, qua nullam nobis possumus imaginari minori artis sumptuumque impendio stabilem atque conspicuam. *pag.* 379. Aegyptios ligni inopia laborantes fornicibus camerisque vix nisi in antris e solito saxo exsectis usos reperiri. *pag.* 380. A parvis pyramidibus singulis cryptis impo-

ni solitis, ventum esse ad famigeratas illas moles. Harum nonnullis colossos impositos fuisse in summo vertice. Neque scalpturis et notis hieroglyphicis caruisse frontes, quamquam nunc nulla appareant vestigia. Nonnullis atria quadrata vestibuli loco adstructa fuisse. Constantem apud Aegyptios traditionem pro sepulcris eas agnovisse, quin et videri ipsum nomen pyramidum inde manasse. *pag.* 382. Locus Plinii de pyramidibus. *pag.* 383. Strabonis. *pag.* 385. Herodoti. *pag.* 386. Diodori. *pag.* 391. Manethonis. Aristidis. *pag.* 393.

Not. 3. De molibus forma pyramidali apud varias gentes obviis. *pag.* 380.
Not. 4. Quae Wilfordus de usu pyramidum in Aegypto accepit a Brachmanibus. *pag.* 382.
Not. 5. 6. 7. Varia veterum loca de pyramidibus. *pag.* 383.
Not. 8. Pyramides scalis instructas fuisse forinsecus. *pag.* 384.
Not. 8.* De Amasi rege in Sphinge sepulto. *ibid.*
Not. 16. Loca Herodoti de lapicidinis Arabicis, et de situ pyramidum. *pag.* 387.
Not. 20. Pastorem Philitin Herodoto memoratum inter auctores pyramidum, forsan esse Osiridem. *pag.* 389.

§. XXV. Peregrinatorum narrationes de pyramidibus in Aegypto. *pag.* 393. Vetustiores videri quae ad austrum sitae sunt. Generatim de structura et forma pyramidum. *pag.* 394. Pyramides duae operis lateritii apud Davara a Fajuma ad austrum. *pag.* 395. Pyramis lateritia apud Medun, dicta pseudo-pyramis. Tractum, in quo pyramides confertas spectari narrant, incipere apud Dasjur XX mill. pass. a Medun ad septentrionem, atque inde porrectum e regione Saccarae et Mempheos usque fere ad latit. bor. grad. 30, longitudine obtinere XIV mill. pass., exigua quidem latitudine, velut una serie positas in campo altiori infra Libycos montes, occidentali Nili littori objectos, ubi fuere sepulcra Memphitica. Harum prima facta e grandibus lateribus per zonas assurgens. *pag.* 396. Duae pyramides magnae e secto lapide calcareo, uti sunt reliquae fere omnes; altae circiter palm. 470, latae 900; quarum una aperta est, meatusque ostendit et penetralia. *pag.* 397. Pyramis mutila apud Saccaram, quam Pharaonis sedem appellant. *pag.* 398. Parvae pyramides ibidem. Campus olim fossa et vallo circumdatus, in quo crypta avium. *pag.* 399. Via strata ducens ad pyramides Gizenses. Plurima hic sepulcra e secto lapide, quadrata et oblonga, olim forte ad pyramidalem figuram structa: pyramides adhuc XIII, in quibus tres mole conspicuae. *pag.* 400. Pyramis quam vulgo vocant magnam sive maximam, alta inter palmos 600 et 700, lata inter 950 et 1000. Latera an sint perfecte aequalia nondum constare: ad oculum quadratas apparere magnas pyramides, nec aliud quaesivisse conditores. *pag.* 401. In summo vertice planum quadratum, pedes undique $13\frac{1}{2}$. *pag.* 402. Extimos lapides qui latera vestiebant, omnes esse avulsos. *pag.* 403. Ostium in latere boreali, cui olim porticus adstructa fuisse videtur. Meatus interni marmore amicti. *pag.* 404. Descensus ad cryptas subterraneas. *pag.* 405. Cadavera reperta in puteo pyramidis atque in conclavi superiori. Conclave inferius e lapide syenite. *pag.* 406. Dromus cum fornice acuto altitudine pedum 26, pariter e syenite. *pag.* 407. Vestibulum et magnum conclave ex eodem lapide, in quo sarcophagus e granite nigro. *pag.* 408. Altera pyramis aequalis fere magnitudinis, condita super tubere campi saxei, fossa cincta ac rupe ad libellam secta, in cujus fronte excisa sunt antra quadrata, cum notis hieroglyphicis. *pag.* 409. Aliae cavernae scalptura decorae, et quadrati templi rudera. Hanc pyramidem habere verticem integrum et acutum, et summa sui parte contectam esse lapidibus calcareis eximie laevigatis. De lapide Troico

et de lapide calcareo communi e quo structae sunt pyramides . *pag.* 410. Videri aditum hujus pyramidis fuisse per canalem subterraneum ab immani illa sphinge, quae ante eam jacet passuum fere 300 intervallo, in ipso monte excisa . Inde factum ut Amasin regem in pyramide conditum, in sphinge sepultum fuisse traderent. Descriptio hujus sphingis, *pag.* 411. Tertia pyramis magna, alta circiter pedes 160, lata 300, in qua sunt reliquiae lapidum graniticorum quibus olim fuit contecta. Ante eam atrium ex ingentibus lapidibus structum . Tres pyramides, circiter centenûm pedum amplitudine, quarum una vulgo dicitur quarta pyramis magna, *pag.* 412.

Not. 3. De aedificiis nonnullis in Aegypto quae perperam pyramides audiunt apud peregrinatores. *pag.* 395.
Not. 21. De ichnographiis pyramidum Gizensium apud Nordenium et Pocockium. *pag.* 400.
Not. 22. Maximae pyramidis mensurae varie traditae ab auctoribus . *pag.* 401.
Not. 23. Utrum pyramidum frontes accurate conversae sint ad quatuor mundi cardines, *ibid.*
Not. 28. De ruina pyramidum . *pag.* 403.
Not. 45. Aegyptios non usos inveniri arcubus seu veris fornicibus. Locus Plinii de Labyrintho. *pag.* 407.
Not. 53. De parvis pyramidibus et de puteis qui in iis observantur. *pag.* 409.

§. XXVI. Etiam hoc antiqui moris fuisse apud proceres in Aegypto ut juxta domos suas sacella aedificarent quae sepulcrorum loco essent. Locus Herodoti de Mycerini regis filia in lignea bove sepulta intra regiarum aedium ambitum, et quotannis ad solem salutandum elata . *pag.* 414. Videri Herodotum Isidis deae simulacrum, lugubribus caeremoniis destinatum, accepisse pro regiae juvenis conditorio. Locus Plutarchi de bovino simulacro Isidis in luctu Osiridis. *pag.* 415. Psammetichidae sepulti Sai in templo Neithidos juxta aedes regias. Loca Strabonis et Herodoti, *pag.* 416. Locus Herodoti de antiquis regibus sepultis una cum sacris crocodilis in Labyrintho, totius gentis templo. *pag.* 417. Ab hac consuetudine repetendum, quod interdum unum idemque aedificium et regia esset et templum et sepulcrum; idque evenisse de Osymandeo, quod aliis Memnonium audit, omnium quae accepimus monumentorum magnificentissimo, *pag.* 418. Descriptio Osymandei ex Diodoro. *pag.* 419.

Not. 8. Alexander et Ptolemaei Alexandriae conditi in aedibus regiis. *pag.* 416. Sepultura Alexandrinorum in hortis. Cepotaphium Jannae et Jambrae in deserto Sceteos. *pag.* 417.
Not. 10. Unum tantum fuisse Labyrinthum in Aegypto. *pag.* 417.

§. XXVII. Generatim de inscriptis monumentis et de arte scribendi. *pag.* 422. De stelis Aegyptiis, ad Sesostridem, Osirin, Hermetem referendis; et de obeliscis a stelis ortum trahentibus, *pag.* 413.

Caput II. Litterarum apud Aegyptios usus et origo.

§ I. Varias esse et dissonas doctorum virorum de Aegyptiis litteris sententias, *pag.* 423. Locus Clementis Alexandrini: usos esse veteres Aegyptios triplici litterarum ratione, duabus quidem alphabeticis, vulgari et sacerdotali; tertia hieroglyphica, *pag.* 424. Locus Antonii Diogenis apud Porphyrium. *pag.* 426. Herodoti. *pag.* 428. Aegyptios in lapidibus non alia scriptione usos videri quam hieroglyphica. Loca Diodori, *pag.* 429. Strabonis, *pag.* 431. Taciti, Plinii.

Lucani, Ammiani, aliorumque. *pag.* 432. E Manethone colligi, Aegyptios in lapidibus uti consuevisse scriptione hieroglyphica, in libris alphabetica. *pag.* 433. E Platone constare habuisse eos litteras alphabeticas sibi proprias, quas a suae gentis homine inventas asserebant. Vulgarem scripturam potissimum adhibitam fuisse in epistolis, sacerdotalem in libris. Ex Apulejo intelligi exstitisse etiam libros aliquos hieroglyphice scriptos. *pag.* 434. Loqui Apulejum de duplici litterarum specie in libris ritualibus adhibita, altera hieroglyphica, altera alphabetica sacerdotali, simili ei quam videmus in fascia Cayliana. In utroque alphabeto eundem fuisse elementorum numerum et ordinem, sed sacerdotales litteras elegantiores, nexibusque et accentibus variatas. Loca Plutarchi de XXV litteris Aegyptiorum, quarum prima *ibis* dicta. Has omnes fuisse consonantes. Locum Demetrii Phalerei de VII vocalibus, accipiendum esse de cantus modulatione, non de litteris. *pag.* 435. Copticas litteras non ante III vulgaris aerae saeculum introductas fuisse, colligi e loco Aristidis de Canopo. *pag.* 436.

Not. 1. Auctores hodierni de litteris Aegyptiis. *pag.* 423.
Not. 3. Sententiae Mercati, Marshami, Kircheri. *pag.* 425.
Not. 7. Sententiae Warburtoni, Dorignii, Gebelini, Tychsenii, Brossii. *pag.* 427.
Not. 8. Anaglypha Aegyptia et picturae apud Herodotum. *pag.* 429.
Not. 10. Inscriptiones Aegyptiae in lapidibus eidem memoratae. *ibid.*
Not. 18. Inscriptiones Aegyptiae apud Diodorum. *pag.* 431.

§. II. Unam tantum reperiri hieroglyphicae scriptionis methodum. *pag.* 437. Hieroglyphicorum characterum eam esse naturam, ut signa quaedam sint signorumque syntagmata, rerum quae cogitatione concipiuntur imitamenta, quae ad litterarum instar singulatim ordinata in series sive versus, animi sensus, factorum idearumque seriem exprimant. Hoc pacto distingui eos a Sinensium characteribus, qui non sunt rerum effigies, et a Mexicanorum picturis, ubi figurae non ad litterarum instar ordinantur. Scalpturas picturasque Aegyptias quae figuris actione aut dispositione inter se junctis factum aut mythum aut allegoriam exprimunt, male confundi cum inscriptionibus hieroglyphicis. *pag.* 438. Signa hieroglyphica pro varia significandi ratione in quinque classes distribui: cyriologica, cyriologumena, tropica, aenigmatica, phonetica. *pag.* 439. Exempla singulorum generum. De serpente uraeo cum globo et clavi in obeliscis insculpto juxta accipitrem. *pag.* 440. De scarabaeo in apice obelisci Campensis. Locus Horapollinis de scarabaeo. *pag.* 447. Locus Horapollinis de *bajeth*, ad illustrandum genus phoneticum, a quo ortum alphabetum. *pag.* 454. In universum eam esse hieroglyphicorum naturam ut aeque recte lingua appellari possint atque scriptura. Non enim fuisse notarum certum atque praestitutum numerum, neque singularum notarum significationes ita determinatas, ut mutari vel augeri non potuissent. Quam recentiores appellant abbreviatam sive cursivam scripturam hieroglyphicam, non aliud esse quam rudem picturam eorundem characterum qui in aliis monumentis occurrunt eleganter picti. *pag.* 455. Locus Plutarchi de inscriptione inventa in sepulcro Alcmenes. *pag.* 456. Majorem minoremve hieroglyphicorum elegantiam non posse ad certa temporis intervalla referri. Praecipuum hieroglyphicorum usum fuisse in monumentis lapideis: sed et in quavis alia materie incidi aut coloribus pingi consuevisse. Antiquissimo enim aevo quascunque res hie-

roglyphicis scripsisse Aegyptios, post inventum alphabetum hieroglyphica in sacris maxime publicisque monumentis conservasse. *pag.*457. Recensentur varii generis argumenta quae hieroglyphice scripta commemorantur ab antiquis auctoribus. *pag.*458. Solos in Aegypto sacerdotes calluisse hieroglyphica: non quod data opera caelarentur, sed quod natura sua intellectu erant difficilia. *pag.* 460. De symbolorum philosophia apud Aegyptios, quam cum scriptura hieroglyphica confundunt nonnulli. Locus Plotini. *pag.*461. Loca Clementis et Philonis, *pag.*461.

Not. 3. Inscriptio hieroglyphica: *nascentes, morientes, deus odit impudentiam. pag.*436.
Not. 4—7. Inscriptiones hieroglyphicae ab antiquis scriptoribus memoratae. *ibid.*
Not. 9. In locum Horapollinis de Iside. *pag.* 440.
Not. 15. Significatio palmae secundum Aeg. *pag.* 441.
Not. 17. Significatio crocodili. *pag.* 442.
Not. 28. 35. De sceptris Aegyptiis. *pag.* 442. 445.
Not. 29. In locum Horapollinis de ape. *pag.* 443.
Not. 30. De accipitre. *ibid.*
Not. 31. De leone, *ibid.*
Not. 32. De bove. *pag.* 444.
Not. 34. De upupa. *ibid.*
Not. 35. De hippopotamo, *pag.* 445.
Not. 36—42. De scarabaeis. *pag.* 446. *sqq.* 653. 483.
Not. 38. De signis Apidis. *pag.* 447. 461. 653.
Not. 43. De vulture. Simulacra muliebria exuviis vulturinis decora, *pag.* 450. Accipiter et vultur in pyramidio obelisci Campensis. *pag.* 451.
Not. 45. De serpente uraeo. *ibid.*
Not. 46. De serpente caudam suam ori inserente, *pag.* 452.
Not. 47. De Sothide. *pag.* 452. 653.
Not. 48. Cor suspensum super acerra ignita. *pag.* 453.
Not. 49. In locum Horapollinis: solis circulus cum stella et dimidiata luna. *ibid.*
Not. 81. Exstitisse apud priscos Aegyptios tabulas quasdam geographicas scalpro incisas. Locus Apollonii Rhodii, *pag.* 458. 529.
Not. 89. 90. Inscriptio in templo Minervae Saitidis. *pag.* 459.
Not. 102. De Horapolline, *ibid.*

§. III. De numero notarum in hieroglyphica scriptione occurrentium. Brucium in Aegypto invenisse non plus DXIV: sed auctoritati ejus non multum tribuendum. Qua methodo characteres hieroglyphici numerandi sint, ordinandi et describendi, *pag.* 463. Nondum tentatam esse veram hieroglyphicorum interpretationem, neque ut res nunc se habent tentandam. Hieroglyphica modo exarari ordine verticali per columnas, modo horizontali per versus; in nonnullis monumentis et columnas inveniri et versus. Modo scribi a dextris ad sinistra, modo a sinistris ad dextra; ac saepe in uno eodemque monumento occurrere utramque rationem. In iis legendis initium faciendum ab ea parte ad quam conversae sunt figurarum facies: scilicet ubi dextrorsum spectent figurae, pergendum a sinistris ad dextra, et vice versa. In obeliscis per columnas distributas esse inscriptiones hieroglyphicas, ita tamen ut in uno eodemque obelisco figurae modo dextrorsum spectent modo sinistrorsum, ideoque in brevibus lineis ex quibus compositae sunt columnae, modo a sinistris initium fiat, modo a dextris. De hieroglyphicis quae sunt in obelisco Campensi. *pag.* 464. Characterum numerus. Schemata elliptica. Minuti characteres figuris historicis adjecti in pyramidio, capitulo, et basi obeliscorum, constanter ad eam partem conversi ad quam spectat figura cui juxta adscripti sunt. *pag.* 465. De iis quae sunt in obelisco Flaminio. *pag.* 466. De

obelisco Lateranensi, notarum copia superante omnes qui noscuntur primae aetatis obelisci. *pag.* 468. De notis hieroglyphicis per classes distribuendis, et primitiva sive naturali cujusque notae significatione accurate investiganda. *pag.* 470. De iisdem ad alphabeti instar ordinatis in aeneis tabulis exhibendis. *pag.* 471. De duplici obeliscorum aetate. De parvis primae aetatis obeliscis. *pag.* 472. De ejusdem aetatis obeliscis Consantinopoli atque in Aegypto. *pag.* 473. Secundae aetatis obelisci: Barberinus, Pamphilius, Albanius, Borgianus. *pag.* 474. Ex omnibus obeliscis a nobis inspectis colligi characteres hieroglyphicos DXI. *pag.* 475. Harpocratis figura et utriusque sexus genitalia in secundi tantum aevi obeliscis obvia. In obeliscis praefatis praeter characteres hieroglyphicos occurrere figuras grandiores LXXI. *pag.* 476. De inscriptionibus hieroglyphicis in monumentis asservatis in museo Pio-Clementino. *pag.* 477. In Capitolio. *pag.* 479. In leonibus ad fontem Felicem. In variis Romae locis. In villa Albania. *pag.* 480. In villa Burghesia. *pag.* 481. In museo Borgiano Velitris. *pag.* 482. Statuas Aegyptias quas ad Ptolemaeorum aevum refert Winkelmannus, sub Psammetichidis factas videri. *pag.* 486. Hieroglyphicorum in lapide calcareo et in talco ollari incidendorum faciiitas, et negligentia inde nata. *pag.* 487. Duplex rudium notarum genus, alterum ab inscitia derivandum, alterum a festinatione. Hoc cursivum dici posse. De trunco statuae nudae e basalte in museo Borgiano, hieroglyphicis undequaque referto, post maximos illos obeliscos omnium quae videmus monumenta Aegyptia pulcherrimo. *pag.* 488. De inscriptionibus hieroglyphicis Neapoli et Florentiae. *pag.* 491. Bononiae. *pag.* 492. Venetiis. *pag.* 493. Ex Anglia transmissis. *pag.* 494. Omnes characteres hieroglyphicos, qui nobis innotuere, numero esse CMLIIX: ovata schemata in iis comprehensa LXIIX. *pag.* 497.

Not. 6. Contra Burneyum, affirmantem occurrere in monumentis Aegyptiis instrumenta musica, in quibus subjecti manubrii auxilio chordarum soni potuissent modificari. *pag.* 465.

Not. 7. De periammate Aegyptio ad vasculi formam facto. *pag.* 465.

Not. 10. De schematibus ellipticis in inscriptionibus hieroglyphicis. *pag.* 469.

Not. 23. Non sacerdotem sed deum repraesentari statua Aegyptia edita in *Museo Pio-Clementino* tom. 2. tab. 16. *pag.* 478.

Not. 24. Virilem esse in eodem museo statuam Aegyptiam, quam vulgo appellant pastophoram. De sacerdotibus foeminis in Aegypto. *pag.* 478.

Not. 39. Monumenta aenea hieroglyphice inscripta. *pag.* 483.

Not. 43. De creta coctili Aegyptia, quam vulgo appellant *porcellana*. *pag.* 484.

Not. 53. Statuae Isidis in museo Capitolino. *pag.* 486.

Not. 70. Centauri in scalpturis Aegyptiis. *pag.* 492.

Not. 81. 82. 83. De tabulis Aegyptiis anaglypticis, exhibentibus deum juvenem crocodilos pedibus prementem. *pag.* 495.

§. IV. De alphabetica scriptura Aegyptiorum. *pag.* 497. Recensentur monumenta in quibus agnoscitur hodie. *pag.* 498. 653. In hisce omnibus procedere scriptionem a dextris ad sinistra, litteris per ordines horizontales distributis. Variari litteras in singulis monumentis, eandem tamen in cunctis esse elementorum rationem. Videri omnia haec monumenta sacerdotali methodo scripta. Vulgaris methodi nulla exempla ad nos pervenisse. *pag.* 501. Inter monumenta recensita antiquissimum videri taeniam Caylianam: recentissima tabulam plumbeam Borgianam, et aeneam Galvani. *pag.* 502.

§. V. Principem hujus scripturae utilitatem fuisse in libris exarandis. Exstitisse integras bibliothecas in veteri Aegypto. *pag.* 502. De libris quos sacros voca-

bant Aegyptii. Loca Manethonis, Diodori, Josephi. Libri sacri ab Ocho e templis ablati, a sacerdotibus pretio soluto redempti. *pag.* 503. Hermetem Aegyptium non hominem fuisse, sed genium humanae mentis praesidem, cujus nomini libros suos dicaverunt sacerdotes. De Hermeticorum librorum numero, argumento, classibus. *pag.* 504. Locus Clementis de libris Hermeticis XLII inter sacerdotum classes distributis. *pag* 505. Hymnodis commendata fuisse lyrica, quae deorum regumque laudes complectebantur; astrologica horoscopis, medica pastophoris, ritualia stolistis, prophetis legum scientiam, theologiam et disciplinam ordinis, hierogrammatis rerum ad Aegyptum spectantium encyclopaediam. *pag.* 507. De hymnis. *pag.* 508. De regum laudibus. *pag.* 509. De astrologumenis. De hierogrammatum munere, et de libris custodiae eorum traditis, in quibus fuere lexica hieroglyphica. *pag.* 510. De libris paedeuticis et moschosphragisticis. *pag.* 511. De libris hieraticis. *pag.* 512. De libris medicis. *pag.* 514. De aliis scriptis hermeticis. *pag.* 515. De libris Ammonis regis, Bityis prophetae, Epeis hierogrammatis, Supheos et Athotheos regum, Nechepsonis regis et Petosiridis philosophi. *pag.* 516. Petosirin et Nechepsonem solos inveniri inter vetustos scriptores Aegyptios, de quorum aetate et historia certi quid sciri possit. Vixisse eos VII ante aeram nostram saeculo, astrorumque scientiam et tuendae valetudinis rationem excoluisse novisque inventis auxisse. Ammonem regem videri Amasin illum Cyro coaevum: Bitynque et Epein circa eadem tempora floruisse. Athothin et Suphin videri librorum titulos, non auctores. *pag.* 518. De libris Aegyptiis qui auctoris nomine suppresso memorantur a Graecis. Annales. *pag.* 519. Leges scriptae. *pag.* 520. Libri rituales et theologici. Libri mystici Severo jubente in Alexandri sepulcrum abditi. *pag.* 521. Libri physici, astronomici, astrologici. *pag.* 522. Libri medici, pharmaceutici, iatromathematici. *pag.* 523. Liber dictus Ambres. Libri magici. *pag.* 524. Libri chemici a Diocletiano combusti. *pag.* 525.

Not. 13. Numerus librorum hermeticorum ad annos periodi Sothiacae relatus. *pag.* 505.
Not. 16. Attributa hierogrammatum in pompis. *pag.* 506.
Not. 17. Attributa prophetae et hymnodi. Anaglyphon Rondininium. *pag.* 507.
Not. 18. Series librorum hermeticorum apud Clementem. *pag.* 508.
Not. 19. De antiquitate eorum, contra Tychsenium. *ibid.*
Nor. 22. 25. De poesi Aegyptiorum. *pag.* 509.
Not. 23. 24. Libri Oro, Isidi aliisque diis adscripti. *ibid.*
Not. 27. 28. De officio hymnodi. *pag.* 510.
Not. 30. De horoscopo sive horologo. *ibid.*
Not. 32. De hierogrammatis. *pag.* 511.
Not. 33. De moschosphragistis. *ibid.*
Not. 34. De stolistis et entaphiastis. *pag.* 512.
Not. 35. De prophetis et arpedonaptis. *pag.* 513.
Not. 36. In universum de classibus ordinis sacerdotalis. De pastophoris aliisque sacrorum ministris. *pag.* 514. Morborum remedia scripta in templis. *pag.* 654.
Not. 75. Anni forma qua nunc utimur, inventa a priscis Aegyptiis. *pag.* 522.
Not. 85. Jachen praestigiator Aegyptius. *pag.* 524.
Not. 88. De chemia Aegyptiaca. *pag.* 525.

§. VI. De origine litterarum Aegyptiarum. *pag.* 525. Scripturae initia omnem antevertere gentium historiam. Hieroglyphicam scripturam ortum traxisse a pictura, omnibus hominibus aeque fere ac sermonis elementa communi. *pag.* 526. De pictura Americanis gentibus scripturae loco usitata. *pag.* 527. Picturae Mexicanorum. *pag.* 528. Recensentur quae hujusmodi picturarum collectiones hactenus

innotuere. *pag.* 529. Discrimen quod est inter picturam Mexicanam et scripturam hieroglyphicam. *pag.* 532. De simili picturae usu apud varios antiquos populos. *pag.* 534. Loca Philonis Byblii de Taauto. Sermonem ibi non esse de hieroglyphicae scripturae inventione, sed de pictura per gradus exculta: neque circa hieroglyphicorum originem aliquid inde colligi. *pag.* 536. Graecos ante inventum alphabetum adhibuisse signa tesserasque. *pag.* 538. Picturis scalpturisque Graecorum exprimi res cogitatas potius quam res factas. *pag.* 539.

Not. 1. De litterarum origine sententiae Warburtoni, Mercati, Frereti, Gogueti, Dorignii. *pag.* 526.
Not. 7. Tabulae geographicae Mexicanorum et Aegyptiorum. *pag.* 529.
Not. 16. Iatromathematice Mexicanorum et Aegyptiorum. *pag.* 531.
Not. 25. Sex scripturae genera ex mente Brossii. *pag.* 533.

§. VII. Picturam apud Aegyptios esse antiquissimam, sive latiori sensu accipiamus vocabulum sive strictiori. *pag.* 539. Deorum fabulas, principum virorum res gestas, ritus, consuetudines, reipublicae instituta, apud eos tum inscalpi tum coloribus exprimi consuevisse. Exempla in Osymandeo et in Labyrintho. Ab hoc monumentorum genere, tropis symbolisque scatente, ventum esse ad scripturam hieroglyphicam, dum figuras ad instar litterarum ordinare inciperent et idearum seriem successivo figurarum ordine pingere. Id quando coeptum sit frustra quaeri, cum ea de re ne traditio quidem supersit. *pag.* 540. Omnem litterarum inventionem adscribi Thoth sive Hermeti, humanae mentis genio. Coepisse scripturam hieroglyphicam eo aevo quo Aegyptii adhuc Aethiopesque unus populus erant. Sensim fuisse introductam et auctam, praesertim phoneticas notas sero accessisse. Aureum ejus saeculum fuisse sub Sesostridarum imperio, cum summa rerum esset apud sapientes. Luxuriari coepisse post mutatam reipublicae formam, cum Psammetichus imperium occupasset tyrannice: quo factum ut veteres doctrinae mysteriis aenigmatibusque involverentur. Ad hoc aevum pertinere obeliscos quos secundae aetatis esse diximus, et alia monumenta quam plurima. *pag.* 541. Cambysen non multum nocuisse sacerdotibus. Sub Lagidarum imperio Graecos Aegyptiosque in unum populum coaluisse. Inde hieroglyphicam scripturam in publicis monumentis rarius adhibitam; notarum quoque typos et interpretationes Graecorum ingenio accommodari coepta. *pag.* 542. Exempla operum hujus aevi: templum in oppido Cous, sacellum in museo Britannico. *pag.* 543. Tabula Bembina. *pag.* 544. Sacerdotalis ordo sub postremis Lagidis et sub Romanis fere exstinctus. *pag.* 545. Secundo saeculo post Aegyptum ab Augusto captam, revixisse Aegyptiae antiquitatis studium. Monumenta in Italia et in ipsa Urbe hieroglyphice inscripta. Aegyptiarum rerum interpretes qui floruere sub imperatoribus. *pag.* 546. Severum non magnum damnum intulisse antiquitati Aegyptiae. Philosophos neo-platonicos curiose scrutatos esse origines Aegyptias. Adhuc sub Theodosio inventos esse Alexandriae qui hieroglyphicorum interpretationem profiterentur. *pag.* 547. Gnosticos, chemicos, astrologos, magos, affectasse hieroglyphica Aegyptia, quo factum ut aliqua hieroglyphicorum notitia ad Arabes usque perveniret. *pag.* 548. Hieroglyphicae scripturae epochae sex: ante inventas litteras alphabeticas; usque ad Psammetichum; usque ad Alexandriam conditam; usque ad Aegyptum a Romanis captam; usque ad tertium vulgaris aerae saeculum; usque ad Theodosium imperatorem; *pag.* 549.

§. IX. Recentiorum scriptorum de alphabeti origine et de antiquitate ejus apud Aegyptios sententiae: Warburtoni. *pag.* 561. Deguignii. *pag.* 562. Gebelini. *pag.* 564. Dorignii. *pag.* 565. Tychsenii. *pag.* 567. De militum Aegyptiorum imperante Psammeticho secessione in Aethiopiam. *pag.* 569.

Not. 38. Nomina Aegyptia antiquis scriptoribus memorata in quibus occurrunt elementa γ et δ. *pag.* 568.

Not. 39. Locus Herodoti de Automolis et Axuma. *pag.* 568.

Not. 43. Locus Diodori de iisdem. *pag.* 570.

CAPVT III. De stelis Aegyptiis atque de obeliscis originem trahentibus a stelis.

§. I. Stelen significare quemcunque cippum columnamve aut erectam tabulam, cui res suas inscripserint Aegyptii. *pag.* 571. De stelarum usu apud Graecos. Plerumque esse monumenta lapidea, non admodum grandia, epigrammate, interdum et anaglypho decora. Usus earum in sepulcris, viis, confinibus, foris, dicasteriis, templis. Inscribi iis consuevisse defunctorum memoriam, civitatum et clarorum virorum res gestas, damnatorum civium crimina, regionum terminos, foedera, leges, morum praecepta, deorum laudes, vota suscepta solutave. Loca veterum et exempla. *pag.* 572.

Not. 12. De κυρβεσι. *pag.* 573.

Not. 26. Curationum documenta asservata in Serapeo Alexandrino. *pag.* 575.

§. II. Cum Graecorum Hermis inscriptis aliquo modo comparari posse statuas Aegyptias habitu mumiaco hieroglyphicis inscriptionibus insignes. Aegyptios quascunque res hieroglyphicis ornare consuevisse. Veteres auctores accuratius scripsisse de stelarum quam de obeliscorum argumento. Stelae inscriptae in finibus imperii terminorum tropaeorumque loco positae. Aliae in foris et in templorum atriis, in quibus leges aliaeque res ad vitae commoda spectantes, nec non deorum laudes veterumque factorum narrationes. Aliae in adytis antrisque quae altioris indaginis res complectebantur. *pag.* 576. Ex primo genere maxime inclaruisse stelas Sesostridis in contermina Syria et in Aethiopiae partibus. *pag.* 577. Aegyptum, quo tempore habitari coepta, colonos accepisse alios ex Arabia pastoritio vitae genere utentes, alios ex Aethiopia jam terram colere doctos. Hos Thebas condidisse et Abydum, illos Pelusium et Babylona. Osiridem ex Aethiopia advenam a Pastorum principe Baby dolo circumventum periisse. Post praevaluisse Thebaeos, Memphinque condidisse, et Heliopolin Pastoribus eripuisse. Denique Sethosin seu Sesostrin expugnato Pelusio Pastores subegisse, et arma sua in Palaestinam protulisse. Eundem in patriam reducem totius gentis caput constitutum, omnes Aegypti civitates in unius reipublicae formam redegisse, legesque quas ab Hermete sibi traditas fingebat, universo populo suffragante pertulisse, aliisque multis beneficiis Aegyptum beasse: quo factum ut posteri memoriam ejus colerent et res ab eo gestas ad miraculum usque augerent. Secutos principes legibus ab eo latis obnoxios tranquillum reipublicae statum servasse: donec imperii forma sub Psammeticho mutata reges dictatoriam potestatem sibi adrogarent, et conterminas gentes bello peterent. *pag.* 578. Itaque quae columnae statutae credebantur ad veterum regum potentiam imperiique terminos declarandos, has dictas esse stelas Sesostridis. In Palaestina, in Jonia, in Aethiopia. Osiridem nullas expeditiones suscepisse, nisi quod ex Aethiopia in Aegyptum transierit. Hunc primum ad cultiorem vitam perduxisse Aegyptios, artesque communi vitae utiles exercere docuisse, legibusque uti et certa reipublicae forma. Ideo ei tri-

bui stelas, quae res continebant ad utilitatem mortalium et deorum honorem pertinentes. *pag.* 579. Stele Technatis imprecationes continens in Menam regem. Stelae quibus commendata rerum egregie gestarum memoria, omnisque Aegypti et adjacentium regionum historia. Omnium maxime celebrari stelas Hermetis, astronomiam atque astrologiam, theologiam etiam ac philosophiam complexas, et in antris adytisque servari dictas. *pag.* 580. Antiquos Aegyptios unum agnovisse Thoth sive Hermetem, patrem scientiae; duos finxisse Manethonem, ut duas adumbraret scientiarum artiumque aetates. Hermeti conjunctum esse Anubin, Sirii astri genium, astronomiae et praedictionum praesidem. *pag.* 581.

Not. 10—13. De stelis Darii, Alexandri, Ptolemaei Evergetae, Bacchi, Herculis. *p.* 577.
Not. 15. Veterum loca de Sesostride. *pag.* 578.

§. III. Portatilia stelarum imitamenta sive apographa, ex varia materie, servata in museis nostratium. Stele bifrons e granite rubro in hortis Barberinis, alta palmos 12, anaglyphis utrinque decora, Ammoni deo sacra. *pag.* 582. Stelae hieroglyphice scriptae, a Niebuhrio visae in monte Arabiae. *pag.* 583.

§. IV. Inter obeliscos videri Mahutaeum, Minerveum, Matthaejanum, Mediceum, Borgianum et Albanium, deorum laudes continere, et pertinere ad stelas Osiriacas in sacris locis constitutas. Minimum illum Florentinum ad Hermeticas stelas referendum esse, pariterque Barberinum, in quo ipsius Hermetis effigiem summo loco inscalptam videmus. Explicatio figurarum in capitulo hujus. *pag.* 584.

§. V. Hunc in templo positum fuisse, Hermetis honori dicato: interiori quidem loco, ut parvi illi in Thebarum ruinis. A parvis cippis coeptum esse progredi ad pilas proceriores, ab his ad magnos obeliscos; quos non tam ad res memoriae tradendas quam ad sacras aedes decorandas in templis erexere: unde factum ut modo puri statuerentur, modo inscripti. In his observatum ut in summa inque ima lapidis parte fingerentur deorum simulacra, quibus quisque esset consecratus. *pag.* 585. Obeliscus Pamphilius Isidi filioque Oro dicatus. *pag.* 586. Enarratio figurarum in pyramidio. *pag.* 587. 654. Pyramidion obelisci Osiridi et Oro dicati, asservatum Wanstedii. *pag.* 588.

§. VI. Obeliscus Campensis Soli et Arveri Solis genio sacer. Figurae quae sunt in pyramidio et in basi. *pag.* 588.

§. VII. Obeliscus Flaminius iisdem diis dicatus. Figurae in pyramidio, in capitulo et in basi. *pag.* 590. Obeliscus Sallustianus maximam partem apographon Flaminii, additis in unius lateris fastigio et basi figuris nonnullis ad Osiridem et Typhonem spectantibus. *pag.* 591.

§. VIII. Obeliscus Lateranensis Ammoni sive Jovi Thebaeo sacratus. Figurae in pyramidio, in capitulo et in basi. *pag.* 591.

§. IX. De interpretatione Hermapionis, spectante ad obeliscum Flaminium. *pag.* 593. Videri eam epitomen rerum quae sunt in obelisco hieroglyphicis litteris longe fusius expressae. *pag.* 594.

Sectio V. De historia obeliscorum.

Caput I. Prima obeliscorum epocha.

§. I. Brevia, obscura et dissona esse, quae de obeliscorum initiis tradiderunt scriptores veteres: Herodotus, Diodorus. *pag.* 596. Plinius. *pag.* 597.

§. II. In obeliscis agnosci duplicem scalpturae modum, eoque indicio argui duas eorundem aetates. De utriusque scalpturae indole. *pag.* 598. Quos primae aetatis obeliscos appellamus, tersum quid ostendere, exactum et sobrium: iis

quos secundae aetatis dicimus, inesse operae quandam negligentiam cum luxuriante ingenio conjunctam. Opportunum videri Psammetichi initia terminum statuere inter utramque aetatem. *pag.*599. Ad primam pertinere obeliscos Lateranensem, Flaminium, Campensem, Mahutaeum, Matthaejanum, Mediceum, Constantinopolitanum, Alexandrinos duos, Heliopolitanum, Thebaeënses, Philenses: ad secundam Pamphilium, Barberinum, Insularem, Albanium, Borgianum, Beneventanum, Florentinum, Wanstedianum, Fajumensem. Forsan et hujus aetatis esse Catanensem, quamquam non videatur opus Aegyptium: ad priorem autem aetatem referri posse Minerveum et Sallustianum, Romae ab antiquis lapidibus descriptos. *pag.* 599.

§. III. Totius Aegyptiae historiae velut cardinem aliquem esse Sesostrin, cujus aetas certis quidem rationibus definiri nequit, commode tamen figitur ad saeculum XV ante vulgaris aerae initium. *pag.* 600. Inter lapides qui hodie audiunt obelisci, omnium vetustissimos videri Mahutaeum, Mediceum, Matthaejanum, in quibus et rudior incultiorque est fabrica. *pag.* 601. Primo Thebis institutum grandes obeliscos in templis dicare, sed de horum conditoribus nullam ad nos pervenisse memoriam, nisi quod successores Busiridis vocet Diodorus. Mesphren, qui primum obeliscum statuit Heliopoli, vixisse annis ducentis ante Sesostrin, saeculis XVII ante aeram vulgarem. Postea Sothin, qui ipse Sesostris est sive Sethosis, quatuor obeliscos erexisse Heliopoli, e quorum numero esse videntur Campensis et Heliopolitanus. *pag.*602. Eundem duos obeliscos dicasse Thebis in Jovis templo, qui forsan sunt duo illi adhuc stantes apud Luxor. Sesostri successisse Ramessen seniorem, auctorem obelisci Flaminii. Hunc excepisse Amenephten, mox alterum Ramessen, qui Heliopoli statuit obeliscos IV, quintum Thebis, omnium maximum, qui nunc est in Laterano. *pag.*603. Mestiren regem, auctorem obeliscorum qui Alexandriae sunt, forsan pertinere ad dynastiam XX Manethonis, sive primam post Ilii excidium. Sequentis dynastiae esse Zmarrem et Phium, qui duos obeliscos puros posuere Heliopoli. *pag.* 604. Secundae aetatis duos obeliscos memorari, utrosque puros: unum excisum a Nectebi Psammetichi filio, postea Alexandriam delatum; alterum a Semenpserteo filio Amasidis, in molitione fractum, nunc statutum in Vaticano. Eos quos Sai in Neithidos templo vidit Herodotus, forte positos fuisse ab Amasi; eum qui Fajumae est, a Psammeticho. *pag.* 605.

Caput II. Secunda epocha obeliscorum.

§. I. Post Aegyptum a Cambyse captam cessasse obeliscorum subrigendorum studium. Postea Lagidas Alexandriam antiquorum regum obeliscis decorasse. Ptolemaeum Philadelphum transtulisse obeliscum Nectebis ad templum Arsinoes. *pag.* 606. Alios duos a Mestire excisos stetisse in Caesaris templo ad portum, forsan eo translatos a Cleopatra ultima. Fuisse et in acropoli duos obeliscos a Ptolemaeis regibus statutos, juxta ingentem illam columnam, quam vulgo Pompeji vocitant. *pag.* 607.

Not. 9. De columna Pompeji ab Aphthonio descripta. *pag.* 607.

§. II. Obelisci Axumenses forsan erecti e Ptolemaeo Evergete, forsan a regibus Axumitis VI vulgaris aerae saeculo. *pag.*608.

Caput III. Tertia epocha obeliscorum.

§. I. Duo obelisci ab Augusto Aegypto capta ab Heliopoli Romam deportati: alter statutus in circo Maximo spinae ornamentum, alter in campo Martio pro gnomone; uterque Soli sacratus; annis decem ante aeram vulgarem. *pag.*609. De na-

INDEX
RERVM MEMORABILIVM

Numeri paginas indicant .

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

Q

R

S

T


V

Y

Z

SERIES
Peregrinatorum in Aegypto et Abessinia, quorum libri passim adducuntur.

Benjamin Tudelensis, saeculo XII: itinerarium ex Hebraico in Latinum conversum a Lempereur. Lugd. Batav. 1633.
Alexander Ariostus, Italus, circa annum 1476: dialogus de peregrinatione ad terram Sanctam et de Maurorum moribus: cod. membr. ms. in museo Borgiano.
Petrus Martyr de Angleria, Mediolanensis, saec. XVI. ineunte: legatio Babylonica. Basileae 1533.
Franciscus Alvarez, Lusitanus: *viaggio nella Ethiopia al Prete Ianni nel* 1520. in Ramusii *navigationi et viaggi*. *Venezia* 1563.
Petrus Bellonius, Gallus, saec. XVI. medio: rerum in exteris provinciis conspectarum observationes. ex Gallico vertit Clusius. 1605.
de admirabili operum antiquorum praestantia. in Gronovii thesaur. antiqu. Graec. tom.8.
Prosper Alpinus, Italus, usque ad ann. 1583: rerum Aegyptiacarum libri IV. Lugd. Batav. 1735.
Princeps Nic. Christoph. Radzivil, Polonus, an.1583. peregrinatio Hierosolymitana; a Tretero ex Polonico sermone conversa. Antverpiae 1614.
Joh. Evesham, Anglus, an.1586: *travels.* in *Hakluyt's navigations and discoveries of the English. Lond.*1599.
De Villamont, Gallus: *voyages commencés en* 1590. *à Lyon* 1620.
Luys del Marmol Carvasal, Hispanus: *descripcion general de Africa, dirigada al Rey D. Phelipe II. en Malaga* 1599.
De Breves, Gallus, an. 1605: *relation de voyages. à Paris* 1628.
Georg. Sandys, Anglus: *relation of a journey begun an. Dom.* 1610. *London* 1637.
Petr. della Valle, Romanus, an. 1615: *viaggi. Venezia* 1667.
Alphonsus Mendez, Lusitanus: epistola ex Aethiopia missa an.1626. apud Ludolphum in comment. rerum Aethiop. Francof. 1691.
Manuel d'Almeyda, Lusitanus; *historia general de Ethiopia a alta, composta na mesma Ethiopia; abbreviada pelo P. Tellez. em Coimbra* 1660.
Johannes Greaves, Anglus: *description des pyramides en Egypte en* 1639. in Thevenoti *relations de divers voyages. à Paris* 1696.
Gabriel Bremond, Gallus, an. 1645: *viaggi in Egitto e in altri paesi di Levante; tradotti dal Francese. Roma* 1679.
De Monconys, Gallus, an.1647: *voyages. à Lyon* 1677.
Titus Livius Burattinus, Venetus circa an. 1650: epistolae ex Aegypto ad Kircherum, in Oedipi tomo 3.
De Thevenot, Gallus, an.1657: *relation d' un voyage fait au Levant, à Rouen* 1663.
P. Protais et P. Charles François d'Orleans: *relation d'un voyage du Sayd fait en* 1668. in Thevenoti *relations de divers voyages.*
P. Vansleb, Germanus: *nouvelle relation d' un voyage fait en Egypte en* 1672. 1673. *à Paris* 1677.
Melton, Anglus: observationes insertae itineri Lebrunii.
Cornel. Bruyn sive Lebrun, Batavus, an. 1679: *voyage au Levant. à Paris* 1714.
Hundington, Anglus: *an account of the porphyry pillars in Egypt.* in *Ray's collection of voyages* 1693.
De Chazelles, Gallus, saec. XVII. exeunte: relatio de Pyramidibus Aegypti, apud Duhamel in historia academiae scientiarum Parisiensis. Parisiis 1701.
Du Mont, Gallus, saec. XVII. exeunte: *voyages. à la Haye* 1669.
Carol. Jac. Poncet, Gallus: *relation d'un voyage en Ethiopie en* 1698.—1700. in *Lettres édifiantes et curieuses*, 4. *recueil. à Paris* 1704.
P. Theod. Krump, Germanus, an. 1700—1703: *reise nach Nubien.*
Franc. Gemelli Carreri, Neapolitanus: *giro del mondo. Venezia* 1719.
Domin. Jauna, e Belgio, an.1702: *l' état present de l'Egypte. à Leide* 1747.
Paulus Lucas, Gallus: *voyage au Levant en* 1699. *à Paris* 1704.
voyage fait par ordre du Roi en 1704. *à Paris* 1712.
voyage fait en 1714 *par ordre de Louis XIV. a Rouen* 1724.
De Maillet, Gallus, an.1692—1708: *description de l'Egypte composée sur les mémoires de M. de Maillet, consul de France au Caire, par M. l' abbé Mascrier. à Paris* 1735.
P. Sicard, Gallus, an.1697—1725: *lettre au Comte de Thoulouse.* in *Nouveaux mémoires des missions de la compagnie de Jesus dans le Levant.* tom.2. *à Paris* 1718.
lettre au P. Fleuriau, contenante le plan d'un ouvrage sur l'Egypte ancienne et moderne. ibid. tom. 5.1725.
discours sur l'Egypte. ibid. tom.7. 1729.
Van Egmont et Joh. Heyman, Batavi, circa an. 1720: *travels thro' part of Europa, Asia, Egypt; translated from the Low Dutch. London* 1759.
Shaw, Anglus, an. 1721: *voyages dans plusieurs provinces de la Barbarie et du Levant; traduits de l' Anglois. à la Haye* 1743.
Granger, Gallus: *relation d' un voyage fait en Egypte en* 1730. *à Paris* 1745.
Frid. Ludov. Norden, Danus, an. 1737. 1738: *travels in Egypt and Nubia; translated from the French original published by command of H. M. the King of Denmark, and enlarged with observations by Dr. Templeman. London* 1757.
Ricardus Pococke, Anglus, an.1737—1739: *a description of the East and some other countries. London* 1743.
Carolus Perry, Anglus, circa an. 1740: *a view of the Levant, London* 1743.
Frid. Hasselquist, Suecus, circa an. 1750: iter Palaestinum. Holmiae 1757. *Suecice.*
(Fourmont, Gallus: *description des plaines d'Héliopolis et de Memphis.* Vide pag.394.)
Carsten Niebuhr, Germanus, an. 1761—1765. jussu Regis Daniae: *description de l'Arabie. à Copenhague* 1773.
reisebeschreibung nach Arabien und andern umliegenden ländern. Kopenhagen 1774.
Petrus Forskål, Suecus, comes Niebuhrii: Flora Aegyptiaco-Arabica; edidit Niebuhr. Hafniae 1775.
Jacobus Bruce of Kinnaird, Scotus: *travels to discover the source of the Nile, in the years* 1768—1773. *Edinburgh* 1790.
Baro de Tott: *mémoires sur les Turcs et les Tartares. à Hambourg* 1785.
Savary, Gallus, an. 1777: *lettres sur l'Egypte. à Paris* 1785.
Volney, Gallus: *voyage en Syrie et en Egypte, pendant les années* 1783—1785. *à Paris* 1787.



Praeneste in aedibus Barberinis V. pag. 80.

DE ORIGINE ET VSV OBELISCORVM

SECTIO PRIMA

Veterum de obeliscis et de stelis Aegyptiis testimonia.



DUAE in primis res sunt quibus innititur omnis de obeliscis disputatio, veterum nempe auctorum de iis testimonia, et ipsi qui aevum tulerunt obelisci. Utrorumque enim examine et diligenti invicem comparatione unice fere colligitur, quid sentiendum sit de mirandis illis vetusti saeculi reliquiis, quaeque recentiorum quin et ipsorum veterum opiniones circa obeliscorum originem, usum, significatum atque aetatem, reiiciendae, quaeve adoptandae sint et stabiliendae. Reliqua autem quae vel conjectura assequi conamur, vel quae arguimus ex variorum populorum consuetudinibus, sive e peculiari Aegyptiae gentis indole moribusque et institutis, tunc praesertim pondus accipiunt et firmitatem, ubi iis consentiunt, quae circa ipsos obeliscos docent scriptores atque monumenta. His inductus rationibus sedulo labore adnixus sum, ut quantum fieri potuit in unum congererem, quaecunque de iis leguntur apud veteres auctores Graecos Romanosque, et quae in reliquis monumentis offenduntur huc spectantia; eodemque tempore recenserem quotquot vel ipse viderim vel ab aliis enarratos deprehenderim obeliscos, sive integros sive aliqua sui parte hodienum superstites: quo duos concinnarem documentorum catalogos in duabus veluti tabulis propositos, quae in fronte libri constitutae, eodem pacto quo olim obeliscos suos in aedium fronte collocare consueverunt Aegyptii, oculorum vice fungerentur, et dum mihi scribenti viam praemonstrarent, lecturis etiam indices adessent, rectamne ego ingressus sim, an alii qui hac de re sermonem instituerunt, verius de ea scripserint. Caeterum ex auctoribus non ea tantum loca selegi, in quibus expressa fit obeliscorum mentio, sed adjeci quoque quae de stelis Aegyptiis prodiderunt veteres: maximi interesse ratus ut definiatur, sintne obelisci ad stelarum genus refe-

rendi ; quam rem a recentiorum nonnullis confidenter adfirmatam invenio , ab aliis vero praefracte negatam . Unum praeterea alterumque locum inserendum duxi, qui non directo quidem Aegyptum respicit , veruntamen cum argumento ita conjunctus visus est ut a reliquis minime esset separandus . Notas adjeci ubi de lectione inter eruditos non convenire comperi, breviter exponens quae conducere putavi ad veram lectionem constituendam : quae vero ad sensum declarandum faciunt vel integram auctoris mentem deprehendendam , iis reservavi sectionibus ubi documentorum collatione argumentum stabilire proposui . Manuscriptis codicibus, ex Vaticana aliisque Romanis bibliothecis liberaliter mihi suppeditatis , ad ea loca usus sum , quae medica manu prae reliquis indigere visa sunt , praesertim de Plinio sollicitus, cujus de obeliscis narratio rei fere caput est, sed librariorum socordia ita depravata , ut quid vetus auctor scripserit vix et ne vix quidem certo affirmari queat . Ideoque si in hujus lectionibus colligendis et examinandis operosior fuero quam pro dati negotii necessitate, apud eos saltem gratiam me initurum confido, qui de futura cogitant Pliniani operis editione . Ea autem in veterum testimoniis disponendis lex mihi fuit, ut scriptoribus quam maxime pro temporum successione ordinatis , primo loco eos vades sisterem apud quos legitur obeliscorum vocabulum , dein eos qui stelarum meminerunt apud Aegyptios : auctoribus subiicerem pauca illa quae ex antiquitate supersunt obeliscorum epigrammata : denique corollarii instar adnecterem enarrationem numorum , anaglyphorum aliorumque antiquae artis operum , quae nobis ante oculos sistunt obeliscos .

CAPUT PRIMUM

De Obeliscis ex auctoribus Graecis atque Latinis

Ex versione Laurentii Vallae .

Defuncto Sesostre , regnum succepisse Pheron ejus filium ajebant sacerdotes , et hunc quidem nullam sumpsisse expeditionem , sed ei contigisse, ut luminibus caperetur ; idque hac de causa . Quum flumen eo tempore copiosissimum descenderet ad octo et decem cubita , ita ut rura transcenderet , vento ingruente , magnos fluctus ciere fluvius incepit . Ferunt hunc regem facinus admisisse , quod sumptum spiculum in medios fluminis vortices contorserit : statimque post laborasse ex oculis , ac visum amisisse , decennioque caecum fuisse . Undecimo autem anno ex urbe Buto ei oraculum advenisse , jam exactum esse illi tempus calamitatis ; visumque ei rediturum , si oculos abluisset lotio mulieris , quae ad

Herodotus in Euterpe , sive libro 2, cap. III. pag. 153. editore Wesselingio Amstelodami 1763.

Σεσωστριος δε τελευτησαντος εκδεξασθαι ελεγον όι ίρεες την βασιληιην τον παιδα αυτου φερων · τον αποδεξασθαι μεν ουδεμιην στρατηιην , συνενειχθηναι δε όι τυφλον γενεσθαι , δια τοιονδε πρηγμα : του ποταμου κατελθοντος μεγιστα δη τοτε επ' οκτωκαιδεκα πηχεας , ώς υπερεβαλε τας αρουρας , πνευματος εμπεσοντος , κυματιης ό ποταμος εγενετο . τον δε βασιλεα λεγουσι τουτον ατασθαλιη χρησαμενον , λαβοντα αιχμην , βαλεειν ες μεσας τας δινας του ποταμου· μετα δε, αυτικα καμοντα αυτον τους οφθαλμους , τυφλωθηναι . δεκα μεν δη ετεα ειναι μιν τυφλον · ένδεκατῳ δε ετεϊ απικεσθαι όι μαντηιον εκ Βουτους πολιος , ώς εξηκει τε οί ό χρονος της ζημιης , και αναβλεψει , γυναικος ουρῳ νιψαμενος τους οφθαλμους , ήτις παρα τον

ἑωυτης ανδρα μουνον πεφοιτηκε, αλλων ανδρων εουσα απειρος. και τον πρωτης της ἑωυτȢ γυναικος πειρασθαι · μετα δε, ὡς ουκ ανεβλεπε, επεξης πασεων πειρασθαι. αναβλεψαντα δε, συναγαγειν τας γυναικας των επειρηθη, πλην η της τῳ ουρῳ νιψαμενος ανεβλεψε, ες μιην πολιν, ἡ νυν καλεεται ερυθρη βωλος · ες ταυτην συναλισαντα, υποπρησαι πασας συν αυτῃ τῃ πολι. της δε νιψαμενος τῳ ουρῳ ανεβλεψε, ταυτην δε ειχε αυτος γυναικα. αναθηματα δε, αποφυγὼν την παθην των οφθαλμων, αλλα τε ανα τα ἱρα παντα τα λογιμα ανεθηκε, και τουγε λογον μαλιστα αξιον εστι εχειν, ες του ἡλιου το ἱρον αξιοθεητα ανεθηκε εργα, οβελους δυο λιθινους, εξ ἑνος εοντα ἑκατερον λιθȢ, μηκος μεν ἑκατερον πηχεων ἑκατον, ευρος δε οκτω πηχεων.

suum solius virum accessessit, aliorum virorum expers. Eum ergo ante omnes urinam uxoris suae expertum, quum nihil amplius cerneret, omnium deinceps urinam expertum, tandem vidisse. Tumque omnes mulieres quas fuisset expertus, praeter eam cujus lotio lotus visum recepisset, unam in urbem coëgisse, quae Erythrebolos, *rubra gleba*, nunc dicitur, et eas illic coactas cum ipsa urbe omnes concremasse: at eam cujus lotio lotus visum recepisset, uxorem duxisse. Hac oculorum clade liberatus cum alia in omnibus templis fama celebratis donaria posuit, tum cujus maxime aequum est mentionem facere, in templo Solis digna spectaculo posuit, geminos saxeos Obelos, ex uno utrumque lapide, centenum cubitorum longitudinis, octonum latitudinis.

Ibidem cap. 170. *pag.* 186.

Εισι δε και ὁι ταφαι του ουκ ὁσιον ποιευμαι επι τοιουτῳ πρηγματι εξαγορευειν τουνομα, εν σαϊ, εν τῳ ἱρῳ της αθηναιης, οπισθε του νηου, παντος του της αθηναιης εχομεναι τοιχου. και εν τῳ τεμενεϊ οβελοι ἑστασι μεγαλοι λιθινοι · λιμνη τε εστι εχομενη, λιθινῃ κρηπιδι κεκοσμημενη και εργασμενη ευ κυκλῳ, και μεγαθος, ὡς εμοι εδοκεε, ὁση περ ἡ εν δηλῳ, ἡ τροχοειδης καλεομενη. εν δε τῃ λιμνῃ ταυτῃ τα δεικηλα των παθεων αυτου νυκτος ποιευσι, τα καλεουσι μυστηρια αιγυπτιοι. περι μεν νυν τουτων, ειδοτι μοι επι πλεον ὡς ἑκαστα αυτεων εχει, ευστομα κεισθω.

Sunt etiam illius sepulchra, cujus nomen nuncupare hac in re, haud sanctum opinor, in urbe Sai in templo Minervae post aedem, contigua toti parieti Minervae: atque in fano stant ingentes ex lapide Obeli, lacusque adest contiguus lapidea crepidine adornatus, et circumquaque probe elaboratus, magnitudine, ut mihi videbatur, quanta in Delo, qui dicitur orbicularis. In hoc lacu imagines casuum ejus noctu faciunt, quae vocant Aegyptii mysteria: de quibus quum plurimum ego norim, quo pacto habeant singula, tamen absit ut proloquar.

Theophrastus libro de lapidibus, *pag.* 394. *opp. ex editione Heinsii Lugd. Bat.* 1613.

Interprete Daniele Furlano.

Ἡ δε σμαραγδος εστι σπανια και το μεγεθος ου μεγαλη · πλην ει πιςευειν ταις αναγραφαις δει υπερ των βασιλεων των αιγυπτιων. ενιοι [1] γαρ φασι κομισθηναι

Rarus quidem est smaragdus, nec adeo magnus: nisi credamus Aegypti regum annalibus, quibus traditum est, regi illorum a rege Babylonio missum

[1] Aliquid huic loco deesse animadverterunt viri docti, sed quem addita post ενιοι particula μεν sanitati restitutum censuit Salmasius, teste Johanne de Laet in annotationibus ad Theophrati librum suo opusculo *de gemmis* praemissum. Legere equidem malim ἑνι μεν γαρ αυτων φασι.

smaragdum munere quatuor cubitorum longitudine et trium latitudine: item in Jovis obelisco fuisse positos quatuor smaragdos quadraginta cubitorum longitudine, latitudine vero partim quatuor partim duorum. Ex iis autem qui a multis Bactriani dicuntur, maximus in Tyro est. Pila enim est satis magna in Herculis templo, nisi forte pseudo-smaragdus sit. Nam et talis nascitur quaedam substantia.

Interprete Laur. Rhodomanno.

ποτ᾽ εν δωροις παρα του βαβυλωνιων βασιλεως, μηκος μεν τετραπηχυν, πλατος δε τριπηχυν · ανακεισθαι δε και εν τῳ του διος οβελισκῳ σμαραγδους τετταρας [1], μηκος μεν τριακοντα πηχων, ευρος δε τῃ μεν τετταρας τῃ δε δυο. ταυτα μεν ουν ὁτι κατα την εκεινων γραφην. των δε . . . ανων [2] καλουμενων υπο πολλων, ἡ εν τυρῳ μεγιστη. στηλη γαρ εστιν ευμεγεθης εν τῳ του ἡρακλεους ἱερῳ · ει μη αρα ψευδης σμαραγδος. και γαρ τοιαυτη γινεται τις φυσις.

Diodorus Siculus bibliothecae historicae libro 1. cap. 46. tomi 1. pag. 55. editore Wesselingio Amstelod. 1746.

Nec vero Busiridem modo regem, sed etiam qui post eum regnarunt, multos urbi, quam Thebas appellant Graeci, augendae impense studuisse accepimus. Donariis enim multis et magnificis ex argento, auro, ebore, et statuarum multitudine colossicarum, nec non obeliscorum ex uno lapide structuris, nullam sub sole urbium ita esse decoratam.

Ου μονον δε βουσιριν τον βασιλεα παρειληφαμεν, αλλα και των υστερον αρξαντων πολλους εις την αυξησιν της πολεως πεφιλοτιμησθαι, ἡν θηβας καλουσιν ὁι ελληνες. αναθημασι τε γαρ πολλοις και μεγαλοις, αργυροις και χρυσοις, ετι δ᾽ελεφαντινοις, και κολοσσικων ανδριαντων πληθει, προς δε τουτοις κατασκευαις μονολιθων οβελισκων, μηδεμιαν των υπο τον ἡλιον οὑτω κεκοσμησθαι.

Ibidem cap. 57. pag. 67.

Navigium praeterea cedrinum ducentos octoginta cubitos longum compaginavit Sesostris, [4] extrinsecus auro, intrinsecus argento obductum. Hoc deo, quem Thebaei religiosissime colebant, dedicavit. Duos insuper obeliscos e duro lapide centum viginti cubitorum altitudine, quibus potentiae magnitudinem

Ὁ δ᾽ ουν σεσοωσις εναυπηγησατο και πλοιον κεδρινον, το μεν μηκος πηχων διακοσιων και ογδοηκοντα, την δ᾽ επιφανειαν εχον την μεν εξωθεν επιχρυσον, την δ᾽ενδοθεν κατηργυρωμενην · και τουτο μεν ανεθηκε τῳ θεῳ τῳ μαλιστα εν θηβαις τιμωμενῳ, δυο τε [3] λιθινους οβελισκους εκ του σκληρου λιθου, πηχων

[1] Joh. de Laet l. c. Plinium legisse docet οβελισκον εκ σμαραγδων τετταρων: quod sane respondet verbis Plinii uti nunc habentur. At Salmasius ab eodem citatus scribendum statuit οβελισκους σμαραγδους τετταρας: nescio qua ratione.

[2] Turnebus legendum censuit τανων, Furlanus reposuit βακτριανων, cui subscribit Salmasius exerc. Plin. p. 139. V. de Laet l. c.

[3] Cum Fr. And. Stroth *Aegyptiac.* parte 2. pag. 114, in contextum recepi δυο τε, quod in notis laudat Wesselingius, pro vulgato δυο δε, quod sensum reddit minus aptum.

[4] Pro Sesoosidis nomine, quod monente Wesselingio in Diodori libris jam invenit Tzetzes (chil. 2, v. 84.), Sesostrin in versione substituit Rhodomannus: neque dubium quin Diodori Sesoosis idem rex sit quem Sestorin appellant Herodotus aliique scriptores.

το υψος εικοσι προς τοις ἑκατον, εφ᾽ὡν επεγραψε το τε μεγεθος της δυναμεως και το πληθος των προσοδων, και τον αριθμον των καταπολεμηθεντων εθνων. εν μεμφει δ᾽ εν τῳ του ἡφαιστου ἱερῳ μονολιθους εικονας ἑαυτου τε και της γυναικος, το υψος τριακοντα πηχων, των δ᾽ υιων εικοσι πηχων.

et vectigalium copiam; et nationum debellatarum numerum inscripsit. Quin etiam in Memphitico Vulcani templo suas et uxoris imagines statuit ex integris saxis, tricenos cubitos altas, et filiorum ad viginti cubitos eductas.

Ibidem cap. 59. pag. 69.

Ὁ δε σεσωσιος υιος διαδεξαμενος την βασιλειαν, και την του πατρος προσηγοριαν ἑαυτῳ περιθεμενος, πραξιν μεν πολεμικην η μνημης αξιαν ουδ᾽ ἡντιναουν συνετελεσατο, συμπτωματι δε περιεπεσεν ιδιαζοντι. εστηρηθη μεν γαρ της ὁρασεως, ειτε δια την προς τον πατερα της φυσεως κοινωνιαν, ειθ᾽ ὡς τινες μυθολογουσι, δια την εις τον ποταμον ασεβειαν. το γαρ ρευμα κατηκοντιζε [1]. δια δε την ατυχιαν αναγκασθεις καταφυγειν επι την των θεων βοηθειαν, επι χρονους ἱκανους πλεισταις θυσιαις και τιμαις το θειον εξιλασκομενος, ουδεμιας ετυγχανε πολυωριας. τῳ δεκατῳ δ᾽ ετει μαντειας αυτῳ γενομενης, τιμησαι τε τον θεον τον εν ἡλιουπολει, και γυναικος ουρῳ νιζεσθαι το προσωπον, ἡτις πειραν ανδρος ουκ ειληφεν ἑτερου· των μεν γυναικων, απο της ιδιας αρξαμενος και πολλας εξετασας, ουδεμιαν ἑυρεν αδιαφθορον, πλην κηπωρου τινος, ἡν υγιης γενομενος εγημε. τας δ᾽ αλλας ζωσας εν κωμῃ τινι κατεκαυσεν, ἡν αιγυπτιοι δια το συμπτωμα τουτο προσηγορευσαν ἱεραν βωλον. τῳ δ᾽ εν ἡλιουπολει θεῳ τας χαριτας απονεμων της ευεργεσιας κατα τον χρησμον, οβελισκους ανεθηκε δυο μονολιθους, το μεν πλατος οκτω, το δε μηκος πηχων ἑκατον.

Successit Sesostridi in regno filius; patris nomine assumpto. Is quidem nihil omnino memorabile bello peregit; calamitate tamen singulari afflictatus est. Namque oculorum usum, ut parens, amisit, vel ob naturae paternae communitatem, vel ob impietatem in fluvium, quem ut fabulantur quidam iaculis impetierat. Hoc infelice igitur casu ad opem deûm implorandam adactus, cum longo tempore plurimis sacrificiis et honoribus iram numinis averruncare studuisset; nulla tamen ejus ratio habita fuit. Decimo demum anno oraculi monitu, ut et deum Heliopolitanum veneraretur, et foeminae alienum virum non expertae lotio faciem ablueret; a sua conjuge exorsus, cum multas explorasset, nullam invenit incorruptam, praeter hortulani quandam, quam sanitati redditus uxorem duxit: adulterasque vivas in vico quodam concremavit, quem ab eventu hoc glebam sacram nuncuparunt. Ut Heliopolis igitur deo pro beneficio gratiam redderet, divini responsi jussu binos unius saxi obeliscos ad octo cubitorum latitudinem, et longitudinem centum dedicavit.

[1] Quae in mss. nonnullis habentur margini adscripta: εν ᾡ χειμαζομενος ποτε το φερομενον ρευμα κατηκοντισε: jure suspecta sunt Wesselingio, licet una cum reliqua fabella petita videantur ex Herodoti libro 2., capite 111. Caeterum oppidi nomen ἱερα βωλος pro ερυθρη βωλος Herodoti, utrum a Diodoro profectum sit an a librariis, pronuntiare dubitat Wesselingius,

Idem libro 2, cap. 11. pag. 125.

Semiramis etiam saxum e montibus Armeniis excidit, centum triginta pedes longum, viginti quinque latum et spissum. Hoc multis mulorum boumque jugis ad amnem deportatum rati imposuit, et secundo flumine Babylonem devectum juxta viam nobilissimam admirandum praetereuntibus spectaculum erexit. Obeliscum a figura vocant, interque septem famigerata orbis opera numerant.

Ἡ δε σεμιραμις εκ των αρμενιων ορων λιθον ετεμε, το μεν μηκος ποδων ἑκατον και τριακοντα, το πλατος δε και παχος εικοσιπεντε [1]. *τουτον δε πολλοις πληθεσι ζευγων ορικων τε και βοϊκων καταγαγουσα προς τον ποταμον επεβιβασε προς την σχεδιαν· επι ταυτης δε κατακομισασα κατα του ρευματος μεχρι της βαβυλωνος, εστησεν αυτον παρα την επισημοτατην ὁδον, παραδοξον θεαμα τοις παριουσι. ὁν τινες ονομαζουσιν απο του σχηματος οβελισκον, ὁν εν τοις ἑπτα τοις κατονομαζομενοις εργοις καταριθμουσι.*

Ex versione Gulielmi Xylandri.

Strabo geographiae libro 17. pag. 1158. edit. Almeloveen. Amstelod. 1707.

Solis urbs nunc quidem omnino deserta est: habet autem pervetustum templum Aegyptio more structum, quod multis manifestis indiciis Cambysis insaniam ac sacrilegia demonstrat: qui templa partim igne partim ferro devastavit, mutilans, exscindens, comburens: quemadmodum et obeliscos: quorum duo Romam delati sunt, non omnino corrupti, alii adhuc ibi et Thebis sunt, quae nunc Diospolis nominatur, alii stantes admodum igni exesi, alii jacentes.

Ἡ του ἡλιου πολις νυνι μεν εστι πανερημος, το ἱερον εχουσα τῳ αιγυπτιῳ τροπῳ κατεσκευασμενον αρχαιον, εχον πολλα τεκμηρια της καμβυσου μανιας και ἱεροσυλιας, ὁς τα μεν πυρι τα δε σιδηρῳ διελωβατο των ἱερων, ακρωτηριαζων και περικαιων, καθαπερ και τους οβελισκους· ὡν δυο και εις ρωμην εκομισθησαν, οἱ μη κεκακωμενοι τελεως· αλλοι δ' εισι κακει και εν θηβαις τῃ νυν διοσπολει, οἱ μεν ἑστωτες ακμην πυριβρωτοι, οἱ δε και κειμενοι.

Ibidem pag. 1171.

Supra Memnonium sunt regum loculi in speluncis quibusdam in lapidem incisi, circiter quadraginta, mirum in modum structi, spectatuque sane digni.

Ὑπερ δε του μεμνονειου θηκαι βασιλεων εν σπηλαιοις λατομηται περι τετταρακοντα, θαυμαστως κατεσκευασμεναι, θεας αξιαι. εν δε ταις θηκαις [2] *επι τινων*

[1] Animadverterunt viri docti in nonnullis libris pro ρλ' haberi ρν', sive centum quinquaginta.

[2] Quod *εν ταις θηκαις juxta loculos* vertit Xylander, vereor ut ferri possit: quin potius Strabonis verba, modo ita scripsit, accipienda videntur de parvis obeliscis in ipsis cavernis repositis, quod de stelis passim legitur apud auctores. Sed hi ubi de brevioribus istis saxis sermonem instituunt, vix usurpare solent obelisci vocabulum; et moneor litteris viri eruditissimi Thomae Ford Hill, Londini ad me datis, Antonium Mancinellum Veliternum, qui saeculo XV. ad finem vergente Graecis Latinisque scriptoribus interpretandis inclaruit, pro *εν δε ταις θηκαις* legisse *εν δε ταις θηβαις*, et in Strabonis versione a se concinnata et publici juris facta Venetiis 1494., et 1502., *fol. 146. ter.* Latine reddidisse: *Thebis quoque in obeliscis*. Quae sane lectio aeque mihi arridet atque Hillio, velimque comprobari posset mss. codicum auctoritate: at praeter impressos, sex quoque libri

οβελισκων αναγραφαι , δηλουσαι τον πλουτον των τοτε βασιλεων , και την επικρατειαν , ὡς μεχρι σκυθων και βακτριων και ινδων και της νυν ιωνιας διατεινασαν , και φορων πληθος, και στρατιας περι ἑκατον μυριαδας.

Juxta hos in obeliscis quibusdam inscriptiones sunt , quae regum illorum divitias ac potentiam declarant , atque imperium usque in Scythiam et Bactrianam et Indiam , et quae nunc Jonia dicitur propagatum . Item tributorum magnitudinem, et exercitum circiter mille millia.

Flavius Josephus libro 2. de Judaeorum antiquitate contra Apionem num. 2. ex codice ms. bibliothecae Angelicae, olim Cardinalis Passionei. *

Περὶ ὧν δὲ προστίθησϊν ὁ ἀπίων , ἐπϊμνησθήσομαι συντόμως . φησὶ γὰρ ἐν τῇ τρΐτη τῶν ἀιγυπτιακῶν τάδε · μωσῆς , ὡς ἤκουσα παρὰ τῶν πρεσβύτερων τῶν ἀιγυπτίων , ἦν ἡλιουπολίτης · ὃς πατρΐοις ἔθεσι κατηγγυημένος , ἀιθρΐους προσευχὰς [1] ἀνῆγεν ἐις ὅιους ἔιχεν ἡλιος [2] περϊβόλους . πρὸς ἀφηλιώτην δὲ πάσας [3] ἀπέστρεφεν · ὧδε γὰρ κὰι ἡλίου κεῖται πόλϊς [4] . ἀντὶ δὲ ὀβελῶν , ἔστησε κΐονας · ὑφ᾽ ὅις [5] ἦν ἐκτύπωμα σκάφη · σκϊὰ δ᾽ ἀνδρὸς ἐπ᾽ ἀυτῇ [6] δϊακειμένη · ὡς ὅτι ἐν ἀιθέρϊ τοῦτον ἀεὶ τὸν δρόμον ἡλίῳ συμπερϊπολεῖ [7] . τοιάυτη μέν τις ἡ θαυ-

Juxta versionem veterem , incerto auctore .

Caeterum quae his adjungit Apion , compendio memorabo . Dicit enim in tertio rerum Aegyptiacarum haec : Moses, ut accepi a grandioribus natu Aegyptiis , Heliopolitanus erat , qui patriis institutus moribus subdivales precationes ad septa qualia civitas habebat reduxit . Ad subsolanum autem omnia convertebat . Ita enim Heliopolis sita est . Pro obeliscis vero statuit columnas , sub quibus ceu pelvis forma exprimebatur : umbra vero in eum incidens , utpote per sudum , eundem semper cum sole cursum circumvolvebat. Atque hujuscemodi

---

calamo exarati , quos consuluit Scrimgerus , et variantes lectiones adscripsit in margine editionis Aldinae 1515 , adservatae in bibliotheca Barberina, cuncti θηκαις praeferunt .

* Obscurum locum , forte et depravatum , a viris doctis varie emendatum atque expositum , ex libro ms. , non magnae quidem vetustatis , sed satis diligenter exarato , transcribere magis e re duxi quam editiones sequi typis expressas , quarum quae reliquis recentiores sunt atque nitidiores , conjecturae nimis indulsisse videntur .

[1] προσευχη hoc loco , ni fallor , aedificium est, *proseucha* , ex more Hellenistarum , et ipsius Josephi in *vita sua* num. 54., et *antiqu. Jud.* 14. , 10. , 23. , in Halicarnassensium psephismate .

[2] In editis est ἡ πολις , quod minus placet. ἡλιου περιβολοι sunt septa templi solis .

[3] Ita etiam codex Hafniensis , rectius sane quam vulgatum πασαν .

[4] Quid si πυλων ?

[5] Malim εφ᾽ όις , quod et aliis placuisse accipio ; et mox διακειμενου pro διακειμενη .

[6] In editis επ᾽αυτην . Sed magis arridet codicis lectio .

[7] Huetius in *demonst. evang.* prop.4., cap. 8. §. 14. Apionis verba quae ad obeliscos spectant ex conjectura restituenda censuit : αντι δ᾽ οβελων εστησε κιονας , υφ᾽ όις ην εκτυπωμα σκαφης , σκια δ᾽ απ᾽ ακρων επ᾽ αυτην διακειμενη , ὡς , όν εν αιθερι , τουτον αει τον δρομον ἡλιῳ συμπεριπολει , Hanc emendationem in contextum recepit Hudsonus , et universum locum Apionis hoc modo Latine reddidit : *Moyses , ut accepi a grandioribus natu Aegyptiis , Heliopolitanus erat ; qui patriis institutis obligatus , subdiales precationes ad septa qualia urbs habebat reduxit . Totam autem civitatem ad subsolanum inter precandum convertebat , ita enim Heliopolis sita est. Pro gnomonibus autem columnas statuit quibus scaphae forma subjecta erat ; ab harum vero summitatibus umbra in eam incidebat ; ita ut eundem cursum quem sol in aethere absolveret .* V. Opp. Josephi editore Havercampo to. 2. p.469. Cur hisce subscribere nequeam infra explicabitur , sectione de usu obeliscorum in Aegypto .

est admiranda illa hujus grammatici phrasis. Mendacium vero ejus non tam nostris verbis evidenter coarguitur, quam Moseos operibus: neque enim cum primum tabernaculum deo construeret aut ipse ullam talem formam ei indidit, aut posteros facere praecepit. Atque is qui postea templum Hierosolymis construxit Solomon, omni tali curiositate abstinuit, qualem confinxit Apion.

μαστὴ τοῦ γραμματΐκοῦ φράσΐς. τὸ δὲ ψεῦσμα λόγων οὐ δεόμενον; ἀλλ' ἐκ τῶν ἔργων περιφανὲς. οὔτε γὰρ ἀυτὸς μωσῆς, ὅτε τὴν πρώτην σκηνὴν τῷ θεῷ κατεσκέυασεν οὔθ' ἓν ἐκτύπωμα τοιοῦτον ἐις ἀυτὴν ἐνέθηκεν. οὔτε ποΐεῖν τοῖς ἔπειτα προσέταξεν· ὅ τε μετὰ ταῦτα κατασκευάσας τὸν ναὸν τὸν ἐν ἱεροσολύμοις σολομὼν πάσης ἀπέσχετο τοιαύτης περΐεργίας· οἵαν συμπέπλεκεν ἀπίων.

Plinius naturalis historiae libro 16, *cap.* 40. *editore Joa. Harduino Parisiis* 1723. *tom.* 2. *pag.* 34.

Abies admirationis praecipuae visa est in navi, quae ex Aegypto Caii principis jussu obeliscum in Vaticano circo statutum quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est. CXX.[1] M. modiûm lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere laevo. Ibi namque demersa est a Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exaedificatis obiter puteolano pulvere, advectisque. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.

Idem libro 37, *cap.* 5. *tom.* 2, *pag.* 776.

Theophrastus tradit in Aegyptiorum commentariis reperiri, regi eorum a rege Babylonio missum smaragdum munere quatuor cubitorum longitudine et trium latitudine: et fuisse apud eos in Jovis delubro obeliscum e quatuor smaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine vero in parte quatuor, in parte duorum. Se autem scribente esse in Tyro Herculis templo stantem pilam[2] (*lege* stelen amplam) e smaragdo; nisi potius pseudo-smaragdus sit: nam et hoc genus reperiri, et in Cypro inventum ex dimidia parte smaragdum ex dimidia jaspidem. Apion cognominatus Plistonices paullo ante scriptum reliquit, esse etiam nunc in Labyrintho Aegypti colosseum Serapin[3] e smaragdo novem cubitorum.

---

[1] Codex Vaticanus num. 3861., qui majorem quam reliqui prae se fert aetatem, habet CXXX. cum eo stant Vaticani n. 1953., n. 1954., et Palatino-Vaticanus n. 1559. In Vatic. n. 1956. est CCXX. In caeteris CXX.

[2] *Stantem* non agnoscunt exemplaria mss., praeter Barberinum num. 760. a Palmario concinnatum, sed major pars languido sane atque otioso epitheto prorsus eliminato *pilam* tantum exhibent. Sed et hoc glossema esse, Pliniano vocabulo substitutum, suadent Graeca Theophrasti, quibus non respondet, et loquendi usus Plinio familiaris, cui hujuscemodi lapides nunquam, quod ego quidem sciam, *pilae* dicuntur, sed *stelae*: lib. 6., cap. 28. et 29.: quae vox crucem fixit librariis. Verae autem lectionis vestigia deprehendere mihi visus sum in codd. Vaticanis n. 1951. n. 3533. Vaticano-Palatino n. 1559. Vaticano-Ottoboniano n. 1594. et edd. Romanis vetustis *stentenamplanam*, unde et fluxit vulgatum *stantem pilam*, et *statuam plenam*, quod habetur in editis nonnullis. Theophrasti στηλην ευμεγεθη *stelen amplam* vertit Plinius, eodem pacto quo lib. 36., cap. 7. scripsit *ampliores columnas*, uti et alias adeo frequenter adhibet amplitudinis vocabula.

[3] Magis arridet *colossum Serapis*, quod offendi in codd. mss. duodecim.

Idem libro 36, cap.8. 9.10.11. tom.2. pag. 735. seqq.

Ex recensione Joan. Harduini.

Circa Syenen vero Thebaïdis (inve-

Ex nova recensione collatis codicibus Romanis mss.XVI. *

Circa Syenen vero Thebaidis (inveni-

* En elenchum librorum calamo exaratorum quos cum textu Harduini contuli, quosque in notis compendii causa singulis litteris insignivi. Qui primo loco sistuntur usque ad litt. Q., ipse evolvi in Romanis bibliothecis, et quanta in me fuit diligentia omnes congessi variantes lectiones in iis obvias, quae ad textum constituendum vel ad historiam ejus declarandam aliquid facere visae sunt. Reliquorum cognitionem hausi ex notis Joa. Harduini, e cl. Bandinii commentario de obelisco Caesaris Augusti, e disquisitionibus Plinianis Ant. Jos. Comitis a Turre Rezzonico, atque ex epistolis amicissimorum virorum Thomae Ford Hill et Joannis Walker, ad me datis Londini die 23. junii et die 12. octobris 1792.

A. Vaticanus n.1950. membranaceus, scriptura rotunda nitida, cum picturis miniaceis satis elegantibus, quae saeculum redolent XV jam ad finem vergens. Fragmentum quod exscripsi, initio mutilum est sine lacunae indicio, quam neque in reliquis exemplaribus notatam deprehendi. Post *eodem liquato* incipit: *Obeliscus est thebis centum viginti unius hominum. Quem ipse rex* rel.

B. Vatic. n.1951. membran., integer hoc loco, et plerumque ita concinnus, ut vix dubium sit quin vir aliquis eruditus textum adjuverit. Hunc codicem Aleriensis episcopus hoc saltem loco totidem fere litteris expressit in editione Romana principe 1470. Comes Rezzonico exaratum putat circa annum 1400., uti et sequentem.

C. Vatic. n.1952. membr. litteris cursivis, eodem pacto mutilus quo cod. A.

D. Vatic. n.1953. membr. satis incomptus, Rezzonico creditus saeculi XIII. Hoc loco post *liquatum igni funditurque* pergit: *primus omnium id institutus mestres qui* rel. Praeter veteres emendationes, quas notavi *corr. D.*, aliae etiam habentur in hoc exemplari, profectae a viro erudito, qui librum cum aliis contulit, et modo correxit, modo variantes lectiones adnotavit, sed quae cunctae desumptae videntur ex aliis Vaticanae bibliothecae codicibus.

E. Vatic. n.1954. membr. litteris gothicis, mutilus ut cod. A. Ad saeculum XIII refert Com. Rezzonico.

F. Vatic. n.1955. chartaceus, litteris cursivis satis negligenter transcriptus, saeculo juxta Rezzon. XV. Mutilus est ut cod. A.

G. Vatic. n. 1956. 1957. membr. litteris ad gothicum vergentibus, mutilus ut cod. A.

H. Vatic. n.3533. membr. litteris rotundis, cum picturis miniaceis valde elegantibus, saeculi ut videtur XVI. Hoc loco integer, ut cod. B., cum quo plerumque consentit.

J. Palatino-Vaticanus n. 1559. membran. litteris rotundis. Hoc loco post *ad usum vitri* incipit: *Primus omnium id instituit mytres qui* rel.

K. Ottoboniano-Vaticanus n. 1593. 1594. inscriptus etiam Reginae Christinae num. 435. 436. membr. scriptura rotunda cum litteris initialibus minio et auro decoris, circa finem saeculi XV summa diligentia et summo nitore exaratus, atque fronte utriusque voluminis picturis miniaceis valde splendidis et stemmate gentilicio Cardinalis Grimani insignitus. Esse autem vetusti exemplaris apographon hodie Romae non existentis, inde arguitur, quod castigationes in codd. B. H. O. obvias non agnoscit, neque cum ullo alio ex iis, quos inspexi, consentit. Hunc locum integrum exhibet.

L. Urbinate-Vaticanus n.245. membran. mutilus ut cod. A.

M. Bibliothecae Angelicae, olim Cardin. Passionei, chartaceus, scriptus ab Hieronymo de Botis 1460., recognitus et interpolatus ab Joanne Andrea episcopo Aleriensi, adjutore Theodoro Gaza, 1469. Mutilus est ut cod. A., sed lacunam explevit Aleriensis ex cod. B., quem et in reliquis emendationibus secutus videtur, adscriptis praeterea in margine variantibus lectionibus in aliis codd. Vaticanis obviis.

N. Barberinus n.2203. chartaceus, exaratus a Bernardo Petri de Basilea 1468. Hoc loco integer.

O. Barberinus n. 759. 760. membr. litteris rotundis, valde nitidus, integer. Textum continet a Joa. Bapt. Palmario ex annotationibus Hermolai Barbari propriisque observationibus emendatum. Exaratus est Venetiis 1498.

P. Archivii Capitularis Basilicae Vaticanae. membr. litteris gothicis, mutilus ut cod. A.

Q. Chigianus, membr. scriptura rotunda cum ornamentis miniaceis et deauratis. Exara-

tur) Syenites [1] *, quem ante pyrrhopoecilon* [2] *vacabant . Trabes ex eo fecere reges quodam certamine , obeliscos vocantes , Solis numini sacratos . Radiorum ejus argumentum in effigie est , et ita significatur nomine Aegyptio . Primus omnium id instituit Mesphres ,* [3] *qui in Solis urbe regnabat , somnio jussus . Hoc ipsum inscriptum in eo . Etenim scalpturae illae effigiesve* [4] *, quas vi-*

nitur) Syenites , quem ante pyropoecilon vocabant . Trabes ex eo fecere reges quodam certamine , obeliscos vocantes , Solis numini sacratos . Radiorum ejus argumentum in effigie est , et ita significatur nomine Aegyptio . Primus omnium id instituit Mestres , qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus: hoc ipsum inscriptum in eo : etenim scalpturae il-

tus creditur circa medium saeculum XV. In omnibus fere consentit cum cod. P., qui procul dubio vetustior .

R. Riccardianus , scriptus a Gulielmo et Elia subdiaconis , apud cl. Bandinium in praefatione pag.16. De aetate hujus codicis , quem omnium putant vetustissimum , vide etiam Com. Rezzonico tom.2. pag. 246. sqq. Post *idem liquatum* incipit . *CXX. millia hominum ipse Rex* rel.

S. Laurentianus , exaratus a Petro de Slaglosia , apud Bandinium l. c. , mutilus eodem pacto quo cod. J.

T. Ambrosianus I. apud Comitem Rezzonico to. 2. p. 183. sqq. Hoc loco post adnotatam lacunam incipit *CXXI. hominum* .

V. Ambrosianus II. ibidem

X. Variantes lectiones e tribus codicibus ab Angelo Politiano scriptae in margine exemplaris impressi adservati apud March. Nicolini Florentiae . ibidem .

E tribus codicibus musei Britannici , quod Londini est , ea Plinii verba quae spectant ad Augusteos obeliscos: *Is autem obeliscus —— acta fundamenta* : exscripta mihi transmisit Hillius . Ex iis primum , qui inscribitur *Cod. Harl.* 2676. , in notis indicavi siglis Br. 1. secundum , qui est *Cod. Harl.* 2677. , siglis Br.2. tertium , qui inscribitur *Bib. Reg.* 15. *C. XVII.*, notavi Br. 3. Hicce exaratus est litteris Gothicis , reliqui duo charactere Italo perscripti sunt, prior Mediceorum stemmate gentilicio condecoratus , posterior Piccolomineorum . In Br.3. desideratur initium sectionis de obeliscis ; ex Br. 1. ut Br. 2. variantes in eo lectiones suppeditavit epistola Walkeri . Br. 2. integer est hoc loco ; Br. 1. mutilus ut cod. J.

Parisiensium mss. lectiones transcripsi ex Harduino , et vetustarum editionum varietates e disquisitionibus Com. Rezzonico : praeter editiones Romanas 1470. et 1473. , quas ad manus habui .

Consului praeterea variantes ex libro ut fertur Chiffletiano , adscriptas margini editionis Galenianae in bibl. Barberina , a me notatas Ch.: et perbrevem epitomen Plinianam Ludovici de Guastris , sive ut scribendum docet Rezzonico , de Guastis , notarii oscitantia foede depravatam, in bibl. Vaticana inter libros Christinae n.1613.

Quae autem in Vallicelliana bibliotheca adservantur excerpta Pliniana exarata anno 1494., hoc fragmentum continent integrum , sed ex Aleriensis editione ut videtur transcriptum . In eadem bibliotheca prostare scribit Com.Rezzonico Christophori Landini versionem Italam ms. at liber est typis expressus in pergamena Venetiis 1476.

Caeterum in notis, quae sequuntur , ubi codicum non fit expressa mentio, intellige vel omnes vel eos qui nominati non sunt consentire cum lectione quam in contextu exhibui , vel saltem ab auctoribus , quorum usus sum collationibus , non prodi lectionem variantem .

[1] Vocabulum non agnoscunt codd. mss. In K. N. legitur *signites* : in Br. 2. *segnites*: in B. H. et in ipso Palmariano O. *simites* : etsi jam Brotheus in editione Romana 1473. correxerat *syenites* , ex lib. 36., cap. 13.

[2] Ita scribendum esse cum codd. B. H. O. norunt qui oculis unquam lustrarunt obeliscos . K. habet *pyrropocilon* : N. *pyropocilon* : Br. 2. *pirropocilon.*

[3] Codd. B. H. O. habent *mitres* : et sic impressi ante Harduinum : etiam Rezzonico textui restituendum censuit . Codd. J. L. S. et Br. 1. *mytres* . D. et bini regii apud Harduinum *mestres* . K. et Ch. *mestires* . N. *menstres* . Br.2. *mestes* . Apud S. Isidorum originum 18. , 31. praeter *mesphres* in exemplaribus mss. legi *mespres* , *messeres* , *messères* , testantur editores Matritenses . Josephus contra Apionem 1., 15. : et S. Theophilus ad Autolycum 3., 20. habent *μηφρης* : Eusebius in chronico p. 75. *mephres* : idem in epitome Manethonis apud Syncellum p. 71. *μηφρις* : Africanus ex Manethone ibid. p. 70. *μισαφρις* : ipse Syncellus p. 147. *μισφρης* . Reliquis praetuli Mesphres , ut nomen sisterem regiis Aegyptiorum annalibus non ignoratum , quodque minus abhorreret a Plinianorum exemplarium elementis . Mas-m phre Aegyptiis significat Sole-genitum .

[4] Sic D. J. K. N. S. et Rezzonico .

lae effigiesque, quas videmus, Agyptiae sunt litterae. Postea et alii regum in supra dicta urbe, Sothis quatuor numero, quadragenûm octonûm cubitorum longitudine: Ramises autem is, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum. Idem digressus inde, ubi fuit Mnevidis regia, posuit alium, longitudine undecenis pedibus, per latera cubitis quatuor. (*cap. 9.*) Opus

demus, Aegyptiae sunt litterae. Postea et alii regum[5] *in supra dicta urbe: Sothis*[6] *quatuor numero quadragenûm octonûm cubitorum longitudine; Ramises*[7] *autem is,*[8] *quo regnante Ilium captum*[9] *est, quadraginta*[10] *cubitorum. Idemque digressus inde, ubi fuit Mnevidis*[11] *regia posuit alium, centum viginti cubitorum longitudine, undenis per latera cubitis. Opus id fecisse dicuntur viginti millia hominum*[12]. *Ipse rex,*

---

5 F. K. et reg.2. *alii eorum*. J. S.Br.1. et 2. *aliorum regum*.

6 D. *effotis*. J. S. et Br. 1. *efotis*. Br. 2. *ephotis*. O. *socchis*. B. H. K. N. *sothis*, elementis minime ambiguis perscriptum. In multis enim codd. litterae *t* et *c* ita inter se sunt similes, ut saepe non nisi ex vocabulorum significatione dignoscantur: quod evenisse suspicor in exemplaribus ab Harduino citatis, quibusque usi sunt qui in textum receperunt *Sochis*, quod et placuit Comiti Rezzonico. Etiam *s* et *f* in mss. continuo confunduntur, et *h* post *t* pro lubitu additur omitturve a librariis: *Efotis* vero hoc pacto natum videtur, ultimo elemento vocis *urbe* in sequens vocabulum protracto. Caeterum Sothin eundem esse qui Sethos dicitur Josepho, S. Theophilo, Africano et Eusebio, praeclare animadvertit Mercatus libro de obeliscis cap. 13.

7 Sic omnes libri, praeter J. et Br. 1.; ubi *ramiseis*; et D., ubi *famisesis*.

8 Voculam *is* non agnoscunt D.K. N.S. Br.1. et 2.

9 Comiti Rezzon.scribenti *capta est*, adstipulantur J.K.N.S. Br. 1.et 2. Sed in hoc, uti in reliquis quae sensum non mutant, tutius existimavi Harduinianam sequi recensionem.

10 *unum quadraginta*, quod velut veterem lectionem in margine scripsit Dalecampus, non reperitur in mss., licet cardinalis numerus innuere videatur, sermonem esse de singulari obelisco. Sed forte scribendum erat *quadragenûm*.

11 Consentiunt libri, praeter D., qui habet *mnenidis*, et N., qui *mueuidis*. Nihil igitur novandum, nec, quod Bargaeo et Bandinio arrisit, substituendum *Memnonis regia*. Sed neque illud mihi persuadeo, quod volunt Dalecampus, Harduinus et Rezzonico, cogitasse Plinium de bove Mnevide, cui non regia exstructa fuit, sed cubiculum, ut recte notavit Bargaeus; praeterquod Ramisi digrediendum non erat ab Heliopoli, ut ornaret Mnevidis cubiculum. Mnevis hic est μνευης Diodori 1., 92.: et ni conjectura me fallit, idem qui aliis audit μην, μηνας, μηνις, μινης, vetustissimus Thebarum rex et legumlator. Panvinius libro 1. de circensibus, cap. 17. scribit *Mnenonis*, nescio utrum e codice ms.

12 Ut locus hoc modo constituatur suadere visae sunt et Plinianae narrationis indoles, et ipsius rei de qua agitur natura. Plinius, vel quem ipse exscripsit auctor Graeco-aegyptius, reliquos obeliscos in Aegypto erectos non alia ratione mensus quam cubitorum numero, ipsum eum de quo hic sermo est, si editoribus credimus, latum prodit quatuor cubitos. Quo pacto igitur fieri potuerit ut altitudinem notaret pedum mensura, ego non video. Incongruum autem est ut longitudinis numerus efferatur distributive, latitudinis absolute, cum longitudo una sit, latitudines quatuor; et Plinius tum in praecedentibus tum in iis quae subsequuntur obeliscis, longitudinis numerum nunquam non gignendi casu profert. Sed neque quatuor cubitorum latitudo aliqua ratione convenit altitudini pedum undecenum vel undecentenum, (si modo talia extant apud Latinos vocabula): nam ut minimum octo, plerumque decem fere pedes lati sunt obelisci, qui centum pedes alti. Accedit operarum insolens multitudo ad arguendam librariorum oscitantiam. Fabulosum quidem videtur XX. millia hominum obelisco subrigendo manus admovisse: at CXX. illa millia, quae leguntur in libris omnibus paullo vetustioribus, omnem excedunt fabulositatem. Et mirum sane res tam peregrinas narrari de obelisco alto pedes IC., cum in Aegypto alii prodantur pedum CL. et CLXXX. Vide Plin. *36.*, 11. Herod. 2., *3*. Diod. 1., *67*, *69*. Ne vero miraculum quaeras in obelisci subtilitate, cujus latitudo sex pedibus circumscribebatur, obstant ipsius Plinii verba, quae pondus docent regem tenuisse sollicitum: nam si talis erat, qualem sistunt editores, sextuplo saltem pondere superabatur ab obelisco Noncorei: ut de iis taceam quos Sesoosidi tribuit Diodorus. Taceo etiam quod ista exilitas ac puerilis inde gloria plane abhorrent ab Aegyptiorum ingenio. Hisce igitur animadversis facile mecum sentient eruditi, locum depravatum esse radicibus: sed medela unde pe-

cum subrecturus esset, vereretur que ne machinae ponderi non sufficerent, quo maturius [13] *periculum curae artificum denuntiaret, filium suum adalligavit* [14] *cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset et* [15] *lapidi. Hac* [16] *admiratione operis effectum est, ut cum oppidum id expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendiis ad crepidines* [17] *obelisci, extingui ignem* [18] *juberet molis reverentia, qui nullam habuerat ur-*

id fecisse dicuntur CXX. M. hominum. Ipse rex, cum subrecturus esset, vereretur que ne machinae ponderi non sufficerent, quo majus periculum curae artificum denuntiaret, filium suum adalligavit cacumini, ut salus ejus apud molientes prodesset et lapidi. Hac admiratione operis effectum est, ut cum oppidum id expugnaret Cambyses rex, ventumque esset incendio ad crepidines

---

tatur, hoc minus in promptu, libris omnibus quae innotuere aeque fere corruptis. Vulgatum *undecenis* neque ipse offendi in mss., neque quod sciam ante me aliquis. Finxit ni fallor Barbarus sive Palmarius, in cujus exemplari O. totus locus ita se habet, *posuit alium longitudine undecenis pedibus per latera cubitis quatuo, opus id fecissi dicuntur viginta millia hominum. Ipse rex cum subrecturus esset.* Lectionem Comitis Rezzonico repraesentant codd. B. H. et editio Romana princeps: *posuit alium longitudine undecentenis pedibus per latera cubitis quatuor. opus id fecisse dicuntur viginta milia hominum. ipse rex cum subrecturus* (mss. *subrepturus*) *esset*. Sed binos illos codices labente saeculo XV. eruditi cujusdam viri conjecturis fuisse adjutos, multa suadent indicia: et ita sensisse ejus aevi criticos docent subsecutae editiones. Reliqui autem libri vel carent eo loco, vel obelisci quam putant altitudinem undenis circumscribunt pedibus. Ex iis J. S. Br. 1. et 2. habent: *posuit alium longitudine undenis per latera pedibus cubitis IIII. opus id fecisse dicuntur CXX. hominum. ipse rex cum erecturus esset.* His gemina legi in V. et in editione Veneta principe, colligo ex notis Com. Rezzonico. In codd. vero D. et N. *posuit alium longitudine undenis per latera cubitis. opus id fecisse dicuntur CXX. hominum. ipse rex cum erecturus* (D. *subjecturus*) *esset*. En laterum mensuram undenis cubitis definitam. Riccardianus post lacunam incipit: *CXX millia hominum ipse Rex cum subrepturus esset*. Reliqui omnes: *obeliscus est thebis CXXI* (A. *centum viginti unius*. F. 31.) *hominum quem ipse rex cum subrecturus* (al. *surrecturus*) *esset*. In solo Ottoboniano K., non quidem vetusto, sed quem ex antiquo exemplari transcriptum docent lectiones a reliquis omnibus dissentientes, Plinianae scriptionis vestigia deprehendere mihi visus sum, licet satis turbata. In eo locus ita se habet: *posuit alium longitudine undenis per latera cubitis. opus id fecisse dicuntur. CXX cubitorum. quem ipse rex cum surrepturus esset.* Habes hic CXX. cubitos, longitudinem apprime consentientem cum latitudine cubitorum XI: habes molem, cui praeter Sesostrideos illos obeliscos Diodoro memoratos nihil aequiparandum, cui inter conflagrantis urbis ruinas pepercisse Cambysen, cuique subrigendae plura hominum millia inservisse credibile. Ad XX forte millia evexit operarum multitudinem miraculis inhians traditio: et ex concursu notarum affinium nata videtur confusio. Accessit quod sciolus aliquis adnotare sategerit, quatuor esse obelisci latera, cubitum vero pedem cum semisse; dein librarii glossemata in contextum transtulerint corrupte. Caeterum unde Thebarum vocabulum hauserint notarii, qui mutilos transcripsere Plinii codices, mihi non liquet. Etiam in epitome Pliniana Ludovici de Guastis, ubi reliqua praetermittuntur quae de obeliscis habet Plinius, legitur: *Erat Thebis obeliscus ciji pedum, cui dum eridendus esset dñs urbis filium suspendit*. Mercatus in responsis ad objectiones Latinii pag. 82. legendum proponit: *longitudine centum undenis pedibus, per latera cubitis septem*. Qua vero auctoritate nixi Landinus in versione Itala et novissimus interpres Gallus scripserint pedes XC., ego quidem nescio.

13 Ita Rezzonico, suffragantibus codd. A. C. E. F. G. L. M. P. Q. R. S. T. V. Reliqui cum Harduino stant.

14 J. et S. *alligavit*.

15 Desideratur *et* in codd. B. H. O. S. Quod vero *morientes* in nonnullis legitur, cum aliis hujus farraginis adnotare piget.

16 Expressi integra periodo codicem Riccardianum, quocum fere consentiunt D. N. S., reliquis in diversa abeuntibus, licet ex omnibus idem conficiatur sensus.

17 B. H. J. O. et ed. Rom. pr. *ventumque esset incendio ad crepidines*. A. C. E. G. K. L. M. P. Q. T. et ed. Ven. pr. *ventumque haberet incendium a crepine* (vel *ac crepidine*.) F. *unctumque haberet incendium ac crepidini*.

18 *ignem* deest e codd. nostris, praeter B. D. F. H. O. Excidit praeterea *extingui* ex E. M.

obelisci, extingui ignem juberet molis reverentia, qui urbis nullam habuerat. Sunt et alii duo, unus a Smarre positus, alter ab Eraphio, sine notis, quadragenûm octonûm cubitorum. Alexandriae statuit unum octoginta cubitorum Ptolemaeus Philadelphus, quem exciderat Nectabis rex purum: majusque opus fuit in devehendo statuendove multo,

bis. Sunt et alii duo, unus a Zmarre [19] *positus, alter a Phio, sine notis* [20], *quadragenûm octonûm* [21] *cubitorum. Alexandriae statuit unum Ptolemaeus Philadelphus, octoginta cubitorum, quem exciderat Nectebis rex, purum; majusque opus fuit in devehendo statuendove multo, quam in excidendo* [22]. *A Satyro* [23] *architecto aliqui* [24] *devectum tradunt rate* [25]: *Callixenus* [26] *a Phoe-*

[19] Sic C.F.G.J.K.L.T. corr. E. ed. Ven. pr. et Rezzonico. Ex reliquis N. habet *a zmâre*: D. *a zmaire*: S. *a zmare*: R. *a zmrare*: X. *a zmarne*: A. *a zinara*: O. P. Q. edd. Benedicti, Palmarii, et Dalecampi, *a smarre*: ed. Paris. 1511. *a smarne*: Ch. *a smirna*: E. *a dmare*: M. *admare*: V. *â marre*: B.H. ed. Rom. pr. et Beroaldus *a myrne*. Caeterum Zmarrem vel Smarrem eum regem esse, qui Africano σμεδης dicitur ex Manethone, Eusebio σμενδις, Syncello αμεδης, Diodoro 1., 61. μενδης ὁ και μαρρος, Aeliano anim. hist. 6., 7. μαρρης: suo loco adstruere conabor.

[20] Sic B. F. H. R. ed. Rom. pr. et aliae edd. vett. et Rezzonico. Codd. L. P. Q. T. et ed. Ven. pr. habent: *a phio sine votis*. E. M. *a phione notis*. G. *a phisione notis*. C. *a phisme notis*. A. *ab yosinotis* D. J. K. Ch. *a raphio sine notis*. V. *a raphio sine votis*. S. *a raphio sine notis* N. O. edd. Bened. et al. *ab eraphio sine notis*. Verum regis nomen in tanta librorum discordia vix eruere datur, cum nullum ex iis quae leguntur, offendatur in Aegyptiorum annalibus. Litterae *phio* in cunctis fere exemplaribus deprehenduntur, ideoque in contextu locum iis adsignavi, licet pro nominis parte accipere malim quam pro integro nomine. Legitur quidem φιος inter reges Aegyptios Manethonis ex recensione Africani apud Syncellum pag. 58., sed vereor ne perperam scriptum sit pro φιωψ. Praeterea pro Plinianis rationibus nullo modo facere videtur Phius ille sive Phiops sextae dynastiae rex, multis saeculis distans a modo memoratis regibus. Raphii etiam vel Eraphii vocabulum frustra quaeres inter reges Aegypti, quorum nominibus terminationem *ius* annectere non est solitum: et syllaba initialis *ra* originem traxisse videtur a praecedenti *alter a*. Suspicatus quidem sum, Plinium scripsisse *Phiosene*, ultimasque syllabas periisse propter subsequens *sine*: nam qui Zmarri regi sive Smedi successit, ab Africano vocatur ψουσενης, ab Eusebio ψουσεννης et *pseusennes*, a Syncello φουσανος, at in personarum nominibus sine praesidio codicum nihil novandum esse reor.

[21] Sic D. K. N. R. S. In A. B. H. *quadraginta octo*: in reliquis XLVIII. Idem forte accidit supra v. not. 10.

[22] Lectionem Harduini repraesentant codd. B. H. O. In D. J. K. N. R. S. legitur: *alexandriae statuit unum ptolemaeus philadelphus LXXX. cubitorum. exciderat* (J. R. S. *ceciderat*) *eum nectebis rex purum, majusque opus in devehendo statuendove multo est quam in excidendo.* A. C. E. G. L. P. Q. T. habent: *alexandriae est unus XXX. cubitorum, quem ptolemaeus philadelphus fecit, quem thebis esse dixi, majusque opus est in devehendo statuendove quam in excidendo*. Ita etiam M., sed *LXXX. cubitorum*: et F., sed ubi desiderantur: *alexandriae* —— *cubitorum*. Regis nomen in K. N. et ed. Ven. pr. scribitur *nethebis*: in D. J. X. *necthebis*: in B. H. *necthabis*: in O. *nectabis*: in R. S. *nectebis*. Haereo an forte scribendum *nethebis*, quod respondere potest τῳ Nechao vel Nechaab.

[23] Scribendum esse *Satyro* docet Harduinus, ex Vitruvio in praef. libri 8.: et ita legitur in B. H. J. O. et ed. Rom. pr. In A. G. L. P. V. et ed. Ven. pr. *vatyro* vel *vatiro*: in reliquis mss. *natvro* vel *nattiro*.

[24] Multi mss. cum Riccardiano habent *alioqui* vel *alioquin*. In nonnullis is est verborum ordo, ut ab *aliqui* vel *alioquin* incipiat periodus.

[25] Post *tradunt* interstinctionis signum ponunt B. T. ed. Rom. pr. et Rezzonico: et *rate* conjungunt cum iis quae sequuntur.

[26] Sic legendum esse invicte docuit Bandinius, consentientibus A.B.C.E.F.L.M.O. R. T. et ed. Rom. pr. In H. et K. habetur *callisthenus*: D. J. et ed. Ven. pr. *calistenus*: V. *calistanus*: N. *callischenus*: G. P. Q. *calixemis*: S. *callixteris*. Praeter B. D. J. N. O. R. S. V. reliqui mss. habent: *ut Cal. dicit* vel *dixit*. Harduini *Callisthenes*, antiquis libris ignoratum, retinuit recens interpres Gallus, sed qui hanc saltem Plinii partem leviuscule pertractavit. Vide Histoire naturelle de Pline. à Paris. 1771. 1782. to. 12. in 4. cum nova Latini textus recensione: to. 11. pag. 502. sqq.

nice [27] *, fossa perducta* [28] *usque ad jacentem obeliscum e Nilo* [29] *; navesque duas in latitudinem patulas pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirent obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrinque* [30] *; postea* [31] *egestis laterculis allevatas naves* [32] *excepisse onus* [33] *. Statutum autem in sex talis e monte eodem* [34] *, et artificem donatum talentis quinquaginta. Hic* [35] *fuit in Arsinoeo,* [36] *positus a rege supra dicto, munus amoris in conjugem eandemque sororem Arsinoen* [37] *. Inde eum navalibus incommodum Maximus quidam* [38] *praefectus Aegypti transtulit in forum, reciso cacumine, dum vult fastigium addere auratum, quod postea omisit* [39] *. Et alii duo sunt Alexandriae ad portum in Caesaris templo* [40] *, quos excidit Mestires* [41]

quam in excidendo. A Satyro architecto aliqui devectum tradunt rate: Callisthenes a Phoenice, fossa perducta usque ad jacentem obeliscum e Nilo. Navesque duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita ut subirent obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis utrimque: postea egestis laterculis allevatas naves excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, et artificem donatum talentis quinquaginta. Hic fuit in Arsinoëo positus a rege supra dicto, munus amoris in conjugem, eamdemque sororem Arsinoën. Inde eum navalibus incommodum Maximus quidam Praefectus Aegypti transtulit in forum, reciso cacumi-

27 Sic B. H. K. N. In O. *a poenice*: J. et S. *a ph.nice*: D. R. *aphonice*: in reliquis codd. Romanis *a phocis*.

28 D. *perducto*. Q. *preducta*. S. *producta*. J. V. et ed. Ven. pr. *perductum*.

29 *e nilo* non legitur nisi in B. H. O. *in nilo* habetur in A. C. E. F. G. L. M. P. T. V. In reliquis desideratur praepositio.

30 Consentiunt codd. nisi quod in M. R. S. T. V. *subiret*: in O. *subissent*: in multis *hac ratione geminati*: in multis *in extremitatibus*: in J. M. *in altitudine patulas*: in B. J. K. N. O. S. *pedalibus spatiis*, quod habetur in edd. nonnullis et in recensione Com. Rezzonico.

31 A. E. F. G. L. P. Q. *utrinque posite egestis*.

32 Ita e nostris solus cod. N. In J. S. *adleviatas naves*: K. *et adleviatas naves*: H. *et alleviatas naves*: B. O. *allevata nave*: D. R. *adlevatis navis*: V. *allevatis navis*: M. *et allevatis navis*: A. *et alienatis majus*: in reliquis *et allevatis majus*.

33 Interpunctionem mutuatus sum a Comite Rezzonico, qui primus vidit, in sequentibus sermonem esse de obelisci erectione, non de novarum trabium excisione. Etiam C. D. E. F. L. M. T. post *onus* punctum habent, et habuisse videtur Riccardianus. Sed in hac re non magnam fidem haberem mss., nisi postulante ipso Plinianae narrationis contextu. Neque *tali* vocabulum a veteribus adhiberi pro lapide quadrato oblongo, exemplis probare sustineo: attamen ita me vincunt quae in medium adfert modo laudatus auctor, ut sententiae suae adhaerere nullus dubitem. Accedit quod Constantianus obeliscus in circo maximo olim basim habuit e sex hujusmodi lapidibus concinnatam.

34 Sic D. J. R. X. Consentiunt fere A. C. E. F. G. L. M. Q. T., nisi quod *in sextali monte*: et P., ubi *in setali monte*. In hisce omnibus deest *excisos*, quod a scholiaste profectum reor. Cum Harduino faciunt B. O. S., sed in omnibus *talis*. Codd. H. K. N. V. et ed. Ven. pr. abiiciunt *statutum*, et sistunt: *excisos autem sex talis e monte*. Rezzonico legit: *statutum autem excisis sex talis e monte*: nulla nixus mss. auctoritate. Lectionem ejus recepit etiam interpres Parisiensis supra citatus.

35 Ita D. N. R. et membranae Vossianae. In H. K. *hic obeliscus*: B. J. O. S. *hic autem obeliscus*. Reliqui codd. Romani habent: *hic fuit conditus a rege supradicto munus* rel.

36 B. D. J. R. S. et membr. Voss. *Arsinoeo*: H. K. N. O. *arsinoe*. In reliquis codd. Rom. desideratur.

37 Rezzonico et mss. omnes *in conjuge eademque sorore arsinoe*.

38 A. G. L. M. N. P. Q. T. V. ed. Ven. pr. *quidem*.

39 D. N. R. X. *omisit* A. C. J. S. *admisit*: Q. *amiserit*: reliqui *amisit*, quod in textum recepit Rezzonico.

40 Sic omnes libri mss. Male in impressis post Gelenium *in portu ad Caesaris templum*. Q. habet *in caesario templo*.

41 Ita X. Ch. et codices Romani undecim. J. et S. habent *mestyres*: A. *mestures*: R. *mestrreus*: N. T. V. et mss. a Pintiano et Harduino inspecta, *mestres*: B. O. et edd. fere omnes *mesphees*.

ne, dum vult fastigium addere auratum, quod postea omisit. Et alii duo sunt Alexandriae ad portum, in Caesaris templo, quos excidit Mestres rex quadragenûm binûm cubitorum. Super omnia accessit difficultas mari Romam devehendi, spectatis admodum navibus. Divus Augustus priorem advexerat, miraculique gratia Puteolis navalibus perpetuis dicaverat: sed incendio consumpta est. Divus Claudius aliquot per annos asservatam, qua Caïus Caesar importaverat, omnibus quae umquam in mari visae sunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere exaedificatis, perductam Ostiam, portus gratia mersit: alia ex hoc cura navium, quae Tiberi subvehant. Quo experimento patuit, non minus aquarum huic amni esse, quam Nilo. Is autem obeliscus, quem

rex quadragenûm binûm cubitorum. Super omnia accessit difficultas mari [42] *Romam devehendi* [43]*, spectatis admodum navibus. Divus Augustus eam, quae priorem advexerat, miraculi gratia Puteolis navalibus perpetuis dicaverat: sed incendio consumpta est* [44]*. Divus Claudius aliquot per annos adservatam eam, qua* [45] *Cajus Caesar importaverat, omnibus quae unquam in mari visae* [46] *sunt mirabiliorem, turribus Puteolis ex pulvere* [47] *exaedificatis, perductam* [48] *Ostiam, portus gratia mersit. Alia ex hoc cura navium quae Tiberi subvehant:* [49] *quo experimento patescit,* [50] *non minus aquarum huic amni esse* [51] *quam Nilo. Is autem obeliscus, quem divus Augustus in circo magno statuit* [52]*, excisus est a rege Semenpserteo,* [53] *quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, octogintaquinque* [54] *pedum et*

Quodcunque autem sit verum nomen regis, de quo loquitur hoc loco Plinius, ab eo tamen rege diversum esse, cui superius tribuit inventionem obeliscorum, inde arguo, quod alter unum tantum statuit saxum somnio jussus, alter bina saltem excidit.

42 A. H. J. N. S. V. *maris*.

43 A. C. E. G. M. L. P. Q. *advehendi*. R. *devehendis*, quod ansam praebuit Comiti Rezzonico ut legeret: *devehendi*. *Ex spectatis admodum navibus divus Augustus* rel.

44 Ita periodum constituunt codd. A.C.E.F.G L.M.T.V. Consentiunt H.K., nisi quod *consumpta est ea*. R.N. *augustus eam priorem —— consumpta ea est*. Sic et D.J.S., sed *consummata*. B. O. *augustus priorem advexerat miraculi gratia, puteolisque —— consumptus est*. Vocula *sed* desideratur in D. J. R. In nonnullis legitur *perpetuis navalibus*. Harduini *miraculique* frustra quaesivi in mss.

45 Sic O. Reliqui *eam quam*, praeter R. *adservatamque qua*: D. S. *adservatam quam*: B. *asservatum eum quem*.

46 Sic K. P. Q. T. V. Reliqui cum Rezzonico *visa*.

47 Unus quem ego quidem vidi cod. H. habet *puteolano ex pulvere*. Reliqui omnes *puteolis ex pulvere*: inque his J. et R. *in turribus puteolis*. Forte scribendum erat *cum turribus*. Confer locum Plinii e lib. 16., cap. 40., quem supra dedimus pag. 8.

48 B. continuato errore *perductum*.

49 H. K. *subveherent*. B.N.O. *subvehebant*.

50 Sic Riccardianus. In D. legitur *pati siti*: N. *patet*: J. *patuit*: in reliquis *palam sit*.

51 Solus R. *huic communia esse*, quod in contextum recepit Rezzonico.

52 In multis libris *constituit*.

53 Qui Herodoto audit *ψαμμηνιτος*, Manethoni juxta Africanum est *ψαμμαχεριτης*, (quin forte *ψαμμαψεριτης*) quae duo nomina eodem fere redeunt et virum significant cordatum. Id vero regis nomen, quod varie scriptum legitur in libris Plinianis, idem esse ac Psammacherites Manethonis, neminem fugit cui perspecta Aegyptiae linguae indoles et Graecorum in efferendis Aegyptiis vocabulis licentia. Ideo parum interest, legasne cum J. et S. *semenpserteo*, vel cum Br. 1. *semempsertaeo*, vel cum D. R. X. *semetnpserteo*, cum Br. 2. et ed. Ven. pr. *semenserteo*, cum B.E. N. vulgatum *semneserteo*, cum O. *semneferteo*, cum V. *semeserteo*, cum H. *somisartheo*, cum K, *semisartheo*, cum A. *semisertheo*, cum C. *semixerteo*, cum F. G. L. M. P. Q. T. et Br. *3*. *semiserteo*.

54 Primus probabiliorem obelisci mensuram e codd. R. S. et Vindobonensi prodidit cl. Bandinius, in quibus habetur XXCV. Eundem numerum in Veneto exemplari deprehendit Polenus (epist. ad Bandin. in append. commentarii de obelisco Caes. Aug. pag. *6*.); in regio Parisiensi n. 1797. Trivultini litteratores (journal 1751.

dodrantis, praeter basim ejusdem lapidis: is vero quem in Campo Martio [55], *novem pedibus minor, a Sothide.* [56] *Inscripti* [57] *ambo rerum naturae* [58] *interpretationem Aegyptiorum philosophia* [59] *continent. Ei qui est in Campo,* [60] *divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium ita magnitudines* [61]; *strato lapide ad*

Divus Augustus in Circo magno statuit, excisus est a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, centum vigintiquinque pedum, et dodrantis, praeter basim ejusdem lapidis: Is vero, qui est in Campo Martio, novem pedibus minor, a Sesostride. Inscripti ambo rerum naturae interpretationem Aegyptiorum Philosophia continent. (*cap.*

---

mai p. *979.*); et olim Politianus in membranis a se inspectis teste Comite Rezzonico. Hisce nunc accedunt codd. Vatic. J. et Br. 1., ubi XXCV et cod. Vat. D. ubi XXXV. pro LXXXV. In reliquis omnibus CXXV. Caeterum scripsisse Plinium LXXXII. exacta obelisci mensura adstruit Stuartus, et notas eas in contextum transtulit Rezzonico: at quinarium numerum, quem omnia exemplaria praeferunt, loco suo movere non sum ausus. Parisiensis interpres retinuit CXXV.

55 Sic. D. J. N. R. S. Br. 1. et Rezzonico. Reliqui cum Harduino stant.

56 Sesostridis nomen vulgari ratione scriptum, neque hoc loco neque infra capite 11., in mss. legitur aut in edd. ante Hermolaum Barbarum: sed elementa *sothide* vel *sotide* in omnibus fere apparent; licet textu in cunctis depravato nunc Sesothidis nunc Merosotidis legatur vocabulum; in unico Riccardiano Sochidis, quod adoptavit Comes Rezzonico. Kircherus obelisco Pamphilio pag. *66. 67.* et Rezzonico in annott. e Campensis obelisci longitudine collegerunt, fuisse eum ex eorum numero, quos a Sothide erectos supra memoravit Plinius. Hunc vero regem unum esse ex iis quos Sesostridis vel Sesoosidis nomine insigniverunt annales veteres, minime inficias iverim, neque refragari sustineo cl. Bandinio, qui Campensem obeliscum vindicavit Sesostridi. At in Pliniano textu instaurando circa propria nomina nihil statuere ausim, sine veterum librorum praesidio. In his D. et cod. Voss. habent *pedum inoras sesothide*: J. S. et Br. 1. *pedum in horas a sesotide*: Br. 2. *pedum est in horas sesotide*: V. et ed. Ven. pr. *pedum est in horas a sesotide*: R. *pedum in ora a sochide*: B. et ed. Rom. pr. *pedum minor est a sesotide*: K. *pedum est a merosothide*: C. E. F. G. H. L. M. P. Q. T. Br. 3. Cantabrigiensis, et membr. Gudii et Menapii, *pedum est a merosotide*: cod. Academ. apud Gronovium. *pedum est a merosocide*: A. *pedum est a merosyde*: N. concinnatus anno 1468., *pedum minor a sesostide*: Palmarianus O. *pedum minor est a sesostride*. Caeterum in novenario numero pedibus praemisso consentiunt omnes; *pedum* vero, quod ferri nequit, monente Gronovio ortum videtur e litterarum compendio *ped. minor.* Ex Cantabrigiensi exemplari, hac prima vice in medium allato, ea quae leguntur de obelisco gnomonico, exscripta misit cl. Hillius, litteris datis die 26. octobris 1792., monuitque codicem satis concinne exaratum esse litteris gothicis, et forse spectare ad saeculum XIII.

57 *inscriptam* quod habent edd. vett. nonnullae, quodque restituendum censuit Rezzonico, non agnoscunt mss., praeter B. et O. In D. J. R. et Br. 1: legitur *inscribi*: in E. *inscriptis*: in reliquis *inscriptus*; nimirum *a merosotide inscriptus*. *ambo* rel.

58 *naturae* desideratur in A. C. E.F.G.L. M. P. Q. T. Br. 3. et Cantabrig.

59 R. *philosophio*, quod in mss. offendit etiam Harduinus. Huc quoque pertinere videtur *pho*, quod legitur in N. In K. et Voss. *philophorum*: in D. *philosophis*: in reliquis omnibus *philosophiae* ut testantur etiam Barbarus, Beroaldus et Pintianus. Huic vocabulo praemittunt B. J. O. S. V. ed. Ven. pr. et aliae, *opere et*. Vossianus vero codex post *philosophorum* habet *ac opera*. Comiti Rezzonico placet *opere philosophico*: Gelenio, *opera philosophiae*. Vereor ne ista omnia e margine in textum irrepserint, Plinius autem scripserit: *rerum naturae interpretationem continent*.

60 A. F. G. H. L. N. et Br. 2. addunt *martio*.

61 Sic D. et R. In S. *ita magnitudinem*. E reliquis exulat vocula *ita*, pro qua plerumque substituitur *horas*. Nimirum C. H. K. *horas magnitudinesve*: E. F. G. P. Q. V. Br. 2. 3. et Cantabrig. *horas magnitudine*: T. *horas magnitu*: L. *hora magnitudine*. In M. ante *magnitudine* adfuit vox, quam radicitus erasit Aleriensis: J., qui plerumque respondet Laurentiano, omisso *ita* habet *magnitudinem*: sic etiam Br. 1.: in B. N. O. post *noctium* statim sequitur *magnitudines*: in A. legitur, *noctium horas strato*, omisso magnitudinis vocabulo. Dalecampus ex ms. prodit *magnitudines etiam et horas*. Rezzonico scribit: *dierumque ac noctium horas, magnitudine strato lapide ad magnitudinem obelisci*. Pro *strato* G. habet *stracto*.

10.) Ei, qui est in Campo, Divus Augustus addidit mirabilem usum, ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium ita magnitudines, strato lapide ad magnitudinem obelisci, cui par fieret umbra, brumae confectae die, sexta hora, paulatimque per regulas (quae sunt ex aere inclusae) singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret: digna

magnitudinem obelisci, cui par fieret [62] *umbra brumae confectae die* [63] *sexta hora, paulatimque per regulas* [64], *quae sunt ex aere inclusae, singulis diebus decresceret ac rursus augesceret:* [65] *digna cognitu res et ingenii foecundi.* [66] *Manilius* [67] *mathematicus apici* [68] *auratam pilam addidit, cujus vertice umbra* [69] *colligeretur in se ipsa* [70], *alias enormiter jaculante* [71] *api-*

[62] C.E.F.L.M.P.Q. Br.3. et Cantabr. *fieri*. D. *fieret par*. At *fit* et *sit*, quae ex mss. Vaticanis prodit Blondus apud Bandinium, ego non deprehendi.

[63] Depravatum locum et male intellectum primi restituerunt Latinus Latini in animadversionibus ad librum Mercati de obeliscis (v. Mercati considerazioni sopra gli avvertimenti del Signor Latino Latini Roma 1590. pag. 107.): et Josephus Scaliger in notis ad Manilium eodem anno editis pag. 154., legendo: *cui par fieret umbra brumae confecto die*. Inventis addidit Salmasius exercit. Plin. p. 451. pro *confecto* reponens *confectae*. Hisce subscripsit Harduinus, affirmans se in cod. regio 2. aliisque mss. reperisse *brumae confectae die*. Quod Salmasius in membranis invenit, *umbrarum romae confectae die*, legitur in nostro N. In R: *umbrarum et confecte die*: in D. (non quidem in J., ut ex Blondo habet Bandinius) *rome umbrarum confecte die*: B. J. S. et Br. 1. *umbrarum rome confecto die*: Vindobon. *ob umbrarum et confectum dies*: X. *umbrae rume confecto die et umbra tum romae*: O. *umbra romae confecto die*. Reliqui quos inspexi, etiam Br.2.3. Cantabr. Ambrosiani et Dalecampiani habent: *umbrarum effectus* (unus apud Dalecamp. *eiectus*) *dies et horas, paulatimque* rel. Br. 3. praeterea post *dies* inserit *etiam*.

[64] C. F. S. Vindob. *tegulas*. Calami lapsum notatu dignum non reputassem, nisi jam a viris eruditis animadversum offendissem.

[65] A. C. D. H. K. L. P. Q. Br. 2. et 3. *decrescere et rursum augescere*; F. et Cantabr. *decrescere digna* rel.

[66] Ita ut scriberem, contextus mihi visus est postulare, licet in exemplaribus calamo exaratis constanter legatur *ingenio*, modo *facundo*, modo *facundi*; in recentioribus nonnullis et in impressis *ingenio foecundo*.

[67] Manilii seu Manlii vocabulum in vulgatis editionibus obvium eliminavit Harduinus, a se, Salmasio atque Pintiano frustra quaesitum in exemplaribus, ut ajunt, paullo vetustioribus. Delere quoque jubent marginalia Chiffletiana. Postea cl. Bandinius ex Riccardiani codicis: *digna cognitu res ingenio facundin' l mathematicis apici*: extudit: *digna cognitu res, ingenio Facundini liberti mathematici*. *Apici* rel. Contra hos disputans Comes Rezzonico scribere jussit: *digna cognitu res, et ingenio foecunda Manilii mathematici*. *Is apici*. rel. Docet nimirum in Politiani membranis legi *is apici*, quod et latere putat in Riccardiani *mathematicis apici*. Mihi quidem Plinius erectionem obelisci pro gnomone et areae instructionem Augusto tribuere videtur: quod vero in re novum, pilam apici additam, Manilio, cujus nomen in ipso Riccardiano codice truncatum exstare suspicor. Reliqui quotquot mihi innotuere ita se habent: B. O. et Br. 3. *res et ingenio foecundo. manlius mathematicus*: M. *res et ingenio facundo manlius mathematicus*: C. E. F. G. P. Q. T. V. et Br.2. *res et ingenio facundo. manilius mathematicus*: Cantabr. *res et ingenio fecundo. manilius mathematicus*: A.H.K.L. *res ingenio facundo. manilius mathematicus*: J. et Br. 1. *res ingenio facundo mathematici*: N. S. *res ingenio facundi mathematici*: D. *res ingenio facundî mathematici*. Vindobonensis, *faciendi non l. mathematici*. Parisiensis interpres cum Rezzonico legit, *ingenio foecundo Manilii mathematici*.

[68] A.C.F.G.L.P.Q. Cantabr. *apicis*. In iisdem, exceptis P.Q. *palam* vel *pallam*. Br. 1. *mathematici apici auratam pilam addunt*. G. *apici etiam*.

[69] Sic mss., praeter reg. 2. et Pintianum apud Harduin., ubi *cujus umbra vertice*: H. *umbra cujus vertice*: A. *cujus vertice cum umbra*: Br. 3. *cui vertice cum*. E. M. *cum vertice cum*.

[70] B. J. O. S. V. Br. 1. 2. et ed. Rom. pr. *in semetipsam*: D. *in ipsam*. N. reg. 2. et Pintian. *in ipsa*. In C. desideratur.

[71] Sic D. R. S. reg. 2. et Pint., quibus accedit N. *alitis enormiter jaculante*. Reliqua exemplaria in diversa abeunt: V. Br. 1. et 2. *alias incrementa jaculante*: J. *alias incrementa jaculantem*: B. O. *alia atque alia incrementa jaculantem*: C. G. H. K. L. P. Q. T. *aliam solem imitari jaculante*: F. *alia solem imitari jaculante*: E. *alia solem imictari jaculante*: A. *alia solem ymitari jaculante*: Br. 3. *solem imitari jaculante*. Plerumque scriptum inveni *îmitari*. Litte-

ce, ratione ut ferunt a capite hominis intellecta. Haec dierum observatio [72] *triginta jam fere annis non congruit, sive solis* [73] *ipsius dissono cursu et coeli aliqua ratione mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota* [74], *ut deprehendi et in aliis locis accipio; sive Urbis tremoribus* [75] *ibi tantum gnomone intorto, sive inundationibus Tiberis sedimento molis facto:* [76] *quamquam ad altitudinem impositi oneris* [77] *in terram* [78] *quoque dicantur* [79] *acta* [80] *fundamenta. Tertius est Romae* [81] *in Vaticano Caji et Neronis principum circo, ex omnibus unus omnino fractus in molitione;* [82] *quem fecerat Sesosidis* [83] *filius Nuncoreus.* [84] *Ejus-*

cognitu res et ingenio fecundo Mathematici. Apici auratam pilam addidit, cujus umbra vertice colligeretur in se ipsa, alias enormiter jaculante apice, ratione (ut ferunt) a capite hominis intellecta. Haec observatio triginta jam fere annis non congruit, sive Solis ipsius dissono cursu, et caeli aliqua ratione mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi et in aliis locis accipio: sive Urbis tremoribus, ibi tantum gnomone intorto: sive inundationibus Tiberis sedimento molis facto: quanquam ad altitudinem impositi oneris in terram quoque dicantur acta fundamenta. (*cap.* 11.) Tertius Romae in Vaticano

---

rae codicis M. hoc loco et praecedenti deletae sunt.

72 Ita B. O. et Rezzonico. In R. *haec deservatio*: D. H. J. K. N. V. X. Br. 1. et 2. *haec observatio*: A. *hoc dies*, non *haec in dies*, ut apud Bandinium scribit Blondus, cujus collationibus quam parum sit fidendum experimento didici. In reliquis est *haec dies XXX.* rel. Parisiensis interpres legit: *haec in dies observatio*.

73 *solis* desideratur in D. et S.

74 Cum Rezzonico scribente *a centro suo aliquid emota*, stant D. H. J. K. N. T. V. Br. 1. et 2.

75 H. K. *terraemotibus*.

76 D. *Sed in menso molis facto*: H. K. *sive immenso molis facto*: A. *in merso facto molis*: C. E. F. G. P. Q. T. Br. 3. et Cantabr. *et immenso facto molis*.

77 N. *ad altitudinem impositione res*: D. *ad altitudine impositione res*: R. *ad actitudine impositione res*: B. J. O. S. et Br. 1. *ad altitudinem impositae rei*: G. *ad aptitudinis impositionem*: reliqui *aptitudinis impositione*.

78 A. Q. T. V. et Rezzonico, *in terra*.

79 H. K. R. *dicuntur*.

80 Sic J. R. S. et Br. 1. Reliqui *jacta*.

81 *romae* non agnoscunt vetustae editiones, neque mss. praeter H. K. N. R. In R. desideratur *est*, quod habent reliqui omnes.

82 Sic X., consentientibus J. N. R. reg. 2., nisi quod post *fractus* habent *est*: et B. L., praeter quod post *molitione* addunt *ejus*. D H. K. V. *ex omnibus unus omnino fractus est in molitione ejus*: F. Q. *ex omnibus illius fractus mutatione ejus*: P. *ex omnibus illius fructus mutatione ejus*: A. *ex omnibus unus fructus ymitatione*: C. *ex omnibus unus fractus imitatione*: T. *ex omnibus unus omnino fractus imitatione ejus*: E. *ex omnibus unus fcs imitatione ejus*: in margine scriptum *al. fractus*. M. *ex omnibus unus factus imitatione ejus*: G. *ex omnibus illius stratus incitatione*: in margine codicis F. *stratus incitatione*. Plerumque scribitur *îmitatione*, quod natum videtur ex *î mutatione* pro *in mutatione*; hoc vero ex *in molitione*, vocabulo librariis minus familiari. In Palmarii ms. O. legitur: *ex omnibus unus omnino fractus in multitudine ejus*. Alex. Benedictus edidit *in molitudine ejus*. Harduinus praeter Vaticana exemplaria, quae sane non multum faciunt pro re sua, vades sistit ms. Colberg. 3. et cod. Delecampii. Eandem quam Harduinus lectionem tuitus est Philippus Pigafetta dissertatione de obelisco Vaticano edita Romae 1586., pag. 17. testatus se eam in unico offendisse Vaticano codice. Rezzonico locum ita constituit: *Tertius est in Vaticano Caii et Neronis principum circo: ex omnibus unus fractus in molitione ejus: quem fecerat Sesostridis filius Non-coreus* Eum secutus est Parisiensis interpres. Hoc quidem mirum quod Harduinus scribat: „Qui viderunt et explorarunt obeliscum, integrum adhuc esse renunciant;„ cum ea sit obelisci figura ut decurtata appareat omnibus; cumque ipse obelisci architectus Dominicus Fontana in opere de transportatione ejus adnotaverit, summitatem videri fractam antiquitus atque iterum aptatam.

83 Ita regis nomen scribunt D. J. K. N. R. S. V. X. membranae Vossii et Harduini. Idem, sed mutilum, apparet in C. E. F. G. M. P. Q. T. Gud. Menap. Acad. apud Gronovium, nimirum *sesodis*: A. habet *sesodys*: H. *sosidis*: B. L. *sesotidis*. Palmarius reposuit *sesostridis*, quod eodem redit.

84 B. K. L. O. *nuncoreus*: C. *nonchoreus*: A.

Caji et Neronis Principum Circo, ex omnibus unus omnino factus est imitatione ejus, quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus. Ejusdem remanet et alius centum cubitorum, quem post coecitatem visu reddito, ex oraculo Soli sacravit.

dem remanet et alius centum cubitorum, quem post coecitatem visu reddito ex oraculo Soli sacravit.

Tacitus annalium libro 2., cap. 60. pag. 156. tom. 1. opp. edit. Jacobo Gronovio Trajecti Batav. 1721.

Mox visit Germanicus veterum Thebarum magna vestigia. Et manebant structis molibus [1] litterae Aegyptiae priorum opulentiam complexae; jussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat: Habitasse quondam septingenta millia aetate militari, atque eo cum exercitu regem Rhamsen Libya, Aethiopia, Medisque et Persis, et Bactriano ac Scytha potitum, quasque terras Suri Armeniique et antiqui Cappadoces colunt, inde Bithynum hic Lycium ad mare imperio tenuisse. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quaeque natio penderet, haud minus magnifica quam nunc vi Parthorum aut potentia Romana jubentur.

Svetonius in Claudio cap. 20. pag. 672. tom. 1. edit. Samuele Pitisco Leovan. 1714.

Portum Ostiae exstruxit circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo jam salo mole objecta. Quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

---

nachoreus: N. *nicoreus*: R. *noncorei*. Noncorei nomen, quod habetur in reliquis, haud raro scribitur *non coreus*: dum primam syllabam pro particula negativa accipiunt librarii. Sic etiam pro *nectebis* vel *nethebis* scripserunt *ne thebis*. Nachorei vocabulum si in melioris notae codice invenissem, in textum recepissem, nam apud Graecos scriptores nomine fere simili insignitus legitur Sesostridis filius. Nempe in chronico Paschali pag. 48. dicitur ναχωρ: apud Malelam pag. 24. et 11. corrupte ναραχω et μαραχω: apud Cedrenum pag. 20. ναρεχω: et apud Syncellum pag. 59. ex Manethone λαχαρης, ubi vix dubito quin scriptum fuerit antiquitus ναχαρης. Etiam in Eusebii praep. evang. 9. 27. habetur inter proceres Aegypti ναχερως quidam: et in tertia dynastia Manethonis juxta Eusebium ναχερωχις rex, Africano dictus νεχεροφης. Caeterum si fides habenda est Plinio prodenti, primos obeliscos statutos fuisse a Mesphre, Sesosis ille sive Sesostris pater Nuncorei, is erit qui Manethoni in dynastia vicesima secunda dicitur σεσογχις vel σεσεγχωσις, Syncello vero σουσσακειμ; et Nuncoreus erit νεφεχερης, quem inter illius successores ab Africano et Eusebio suppressos prodit idem Syncellus pag. 177. 73. 74. 56. 57. Sed de hoc infra.

[1] Obeliscos intelligere jubet Lipsius, multosque invenio, inque iis summos viros, qui sententiae ejus subscripserunt; ideoque locum hic desiderari nolui: licet ego non videam cur de obeliscis accipiendus sit potius quam de templis sepulcrisve, quibus regum gesta insculpta fuisse auctor est Diodorus 1., 47. 66.; neque si tantum obeliscos spectasset, integros lapides nulla arte coagmentatos, facile structas moles dixisset Tacitus. At confer quae de obeliscis scribit Strabo libro 17., pag. 1171. nobis pag. 6.

Interprete Francisco Patricio ;

Ex Sacro libro Hermetis Trismegisti , cognominato Minerva mundi .

Respondit Isis: Nolim ortum enarrare; non enim fas est tuae geniturae referre initium , o magnipotens Hore : quomodo postea hominibus immortalium mundi artifex maximum patrem tuum Osirin largitus est parumper , et maximam deam Isin , ut nimirum omnibus in mundo indigis adjutores fierent . Isti vita vitam impleverunt ; isti mutuae caedis feritatem sustulerunt . Templa progenitoribus diis et sacrificia consecrarunt ; leges isti mortalibus et victum et tegumentum sunt largiti . Isti arcana , inquit Hermes, meorum scriptorum omnium cognoscent et distinguent ; et quae ipsi tenuerint ad beneficium mortalium pertinentia , columnis et obeliscis insculpent . Isti primi cum judicia ostendissent , bonis legibus et justitia omnia repleverunt . Isti dexterae et fidei duces facti , maximum quoque deum Jusjurandum in vitam introduxerunt . Isti vita functos , ut decens est , docuerunt componere . —— Isti ab Hermete edocti ambientem aërem daemonibus esse repletum , occultis columnis insculpserunt . Isti soli arcanas dei leges ab Hermete edocti , introductores artium et scientiarum et studiorum omnium fuerunt hominibus et legumlatores .

Auctor libri qui inscribitur: ἑρμου του τρισμεγιστου ἱερα βιβλος , επικαλουμενη κορη κοσμου : *fol.* 32. *librorum Hermeticorum apud Franc. Patricium in Nova de universis philosophia , Ferrariae* 1591. ; *et apud Stobaeum in eclog. phys. pag.* 124. *ex ed. Canteri* 1609. [1]

Και ειπεν ισις · παραιτουμαι γενεσιν ἱστορειν · ου γαρ θεμιτον σης σπορας καταλεγειν αρχην , ω μεγαλοσθενες ωρε . ὡς δηποτε [2] υστερον ανθρωποις αθανατων κοσμοποιητης και τεχνιτης [3] τον μεγιστον σου προς ολιγον εχαρισατο πατερα οσιριν , και την μεγιστην θεαν ισιν , ἱνα τῳ παντων δεομενῳ [4] κοσμῳ βοηθοι γενωνται . οὑτοι βιου τον βιον επληρωσαν , οὑτοι το της αλληλοφονιας επαυσαν αγριον · τεμενη προγονοις θεοις αυτοι και θυσιας καθιερωσαν · νομον οὑτοι και τροφας θνητοις και σκεπην εχαρισαντο . οὑτοι τα κρυπτα , φησιν ἑρμης , των εμων επιγνωσονται γραμματων παντων , και διακρινουσι · και ἁτινα [5] μεν αυτων κατασχωσιν [6] , ἁ δη και προς ευεργεσιαν θνητων φθανει , στηλαις και οβελισκοις εγχαραξουσιν [7] . οὑτοι πρωτοι δειξαντες δικαστηρια , ευνομιας τα συμπαντα και δικαιοσυνης επληρωσαν . οὑτοι δεξιας και πιστεως αρχηγεται γενομενοι , και τον μεγιστον θεον ὁρκον εισηγαγοντο εις τον βιον . οὑτοι τους παυσαμενους του ζῆν , ὡς δεον εστιν, εδιδαξαν περιστελλειν. —— οὑτοι το περιεχον ὁτι δαιμονων επληρωθη , παρ᾽ ἑρμου μαθοντες , κρυπταις στηλαις ενεχαραξαν [8] . οὑτοι μονοι τας κρυπτας νομοθεσιας του θεου παρ᾽ ἑρμου μαθοντες , τεχνων και επιστημων και επιτηδευματων ἁπαντων εισηγηται τοις ανθρωποις εγενοντο και νομοθεται .

---

[1] Textum in utraque editione mendis scatentem purgatiorem aliquanto exprimere tentavi : sed notis criticis in re pro hoc nostro argumento parum faciente supersedeo . Caeterum librum hunc pseudepigraphum saeculo post Christum natum secundo concinnatum existimant eruditi .

[2] Sic scripsi jubente Cantero , pro μηποτε .

[3] Delevi hoc loco voculam τι .

[4] Pro των παντων δεομενων .

[5] Pro τινα .

[6] Pro κατεσχωσιν .

[7] Pro χαραξουσιν .

[8] Pro εχαραξαν .

Tertullianus libro de spectaculis, cap. 8. pag. 418. tom. 1. opp. ex edit. I. L. de la Cerda Parisiis 1624.

Circus Soli principaliter consecratur: cujus aedes in medio spatio et effigies de fastigio aedis emicat. —— Singula ornamenta Circi singula templa sunt. —— Obelisci enormitas, ut Hermateles [1] affirmat, Soli prostituta: scriptura ejus, unde et census de Aegypto, superstitio. [2]

Dio Cassius historiae Romanae lib. 63, cap. 21. ex compendio Joa. Xiphilini edit. Reimaro tom. 2. pag. 1041.

Νερων καισαρ εκ της ἑλλαδος ανακομισθεις και ες την ρωμην εσελασας, ἱπποδρομιας επηγγειλε, και τους στεφανους παντας, ὁσους ἁρμασι νικησας ειληφει, ες τον ἱπποδρομον εσηνεγκε, και τῳ οβελισκῳ τῳ αιγυπτιῳ περιεθηκε [3]. και ησαν οκτω και οκτακοσιοι και χιλιοι. ποιησας δε ταυτα ἡνιοχησε.

Interprete Joa. Sam. Reimaro:

Nero Caesar e Graecia Romam reversus, Circenses indixit, et omnes coronas, quas ex curruum certamine victor obtinuerat, attulit in Circum, et obelisco Aegyptio imposuit. Hae erant numero mille octingentae octo. Post haec currum agitavit.

Idem lib. 78, cap. 8. pag. 1315.

Ζωντος ετι του αντωνινου, τῃ ἱπποδρομιᾳ τῃ της σεβηρου αρχης ἑνεκα ποιουμενῃ, ἡττωμενοι ὁι πρασινοι στασιωται, επειτα κολοιον επ' ακρου του οβελισκου σφοδρα κρωζοντα ιδοντες, παντες τε προς αὐτον απεβλεψαν, και παντες εξαιφνης, ὡς και εκ συγκειμενου τινος, ανεβοησαν· μαρτιαλιε, χαιρε, μαρτιαλιε, δια χρονου σε ἑωρακαμεν. ουχ ὁτι ὁ κολοιος ποτε οὑτως ωνομασθη, αλλ' ὁτι δι' εκεινου τον μαρτιαλιον τον του αντωνινου φονεα, ὡς και εξ επιπνοιας τινος θειας, ησπασαντο.

Superstite adhuc Antonino Caracalla, ludis Circensibus, qui Severi fiebant principatus natalitiis, prasina factio [4] cum victa vidisset in summo obelisco graculum maxime crocitantem, eum omnes spectarunt, et veluti ex compacto conclamaverunt: ave Martialis, diu te, Martialis, non vidimus. Non quod unquam graculus ita sit appellatus [5], sed quod per ipsum divino quodam afflatu Martialem Antonini salutaverint percussorem.

---

[1] In libris nonnullis *Thermateles*, teste Lacerda. Quid si *Hermathenas*, more Graeco-Aegyptiis solemni?

[2] In editione Parisiensi 1675.: *Scriptura ejus, unde ejus et census, de Aegypto superstitio est.*

[3] Ex hoc Dionis loco verba Svetonii in Nerone cap. 25. *Sacras coronas in cubili circum lectos posuit*: ita refingenda censet Loënsis Miscell. 3., 7.: *Sacras coronas in obelum circi injectas posuit*. Vide annott. Reimari.

[4] Cui adversabatur Caracalla.

[5] Vertere malim: *Non quidem quod hoc nomine olim insigniebatur picus*. Sed vide quae Reimarus in notis disputat contra Argolum in Thes. Graev. tom. 9. pag. 101.

Ex versione Franc. Vigeri.

Alba omnia caelestibus diis assignarunt veteres, itemque sphaeram et cuncta sphaerica Mundi quidem Solis et Lunae propria, sed tamen iis aliquando cum Fortuna et Spe communia esse voluerunt: circulum vero quaeque circularis erant figurae partim Aeternitati, partim Coeli motui, ejusdemque zonis et circulis; circulorum autem sectiones variis Lunae figuris, pyramides et obeliscos ignis naturae, eademque de caussa Olympiis quoque diis, et conum praeterea Soli, Terrae cylindrum, semini ac generationi effigiem veretri, figuramque triangularem propter verecundum foeminae membrum tribuerunt.

Porphyrius apud Eusebium in praeparatione Evangelica, lib.3., cap.7. pag.98. edit.Vigero Parisiis 1628.

Παν το λευκον τοις ουρανιοις θεοις απενειμαν ὁι παλαιοι· σφαιραν τε και τα σφαιρικα παντα ιδιως μεν κοσμῳ και ἡλιῳ και σεληνῃ, εσθ' ὁπου δη και τυχῃ και ελπιδι· κυκλον δε και τα κυκλικα αιωνι και τῃ κατ' ουρανον κινησει, ταις τε εν αυτῳ ζωναις και τοις κυκλοις· κυκλων δε τμηματα τοις σχηματισμοις της σεληνης· πυραμιδας δε και οβελισκους τῃ πυρος ουσιᾳ, και δια τουτο και τοις ολυμπιοις θεοις· ὡσπερ αυ κωνον μεν ἡλιῳ, γῃ δε κυλινδρον, σπορᾳ δε και γενεσει φαλητα, και το τριγωνον σχημα δια το μοριον της θηλειας.

Interprete Lud. Ant. Muratorio.

Obeliscum apud vos audio lapideum justae magnitudinis; despici tamen, et ut quid vile minimique momenti jacere in littore. Eum Divus Constantius instructo navigio Constantinopolim patriam meam advehi praeceperat. Sed quandoquidem ille, diis ita volentibus, fatalem istinc ad plures migrationem migravit, exigit a me eadem civitas donarium: quum ipsa mihi sit patria, adeoque majore mihi quam illi necessitudine conjuncta. Ille namque eam ut sororem quidem, at ego ut matrem amo: in ejus enim solo primum steti in lucem editus, illic altus educatusque sum; nec fieri ulla ratione potest, ut in illam ingratus videar. Quid igitur? quoniam et vos non minus quam patriam amo, do ut et apud vos aereum erigatur simulacrum. Facta est autem nuper statua colossea magnitudi-

Julianus Caesar epistola ad Alexandrinos apud Muratorium anecd. Graec. Patav. 1709. pag. 326. et apud Fabricium in bibl. Graecae tom. 7. pag. 84.

Οβελον ειναι παρ' υμιν ακουω λιθινον, εις υψος ἱκανον ηρμενον, επι της ηιονος ὡσπερ αλλο τι των ατιμοτατων ερριμμενον. επι τουτῳ εναυπηγησε σκαφος ὁ μακαριτης κωνσταντιος, ὡς μεταξων αυτον εις την εμην πατριδα κωνσταντινου πολιν. επει δε εκεινῳ συνεβη, θεων εθελοντων, ενθενδε εκεισε πορευθηναι την ἑιμαρμενην πορειαν, ἡ πολις απαιτει παρ' εμου το αναθημα, πατρις ουσα μου, και προσηκουσα πλεον ηπερ εκεινῳ. ὁ μεν γαρ αυτην ὡς αδελφην, εγω δε ὡς μητερα φιλω· και γαρ εγενομην παρ' αυτῃ, και ετραφην εκεισε, και ου δυναμαι περι αυτην αγνωμονησαι. τι ουν; επειδη και υμας ουδεν ελαττον της πατρης φιλω, διδωμι και παρ' υμιν αναστηναι την χαλκην εικονα. πεποιηται δε εναγχος ανδριας τῳ μεγεθει κολοσσικος, ὁν αναστησαντες, ἑξετε αντι αναθηματος λιθινου

χαλκουν ; ανδρος, ού φατε ποθειν, εικονα και μορφην αντι τριγωνου λιθου χαραγματα εχοντος αιγυπτια. και το λεγομενον δε, ώς τινες εισι οί θεραπευοντες και προσκαθευδοντες αυτου τη κορυφη, πανυ με πειθει χρηναι της δεισιδαιμονιας ένεκα ταυτης απαγειν αυτον. οί γαρ θεωμενοι τους καθευδοντας εκει, πολλου μεν ρυπου, πολλης δ' ασελγειας περι τον τοπον, ώς ετυχεν, ουσης, ουτε πιστευουσιν αυτον θειον ειναι, και δια την των προσεχοντων αυτῳ δεισιδαιμονιαν απιστοτεροι περι τους θεους καθισταναι. δι' αυτο δη ουν τουτο και μαλλον υμιν προσηκει συνεπιλαβεσθαι, και πεμψαι τη εμη πατριδι, τη ξενοδοχουση καλως υμας, ότε εις τον ποντον εισπλειτε, και ώσπερ εις τας τροφας, και εις τον εκτος κοσμον συμβαλλεσθαι. παντως ουκ αχαρι και παρ' αυτοις έσταναι τι των υμετερων, εις ό προσπλεοντες τη πολει μετ' ευφροσυνης αποβλεψετε.

ne, quam vos erigentes, habebitis pro lapideo monumento aereum, viri cujus simulacrum et formam desiderare dicitis, pro triangulo lapide Aegyptiis notis inscripto. Et quod vulgo fertur, quosdam esse Therapeutas [1], qui obelisci hujus vertici indormiant, valde mihi persuadet ob hujusmodi superstitionem oportere ipsum abduci. Nam qui inspiciunt dormientes ibi multasque sordes et flagitia loco, ut casus tulit, circumfusa, illum minime arbitrantur quid divinum esse, et propter eorum, qui saxo eidem immorantur, superstitionem, minus de diis credunt. Idcirco igitur magis etiam vobis convenit inceptum adjuvare, saxumque illud ad patriam meam mittere, quae vos honesto excipere solet hospitio, quando in Pontum navigatis, et quemadmodum annona deferenda, ita et externo urbis ornatu augendo opem vestram conferre. Neque omnino vobis ingratum erit, apud nos ipsos aliquid vestrum exstare, in quod, quum ad urbem navigatis, cum hilaritate in posterum respiciatis.

S. Cyrillus adversus Julianum lib. 9. pag. 299. ex ed. Spanhemii cum opp. Juliani Lipsiae 1696.

Φασι γενεσθαι των τοις ειδωλοις λελατρευκοτων αινιγματων τεχνιτας, και προς γε τουτο δεινως και εντεχνως εξησκημενους, ούς δη και ίερογλυφους ονομαζειν εθος αυτοις. ούτοι τοις τεμενεσι και τοις οβελοις γραφας ενορυττοντες, ου γραμμασι χρησθαι τοις καθ' ήμων ηξιουν, αλλ' έτεροις σχημασι τας των πραγματων ειδοποιουντες φυσεις αποθετον τινα τοις νουνεχεστεροις ενεσωρευον γνωσιν.

Interpretibus Borbosio et Auberto:

Ajunt fuisse inter idolorum cultores aenigmatum artifices; adeoque in iis fingendis singulari industria et arte praeditos, quos vulgo nominabant hieroglyphos. Hi in templis et obeliscis litteras incidentes, nostris non utebantur, sed aliis figuris rerum naturas efformantes, abstrusam quandam scientiam sapientioribus ingerebant.

[1] Nolim hoc loco de Therapeutis cogitasset interpres et de dormitione in obelisci vertice. Audiverat imperator, esse qui superstitiose colerent obeliscum, et dum ab ipso oracula per somnum expectarent vel morborum mirabiles sanationes, juxta apicem ejus noctem agerent, ex nota indormitionis consuetudine in templis et lucis. Haec res risum ciebat sanioris mentis hominibus, eo quod in loco immundo et sordium pleno eversus jaceret obeliscus: ideoque amovendum censebat Julianus.

Interprete Joa. Mar. Cataneo.

E descriptione arcis Alexandriae.

Introeunti arcem locus offertur, quatuor eisdem aequis lateribus divisus, proinde tota quoque aedificii figura efficitur quadrata. Aula in medio est, columnis undique suffulta: eam porticus excipiunt, aequalibus distinctae columnis. —— Unaquaeque autem porticus ad transversam alteram finitur. —— Addita autem porticibus introrsum armaria, quibus libri reconduntur; —— alia quoque loca sunt ad venerationem deorum vetustorum instituta. —— Media autem arce columna immensa altitudine se profert, quae locum ipsum facit illustrem: haud enim in promptu quis, quo progrediatur habet, nisi indicem viarum hanc subinde respectet columnam. Quin et arcem ipsam terra marique conspicuam praestat: in vertice principia rerum sunt expressa. Prius autem quam medio transeatur, aedificium est quoddam, pluribus ostiis patens, quorum cuique a deorum vetustorum aliquo est inditum nomen. Duae dehinc pyramides lapideae positae (Gr. *duo item obelisci lapidei statuti*), et fons profluens, Pisistratidarum fonte haud paullo melior. Mirandum etiam id quoque spectaculum, eo quod eorum, qui fabricati sunt arcem, velut uno tanto operi non sufficiente, numerum comprehendit, duodecimque pariter conspiciuntur artifices.

Aphthonius Sophista progymnasmatum numero 12. εκφρασις της ακροπολεως της αλεξανδρειας : *pag.* 13. *inter Rhetores Graecos Aldi Manutii Venetiis* 1508.

Εισιοντι δια του προπυλαιου παρ᾽ αυτην την ακροπολιν τετταρσι πλευραις ἑις χωρος διῃρηται, και το σχημα πλαισιον τυγχανει του μηχανηματος· αυλη δε κατα μεσον περιστυλος. και την μεν αυλην στοαι διαδεχονται ισαις διαιρουμεναι κιοσιν, —— ἑκαστη δε στοα τελευτᾳ προς εγκαρσιαν ἑτεραν. —— ῳκοδομηνται δε σηκοι των στοων ενδοθεν, οἱ μεν ταμεια γεγενημενοι ταις βιβλοις, —— οἱ δε τους παλαι τιμᾳν ἱδρυμενοι θεους. —— της μεν ουν αυλης μεσον ανεχει τις κιων, μηκος μεν υπερεχουσα, καταδηλον δε ποιουσα τον χωρον· ου πω τις προβας, ὁπῃ προεισιν εγνωκε [1], μη σημειῳ τῃ κιονι των ὁδων χρωμενος· και περιφανη ποιει την ακροπολιν προς γην τε και θαλατταν. αρχαι δε των οντων τῃ της κιονος κορυφῃ περιεστηκασι. και πριν εις μεσην διελθειν την αυλην, ἱδρυται κατασκευασμα διῃρημενον προς πυλας, ὁσαι [2] τοις παλαι θεοις ονομαζονται. δυο δε οβελοι ανεστηκασι λιθινοι· και κρηνη της των πεισιστρατιδων αμεινον εχουσα. και το θαυμα γεγονεν απιστον, των κατασκευασαντων εχον τον αριθμον· ὡσπερ γαρ ἑνος ουκ αρκουντος εις ποιησιν, δημιουργοι της ὁλης ακροπολεως ωφθησαν επι δεκαδυο προσκειμενοι. [3]

Ammianus Marcellinus rerum gestarum libro 16. *cap.* 10. *pag.* 103. *edit. Jac. Gronovio Lugd. Bat.* 1693.

Constantius Augustus consul VIII. Romam ingressus, multis urbis decoribus stupore visis horrendo, de fama querebatur ut invalida vel maligna, quod augens omnia semper in majus, erga haec explicanda quae Romae sunt obsolescit; deliberansque diu quid ageret, urbis addere statuit ornamentis, ut in proximo [4] Circo erigeret obeliscum, cujus originem formamque loco competenti monstrabo.

---

1 Forte μη εγνωκε, σημειῳ.

2 Forte οσοι τοις παλαι θεοι.

3 Scholiastes Aphthonii apud Aldum: υπο γαρ δυο και δεκα βασιλεων ετελεσιουργηθη: *a duodecim enim regibus ad finem perductum est opus.*

4 *Maximo* legendum censet Henr. Valesius.

Idem libro 17. *cap.*4. *pag.*121. — 127.

Constantio Augusto IX. Juliano Caesare II. consulibus, administrante secundam adhuc Orfito praefecturam, obeliscus Romae in Circo erectus est maximo: super quo nunc quia tempestivum est, pauca discurram. Urbem priscis saeculis conditam, ambitiosa moenium strue et portarum centum quondam aditibus celebrem, Hecatompylos Thebas institutores ex facto cognominarunt, cujus vocabulo provincia nunc usque Thebais appellatur. Hanc inter exordia pandentis se late Carthaginis, improviso excursu duces oppressere Poenorum [1]: posteaque reparatam Persarum rex ille Cambyses, quoad vixerat, alieni cupidus et immanis, Aegypto perrupta aggressus est, ut opes exinde raperet invidendas, ne deorum quidem donariis parcens. —— Longe autem postea Cornelius Gallus, Aegypti procurator, Octaviano res tenente Romanas, exhausit civitatem plurimis interceptis. —— In hac urbe inter labra ingentia diversasque moles, figmenta Aegyptiorum numinum exprimentes, obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes et comminutos: quos antiqui reges bello domitis gentibus aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis vel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos, erectosque, diis superis in religione dicarunt. Est autem obeliscus asperrimus lapis in figuram metae cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur gracilescens paulisper, specie quadrata in verticem productus angustum, manu levigatus artifici. Formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique videmus incisas, initialis sapientiae vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes; ad aevi quoque sequentis aetates ut patratorum vulgatius perveniret memoria, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Non enim, ut nunc litterarum numerus praestitutus et facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Aegyptii: sed singulae litterae singulis nominibus inserviebant et verbis; nonnumquam significabant integros sensus. Cujus rei scientiae in his interim sit duobus exemplum. Per vulturem naturae vocabulum pandunt; quia mares nullos posse inter has alites inveniri rationes memorant physicae: perque speciem apis mella conficientis indicant regem; moderatori cum jucunditate aculeos quoque innasci debere his figuris ostendentes: et similia plurima. Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium, id sine modo strepebant, quod cum Octavianus Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana civitate transtulisset Aegyptia, quorum unus in Circo maximo, alter in campo locatus est Martio, hunc recens advectum difficultate magnitudinis territus, nec contrectare ausus est nec movere: discant qui ignorant, veterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo praeteriisse, quod deo Soli speciali munere dedicatus fixusque intra ambitiosi templi delubra, quae contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parvi ducens, avulsam hanc molem sedibus suis, nihilque committere in religionem recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romae sacraret, id est, in templo mundi totius, jacere diu perpessus est, dum translationi pararen-

[1] Suspicor Ammianum aliquo memoriae lapsu confudisse Hecatompylos Thebas cum Hecatompylo Libyae, quam a Poenis captam prodit Diodorus in excerptis libri 24. pag. 563. tom. 2. ed. Wesseling.

tur utilia. Quo convecto per alveum Nili, projectoque Alexandriae, navis amplitudinis hactenus inusitatae aedificata est, sub trecentis remigibus agitanda. Quibus ita provisis, digressoque vita principe memorato, urgens effectus intepuit: tandemque sero impositus navi, per maria fluentaque Tibridis, velut paventis, ne quod paene ignotus miserat Nilus, ipse parum sub meatus sui discrimine moenibus alumnis inferret; defertur in vicum Alexandri tertio lapide ab Urbe sejunctum; inde chamulcis impositus tractusque lenius, per Ostiensem portam piscinamque publicam Circo illatus est Maximo. Sola post haec restabat erectio, quae vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri; erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes et longi, ad speciem multiplicium liciorum coelum densitate nimia subtexentes; quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paullatimque id per arduum inane protentus, diu pensilis, hominum millibus multis tanquam molendinarias rotantibus metas, cavea locatur in media, eique sphaera superponitur ahenea, aureis laminis nitens, qua confestim vi ignis divini contacta, ideoque sublata, facis imitamentum infigitur, aereum itidem auro imbracteatum, velut abundanti flamma candentis. Secutaeque[1] aetates alios transtulerunt: quorum unus in Vaticano, alter in hortis Sallustii, duo in Augusti monumento erecti sunt. Qui autem notarum textus obelisco incisus est veteri, quem videmus in Circo, Hermapionis librum secuti, interpretatum litteris subjecimus Graecis.[2]

Vertit Hieronymus Brunellus.

A parte australi versus primus haec interpretata habet:

Haec sunt quae regi Rhamesti donavimus: quem Sol amat et Apollo: qui omnem terrarum orbem cum gaudio re-

Αρχην απο του νοτιου διερμηνευμενα εχει. στιχος πρωτος·

Ταδε λεγει ἥλιος βασιλει ραμεστη. δεδωρημεθα σοι πασαν οικουμενην[3], μετα χαρας βασιλευειν· ὁν ἥλιος φιλει και

[1] Malim *secutae quidem* vel *secutae quoque*.

[2] *Graeca omnia tam in editione Romana quam in regio exemplari et in Colbertino deerant. primusque ex codice Hirsfeldensi ea edidit Gelenius* (in scriptt. hist. Rom. Basileae 1533.), *quem tamen conjecturae suae saepius indulsisse non dubito. Mariangelus Accursius* (Aug. Vind. 1533.) *duas tantum priores lineas edidit litteris capitalibus mendosissime scriptas. Ex eorum tamen vestigiis haec elicuimus distincte notata*: ἥλιος βασιλει ραμεστη δεδωρημαι σοι. Valesius. In codd. Vatt. duobus, nempe Urbinate num. 416. et Reginae num. 1994. prorsus omissa sunt Graeca: at in aliis Vaticanis quatuor, num. 1873. 1874. 2969. 3341. et in uno adservato in archivio Capitulari basilicae Vaticanae post duas lineas deficiunt satis perverse exaratas, quas lacuna excipit inscriptioni qualem edidit Gelenius adcommodata. Ex his vetustiores duo, Capitularis scilicet atque Vaticanus num. 1873. inter se similes sunt, praeter quod Graecarum litterarum forma elegantior est in Capitulari. En eas: ΑΡΧΗΝΑΤΙΟ ΤΟΥΝΟ ΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΝΗC ΥΜΕΝΑΕΧΕΙCΤΕΧΟC ΤΙΡωΤΟCΤΑΔΕΛΕΤΕΤΝΛΙΟC ΒΑCΙΑΤΡΑ. ΜΑΕCΤΗ ΔΕΔωΡΗΜΕ ΛCΟΙΠΑCΟΝΟΝω

[3] Ita scripsisse Hermapionem fidem mihi faciunt mss. modo citata. Notandum tamen vocis οικουμενην quatuor tantum priora elementa latere in ONω; regis nomen duplici M perscriptum videri. Gelenius edidit: *αρχην απο του νοτιου διερμηνευμενα εχει στιχος πρωτος. ταδε εστιν ὁ βασιλει ραμεστη δεδωρημεθα, ὁν πασαν οικουμενην μετα χαρας βασιλευων ἥλιος φιλει*. Et sic legerunt interpretes. Valesius emendavit: *αρχην —— πρωτος ταδε. ἥλιος βασιλει ραμεστη. δεδωρημαι σοι ανα πασαν οικουμενην μετα χαρας βασιλευειν. ὁν ἥλιος φιλει*: eumque secutus est Gronovius. In reliquis, etiam interpunctione, expressi editionem Gelenii, alio loco in Hermapionis verba commentaturus.

απολλων· κρατερος φιλαληθης υιος ἡρωνος θεογεννητος κτιστης της οικουμενης, ὁν ἡλιος προεκρινεν, αλκιμος αρεως βασιλευς ραμεστης· ᾡ πασα υποτετακται ἡ γη μετα αλκης και θαρσους· βασιλευς ραμεστης αιωνοβιος.

Στιχος δευτερος:

Απολλων κρατερος, ὁ ἑστως επ᾽ αληθειας, δεσποτης διαδηματος, την αιγυπτον δοξασας κεκτημενος· ὁ [1] αγλαοποιησας ἡλιου πολιν, και κτισας την λοιπην οικουμενην, και πολυτιμησας τους εν ἡλιου πολει θεους ανιδρυμενους· ὁν ἡλιος φιλει.

Τριτος στιχος:

Απολλων κρατερος ἡλιου παις παμφεγγης, ὁν ἡλιος προεκρινεν, και αρης αλκιμος εδωρησατο· οὑ τα αγαθα εν παντι διαμενει καιρῳ· ὁν αμμων αγαπᾳ, πληρωσας τον νεων του [2] φοινικος αγαθων· ᾡ οἱ θεοι ζωης χρονον εδωρησαντο.

Αλλος στιχος πρωτος. [3]

Απολλων κρατερος υιος ἡρωνος βασιλευς οικουμενης ραμεστης, ὁς εφυλαξεν αιγυπτον τους αλλοεθνεις [4] νικησας· ὁν ἡλιος φιλει· ᾡ πολυν χρονον ζωης εδωρησαντο θεοι, δεσποτης οικουμενης, ραμεστης αιωνοβιος.

Αλλος στιχος δευτερος.

Ἡλιος θεος μεγας δεσποτης ουρανου: δεδωρημαι σοι βιον απροσκορον· απολλων κρατερος κυριος διαδηματος ανεικαστος, ᾡ [5] ανδριαντας ανεθηκεν εν τηδε τῃ βασιλειᾳ δεσποτης αιγυπτου, και εκοσμησεν ἡλιου πολιν ὁμοιως και αυτον

git. Potens veritatis amicus, filius Heronis deo satus, conditor orbis terrae, quem Sol caeteris praetulit, strenuus Martis rex Rhamestes, cui omnis terra cum vigore et audacia subjecta est. Rex Rhamestes Solis filius in aeternum vivens.

Versus vel ordo secundus.

Apollo potens, qui est revera dominus diadematis, et Aegyptum glorificans possidet, qui Solis urbem splendidam reddidit, quique condidit reliquum orbem terrae, et valde honorat deos in Solis civitate constitutos: quem Sol amat.

Versus tertius.

Apollo potens Solis filius praefulgidus, quem Sol caeteris praefecit, et Mars strenuus muneribus donat; cujus bona in omni tempore permanent: quem Ammon diligit, qui Phoenicis delubrum bonis implevit; cui dii tempus vitae dederunt. Apollo potens filius Heronis, rex orbis terrarum Rhamestes, qui conservavit Aegyptum alienigenis devictis: quem Sol amat, cui diuturnum vitae tempus largiti sunt divi: dominus orbis terrae Rhamestes aeternum vivens,

Alius versus secundus.

Sol deus, magnus dominus coeli, dono tibi vitam non onerosam. Apollo potens dominus diadematis incomparabilis, cui statuas posuit in hoc regno, et ornavit Solis urbem, similiter et ipsum Solem dominum coeli, qui perfecit opus bonum, solis filius rex perpetuo vivens.

[1] Sic Gelenius et in prima editione Valesius. Articulus ὁ omittitur in secunda recensione Valesiana, quam expressit Gronovius.

[2] Ita prodidit Gelenius. In secunda recensione Valesiana est των φοινικος, quod sane arridet: sed hactenus nihil mutandum.

[3] αλλος στιχος πρωτος, quod exciderat, in sedem suam reponere non dubitavi.

[4] Sic rescripsit Valesius pro του αλλου εθνους, quod ediderat Gelenius.

[5] Ita Gelenius: Valesius ὧν.

Versus tertius :

Sol deus , dominus coeli Rhamesti regi tribuo imperium et in omnes potestatem : quem Apollo veritatis amans , dominus temporum , et Vulcanus pater deorum delegit ac praetulit propter Martem : rex omni ex parte laetus , Solis filius et a Sole amatus .

A parte orientali primus versus :

A Solis urbe magnus deus , incola coeli Apollo potens Heronis filius , quem Sol diligit, quem dii honorarunt , qui totam terram regit, quem Sol prae caeteris delegit : strenuus propter Martem rex , quem Ammon diligit , et praefulgidus eligens sempiternum regem [2] .

ἥλιον δεσποτην ουρανου . συνετελεσεν εργον αγαθον ἡλιου παις βασιλευς αιωνοβιος .

Τριτος στιχος .

Ἡλιος θεος δεσποτης ουρανου ραμεστῃ βασιλει δεδωρημαι το κρατος και την κατα παντων εξουσιαν · ὁν απολλων φιλαληθης δεσποτης χρονων και ἡφαιστος ὁ των θεων πατηρ προεκρινεν δια τον αρεα . βασιλευς παγχαρης , ἡλιου παις , και υπο ἡλιου φιλουμενος .

Αφηλιωτης πρωτος στιχος ·

Ὁ αφ' ἡλιου πολεως μεγας θεος ενουρανιος απολλων κρατερος ἡρωνος υιος , ὁν ἡλιος ηγωγησεν [1] , ὁν οἱ θεοι ετιμησαν , ὁ πασης γης βασιλευων , ὁν ἡλιος προεκρινεν , ὁ αλκιμος δια τον αρεα βασιλευς , ὁν αμμων φιλει , και ὁ παμφεγγης συγκρινας αιωνιον βασιλεα .

Et reliqua .

Publius Victor de regionibus urbis Romae , in Graevii thesauro , tom. 3. pag. 108.

Regio XI. , Circus Maximus , —— obelisci duo , jacet alter , alter erectus .

Ibidem pag. 111. in recapitulatione .

Obelisci magni sex : duo in Circo Maximo , major est pedum CXXXII. , [3] minor pedum LXXXVIII. semis : unus in Vaticano pedum LXXII. : unus in Campo Martio pedum LXXII. : [4] duo in Mausoleo Augusti pares , singuli pedum XLII. semis . In insula Tiberis unus . Obelisci parvi XLII, in plerisque sunt notae Aegyptiorum .

---

[1] Gronovius legendum coniicit ηρωγησεν , interpres substituisse videtur ηγαπησεν : at suspicor Hermapioni ηγωγησεν idem significasse quod παιδηγωγησεν . Etiam Bargaeus atque Kircherus latine reddiderunt *educavit* .

[2] Brunelli versionem edidit Ang. Roccha in descriptione bibtiothecae Vaticanae pag. 20. , et in suam editionem recepit Gronovius . Alias nonnihil diversas protulerunt Pet. Angelius Bargaeus in commentario de obelisco in Graev. thesaur. tom. 4. , pag. 1914. : Kircherus in Oedipi tomo 3. pag. 251. et Marshamus canonis chronici saeculo 16. pag. 459. Nulla ex iis , me quidem judice , omnibus numeris absoluta est : sed hic loci abstineo a commentatione in Hermapionem . Vertisse quoque Vignerium ad Livium cap. 1450. doceor ex notis Lindenbrogii ad Ammianum .

[3] Cl. Bandinius libro citato pag. 63. scribit *CXXXI. semis* .

[4] Ita quoque haberi in cod. ms. bibliothecae Riccardianae testatur idem Bandinius pag. 64.

Incerti auctoris brevis descriptio urbis Romae, apud Bandinium de obelisco Caesaris Augusti pag. 64. ex codice Vaticano num. 332.

Obelisci quinque: in Circo Maximo unus altus pedes octoginta octo semis: in Vaticano unus altus pedes septuaginta unum: in Campo Martio unus altus pedes octoginta duos semis: in Mausoleo Augusti duo, singuli pedes octoginta duos semis. [1]

Alia ibidem, ex codice Vaticano num. 1974.

Obelisci sex: in Circo Maximo duo, minor habet pedes octoginta octo semis, major habet pedes CXXII. semis: in Campo Martio unus altus pedes LXXV.: in Mausoleo Augusti duo, alti singuli ped. XLII. semis.

Alia apud eundem pag. 94. ex schedis Vaticanis num. 11526.

Obelisci magni sex: duo in Circo maximo, minor habet pedes LXXXIX., major habet pedes CXXII.: in Vaticano alta pedes LXXV.: in Campo Martio alta . . . (*desunt reliqua*)

Incerti auctoris descriptio urbis Constantinopoleos, a Guidone Pancirollo praemissa Notitiae dignitatum utriusque imperii, Venetiis 1602.

Regio tertia continet —— Circum maximum.
Regio quinta continet —— Strategium, in quo est forum Theodosianum et obeliscus Thebaeus quadratus.

Anonymus auctor de antiquitatibus Constantinopoleos ad Alexium Comnenum, apud Bandurium in imperii Orientalis parte 3. pag. 28.

Περι του στρατηγιου. —— το δε μονολιθον το ἱσταμενον εκεισε αποκομμα του ἱσταμενου εις το ἱπποδρομιον ην· ἡκε δε απο αθηνων παρα προκλου πατρικιου εν τοις χρονοις του μικρου θεοδοσιου. [2]

Vertit Bandurius:

Monolithum (i. e. obeliscus) collocatum in strategio fragmentum erat illius quod in hippodromo exstat. Delatum autem est Athenis, sub Theodosio juniore a Proclo Patricio.

---

[1] His perfecte consona sunt, quae leguntur in descriptione Urbis, sub Honorio ut creditur confecta, quam publici juris fecit Labbeus 1651, repetita in Muratorii thesauro inscriptionum pag. 2132. Eandem ediderat Pancirollus 1604. in fronte Notitiae dignitatum, sed ultima linea pro LXXXII-S- habet XLII-S-. Josephus autem Blanchinius denuo concinnavit, inspectis codd. Vatt. 3321. et 1984., qui iidem esse videntur quibus usus est Bandinius; et transmisit Muratorio, in cujus thesauro l. c. ita legitur:

Obelisci sex: in circo maximo duo, minor habet pedes LXXXVIII-S-, major habet pedes CXXII-S-: in campo Martio unus altus pedes LXXII-S-: in Vaticano unus altus pedes LXXV.: in Mausoleo Augusti duo, alti singuli pedes XLII-S-.

[2] Eadem habes in Georgii Codini origin. Constantinop. pag. 27. ed. P. Lambecio Paris. 1655. Confer Bandurium libri cit. parte 4. pag. 612.

Ibidem pag. 42.

De statuis quae in hippodromo visebantur. —— Et metarum columnae lapideae atque aeneae, earumque obelisci aerei, et monolithi sculpturae, —— haec omnia unde advecta fuerint adscriptum reperitur.

Περι των του ἱπποδρομιου στηλων. — και των καμπτηρων οἱ κιονες ὁιτε λιθινοι και οἱ χαλκοι, και ὁι οβελισκοι των καμπτηρων οἱ χαλκοι, και ἁι ἱστοριαι του μονολιθου, —— και ἁπλως ὁποθεν εκεισε ἑυρισκεται γραφη.

Marcellinus Comes in chronico pag. 332. tom. 2. operum Jacobi Sirmondi Paris. 1696.

Indictione III. Valentiniano Augusto IV. et Neoterico consulibus Obeliscus in circo positus est. (Constantinopoli)

Cassiodorus variarum ad Theodoricum regem libro 3., epistola 51. de spectaculis. pag. 109. edit. Paris. 1583.

Obeliscorum in Circo prolixitates ad coeli altitudinem sublevantur; sed potior soli, inferior Lunae dicatus est. Ubi sacra priscorum Chaldaicis signis quasi litteris indicantur.

Epigramma vetus in Burmanni Secundi anthologia Latina Amstelodami 1759. lib. 3. num. 15.

Namque axes gemini ortum obitumque docent:
Namque his euripus quasi magnum interjacet aequor;
Et medius centri summa obeliscus adit. [1]

S. Isidorus Hispalensis etymologiarum lib. 18., cap. 31. pag. 473. tom. 1. opp. ex editione Matritensi 1778.

Obeliscum Mesphres [2] rex Aegypti primus fecisse fertur tali ex causa. Cum quodam tempore Nilus violenta inundatione Aegypto nocuisset, indignatus rex, tanquam poenas a flumine exigeret, sagittam in undas misit. Non multo post gravi valetudine correptus lumen amisit, qui post coecitatem visu recepto duos obeliscos Soli sacravit. Obeliscus enim sagitta dicitur, qui ideo in medio Circo ponitur, quia per medium mundum sol currit. Medio autem spatio ab utraque meta constitutus obeliscus, fastigium summitatemque coeli significat, cum sol ab utroque spatio medio horarum discrimine transcendit. Summo obelisco superpositum est quoddam auratum in modum flammae formatum, quoniam sol plurimum in se caloris atque ignis habet.

---

[1] Apud Salmasium in exerc. Plin. pag. *639.* *Et medius centri summus obliscus abit.* Habes idem epigramma in collectione Pisaurensi poetarum Latinorum tom. 4. pag. 480.

[2] Reperiri in mss. *mespres*, *messeres*, *mefferes*, testantur editores Matritenses.

Joannes Lydus apud Maximum Planudem in excerptis mss. in bibliotheca Vaticana adservatis. [1]

Πυραμις εστι εν μεσῳ τῳ σταδιῳ. ἡ δε πυραμις ἡλιου, επει ασκιος ὁ τοιουτος βωμος· παντων γαρ των ουρανιων φωσφορων σωματων σκιαν αποτελουντων, αυτος μονος εξω ταυτης εστιν. και ανωθεν μεν της πυραμιδος επι του ευριπου βωμοι τρεις, κρονου, διος, αρεος· κατωθεν δε αφροδιτης, ἑρμου και σεληνης. ου πλεον δε των ἑπτα κυκλων ητοι σταδιων περι την πυραμιδα, ἡν νυν οβελον καλουσι, διεπληκτιζοντο ὁι αγωνισται, δια το τοσουτους ειναι τους των πλανητων πολους, οὑς χαλδαιοι στερεωματα καλουσιν, ανευ του σεληνιακου, δια το μεχρι αυτου διηκειν το του παντος υλικου σκυβαλον. τεσσαρσι δε και εικοσι βραβειοις τον παντα συνετελουν αγωνα δια τον εν πυραμιδι λογον. δυο και δεκα γαρ γωνιας ἡ πυραμις επιδεχεται, τουτεστι στερεας τεσσαρας, ὡν ἑκαστη εκ τριων [2]. δις δε τον δωδεκα αριθμον εις δυο τεμνοντες τον της ἡμερας καιρον ετι και νυν τελουσι. και αλλως δεπερ ἡ πυραμις ἁρμοδια εστι τοις αγωνιζομενοις, νεμεσεως γαρ ειναι νομιζεται.

Interpretatio:

In medio circo pyramis est. Pyramis vero Solis est, velut umbra carens ara. Nam cum reliqua omnia in coelo lucentia corpora umbram reddant, ipse solus sine ea est. Supra pyramidem ad euripum tres arae sunt constitutae, Saturni, Jovis, Martis; infra quoque tres, Veneris, Mercurii et Lunae. Neque plus quam septem curricula circum pyramidem, quam nunc obelum vocant, certando conficiebant aurigae, quia totidem sunt planetarum orbes, quos firmamenta appellant Chaldaei, excluso orbe lunae, quia usque ad eum porrigitur crassior materia. Universum vero certamen missibus conficiebatur viginti quatuor, propter pyramidis rationem. Ea enim angulos comprehendit duodecim, solidos nimirum quatuor, quorum singuli e tribus constant. Bis autem numerum duodenarium in duas partes dividendo diei spatium etiam nunc definiunt. Caeterum pyramis congrua est certantibus: nam Nemesi dicata habetur.

Cedrenus historiarum compendio pag. 172. edit. Parisiensis 1747.

Επι της βασιλειας αυγουστου καισαρος εισηλθε πλοιον απο αλεξανδρειας εις τον πορτον ρωμης, επιφερομενον σιτου μοδιων χιλιαδας υ', επιβατας ασ', ναυτας σ', πεπερι, οθονας, χαρτην, υελια, και τον μεγαν οβελισκον μετα του βασιλεως, αυτον τε ἑστωτα [3] εν τῳ μεγαλῳ ἱππικῳ, εχοντα υψος ποδας πζ' ἡμισυ.

Interprete Gul. Xylandro:

Augusto imperante navis Alexandrina in portum Romae est advecta, quadringenta modiorum frumenti millia adferens, classiarios MCC., nautas CC., tum piper, lintea, chartas, vitra: magnumque obeliscum et imperatorem collocatum in magno circo, altum pedes LXXXVII. semis.

---

[1] Communicavit mecum cl. Nic. Schow, qui codicem Romae exscripsit. Caeterum quae hic leguntur usque ad τελουσι, habes etiam apud Salmasium exerc. Plin. p. *638.*, *639.*: illud vero ου πλεον δε των επτα —— σκυβαλον, apud Cedrenum histor. comp. p. *169.* ed. Paris.

[2] Miro modo obeliscum in circo statutum confundit cum pyramide geometrica tetraedra, cujus quatuor sunt anguli solidi.

[3] Scripsisse Cedrenum μετα της βασεως αυτου, τον ἑστωτα: suadent verba chronici Latini a Roncallio editi, quae mox sequuntur.

Anonymi auctoris Imperia Caesarum pag. 138. tomi 2. vetustt. Latin. Scriptt. chronicorum edente Roncallio Patavii 1787.

Divo Octaviano imperante navis Alexandrina primum in porto Romano introivit nomine acatus, quae attulit frumenti modios [1] CCCC., vectores MCC., piper, linteamen, carta, vitria, et opoliscum cum sua sibi basi, qui est in circo maximo altum pedes LXXXVII. semis.

Interpretatio:

Graeci ante fores statuere consueverant columnas in apicem desinentes, velut obeliscos aliquos, in honorem Apolinis Agyei.

Scholiastes Aristophanis in Vesp. vers. 870. pag. 309. ex ed. Kusteri Amstel. 1710.

Προ των θυρων εθος ειχον οἱ παλαιοι κιονας εις οξυ ληγοντας, ὡς οβελισκους, ἱδρυειν εις τιμην απολλωνος αγυιεως. [2]

Interpretatio:

Acrobelides sunt fastigia obelitae lapidis, sive obeliscorum.

Hesychii lexicon voce ακροβολιδες. pag. 204. tom. 1. ex edit. Joan. Alberti Lugd. Bat. 1746.

Ακροβολιδες · [3] ακρα του οβελιτου λιθου, [4] η των οβελισκων.

Vertit Aemil. Portus.

Dignus obelisco: proverbium quod dicitur de illis qui praecipuo honore digni sunt.

Suidae lexicon in voce αξιος. pag. 239. tom. 1. edit. Kustero Cantabrig. 1705.

Αξιος οβελισκου και απο οβελισκου: παροιμια επι των σφοδρα τιμιων.

CAPUT SECUNDUM.

De stelis Aegyptiis ex auctoribus Graecis et Latinis.

Ex interpretatione Laurentii Vallae.

Sesostris rex, secundum sacerdotum commemorationem, coacto ingenti exercitu per continentem perrexit, omnesque gentes quae occurrerunt subegit.

Herodotus in Euterpe, sive libro 2, cap. 102. 103. 106. pag. 149. 151. editore Wesselingio.

Βασιλευς, τῳ ουνομα ειη σεσωστρις, κατα των ἱρεων την φατιν, στρατιην πολλην λαβων ηλαυνε δια της ηπειρου, παν εθνος το εμποδων καταστρεφομενος.

---

[1] Lege *modiûm*, et intellige CCCC. M. modiorum, uti apud Cedrenum.

[2] De similitudine obeliscos inter atque ageyos hermasque sermo erit infra. Consentiunt in re Harpocration aliique, sed obelisci vocabulum apud eos non occurrit.

[3] Scribe ακροβελιδες, consentiente Alberti in notis: et sic Etymol. M. in ακροποροι.

[4] Οβελιτης λιθος *est lapis unde* οβελοι *seu obelisci fiunt*: Vossius. Οβελιου αρτου *habet Etymol. M. in* ακροποροι: *nec male forsan.* Alberti. Etymologicum Magnum voce ακροποροι haec habet: ακροβελιδες, τα ακρα των οβελων η του οβελιου αρτου: *ac robelides sunt apices obelorum sive panis obeliae.* Et his fere gemina leguntur apud Hesychium voce ακροβελια pag. 208. Fieri igitur potest, ut non de obeliscis Aegyptiis cogitaverint lexicographi, sed de verubus. Sed ista quomodocunque se habeant, acrobelidis vocabulum satis aptum est ei obeliscorum parti quam pyramidion nuncupare consuevimus.

ὁτεοισι μεν νυν αυτεων αλκιμοισι ενετυγχανε, και δεινως γλιχομενοισι περι της ελευθεριης, τουτοισι μεν στηλας ενιστη ες τας χωρας, δια γραμματων λεγουσας το τε ἑωυτου ουνομα και της πατρης, και ὡς δυναμι τῃ ἑωυτου κατεστρεψατο σφεας · ὁτεων δε αμαχητι και ευπετεως παρελαβε τας πολις, τουτοισι δε ενεγραφε εν τῃσι στηλῃσι κατα ταυτα και τοισι ανδρηιοισι των εθνεων γενομενοισι, και δη και αιδοια γυναικος προσενεγραφε, δηλα βουλομενος ποιεειν ὡς ειησαν αναλκιδες. (*cap.* 103.) ταυτα δη ποιεων διεξηιε την ηπειρον, ες ὁ εκ της ασιης ες την ευρωπην διαβας τους τε σκυθας κατεστρεψατο και τους θρηικας. ες τουτους δε μοι δοκεει και ου προσωτατα απικεσθαι ὁ αιγυπτιος στρατος. εν μεν γαρ τῃ τουτων χωρῃ φαινονται σταθεισαι ἁι στηλαι, το δε προσωτερω τουτων ουκετι. —— (*cap.* 106.) τας δε στηλας, τας ἱστα κατα τας χωρας ὁ αιγυπτου βασιλευς σεσωστρις, ἁι μεν πλευνες ουκετι φαινονται περιεουσαι · εν δε τῃ παλαιστινῃ συριῃ αυτος ὁρεον εουσας, και τα γραμματα τα ειρημενα ενεοντα, και γυναικος αιδοια. εισι δε και περι ιωνιην δυο τυποι εν πετρῃσι εγκεκολαμμενοι τουτου του ανδρος, τῃ τε εκ της εφεσιης ες φωκαιαν ερχονται, και τῃ εκ σαρδιων ες σμυρνην. ἑκατερωθι δε ανηρ εγγεγλυπται, μεγαθος πεμπτης σπιθαμης, τῃ μεν δεξιῃ χερι εχων αιχμην, τῃ δε αριστερῃ τοξα, και την αλλην σκευην ὡσαυτως · και γαρ αιγυπτιων[1] και αιθιοπιδα εχει. εκ δε του ωμου ες τον ἑτερον ωμον δια των στηθεων γραμματα ἱρα αιγυπτια διηκει εγκεκολαμμενα, λεγοντα ταδε, Εγω

Et quascunque earum nanciscebatur fortes et vehementer studiosas libertatis, in earum regionibus cippos[2] statuebat, indicantes per litteras suum nomen et patriam, et quemadmodum ipse illas suis viribus subegisset: quarum vero urbes nullo proelio et facile cepisset, harum cippis inscripsit eadem, quae scripserat eis gentibus, quae viriles exstiterant; atque etiam adscripsit muliebria genitalia, planum facere volens illas imbelles exstitisse. Haec faciendo peragrabat continentem, donec ex Asia in Europam transgressus, Scythas subegit et Thraces; ad quos usque et non ulterius mihi videtur Aegyptius exercitus pervenisse, quoniam in istorum terra tituli positi apparent, non ultra. —— Cipporum quos Sesostris rex Aegypti per regiones erexit, plerosque jam patet non superesse; quosdam vero in Syria Palaestina ipse vidi superstites, et inscriptos, tum quibus dixi litteris, tum mulieris genitalibus. Circa Joniam quoque hujus viri figurae visuntur in petris incisae: una quidem qua ex Ephesio agro Phocaeam itur, altera vero qua e Sardibus Smyrnam versus. In utraque insculptus est vir magnitudine quinum palmorum, dextra spiculum tenens, sinistra arcus, ceteramque item armaturam et Aegyptiam et Aethiopicam gestans: et ex humero ad alterum humerum pertinent per pectora sacrae litterae Aegyptiae insculptae haec indicantes: Hanc ego regionem meis obtinui humeris. Quis tamen aut cuias fuerit hic quidem non indicat, sed indicavit alibi. Ea quidam conspicati,

---

[1] Malim *αιγυπτιαν*.

[2] *στηλας cippos* vertit Valla, haud quidem male; veteres Latini plerumque *columnam* dixere, ubi Graecis est *στηλη*, et sic Valckenarius in notis ad Herodotum. Sed potius arridet Plinii consilium, qui Latinitate donavit stelarum vocabulum, dum latius patere videatur *steles* significatio quam *cippi* vel quam *columnae* Vix enim aliquis *τας ηρακλειας στηλας cippos Herculis* appellaverit, neque sepulcrales titulos, qui Graecis *στηλαι* sunt, *columnas*.

Memnonis imaginem esse conjectant, multum a veritate relicti.

Ex interpretatione Marsilii Ficini.

Tum ex sacerdotibus (nomi Saitici in Aegypto) quendam grandem natu dixisse: o Solon Solon, Graeci pueri semper estis, nec quisquam e Graecia senex. —— Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo vobis contingit, quia multa et varia hominum exitia fuerunt eruntque. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquae inundationibus provenire necesse est: minora vero aliis innumeris calamitatibus fieri. Nam quod apud vos quoque fertur, Phaëthontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione servata, exussisse terrena, ipsumque flammis coelestibus conflagrasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporum intervallo coelestis circuitus permutatio quaedam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. Tunc hi qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt quam mari fluviisque vicini. Nobis porro Nilus cum in plerisque rebus salutaris est, tum latius diffusus hujusmodi a nobis arcet exitium. Quando vero dii aquarum colluvione terrae sordes diluunt, pastores ovium atque bubulci qui juga montium habitant, periculum illud

τηνδε την χωρην ωμοισι [1] τοισι εμοισι εκτησαμην. ὁστις δε και ὁκοθεν εστι, ενθαυτα μεν ου δηλοι, ἑτερωθι δε δεδηλωκε. τα δη και μετεξετεροι των θεησαμενων, μεμνονος εικονα εικαζουσι μιν ειναι, πολυ της αληθηιης απολελειμμενοι.

Plato in Timaeo pag. 22. 23. tom. 3. opp. edit. Henr. Stephano Parisiis 1578.

Και τινα ειπειν των (κατ' αιγυπτον εν τῳ σαϊτικῳ νομῳ) ἱερεων ευ μαλα παλαιων. [2] ω σολων σολων, ἑλληνες αει παιδες εστε, γερων δε ἑλλην ουκ εστιν. —— νεοι εστε τας ψυχας παντες· ουδεμιαν γαρ εν αυταις εχετε δι' αρχαιαν ακοην παλαιαν δοξαν, ουδε μαθημα χρονῳ πολιον ουδεν. το δε τουτων αιτιον τοδε· πολλαι και κατα πολλα φθοραι γεγονασιν ανθρωπων και εσονται, πυρι μεν και υδατι μεγισται, μυριοις δε αλλοις ἑτεραι βραχυτεραι. το γαρ ουν και παρ' υμιν λεγομενον, ὡς ποτε φαεθων ἡλιου παις το του πατρος ἁρμα ζευξας, δια το μη δυνατος ειναι κατα την του πατρος ὁδον ελαυνειν, τα τ' επι γης ξυνεκαυσε, και αὐτος κεραυνωθεις διεφθαρη, τουτο μυθου μεν σχημα εχον λεγεται, τοδ' αληθες εστι των περι γην και κατ' ουρανον ιοντων παραλλαξις, και δια μακρων χρονων γινομενη των επι γης πυρι πολλῳ φθορα. τοτε ουν ὁσοι κατ' ορη και εν υψηλοις τοποις και εν ξηροις οικουσι, μαλλον διολλυνται των ποταμοις και θαλαττῃ προσοικουντων· ἡμιν δε ὁ νειλος εις τε τἀλλα σωτηρ, και τοτε εκ ταυτης της απορια σωζει λυομενος. ὁταν δ' αυ οἱ θεοι την γην υδασι καθαιροντες κατακλυζωσιν, οἱ μεν εν τοις ορεσι διασωζονται βουκολοι νομεις τε, οἱ δ' εν ταις παρ' υμιν πολεσιν εις την θαλατταν υπο των

[1] Galeus, Pauvvius et Reiskius ex Diodoro reponendum censuerunt ὁπλοισι: at αιγυπτικωτερον est ωμοισι. Ex Graecis quoque et Latinis auctoribus affines locutiones adfert Wesselingius.

[2] Hanc Platonis in Atlanticum mythum praefationem, licet stelarum vocabulum in ea non expressum sit, huic tamen argumento necessariam duxi, tum quod Crantor apud Proclum in Timaeum pag. 24. Atlanticam historiam exstare prodit apud Aegyptios in stelis exaratam, tum quod ea quae de Aegyptiorum stelis leguntur apud Graecos auctores magna ex parte ex hoc philosophi loco fluxisse suspicor.

ποταμων φερονται. κατα δε τηνδε την χωραν ουτε τοτε ουτε αλλοτε ανωθεν επι τας αρουρας υδωρ επιρρει, το δ'εναντιον κατωθεν επανιεναι πεφυκεν. ὁθεν και δὶ ἁς αιτιας τὰνθαδε σωζομενα λεγεται παλαιοτατα. το δ' αληθες, εν πασι τοις τοποις ὁπου μη χειμων εξαισιος η καυμα απειργει, τοτε μεν πλεον τοτε δε ελαττον, αει γενος εστιν ανθρωπων. ὁσα δε η παρ' υμιν η τηδε, η και κατ' αλλον τοπον ὁν ακοη ισμεν, ειπου τι καλον η μεγα γεγονεν, η και τινα διαφοραν αλλην εχον, παντα γεγραμμενα εκ παλαιου τηδ' εστιν εν τοις ἱεροις και σεσωσμενα. τα δε παρ' υμιν και τοις αλλοις αρτι κατεσκευασμενα ἑκαστοτε τυγχανει γραμμασι και ἁπασιν ὁποσων πολεις δεονται· και παλιν δὶ ειωθοτων ετων ὡσπερ νοσημα ἡκει φερομενον αυτοις ρευμα ουρανιον, και τους αγραμματους και αμουσους ελιπεν υμων· ὡστε παλιν νεοι εξ αρχης γινεσθε, ουδεν ειδοτες ουτε των τηδε ουτε των παρ' υμιν, ὁσα ην εν τοις παλαιοις χρονοις. —— ἡ θεος (ἡς αιγυπτιστι μεν τοὐνομα νηιθ, ἑλληνιστι δε αθηνα) την τε υμετεραν και τηνδ' ελαχε και εθρεψε και επαιδευσε, προτεραν μεν την παρ' υμιν ετεσι χιλιοις, εκ γης τε και ἡφαιστου το σπερμα παραλαβουσα υμων, τηνδε δε υστεραν. της δε ενθαδε διακοσμησεως παρ' ἡμιν εν τοις ἱεροις γραμμασιν οκτακισχιλιων ετων αριθμος γεγραπται· περι δε των εννακισχιλια ετη γεγονοτων πολιτων σοι, δηλωσω δια βραχεων, νομους τε και των εργων αυτοις ὁ καλλιστον επραχθη· το δ' ακριβες περι παντων εφεξης εισαυθις κατα σχολην, αυτα τα γραμματα λαβοντες, διεξιμεν.

evadunt, vestrae autem civitates in planitie sitae impetu fluminum ad mare rapiuntur. Sed in hac nostra regione neque tunc neque alias unquam aqua in agros superne descendit, contra vero sursum e terrae visceribus scaturit.Quamobrem antiquissimarum rerum apud nos monimenta servantur. Proinde ubicunque aut importuna hyems aut immoderata aestas non prohibet, licet alias pauciores alias plures, semper tamen homines sunt. Quaecunque vero a nostris sive a vestris sive aliis nationibus gesta sunt memoratu digna, modo ad aures nostrorum pervenerint, nostris in templis descripta servantur. Apud vos quidem et alias gentes res gestae nuper litteris monimentisque traduntur, sed certis temporum curriculis illuvies immissa coelibus omnia populatur. Ideo qui succedunt et litteris et musis orbati sunt. Quo fit ut quasi juvenes iterum sitis et rudes, praeteritarum rerum omnium prorsus ignari. —— Dea illa (Aegyptiis Neïth dicta, Graecis vero Athena,) et vestram urbem et hanc nostram sortito condidit, educavit, instituit; priorem vestram annis mille, ex terra et Vulcano accipiens semina; posteriorem vero hanc nostram Sain, cujus res octo annorum millibus gestae in sacris litteris continentur. Tuorum ergo civium, qui in hoc novem millium annorum tempore ante nos fuerunt, instituta et praeclara facinora, breviter, O Solon, in praesentia tibi perstringam. Deinceps vero cum plus dabitur otii ex ipsis monimentis latius exponemus.

Manetho apud Georgium Syncellum in chronographia; pag. 40. edit. Jacobo Goar Parisiis 1652.

Scribit Syncellus:

Προκειται δε λοιπον και περι της των αιγυπτιων δυναστειας μικρα διαλαβειν εκ

Vertit Jacobus Goar:

Reliquum est, ut ex Manethone Sebennyta Ptolemaei Philadelphi tempore

prophanorum in Aegypto templorum sacerdote, de Aegyptiorum principatu pauca quaedam delibemus, quae ipse ex columnis in Seriadica terra positis sacro, ut ait, sermone notisque arcano sculpturae genere, a Thoth Mercurio primo exaratis, et retro diluvium ex illa sacratiore lingua, figurisque sacro more sculptis, in Graecanicum sermonem traductis: iisdemque ab Agathodaemone secundi Mercurii filio ac Tati genitore in ipsis Aegypti templorum adytis scripto commendatis, memorato regi Philadelpho Ptolemaeo nominis secundo in libro Sotheos hoc pacto ad verbum scribens exposuit. Ad Ptolemaeum Philadelphum Manethonis Sebennytae epistola. Ptoletων μανεθω του σεβεννυτου, ὃς επι πτολεμαιου του φιλαδελφου αρχιερευς των εν αιγυπτῳ ειδωλειων, χρηματισας εκ των εν τῃ σηριαδικῃ γῃ [1] κειμενων στηλων, ἱερᾳ φησι διαλεκτῳ και ἱερογλυφικοις [2] γραμμασι κεχαρακτηρισμενων υπο θωθ, του πρωτου ἑρμου, και ἑρμηνευθεισων μετα τον κατακλυσμον εκ της ἱερας διαλεκτου εις την ἑλληνιδα (*intellige* εις την κοινην [3]) φωνην γραμμασιν ἱερογραφικοις, και αποτεθεισων [4] εν βιβλοις υπο του αγαθου δαιμονος υιου, του δευτερου ἑρμου, πατρος δε του τατ, [5] εν τοις αδυτοις των ἱερων αιγυπτου, προσεφωνησε τῳ αυτῳ φιλαδελφῳ βασιλει δευτερῳ πτολεμαιῳ, εν τῃ βιβλῳ της σωθεως γραφων εκ λεξεως οὕτως· Επιστολη μανε-

---

[1] Rectius forte scripseris σιριαδι γη: hodie provincia est Sire in Abessiniae parte orientali, de qua re alio loco. Forte et huc spectat Sere Aethiopiae civitas Plinio memorata lib. *6*. cap. *29*, At Seria insula, quam ex Pausan.*6.26*. et Heliod. Aethiop. l. *9*. in medium adfert Goarius annotatt. pag.13. apud hodiernos geographos Sina est. Valesius ad Amm. Marcell.22., 15. pag. 263. legit συριγγικη γη, parum sane probabili conjectura, quod jam notavit Fabricius in bibl. Gr. tom. 1. pag. *73*. Consule infra locum Josephi de columnis Sethianis.

[2] Editum ἱερογραφικοις, et inferius ἱερογλυφικοις. Sed a librario transposita fuisse vocabula, res ipsa clamat.

[3] Scripsisse Manethonem, εις την κοινην φωνην vel εις την κοινην διαλεκτον, quovis certarem pignore; at Graecis compilatoribus ἡ κοινη φωνη erat ἡ ἑλληνις. Hac re animadversa, et permutatis ἱερογλυφικοις et ἱερογραφικοις γραμμασι, evanescunt deliria illa, quae Manethoni exprobrare solent, qui universam ejus narrationem ad somnia relegare adlaborant. Etiam ad hoc attendendum, quod ipse ex Hermeticis stelis futurorum cognitionem se hausisse scribat, non regum historias, quas ex aliis monumentis congerere potuit. Sed ista in transitu. Consentiunt veteres, in hermeticis stelis exarata fuisse θεολογουμενα, αστρολογουμενα aliasque disciplinas, non sane χρονικα. Eximiam vero lucem huic loco obfundit Jamblichus de mysteriis 8., 5.; cujus verba inferius transcripta sistimus. Nimirum qui Bitys audit Jamblicho, Manethoni est Hermes secundus, cujus libri ad Tatum et Ammonem adhuc circumferuntur. Inspice etiam Platonis Phaedrum pag.274.tom. 3. opp.

[4] Sic Scaliger pro αποτεθεντων, quod habet codex ms.

[5] Praeter comma additum post υιου, secutus sum codicem, quem expressit Goarius. Scaliger in Graecis Eusebii pag. *6*. edidit υπο του αγαθοδαιμονος του δευτερου ἑρμου: nimis arbitrarie, neque ratione reddita. Goar vero legendum censet υπο του αγαθοδαιμονος, υιου του δευτερου ερμου: *ab Agathodaemone, secundi Mercurii filio*. At certe Manetho stelarum interpretem prodere voluit Mercurium secundum, non Agathodaemonem aliquem. Constat praeterea, ex Eusebii chron. ad ann. 530., e S. Cyrilli libris 1. et 2. adv. Julian., e Stobaei eclogis, ex Asclepio aliisque libris Hermeticis, Tatum filium esse secundi Mercurii. Etiam Marshamus can. chron. p. 240., legit υπο του αγαθοδαιμονος υιου, του δευτερου ἑρμου: iisdem puto argumentis inductus. Malim quidem abesset illud υιου: nam αγαθος δαιμων solemne epithetum est Mercurii illius cui filius Tatus; S. Cyrill. adv. Jul. lib. 1. p. *33*. lib. 2. p. *56*. Sed hactenus nihil mutandum. Caeterum nescio cur αγαθοδαιμονος placuerit viris eruditis, quod Graecum ut sit dubito. Latini ex αγαθος δαιμων finxerunt Agathodaemonis vocabulum: confer Lampridii Elagabalum c. 28. cum Plutarchi erotico p. 27. tom. *9*. opp. ed. Reisk. Neque hic habemus Graecum hominem aliquem, cui proprium nomen esse poterat Agathodaemon, sed heroem Aegyptium eo vocabulo insignitum quod αγαθον δαιμονα denotat vel bonum genium, forte Innufi.

θω του σεβεννυτου προς πτολεμαιον τον φιλαδελφον. Βασιλει μεγαλῳ πτολεμαιῳ φιλαδελφῳ σεβαστῳ, μανεθως αρχιερευς και γραμματευς των κατ᾽ αιγυπτον ἱερων αδυτων, γενει σεβεννυτης υπαρχων, ἡλιουπολιτης, τῳ δεσποτῃ μου πτολεμαιῳ χαιρειν. ἡμας δει λογιζεσθαι, μεγιστε βασιλευ, περι παντων ὡν αν βουλῃ ἡμας εξετασαι πραγματων. επιζητουντι σοι περι των μελλοντων τῳ κοσμῳ γιγνεσθαι, καθως εκελευσας μοι, περιφανησεται σοι ἁ εμαθον ἱερα βιβλια γραφεντα υπο του προπατορος τρισμεγιστου ἑρμου. ερρωσο μοι, δεσποτα μου βασιλευ. Ταυτα περι της ἑρμηνειας των υπο του δευτερου ἑρμου βιβλιων λεγει· μετα δε ταυτα και περι εθνων αιγυπτιακων πεντε εν τριακοντα δυναστειαις ἱστορει, των λεγομενων παρ᾽ αυτοις θεων και ἡμιθεων και νεκυων και θνητων.

maeo Philadelpho regi magno augusto: Manetho sacerdos et sacrorum per Aegyptum penetralium notarius, genere Sebennyta, urbe Heliopoli, domino meo Ptolemaeo, salutem. De rebus omnibus nobis, tuo jussu, rex magne, propositis attente cogitandum est. Hac de causa interroganti tibi de iis quae mundo accident, quaeque ex libris ab primogenitore tuo ter magno Mercurio conscriptis mihi sunt nota, prout imperasti, cuncta manifestabuntur. Vale mihi domine mi rex. Haec de secundi Mercurii librorum interpretatione scribit: postmodum vero per dynastias triginta degentibus Aegyptiacis quinque, deis, semideis, heroibus et mortalibus ab eisdem vocatis texit historiam.

Ibidem pag. 59. 60.

Δευτερου τομου μανεθω, δωδεκατη δυναστεια διοσπολιτων βασιλεων, κατα αφρικανον και ευσεβιον. Α΄. γεσων γωσης (*Euseb.* σεσυγχωρις) αμμανεμου υιος ετη μς΄. Β΄. αμμανεμης ετη λη΄· ὁς υπο των ιδιων ευνουχων ανηρεθη. Γ΄. σεσωστρις ετη μη΄· (*addit Euseb.* ὁς λεγεται γεγονεναι πηχων δ΄, παλαιστων γ΄, δακτυλων β΄) ὁς ἁπασαν εχειρωσατο την ασιαν εν ενιαυτοις εννεα, και της ευρωπης τα μεχρι θρακης, πανταχοσε μνημοσυνα εγειρας της των εθνων κατασχεσεως, επι μεν τοις γενναιοις ανδρων, επι δε τοις αγεννεσι γυναικων μορια ταις στηλαις εγχαρασσων, ὡς υπο αιγυπτιων μετα οσιριν πρωτον νομισθηναι. Δ΄. λαχαρης (*Euseb.* λαβαρις) ετη η΄· ὁς τον εν αρσινοϊτῃ λαβυρινθον ἑαυτῳ ταφον κατεσκευασεν.

Ex Manethonis tomo secundo, dynastia duodecima regum Diospolitarum, juxta Africanum atque Eusebium. I. Sesynchoris Ammenemis filius annis 46. II. Ammenemes annis 38. a propriis eunuchis occisus. III. Sesostris annis 48.: cujus proceritas cubitis 4., palmis 3., digitis 2. commensurabatur. Totam Asiam annis novem armis subjecit, cunctasque ad Thraciam usque Europae provincias: suaeque in nationes exercitae potestatis monumenta erexit, et virorum quidem animo sublimium insculpta cippis virili pudendi figura praestantiam testabatur, caelatisque ex adverso muliebribus aliorum ignaviam reddebat notam: adeo ut ab Aegyptiis post Osirim primus haberetur. IV. Labaris (*Africano* Lachares) annis 8.: qui Arsenoiticum Labyrinthum sibi sepulcrum effecit.

Vertit Jac. Gronovius.

Ex adytorum sacris libris, rex Ptolemaee, et reconditis columnis, quas reperit excelsus sapientia Hermes, tum coelestium astrorum propriis ad providendum naturis insignivit, consiliarium solertis sapientiae Asclepium nactus, tum cera figuras impressas effingens ornavit, florilegae Musae jacientium mella donarium apium. Sed certe noctem nigram sub coelesti choro astrorum infinitis filis loquentem hanc doctrinam adinveni. Neque enim ullus tantae sapientiae excogitavit decus, nisi solus Petosiris mihi longe amicissimus vir, cujus tenuis labor hic, Ptolemaee, est.

Manetho[1] *apotelesmatum lib.5.vers.1.pag.88. edit. Jac. Gronov. Lugd. Batav.* 1698.

Εξ αδυτων ἱερων βιβλων, βασιλευ πτολεμαιε,
και κρυφιων στηλων, ἁς ἡυρατο πανσοφος ἑρμης,
ουρανιων αστρων τ' ιδιαις εχαραξε προνοιαις,
συμβουλον πινυτης σοφιης ασκληπιον ἑυρων,
αντιτυπῳ κηρῳ τ' απομαξαμενος κεκοσμηται[2]
ανθολογου μουσης βληδων[3] δωρημα μελισσων.
ην δ' αρα νυκτα μελαιναν υπ' ουρανιον χορον αστρων
μυριοισι μιτοισι λαλον το μαθημα καθευρον.
ου γαρ τις τοιης σοφιης επεμησατο κυδος,
η μουνος πετοσιρις εμοι πολυφιλτατος ανηρ,
οὗ βαιος[4] καματος ὁυτος, πτολεμαιε, πεφυκε.

Interpretatio:

Quae praecedentibus libris, te jubente conscriptis exposui, potentissime rex Ptolemaee Philadelphe, ex arcanis stelis signorum aenigmatumque interpretatione assecutus sum.

Melampus Hierogrammateus[5] *libro de divinatione ex palpitationibus: cum Aeliani var. hist. Romae* 1545. *fol.*105. *ter.*

Ὅσα μεν ταις εμπροσθεν βιβλοις, κρατιστε βασιλευ πτολεμαιε, συνεγραψα σοι, εκ των αδυτων στηλων τα τερατα σημειωσαμενος και τα συμβολα συνεγραψα.

Iuterprete Laur, Rhodomanno.

Elephantorum quoque venationi operam dedit Osiris: et ubique indices ex-

*Diodorus Siculus bibliothecae lib.*1, *cap.* 20. *pag.* 23. *tom.*1. *ed.* Wesseling.

Γενεσθαι δε και φασι τον οσιριν περι την των ελεφαντων θηραν, και στηλας

[1] Liber, me quidem iudice, pseudepigraphus, in multis abhorrens ab Aegyptiorum institutis.

[2] Dubito ut sanus sit locus, et scribendum coniicio γ' απομαξαμενος κεκοσμηκα: dicere, nimirum poetam, se partim ex libris stelisque hermeticis in pugillares suos transtulisse artis praecepta, partim nocturna astrorum observatione comperisse.

[3] Forte βληχρων: *debilium apium florilegae solertiae donum.* Hesychianum βλιδὲς, a Gronovio in notis adductum, non satisfacit.

[4] Malim οὐ βαιος: *non sane parvus fuit labor, quem sustinui.*

[5] Fictum nomen puto, et librum recentioris multo saeculi foetum.

καταλιπειν πανταχου της ιδιας στρατειας.[1] επελθειν δε και τἀλλα τα κατα την ασιαν εθνη, και περαιωθηναι κατα τον ἑλλησποντον εις την ευρωπην.

peditionis suae statuae ut superessent accuravit. Progressus inde ad caeteras Asiae nationes, per Hellespontum in Europam etiam transfretavit.

Ibidem cap.27. pag.31.

Ουκ αγνοω δε διοτι τινες των συγγραφεων αποφαινονται τους ταφους των θεων τουτων υπαρχειν εν νυσῃ[2] της αραβιας, αφ' ἧς και νυσαιον τον διονυσον ωνομασθαι. ειναι δε και στηλην ἑκατερου των θεων, επιγεγραμμενην τοις ἱεροις γραμμασιν. επι μεν της ισιδος επιγεγραφθαι· Εγω ισις ειμι ἡ βασιλισσα πασης χωρας, ἡ παιδευθεισα υπο ἑρμου, και ὁσα εγω ενομοθετησα ουδεις δυναται λυσαι. εγω ειμι ἡ του νεωτατου κρονου θεου θυγατηρ πρεσβυτατη. εγω ειμι γυνη και αδελφη οσιριδος βασιλεως. εγω ειμι ἡ πρωτη καρπον ανθρωποις ἑυρουσα. εγω ειμι μητηρ ωρου του βασιλεως. εγω ειμι ἡ εν τῳ αστρῳ τῳ κυνι επιτελλουσα. εμοι βουβαστος ἡ πολις ῳκοδομηθη. χαιρε, χαιρε αιγυπτε, ἡ θρεψασα με. Επι δε του οσιριδος επιγεγραφθαι λεγεται· Πατηρ μεν εστι μοι κρονος νεωτατος θεων ἁπαντων, ειμι δε οσιρις ὁ βασιλευς, ὁ στρατευσας επι πασαν χωραν, ἑως εις τους αοικητους τοπους των ινδων, και τους προς αρκτον κεκλιμενους μεχρις των του ιστρου ποταμου πηγων, και παλιν επι τἀλλα μερη ἑως ωκεανου. ειμι δε υιος κρονου πρεσβυτατος, και εβλαστον εκ καλου τε και ευγενους ωου, σπερμα συγγενες εγεννηθην ἡμερας. και ουκ εστι τοπος της οικουμενης εις ὁν εγω ουκ αφιγμαι, διαδους πασιν ὡν εγω ευεργητης[3] εγενομην. Τοσαυτα των γεγραμμενων εν ταις στηλαις φασι δυνασθαι αναγνωναι, τα δ' αλλα οντα πλειω κατεφθαρθαι δια τον χρονον.

Nec me fugit scriptores quosdam sepulcrum horum deorum ad Nysam Arabiae transferre: unde et Nysaeus appelletur Dionysus; et columnam esse utrique deo cum sacrarum litterarum inscriptione erectam; in quarum una, Isidis videlicet, haec notantur. Ego sum regina hujus regionis, a Mercurio erudita. Quae lege per me sancita sunt, nemo solvere potest. Ego Saturni novissimi dei filia sum natu maxima. Ego sum Osiridis regis uxor et soror. Ego sum illa quae prima fruges mortalibus reperit. Ego regis Hori mater sum. Ego sum quae in Canis sidere exoritur. Mihi Bubastus urbs aedificata. Vale Aegypte, mea nutrix. In altera, quae Osiridis est, haec inscripta leguntur: Pater mihi Saturnus, deorum omnium natu minimus. Sum vero Osiris, rex ille, qui exercitum duxit in omnem regionem, usque ad inhabitabiles Indorum terras, et ad Arctum vertentes plagas, usque ad Istri amnis fontes, et porro ad caeteras terrae partes Oceanum usque. Sum autem Saturni filius aetate primus, et germen e pulcro generosoque ovo ortum, semen cognatum diei. Nec est locus in orbe, ad quem ego non pervenerim, qui meo inventa beneficio omnibus distribui. Tantum de inscriptione columnae legi potest. Plura quae subsequuntur vetustate corrupta sunt.

---

[1] Verto: *Fuit etiam in Troglodytica; ubi elephantos venantur: et ubique reliquit stelas expeditionis suae indices.*

[2] Nysam quaerendum esse in Tigre Abessiniae provincia, infra adstruere tentabo.

[3] Malim omnino ἑυρετης, quod et Wesselingio arrisit, neque me movet dictio Isocratis, qua ipse tuetur vulgatum ευεργετης.

Ibidem cap. 55. pag. 65.

Sesostris terminis expeditionis in Thracia constitutis, cippos ubique terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Aegyptiorum litteris hoc verborum indicio inscriptos: Hanc provinciam armis suis devixit rex regum Sesoosis. In cippis illis pudendum viri apud gentes quidem strenuas et pugnaces, apud ignavas autem et timidas foeminae expressit: ex praecipuo hominis membro animorum in singulis affectionem posteris evidentissimam fore ratus. Quibusdam locis suam quoque imaginem e saxo imposuit, arcu et lancea instructam, quaternos palmos quatuor cubitis, qua ipse statura fuisset, proceriorem.

Ο σεσοωσις, όρια της στρατιας ποιησαμενος εν τη θρακη, στηλας κατεσκευασεν εν πολλοις τοποις των υπ᾽ αυτου κατακτηθεντων· άυται δε την επιγραφην ειχον αιγυπτιοις γραμμασι τοις ίεροις λεγομενοις, Τηνδε την χωραν όπλοις κατεστρεψατο τοις έαυτου βασιλευς βασιλεων και δεσποτης δεσποτων σεσοωσις. την δε στηλην κατεσκευασεν εχουσαν αιδοιον, εν μεν τοις μαχιμοις εθνεσιν ανδρος, εν δε τοις αγεννεσι και δειλοις γυναικος· απο του κυριωτερου μερους την διαθεσιν της έκαστων ψυχης φανερωτατην τοις επιγινομενοις εσεσθαι νομιζων. εν ενιοις δε τοποις και την έαυτου κατεσκευασεν εικονα λιθινην, τοξα και λογχην εχουσαν, τῳ μεγεθει τετταρσι παλαισταις μειζονα των τετταρων πηχων, ήλικος ων και αυτος ετυγχανεν.

Idem lib. 5, cap. 46. pag. 368.

In Panchaia insula in Oceano e regione Arabiae sita in templo Jovis Triphylii, lectus dei est longus cubitos sex, latus quatuor, aureus totus, singulasque partes exquisito artificio elaboratas habens. Cui pari magnitudinis et reliqui apparatus ratione mensa dei adstat. In medio lecti ingens ex auro columna posita est, litteris notata, quas Aegyptii sacras vocant, quibus res gestas Urani et Jovis, itemque Dianae et Apollinis ab ipso Mercurio caeteris additas, exhibent.

Εν τη παγχαιᾳ μιᾳ των καταντικρυ της αραβιας εν ωκεανῳ νησων, εν ίερῳ διος τριφυλιου, ἡ κλινη του θεου το μεν μηκος πηχων υπαρχει έξ, το δε πλατος τεσσαρων· χρυση δε όλη και τῃ κατα μερος εργασιᾳ φιλοτεχνως κατεσκευασμενη. παραπλησιως δε και ἡ τραπεζα του θεου και τῳ μεγεθει και τῃ λοιπῃ πολυτελειᾳ παρακειται πλησιον της κλινης. κατα δε μεσην την κλινην έστηκε στηλη χρυση μεγαλη, γραμματα εχουσα τα παρ᾽ αιγυπτιοις ίερα καλουμενα, δι᾽ ών ησαν άι πραξεις ουρανου τε και διος αναγεγραμμεναι, [1] και μετ᾽ αυτας άι αρτεμιδος και απολλωνος υφ᾽ έρμου προσαναγεγραμμεναι. [2]

[1] Urani et Jovis res gestas ab ipso Jove conscriptas fuisse, colligitur ex praecedentibus: εδεικνυον δε και αναγραφας, ἁς εφασαν τον δια πεποιησθαι, καθ᾽ όν καιρον ετι κατ᾽ ανθρωπους ων ίδρυσατο το ίερον. *Inscriptiones quoque monstrabunt ab ipso Jove exaratas, quo tempore cum mortalibus vitam agens templi illic fundamenta jecit.*

[2] Hisce fere gemina ex Evemeri sacra historia (ίερα αναγραφη) prodit idem Diodorus in fragmentis libri 6. tom. 2. pag. 633. at litteras, quibus in stele aurea exaratae fuerunt res a Coelo, Saturno et Jove, peractas, non Aegyptias appellat, sed Panchaeas. εν τουτῳ τῳ ίερῳ στηλην ειναι χρυσην, εν ῃ τοις παγχαιοις γραμματιν υπαρχειν γεγραμμενας τας τε ουρανου και κρονου

Strabo geographiae lib.16. pag.1113.
ed. Almeloveen.

Ὡς ἁι ερατοσθενους αποφασεις, του αραβιου κολπου το κατα την τρωγλοδυτικην, ὁπερ εστιν εν δεξια αποπλεουσιν απο ἡρωων πολεως, μεχρι μεν πτολεμαϊδος και της των ελεφαντων θηρας, εννακισχιλιοι προς μεσημβριαν σταδιοι και μικρον επι την ἑω· εντευθεν δε μεχρι των στενων, ὡς τετρακισχιλιοι και πεντακοσιοι προς την ἑω μαλλον. ποιει δε ακρα τα στενα προς την αιθιοπιαν, δειρη καλουμενη, και πολιχνιον ὁμωνυμον αυτη· κατοικουσι δε ιχθυοφαγοι. και φασιν ενταυθα στηλην ειναι σεσωστριος του αιγυπτιου, μηνυουσαν ἱεροις γραμμασι την διαβασιν αυτου. φαινεται γαρ την αιθιοπιδα και την τρωγλοδυτικην πρωτος καταστρεψαμενος οὑτος, ειτα διαβας εις την αραβιαν, κἀντευθεν την ασιαν επελθων την συμπασαν. διο και πολλαχου σεσωστριος χαρακες προσαγορευονται, και αφιδρυματα εστιν αιγυπτιων θεων ἱερων.[1]

Interprete Gul. Xylandro ;

Juxta Eratosthenem, Arabici sinus latus quod Troglodyticam versus est, in dextera parte navigantibus, ab Heroum urbe usque ad Elephantum venationem et Ptolemaidem stadiorum comprehendit novem millia, ad meridiem et paululum ad orientem. Hinc usque ad angustias circiter quatuor millia et quingenta, magis ad orientem. Angustiae Aethiopiam versus a promontorio fiunt, quod Dira nominatur, et oppidum eodem nomine habet. Ea loca ab Ichthyophagis habitantur. Narrant ibi Sesostris Aegyptii columnam esse, quae sacris litteris transitum ejus significet. Is enim primus videtur Aethiopiam Troglodyticamque subegisse; postea in Arabiam transgressus, inde Asiam omnem peragrasse: quapropter multis in locis Sesostris vallum appellatur, et Aegyptiorum deorum templa inveniuntur ab eo constructa.

Idem lib.17. pag. 1138.

Σεσωστρις την αιθιοπιαν επηλθεν ἁπασαν μεχρι της κινναμωμοφορου, και

Sesostris totam Aethiopiam permeavit, usque ad Cinnamomiferam regionem,

---

και διος πραξεις κεφαλαιωδως. Meminit ejus rei etiam Lactantius divin. institut. I., II.: *Evemerus historiam suam contexuit ex titulis ex inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove, titulus indicabat, in qua columna gesta sua perscripsit, ut monimentum esset posteris rerum suarum.* Plutarchus autem, haud sane immerito, totam narrationem velut ab ipso Evemero confictam reiicit, libro de Iside p.420 tom. 7. opp. edit. Reisk. ευημερος ὁ μεσσηνιος αντιγραφα συνθεις απιστου και ανυπαρκτου μυθολογιας, τους νομιζομενους θεους παντας ὁμαλως διαγραφει εις ονοματα στρατηγων και ναυαρχων και βασιλεων, ὡς δη παλαι γεγονοτων, εν δε παγχοντι γραμμασι χρυσοις αναγεγραμμενων, οἱς ουτε βαρβαρος ουδεις ουτε ἑλλην, αλλα μονος ευημερος, ὡς εοικε πλευσας εις τους μηδαμοθι γης γεγονοτας μηδε οντας παγχωους και τριφυλιους, εντετυχηκε. Vertit Xylander: *Evemerus commentario conscripto incredibilium et vanarum fabularum, eos qui dii existimantur universos aequaliter expungit, et ad nomina priscorum imperatorum, navarchorum ac regum detorquet, descripta aureis litteris in Panchaea. In quas quidem litteras nemo neque barbarus neque Graecus, sed solus si diis placet Evemerus incidit, navi advectus ad nullibi terrarum degentes aut natos Panchaeos et Triphylios.* Idem de Evemero deque ejus Panchaea iudicium fert Strabo lib. 2. pag. 163.; lib.7. pag. 459.

[1] Forte ἱερα.

et adhuc quaedam ejus monumenta extant et columnae et inscriptiones.

υπομνηματα τα [1] της στρατειας αυτου και νυν ετι δεικνυνται στηλαι και επιγραφαι.

Ibidem pag. 1173.

Nos Philas Syena plaustro vecti sumus, per campum valde planum, centum stadiorum itinere. Per totam fere viam videre erat utrinque multis in locis, in morem Mercurialium tumulorum qui viis apponi solent, petram arduam, rotundam, politam, propemodum sphaericam, e nigro ac duro lapide, ex quo mortaria fiunt, majori saxo impositam, ac rursus super eam aliam; nonnullae per sese jacebant. Earum maxima erat non minore duodecim pedum diametro, atque omnes majores quam hujus dimidium.

Ηλθομεν δε εις φιλας εκ συηνης απηνῃ, δἰ ὁμαλου σφοδρα πεδιου, σταδιους ὁμου τι ἑκατον. παρ' ὁλην δε την ὁδον ην ιδειν ἑκατερωθεν πολλαχου, ὡσπερ ἑρμαια, [2] πετρον ηλιβατον στρογγυλον, λειον ἱκανως, εγγυς σφαιροειδη [3], του μελανος και σκληρου λιθου, εξ οὑ ἁι θυειαι γινονται, επι πετρῳ κειμενον μειζονι, και επ' εκεινῳ παλιν αλλον· εστι δε ὁτε αυτοι καθ' ἁυτους εκειντο οἱ πετροι. ην δ' ὁ μεν μεγιστος την διαμετρον ποδων ουκ ελαττονων η δωδεκα, ἁπαντες δε μειζους η ἡμισεις τουτων. [4]

Vertit Hudsonus.

*Flavius Josephus antiquitatum Judaicarum lib.*1.*cap.*2. §. 3. *pag.*11. *tom.* 1. *opp. edit. Havercamp. Amstelod.* 1726. *ex recensione Joa. Hudsoni.*

Sethi posteri sapientiam circa coelestia et eorum ornatum excogitaverunt. Ne autem illa inventa homines effugerent et antequam venirent in notitiam intercciderent, (cum rerum omnium interitum fore, alterum quidem ignis vi, alterum vero per violentiam et multitudinem aquarum, praedixisset Adamus) columnis duabus exstructis, una quidem ex latere, altera vero ex lapidibus, inventa sua utrique inscripserunt. Ut si eveniret lateritiam eversam iri per imbrium vim, lapidea superstes ostenderet hominibus astronomica inscripta; simulque indicaret et lateritiam ab illis positam fuisse. Manet autem hodieque in terra Siriade.

Ὁι απο σηθου σοφιαν τε την περι τα ουρανια και την τουτων διακοσμησιν επενοησαν· υπερ δε του μη διαφυγειν τους ανθρωπους τα εὑρημενα, μηδε πριν εις γνωσιν ελθειν φθαρηναι, (προειρηκοτος αφανισμον αδαμου των ὁλων εσεσθαι, τον μεν κατ' ισχυν πυρος, τον ἑτερον δε κατα βιαν και πληθυν υδατος, στηλας δυο ποιησαμενοι, την μεν εκ πλινθου, την δ' ἑτεραν εκ λιθων, αμφοτεραις ενεγραψαν τα ἑυρημενα· ἱν' ει και συμβῃ την πλινθινην αφανισθηναι υπο της επομβριας, ἡ λιθινη μεινασα παρασχῃ μαθειν τοις ανθρωποις τα εγγεγραμμενα, δηλουσα και πλινθινην δ' υπ' αυτων ανατεθηναι. μενει δ' αχρι του δευρο κατα γην την σιριαδα. [5]

[1] Redundat τα.

[2] *Prior interpres legit* ἑρματα. CASAVB.

[3] Impressum σφαιροειδους, et infra αλλο.

[4] Hasce metas, hieroglyphicis epigraphis hinc et inde insignitas, inviserunt recentes quoque peregrinatores Norden et Pococke. Vide *Norden's travels in Egypt.* tom. 1. pag. 87.: *Pococke's description of the East.* tom. 1. pag. 118.

[5] *Olim legebatur* συριαδα, *et Gelenius vertit* in terra Syria. *Etiam mss. nonnulli habent* συριαδα: *at in tribus codd. invenitur* σιριαδα. *Ita et apud Nicephorum in eclogis nondum edi-*

Plinius naturalis historiae libro 6. cap. 28. pag. 337. tom. 1. edit. Harduin.

Omnae et Athanae , quae nunc oppida maxime celebrari a Persico mari nostri negotiatores dicunt . —— gentes Epimaranitae , mox Ichthyophagi, —— Chadaei . insulae sine nominibus multae : celebres vero Isura , Rhinnea ; et proxima in qua scriptae sunt stelae lapideae litteris incognitis .

Ibidem cap. 29. pag. 342.

Isidos portus decem dierum remigio ab oppido Adulitarum distans . in eum Troglodytis myrrha confertur . insulae ante portum duae Pseudopylae vocantur : in-

---

tis . Malela , Glycas , Cedrenus , vetus interpres Josephi aliique legunt σιριδα ; *unde ecclesiasticorum in historiis* σιριδον ορος . *Eustathius* υποβολιμαιος *legerat* σηριαδα . *Quid enim ?* εν τη σηριαδικη γη *monumentum Sethanum suo aevo exstitisse memorat Manethos* . EDU. BERNARD. *Eustathius Antiochenus ex Josepho legisse videtur* σηϊριαδ . *Vossius de LXX. interpr. pag. 271: et Marshamus in canone chron. p. 39. cogitant de Seirath Gilgalis, Judicum 3, 19. 26. Dodwell append. dissert. Cyprian. num. 13. aliique Siriadicam terram in Aegypto quaerendam censent* . HUDSON. Σηριαδα , terram Serum *malim legere , uti et Syncellus et Manethos* . RELANDUS . Hactenus viri eruditi . Invenio praeterea apud Goarium in annotatt. ad Syncellum, pag. 13., Eustathium in hexaëmero referre ex Joanne Historico , quod columna lapidea Sethana inventa fuerit post diluvium ab Arphaxad , ἡτις στηλη μετα τον κατακλυσμον ἑυρεθη εις το σηριδος ορος , και εστιν ἑως αρτι . At apud ipsum Eustathium editore Leone Allatio p. 47. lego solum, ἡ λιθινος στηλη διεμεινεν , ἡτις αχρι της δευρο μενει εν γη τη σηϊρειαδ εστηλωμενη , nullo citato auctore : et in excerptis chronologicis praemissis chronographiae Joannis Malalae p. 3. ed Ven. 1733. post ea quae habentur in Josepho additur : μετα δε τον κατακλυσμον καϊναν , ὁ υιος αρφαξαδ , συνεγραψατο την αστρονομιαν , ἑυρηκως την του σηθ και των αυτου τεκνων την ονομασιαν και των αστερων εν πλακι λιθινη γεγραμμενην · ἡτις στηλη μετα τον κατακλυσμον εις το σιριδος ορος εμεινε , και εστιν ἑως αρτι , ως φησιν ιωσηπος . Vertit Chilmead: *Post diluvium vero Cainan , filius Arphaxad , inventa hac Sethi filiorumque ejus tabula lapidea , astrorum nominibus inscripta , astronomicam scientiam conscripsit , Columna vero haec post diluvium, in Sirido monte reperta est, superestque ad hunc usque diem, uti Josephus testatur* . Cedrenus autem compendio historico pag. 8. scribit, ἡτις σωζεται , ως ιωσηπος μαρτυρει , εις το σιριδον ορος ἑως και νυν : et Glycas in annalibus p. 129. εις το σιριδον (v. notas Labbei pag. 358.) ορος εμεινε , και εστιν ἑως αρτι , ὡς φησιν ιωσηπος . Isti omnes Syriam sane excludere videntur , neque favent eorum opinioni qui vel in Gilgal positas censent stelas Sethanas vel apud orientales Seres . Exstitisse tamen veterem famam de stelis Syriacis, colligeret aliquis e prologo Harpocrationis in librum Cyranidem , quem Hermeti tribuunt nonnulli , alii Cyrano Persae . Scribit enim Harpocration , se in Babyloniae regione prope Seleuciam , in ruderibus urbis a Gigantibus conditae, reperisse Cyranidem librum de virtutibus lapidum 24. , et volucrium 24. , et piscium 24., et herbarum 24. , descriptum litteris Syriacis et Syrorum idiomate in stele byssino velo obtecta; eam autem stelen e Syria illuc advectam fuisse, exemplar vetustioris ferreae, quae demersa fuit in lacu Syriae . στηλην εθεασαμην μεγιστην , ἡν ὁι επιχωριοι απο συριας ελεγον κεκομισθαι , και ανατεθεισθαι περι θεραπειας των ενοικουντων ανδρων τη πολει , ουσαν γραμμασιν παροικοις εγκεχαραγμενην . ευθεως ουν του πρεσβυτου συρου δεηθεις ευπειθως προς την επιδειξιν εχοντος , ηκουον αυτου διηγουμενου τα περι την στηλην , και ερμηνευοντος αφθονως ἑλλαδι φωνη τα των βαρβαρων γραμματα . — ὁ δε πρεσβυτης αφελων τα καλυπτοντα την στηλην βυσσινα επεδεικνυε παροικοις γραμμασιν αυτην εγκεχαραγμενην . ετυγχανε δε τα εν τη στηλη αναγινωσκομενα ὁυτως εχοντα · — ἡ κυρανιης δευτερα βιβλος απο της πρωτης αρχαϊκης οσιριαδος (*an* συριαδος ?) ουσα (forte ουσης) ὁπου ροαι χυνονται ποταμου θεου ευφρατοις (ευφρατους) στηλαις σιδηραις εγκεχαραγμενα γραμματα —— . αλλ᾽ ἀυτη ἡ βιβλος κατεχωσθη εν λιμνη της συριας εγκεχαραγμενη στηλη σιδηρα ἑλοστομω . Vide *Iriart. reg. bibliath. Matrit. cod. Graec mss* pag. 433. 434.

teriores [1] totidem Pylae; in altera stelae lapideae [2] litteris ignotis. Ultra sinus Abalites [3]. insula Diodori [4] et aliae desertae. per continentem quoque deserta: oppidum Gaza, [5] promontorium et portus Mossylicus, [6] quo cinnamomum devehitur. Hucusque Sesostris [7] exercitum duxit. Aliqui unum Aethiopiae oppidum ultra ponunt in littore, Baragaza. A Mossylico promontorio Atlanticum mare incipere vult Juba, praeter Mauritanias suas Gadeis navigandum coro.

Ex versione Th.Nageorgi et Federici. Morelli.

Ego igitur audivi quendam ex sacerdotibus in Aegypto in praefectura Onuphiti. —— Dicebat autem omnem priorum temporum historiam apud ipsos scriptam esse, partim quidem in templis, partim in columnis quibusdam, et ex iis quaedam solum memoria contineri a paucis, columnis corruptis: multa autem in columnis conscriptorum incredibilia videri, propter ruditatem incuriamque posterorum. Esse autem et haec inter recentissima quae circum Trojam accidissent. Quippe Menelaum ad ipsos pervenisse, et omnia quemadmodum gesta essent denarrasse.

Dio Chrysostomus oratione undecima, quae inscribitur Trojana, pag. 161. edit. Feder. Morello Parisiis 1604.

Εγω ουν ὡς επυθομην παρα των εν αιγυπτῳ ἱερεων ἑνος εν τῳ ονουφιτῃ ——. εφη δε πασαν την προτερον ἱττοριαν γεγραφθαι παρ᾽ αυτοις, την μεν εν τοις ἱεροις, την δε εν στηλαις τισι, τα δε μνημονευεσθαι μονον υπ᾽ ολιγων, των στηλων διαφθαρεισων, πολλα δε και απιστεισθαι των εν στηλαις γεγραμμενων δια την αμαθιαν τε και αμελειαν των επιγιγνομενων· ειναι δε και ταυτα εν τοις νεωτατοις τα περι την τροιαν· τον γαρ μενελεων αφικεσθαι παρ᾽ αυτους και διηγησασθαι ἁπαντα ὡς εγενετο.

Interprete Gul. Xylandro.

Enimvero priscos ajunt ita luxuriam, prodigalitatem ac deliciarum studium traduxisse, ut columnam quoque perhibitum sit Thebis in templo positam fuis-

Plutarchus libro de Iside et Osiride pag. 395. tom. 7. opp. ed. Reiskio Lipsiae 1774.

Τρυφην γε και πολυτελειαν και ἡδυπαθειαν οὑτω προβαλεσθαι τους παλαιους λεγουσιν (αιγυπτιοι), ὡστε και στηλην εφασαν εν θηβαις εν τῳ ἱερῳ κεισθαι

---

[1] Codd. Vatt. 3861. 1953. *in alteriore*, Palat. 1559. *in interiore*.

[2] Mss. omnes quos inspexi, *stelle lapidee* vel *stellae lapideae*: praeter Vat. 3861. reliquis vetustiorem, ubi legitur: *inalteramstelelapidemae*. Forte unica adfuit stele lapidea, ut apud Strabonem prope Diram.

[3] Mss. *avalitu*. Vatt. 3861. 1953. *sinus valitudine*: Barbb. 758. *abalitus*, 2203. *avalitus*.

[4] *Diodori* nomen agnoscunt Vatt. 3861. 1953. 3533. Palat. 1559. Ottobon. 1593. Reliqui habent *Dioscori*, ut editum ante Harduinum.

[5] Vatt. 3861. 1951. 1956. *zaza*, 1953. *gasa*. Palat. *zaga*.

[6] Scripsisse Plinium *mossilites* ut est in Vat. 3533., inde fit probabile, quod in terminatione consentiunt mss. fere omnes: licet vocabulum sistant corruptum *monsilites*, *monsythites*, *mons philites*, Vat. 3861. *mons sylites*, Barb. 2203. *mossiliteus*. Barb. 758. *mossilicus*. Infra, ubi de promontorio agitur, omnes habent *mossylico*, *mosilico*, *monsilico*.

[7] Vatt. 3861. *sosis*, 1953. *solus*, 1950. *sexetris*, 1956. *sosetris*: Palat. *sestonius*: Barb. 758. *sesostrus*: Reliqui *sesostris*. Forte et hoc loco *sesosis* scripsit Plinius: grammatici reposuerunt *sesostris*.

καταρας εγγεγραμμενας εχουσαν κατα μεινιος[1] *του βασιλεως, ὁς πρωτος αιγυπτιους της απλουτου και αχρηματου και λιτης απηλλαξε διαιτης. λεγεται δε και τεχνατις ὁ βοκχορεως πατηρ*[2] *στρατευων επ᾽ αραβας, της αποσκευης βραδυνουσης, ἡδεως τῳ προστυχοντι σιτιῳ χρησαμενος, ειτα κοιμηθεις βαθυν υπνον επι στιβαδος, ασπασασθαι την ευτελειαν. εκ δε τουτου καταρασασθαι τῳ μεινι,*[3] *και των ἱερεων επαινεσαντων στηλιτευσαι την καταραν.*[4]

se; in qua dirae imprecationes inscriptae fuerint in Meinim regem qui primus Aegyptios a tenui et opum pecuniaeque non indigente victus ratione traduxisset. Dicitur etiam Technatis, Bocchorem qui filium habuit, cum expeditionem in Arabes faceret, et impedimenta morarentur, obvio cibo svaviter usus, super toro somnium cepisse profundum: eaque re inductum Meinim fuisse exsecratum, ac approbantibus sacerdotibus exsecrationem eam in columna incisam posuisse.

Theo Smyrnaeus mathematicorum ad lectionem Platonis libro 2, qui inscribitur de musica, cap. 47. pag. 164. edit. Ismaele Bullialdo Parisiis 1644. et apud Gesnerum in opp. Orphei Lipsiae 1764. pag. 364.

Interprete Bullialdo.

Ἡ ογδοας, ἡτις εστι πρωτος κυβος, συντιθεται εκ τε μοναδος και ἑπταδος[5]*. ενιοι δε φασιν οκτώ τους παντων κρατουντας ειναι θεους, ὡς και εν τοις ορφικοις ὁρκοις εστιν ἑυρειν·*

Ναι μην αθανατων γεννητορας αιεν εοντας,[6]
πυρ και υδωρ, γαιαν τε και ουρανον, ηδε σεληνην
ηελιον τε, φανητα μεγαν και νυκτα μελαιναν.

Εν δ᾽ αιγυπτιακῃ στηλῃ φησιν ευανδρος ἑυρισκεσθαι γραφην·[7] *Βασιλεως κρονου και βασιλισσης ρεας υιος*[8] *πρεσβυτατος, βασιλευς*[9] *παντων οσιρις, θεοις αθανα-*

Octonarius qui primus est cubus, componitur ex unitate et septenario, quidam vero ajunt octo esse deos omnium dominos, quod etiam videre est in Orphicis juramentis: Certe per immortalium genitores semper existentium, ignem aquam, terram, coelum, et lunam solemque, Phanetem magnum et noctem nigram. Atque in columna Aegyptiaca refert Evander scripturam reperiri regis Saturni et reginae Rheae: Antiquissimus omnium rex Osiris. Diis immortalibus, spiritui et coelo, soli et lunae, et terrae et nocti et diei, et patri eorum quae sunt quaeque futura sunt. Prae-

---

[1] Diodoro est *μηνας*, qui post deos primus Aegypto imperavit.

[2] Diodorus: *τνεφαχθος ὁ βοκχοριδος του σοφου πατηρ.*

[3] Impressum *μεινιω*, forte *μεινιδι*.

[4] Eandem rem narrans Diodorus 1., 45. stelae non meminit, sed Tnephachthum ait sacris litteris inscribi jussisse exsecrationem Thebis in templo Jovis, quo factum ut laus Menae non perduraverit apud posteros. *την καταραν αναγραψαι τοις ἱεροις γραμμασιν εις τον του διος ναον θηβαις· ὁ δη δοκει μαλιστα αιτιον γενεσθαι του μη διαμειναι την δοξαν του μηνα και τας τιμας ες τους υστερον χρονους.*

[5] Ita restituit Bullialdus. In mss. quibus usus est deerat *τε* et *και ἑπταδος*.

[6] Sic Gesnerus pro *αιεν εοντων*, quod ediderat Bullialdus.

[7] Recte Gesnerus hoc loco initium statuit epigrammatis, quod apud Bullialdum incipit a *πρεσβυτατος*.

[8] Inserui *υιος* ex Diodoro 1., 27., satis certus sic scripsisse Evandrum. Vid. supra pag. *39*.

[9] *βασιλευς*, quod teste Bullialdo desideratur in mss. nonnullis, omisit Gesnerus, mihi quidem ad sensum integrandum necessarium visum. Apud Diodorum l. c. *οσιρις ὁ βασιλευς ὁ στρατευσας επι πασαν γην.* Neque ipse dici potuit *πρεσβυτατος παντων*, cum filius esset *νεωτατου θεων κρονου*.

dicabo memoriam magnificentiae ordinis ejus.

τοις, πνευματι και ουρανῳ [1] και γῃ και νυκτι και ἡμερᾳ και πατρι των οντων και εσομενων ερωτι, [2] μνημεια της ἀυτου αρετης και [3] βιου συνταξεως.

Vertit Renardus Charterius:

Galenus libro adversus Julianum cap. 1. pag. 370. tom. 9. opp. Hippocr. et Galeni ed. Ren. Charterio Paris. 1689.

Olim in Aegypto singula artium inventa, a publico peritorum virorum consessu judicata, columnis quibusdam in sacris locis repositis inscribebantur, —— neque auctoris nomen referebant veteres Aegyptii.

Εν αιγυπτῳ παλαι των κατα τας τεχνας ἑυρισκομενων εκαστον, υπο κοινου συνεδριου των πεπαιδευμενων κριθεν, ενεγραφετο στηλαισι τισιν αποκειμεναις εν ἱεροις χωριοις. —— μηδε τουνομα του γραψαντος εφυλαττον εν αιγυπτῳ το αρχαιον.

Vertit Romulus Amasaeus:

Pausanias in Boeoticis, sive descriptionis Graeciae libro 9. cap. 16 pag. 741. ed. Joan. Kuhnio Lipsiae 1696.

Proxime abest Ammonis delubrum; cui signum Calamidis opus Pindarus dedicavit. Idem etiam ad Ammonios usque in Libyam Ammoni hymnos misit. Mea quidem aetate in triangula pila hymnus iste Pindari exstabat ad aram quam Lagi filius Ptolemaeus Ammoni statuit. Secundum Ammonis delubrum apud Thebanos Tiresiae est quod vocatur auguraculum *rel.*

Ου πορρω δε εστι ναος αμμωνος· και το αγαλμα ανεθηκε μεν πινδαρος, καλαμιδος δε εστιν εργον. απεπεμψε δε ὁ πινδαρος και λιβυης επι αμμωνιους τῳ αμμωνι υμνους. ουτος και ες εμε ην ὁ υμνος εν τριγωνῳ στηλῃ [4] παρα τον βωμον, ὁν πτολεμαιος ὁ λαγου τῳ αμμωνι ανεθηκε. θηβαιοις δε μετα του αμμωνος το ἱερον οιωνοσκοπειον τε τειρεσιου καλουμενον κ. τ. λ.

---

[1] Hoc loco Bullialdus et eum secutus Gesnerus pro complemento octonarii numeri addunt ἡλιῳ και σεληνῃ, cujus ipso prodente Bullialdo nullum in mss. vestigium. Neque satis certum mihi videtur deesse aliquid: nam ubi sex diis, quibus dedicata est inscriptio, adjungas κρονον και ρεαν jam memoratos, habes integram ogdoada. At concesso mutilum esse locum, et Osiridem octo deos expresse invocasse, arduum sane est assequi conjectura, qui fuerint illi qui excidere. Forte scriptum erat πυρι και υδατι και πνευματι: sic pronior lapsus. Denique si inserendi sunt sol et luna, locus iis dabitur post terram, quae a coelo non disjungenda.

[2] Sic scripsi pro ερω τε, quod hoc loco non intelligo. ερως idem est qui in Orphico juramento φανης.

[3] Addidi και: et stelae epigraphen ita vertendam arbitror: *Regis Saturni et reginae Rheae primogenitus filius, cunctorum rex, Osiris, dîs immortalibus, spiritui et coelo et terrae, (et soli et lunae) et nocti et diei, et patri praesentium atque futurorum, amori, memoriam consecrat virtutis suae atque moderatae vitae.* Forte melius erat legere της ἀυτου αριστης βια συνταξεως: *monumenta offert justae et perfectae vitae.* Confer haec cum iis quae de Osymandya narrat Diodorus 1., 49. συνεχεις δε ταυτῃ υπαρχειν των κατ' αιγυπτον θεων ἁπαντων εικονας, του βασιλεως ὁμοιως δωροφορουντος, ἁ προσηκον ην ἑκαστοις, καθαπερ ενδεικνυμενου προς τε τον οσιριν και τους κατω παρεδρους, ὁτι τον βιον εξετελεσεν ευσεβων και δικαιοπραγων προς τε ανθρωπους και θεους.

[4] τριγωνον στηλην in Libyco Ammonis templo constitutam figuram habuisse obelisci, suspicari facet Juliani epistola, quam sistimus capite 1 pag. 22. et ubi Alexandrinus ille obeliscus dicitur τριγωνος λιθος.

Aelius Aristides oratione Aegyptiaca pag. 360. tom. 2. opp. edit. Samuele Jebb Oxonii 1730.

Αιγυπτιους γε ακριβεστερον εικος ειδεναι τα σφετερα αυτων ειπερ ὁμηρον τον εν σμυρνῃ και ἑκαταιον τον εν μιλητῳ, ου μονον κατα τουθ' ὁτι τις αν φησειεν ἁπλως εικος και κοινον, αλλ' ὁγε και ιδιον κατα τουτων εστιν ειπειν, ὁτι δια παλαιοτητα χρονου και το μηδεν αυτοις των εξ ουρανου πεπονθεναι τον χωρον, και των παρα τοις αλλοις επιφανων μαρτυρες εισιν αυτοι και ἱστορες αξιοχρεω, και παντα φυλαττουσιν εν στηλαις εν τοις ἱεροις αντ' αλλων κτηματων.

Vertit Samuel Jebb.

Aegyptiis suas esse res notiores fit verisimile, quam Homero Smyrnae vel Hecataeo Mileti, non tam propter id quod communiter dici possit, quam quia, quod est horum proprium, propter antiquitatem temporis et regionem, quae semper a coelesti injuria fuit illaesa, alienarum quoque rerum mirabilium testes ipsi sunt et interpretes fide digni, cunctaque in columnis templorum quasi opes conservant.

Auctor dialogi, qui inscribitur Hermetis Trismegisti Asclepius, ab Apuleio ut fertur in Latinum conversi: apud Patricium in Nova de univ. philosophia fol. 4.

O Aegypte, Aegypte, religionum tuarum sola supererunt verba lapidibus incisa, tua pia facta narrantibus.

Philostratus in vita Apollonii Tyanensis lib. 6. cap. 4. pag. 232. opp. ed. Gottifr. Oleario Lipsiae 1709.

Παρελθειν φασι τον απολλωνιον εις το τεμενος του μεμνονος (εν αιθιοπιᾳ [1]). το δε χωριον εν ᾡ ἱδρυται φασι μεν προσεοικεναι αγορᾳ αρχαιᾳ, ὁιαι των αγορων εν πολεσι ποτε οικηθεισαις λειπονται, στηλων παρεχομεναι τρυφη και τειχων ιχνη και θακους και φλιας· ἑρμων τε αγαλματα, τα μεν υπο χειρων διεφθορoτα, τα δε υπο χρονου.

Interprete Oleario:

Apollonium ad sacrum Memnoni locum ajunt venisse. Locum autem, ubi positus est, antiquo foro similem dicunt esse, qualia fora in olim habitatis civitatibus relinquuntur, ubi et columnarum visuntur rudera, et parietum vestigia, sedes item et limina, et hermae, partim manu partim tempore consumptae.

Porphyrius apud Eusebium in praep. evangel. lib. 3. cap. 7. pag. 98. ed. Vigero.

Των γραμματων οἱ ανοητοι λιθους μεν ὁρωσι τας στηλας, ξυλα δε τας δελτους, εξυφασμενην δε παπυρον τας βιβλους.

Ex versione Vigeri:

Ii qui rudes ignarique litterarum, cippos quidem non aliter ac lapides, tabulas vero non secus atque ligna, libros denique quasi contextam papyrum intuentur.

---

[1] In Aethiopia constitutum fuisse hoc Memnonis sacrarium, colligitur ex praecedentibus: nam cap. 2. narratur Apollonium ex Aegypto pes Sycaminum perrexisse in Aethiopiam.

Trebellius Pollio in XXX. tyrannis cap. 22. pag. 312. tom. 2. histor. Anggustae scriptt. min. Lugd. Bat. 1671.

Gallienus cum Theodoto (qui dux erat in Aegypto) vellet imperium proconsulare decernere, a sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cujus rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis novimus [1]. Denique non exstat memoria rei, Quare scire oportet, (o Diocletiane) Herennium Celsum vestrum parentem (praefectum augustalem Aegypti) dum consulatum cupit, hoc quod desiderat non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Aegyptiis litteris sculptum, tunc demum Aegyptum liberam fore, quum in eam venissent Romani fasces, et praetexta Romanorum; quod apud Proculum grammaticum, doctissimum sui temporis virum, quum de perigrinis regionibus loquitur, invenitur.

Achilles Tatius isagoges in Arati phaenomena num. 1. *pag.* 121. *in Uranologio Dionys. Petavii Paris.* 1630.

Αιγυπτιους λογος εχει πρωτους τον ουρανον ὡς και την γην καταμετρησαι, και την εμπειριαν τοις ἑξης εν στηλαις αναγραψαι. χαλδαιοι δε εις ἑαυτους μεταγουσι, βηλῳ την ἑυρεσιν αναθεντες.

Vertit Petavius:

Aegyptios ferunt primos omnium tam coelum quam terram esse dimensos, ejusque rei scientiam columnis incisam ad posteros propagasse. Chaldaei tamen hujus inventi decus ad sese transferunt, idque Belo tribuunt.

Jamblichus libro de mysteriis, sive Abammon responsione ad epistolam, quam Aneboni misit Porphyrius: sect. 1. *cap.* 1. *et* 2. *pag.* 1. 3. *ed. Thoma Gale Oxonii* 1678.

Θεος ὁ των λογων ἡγεμων, ὁ ἑρμης, παλαι δεδοκται καλως ἁπασι τοις ἱερευσιν ειναι κοινος. ὁ δε της περι θεων αληθινης επιστημης προεστηκως εἱς εστιν ὁ αυτος εν ὁλοις· ᾧ δη και οἱ ἡμετεροι προγονοι τα αυτων της σοφιας ἑυρηματα ανετιθεσαν, ἑρμου παντα τα οικεια συγγραμματα επονομαζοντες. ——(*cap.* 2.) φιλοσοφον δ' ει τι προβαλλεις ερωτημα, διακρινουμεν σοι και τουτο κατα τας

Vertit Thomas Gale.

Deus eloquentiae praeses Mercurius olim recte existimatus est sacerdotibus omnibus esse communis; quique ad veram de diis scientiam praeit, unus idemque est in universis. Quare et nostri majores suae sapientiae inventa illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inscribentes. —— Si quod autem philosophicum dubium proponas, illud etiam determinabimus

---

[1] Oratio quidem amplius non exstat, at Sibyllino oraculo monitum fuisse Senatum, ne cum multitudine in regnum reduceretur Ptolemaeus, produnt Cicero famil. 1. epist. 7. et Dio Cassius *39.* 15.

ἑρμου παλαιας στηλας, ἁς πλατων ηδη προσθεν και πυθαγορας διαγνοντες φιλοσοφιαν συνεστησαντο. [1]

juxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato et Pythagoras ante eum lectitantes philosophiam inde constituerunt.

Ibidem sect. 8. cap. 5. pag. 161.

Υφηγησατο δε και ταυτην την ὁδον ἑρμης· ἡρμηνευσε δε βιτυς [2] προφητης αμμωνι βασιλει, εν αδυτοις εὑρων αναγεγραμμενην εν ἱερογλυφικοις γραμμασι, κατα σαϊν την εν αιγυπτῳ· το τε του θεου ονομα παρεδωκε το διηκον δἰ ὁλου του κοσμου. [3]

Mercurius autem etiam hanc ad superiora viam tradidit, eamque Bitys propheta inventam in sacrariis prope Sain in Aegypto hieroglyphicis scriptam regi Ammoni exposuit; ut et dei nomen illud quod per omnia penetrat.

Proclus commentario in Timaeum Platonis lib. 1. pag. 24. edit. cum opp. Platonis Basileae 1534.

Τον περι των ατλαντικων συμπαντα τουτον λογον, οἱ μεν ἱστοριαν ψιλην ειναι φασιν, ὡσπερ ὁ πρωτος του πλατωνος εξηγητης κραντωρ· ὁς δη και σκωπτεσθαι μεν φησιν αυτον υπο των τοτε, ὡς ουκ αυτον πρωτον οντα της πολιτειας ἑυρετην, αλλα μεταγραψαντα τα αιγυπτιων· τον δε τοσουτον ποιησασθαι των σκωπτοντων λογον, ὡστε επι αιγυπτιους αναπεμψαι την περι αθηναιων και ατλαντικων ταυτην ἱστοριαν, ὡς των αθηναιων κατα ταυτα ζησαντων ποτε την πολιτειαν. μαρτυρουσι δε και οἱ προφη-

Interpretatio.

Universam illam de Atlanticis narrationem, alii quidem veram historiam esse putant, in quibus est Crantor, qui primus commentarium scripsit in Platonem. Quin et nonnullos dicit insectatos fuisse philosophum, quod ipse non esset politiae suae inventor, sed ab Aegyptiis esset mutuatus; eum autem censuram illam tanti fecisse, ut ex Aegyptiorum ore narraret hanc de Atheniensibus atque Atlanticis historiam, velut Athenienses aliquando hac reipublicae forma usi fuissent. Testari quoque ait Ae-

---

[1] Recte censet Galeus, ad eandem rem respexisse S. Theophilum lib. 3. ad Autolycum cap. 2., dum scribit: τι ωφελησε πυθαγοραν τα αδυτα και ἑρμου στηλαι? ubi somnolenti librarii reposuerunt ἡρακλεους στηλαι. Nemo enim unquam ex Herculis columnis philosophiam ediscere aggressus est, et quae pro tuenda vulgata lectione adferuntur e Philostrato in vita Apollonii 5, 5: Strabonis libro 3. pag. 258. et Clem. Alex. strom. 1, 15. pag. 360. non magni sunt momenti. Addit Galeus stelarum Aegyptiarum meminisse Laertium in Democrito, adludens ad verba Laertii lib. 9. segm. 49., *scripsisse Democritum* περι των εν βαβυλωνι ἱερων γραμματων, και περι των εν μεροη ἱερων γραμματων. Ea quidem, quae ex Babyloniorum ethicis hausit Democritus, in stela Acicari cujusdam scripta fuisse tradit Clemens Alex. strom. 1, 15. pag. 357.: δημοκριτος τους βαβυλωνιους ηθικους πεποιηται· λεγεται γαρ την ακικαρου στηλην ἑρμηνευθεισαν τοις ιδιοις συνταξαι συγγραμμασι: at Reinesio, qui Babylonios illos in Aegypto investigandos censet, accedere non possum. Vide Reines. var. lectt. 1, 22: et Potterum ad Clem. Alex. Caeterum Democritum quoque in Aegypto sub magistris hierogrammatis philosophiae operam dedisse, praeter alios prodit ipse Jamblichus *de mysteriis* 1, 1.

[2] In aliis libris teste Galeo legitur βιτις, quod forte melius: nam terminatio υς in Aegyptiis nominibus insolita.

[3] Non quidem me fugit eundem Jamblichum sect. 10. cap. 7. scribere, quod Bitys interpretatus sit libros Hermaicos, non stelas: ὁπερ βιτυς εκ των ἑρμαϊκων βιβλων μεθηρμηνευσεν; sed de hac re infra.

gyptiorum prophetas, in stelis quae adhuc supersunt haec scripta inveniri. Alii vero fabulam esse rentur, et figmentum de rebus quae nullo pacto unquam evenere, ob oculos vero sistunt rerum in mundo vicissitudines.

ται, φησι, των αιγυπτιων, ἐν στηλαις ταις ετι σωζομεναις ταυτα γεγραφθαι λεγοντες. οἱ δε φασιν αυτην μυθον ειναι και πλασμα γενομενων μεν ουδαμως, ενδειξιν δε φεροντων αει των οντων κατα τον κοσμον η γιγνομενων.

Ibidem. pag. 31.

Aegyptiis rerum olim gestarum semper recens adest memoria: servatur autem ea annalibus, hi vero stelis, quibus facta atque inventa, quaecumque nova et mirabilia sunt, inscribi solitum.

Αιγυπτιοις δ' ετι και τα γεγονοτα δια της μνημης αει νεα παρεστιν· ἡ δε μνημη δια της ἱστοριας· ἀυτη δε απο των στηλων, εν αἱς απεγραφοντο τα παραδοξα και τα θαυματος αξια των πραγματων ειτε εν πραξεσιν ειτε εν ἑυρησεσιν.

Martianus Capella satyrici libro 2. *pag.* 35. *ed. Hug. Grotio Lugd. Bat.* 1599.

Volumina alia ex papyro quae cedro perlita fuerant videbantur; alii carbasinis voluminibus complicati libri: ex ovillis multi quoque tergoribus; rari vero in philyrae cortice subnotati. Erantque quidam sacra nigredine colorati, quorum litterae animantium credebantur effigies: quasque librorum notas Athanasia conspiciens, quibusdam eminentibus saxis jussit adscribi, atque intra specum per Aegyptiorum adyta collocari [1]: eademque saxa stelas appellans, deorum stemmata praecepit continere.

Idem libro 8. *pag.* 274.

Per immensa spatia saeculorum, (inquit Astronomia) ne profana loquacitate vulgarer, Aegyptiorum clausa adytis occulebar: quippe quadringenta ferme annorum millia illic reverenti observatione delitui. Atque utinam post diluvialis consternationis excursum Athenarumque urbem longa intercapedine restitutam, non me in Graecia —— divulgandam cognovissent.

Vertit Paulus Lancisius:

Prope montes Hemodorum, Indiae autem montes, columnae quaedam con-

Joannes Tzetzes in historiis, chiliad. 8. *versu* 583. *pag.* 400. *tom.* 2. *poetar. trag. lyr. &c. Colon. Allobr.* 1614.

Εγγυς ορων των ἡμωδων, ινδιας δε τα ορη,

---

[1] Huc referunt viri eruditi locum Ammiani Marcellini 22, 15. pag. 263. de syringibus Aegypti, ubi tamen nulla stelarum occurrit mentio, sed ipsis antrorum parietibus incisi dicuntur hieroglyphici characteres, Ammiano suffragantibus qui nostra aetate Aegyptum invisere. En verba ejus: *Sunt et Syringes subterranei quidam et flexuosi recessus. quos periti rituum vetustorum, adventare diluvium praescii metuentesque ne caerimoniarum oblitteraretur memoria, penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt et animalium species innumeras, quas hierographicas litteras appellarunt.*

στηλαι τινες ἑστηκασι, στηλαι του διονυσσου·
ου του θηβαιου λεγω και του ζαβοσκουτελη,
ὡσπερ τινες νομιζουσι και παλαιοι και νεοι·
του οινουργου δ' ἑυρετου φημι του αιγυπτιου,
του νωε και οσιριδος δευνυσσου διονυσσου.

stitutae sunt, columnae Dionysi: non Thebani dico autem atque Zaboscutelae, quemadmodum quidam arbitrantur et antiqui et recentes: vini autem cultoris dico Aegyptii, Noe atque Osiridis Deunyssi Dionysi.

CAPUT TERTIUM

Vetera Obeliscorum epigrammata.

§. I.

In stylobate obelisci, quem in Circo Maximo statuit Caesar Augustus, nunc erecti in area S. Mariae ad portam Flaminiam, duobus lateribus, orientem olim atque occidentem spectantibus, [1] repetitum legitur: [2]

IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
AEGVPTÓ. IN. POTESTÁTEM
POPVLI. RÓMÁNI. REDÁCTÁ
SÓLI. DÓNVM. DEDIT

§. II.

Obeliscus quem in Campo Martio pro gnomone erexit Caesar Augustus, quique neglectus hactenus et ignobili loco prostratus, nunc jubente PIO SEXTO sublimis assurgit in area Curiae Innocentianae, in stylobatae lateribus, olim ad ortum atque occasum conversis [3], bis inscriptum habet:

[1] Licet quo tempore eruta est, jaceret basis ad latus spinae, loco mota atque inversa, tamen plane credibile est dedicationis formulam ea obtinuisse lapidis latera, quae circi aream respiciebant, vel quod idem est ortum solis atque occasum.

[2] Primum detecta fuit inscriptio sedente Gregorio XIII. P. M., sed denuo terra obruta iterum reperta est anno 1587. et publici juris facta a Michaele Mercato 1589. eodemque anno a Josepho Castalione brevi dissertatione illustrata, quae habetur in thesauri Graeviani tomo 4. a pag. 1859 usque ad pag. 1866. Vide Mercatum libro de obeliscis cap. 42. et 24. pag. 380. 236. Hodie quoque in veteri stylobate, qui obeliscum Flaminium sustinet, legitur integra, dum quae in una facie desiderantur initiales linearum vel finales litterae, in altera prostent servatae. Est autem is stylobates truncus quadrilaterus ex syenite lapide altus palmos 15., latus quoque versus 13. V. Mercatum l.c. pag. 388

[3] Consule cl. Bandinium commentario de obelisco Caesaris Augusti pag. 44.

IMP . CAESAR . DIVI . F
AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
AEGVPTÓ . IN . POTESTÁTEM
POPVLI . RÓMÁNI . REDÁCTÁ
SÓLI . DÓNVM . DEDIT[1]

§. III.

In imo radio ejus obelisci, quem Cajus Caesar constituit in Circo Vaticano, inque aream D. Petri transtulit Sixtus Quintus, iis lateribus quae soli orienti atque occidenti obversa fuerunt, [2] exaratum est:

DIVO CAESARI DIVI IVLII F AVGVSTO
TI CAESARI DIVI AVGVSTI F AVGVSTO
SACRVM

§. IV.

In veteri basi e sex talis Syenitae lapidis compacta, qui altitudinem efficiebant palmorum tredecim cum quadrante[1], latitudinem quoquoversus palmorum sedecim, [3] hodie quidem diffracta atque deperdita, [4] cui in Circo Maximo impositus

---

[1] Perierunt quidem ex orientali latere versus priores quatuor, ex occidentali duo et tribunitiae potestatis postremae notae IV. : at qui integriorem vidit inscriptionem Jacobus Mazochius, jam Julii II. pontificatu detectam, edidit anno 1521. inter epigrammata antiquae urbis fol. XI. hoc modo.

CAESAR DIVI. I. L. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. IMP.
.XII. COS. XI. TRIB. POT.
.XIV. AEGVPTO IN POTESTATEM
POPVLI
ROMANI REDACT.
SOLI DONVM DEDIT

Post Mazochium complures alii vulgaverunt: ubi vero circa labentis saeculi medium effossa est basis, inscriptionem restituit cl. Bandinius, accuratius distribuit per lineas, accentus addidit a Mazochio neglectos, et docte illustravit capitibus 9. et 10. modo laudati commentarii, a pag. 44. usque ad pag. 61. Caeterum ea est litterarum magnitudo in utriusque Augustei obelisci stylobate, ut quae maximae sunt altitudinem habeant unciarum 12. cum semisse, quae minimae 8. fere uncias exaequent. Stylobates vero obelisci Campensis ex integro trunco syenitae lapidis altus est palmos novemdecim, latus vero duodecim. V. Bandinium lib. cit. pag. 105. et append. pag. 75.

[2] Vide *Fil. Pigafetta discorso d' intorno all' istoria dell' Aguglia ed alla ragione del muoverla. Roma* 1586. pag. 10. Epigramma habes apud Mazochium libro citato, fol. X. *ter.*; apud Panvinium *de circensibus* lib. 1. cap. 22. et alios.

[3] Vide Mercatum libro de obeliscis cap. 32. pag. 288. et Fontanam de transportatione obelisci Vaticani fol. 72.

[4] Majori quidem ex parte obelisco resarciendo inserviit, atque hodie in frustis ei insertis, quae hieroglyphicis notis foedavit recens artifex,

fuit a Constantio Augusto ingens ille obeliscus, qui nunc erectus cernitur ante aedem D. Joannis in Laterano, epigramma legebatur conceptum versibus hexametris viginti quatuor, quod ex lapide descripsit, supplevit atque typis mandavit Praesul Michael Mercatus anno 1589. libro de Obeliscis capite 32. pag. 291. hoc modo:

In latere orientali

PATRIS OPVS MVNVSQVE SVVM TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS TOTO CONSTANTIVS ORBE RECEPTO
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS NEC VIDERAT ÆTAS
CONDIDIT VT CLARIS EXAEQVET DONA TRIVMFIS
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS CÆSA THEBIS DE RVPE REVELLIT

In latere septentrionali

SED GRAVIOR DIVVM TANGEBAT CVRA VEHENDI
QVOD NVLLO INGENIO NISVQVE MANVQVE MOVERI
CAVCASEAM MOLEM DISCVRRENS FAMA MONEBAT
AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS OMNIA FRETVS
CEDERE VIRTVTI TERRIS INCEDERE IVSSIT
HAVD PARTEM EXIGVAM MONTIS PONTOQ. TVMENTI

In latere occidentali

CREDIDIT ET PLACIDO VEXERVNT ÆQVORA FLVCTU
LITVS AD HESPERIVM TIBERI MIRANTE CARINAM
INTEREA ROMAM TAPORO VASTANTE TYRANNO
AVGVSTI IACVIT DONVM STVDIVMQVE LOCANDI
NON FASTU SPRETI SED QVOD NON CREDERET VLLVS
TANTÆ MOLIS OPVS SVPERAS CONSVRGERE IN AVRAS

In latere meridionali

NVNC VELVTI RVRSVS RVFIS AVVLSA METALLIS
EMICVIT PVLSATQVE POLOS HÆC GLORIA DVDVM
AVCTORI SERVATA SVO CVM CÆDE TYRANNI
REDDITVR ATQVE ADITV ROMAE VIRTVTE REPERTO
VICTOR OVANS VRBIQVE LOCAT SVBLIME TROPÆVM
PRINCIPIS ET MVNVS CONDIGNIS VSQVE TRIVMFIS

Sequenti anno 1590. Dominicus Fontana architectus inscriptionem inseruit libro suo de transportatione obelisci Vaticani fol. 73., nullo lacunarum indicio, in nonnullis vero discedens a Mercatiano exemplari. Versibus nimirum 4. et 24. scri-

---

hinc et inde deprehenduntur veteris epigrammatis vestigia. In suprema commissura qua parte ad occasum conversus est obeliscus, et circa imam partem ubi orientem respicit, leguntur dimidii versus 16. 17. 18.

STVDIVMQ. . LOCANDI
D NON CRE . . RET VLLVS
AS CONSVR . . RE IN AVRAS

Aliud ejusdem fragmentum, quod ante hos annos jacuit in area Lateranensi longum palmos 6, altum 1 $\frac{1}{2}$, nunc asservatur Velitris in Museo Borgiano, jam memoratum a cl. Fea in notis ad Bianconium *de Circis* pag. 44. Huic insunt litterae TANGEBAT CVRA VE: quae pars fuere versus septimi: singulis autem litteris altitudo est unciarum 5 $\frac{1}{2}$.

bit *triumphis*; versu 6. *caesar thebis*; v. 9. *fama moneret*; v. 13. *vectu est velocius euro*; v. 14. *populo mirante carinam*

Post Mercatum et Fontanam Josephus Castalio, qui et ipse descripsit e lapide, denuo vulgavit in variis lectionibus, Romae 1594. pag. 44., ab utroque dissentiens, neque lacunis praeter unicam adnotatis. Is versu 9. prodidit *fama moneret*; versu 13. *placido vecta est velocius euro*; v. 14. *populo mirante carinam*; v. 15. pro *taporo*, cujus mediam syllabam ex lapide periisse testatur, reponit *taetro*, secutus Fulvium Ursinum, cui minime adridebat Mercatiana lectio; versu denique 23. pro *urbique* scribit *urbisq.*, sicut et vers. 8. et 16. encliticon *que* exprimit una littera *q*. In caeteris consentit cum Mercato. Posthac a viris eruditis diversimode recusa est inscriptio, dum modo sequerentur Castalionem, modo Mercatum, nonnumquam et nova ex ingenio tentarent supplementa.

Denique anno 1730. repertum fuit prope Castrum Gandulphi ad lacum Albanum vetus exemplar baseos ex Albano lapide, molis exiguae, tectorio opere dealbatum, litterisque insignitum primo nigro post rubro colore pictis, quod ab equite Francisco Victorio acquisitum nunc in Vaticana bibliotheca asservatur. In hujus lateribus eadem habetur inscriptio, aliqua quidem sui parte multata aevi injuria, caeterum satis distincte notata atque ad explendas lacunas quas deprehendit Mercatus, litemque eum inter et Castalionem dirimendam, peropportuna [1]. En eam;

In primo latere

-A-RISOPVSMVN- . . . .
AVGVSTVSTOTOCO . . . .
ETQVODNVLLATVLIT . . . .
. . . DIDITVTCLARISEXÆQVETDONATRIVM . . .
. . . DECVSORNATVMGENITORCOGNOMINISVRB . .
. . . . VOLENSCÆSATHEBISDERVPEREVELL . .

In secundo

. . . GRAVIORDIVVTAN . . . . TCVR . . . .
QVODNVLLOINGENIONISVQ MANVQ MOVE . .
CAVCASEAMMOLEMDISCVRRENSFAMAMONEBAT
. . DOMINVSMVDICONSTANTIVSOMNIAFRETVS
. EDEREVIRTVTITERRISINCEDEREIVSSIT
. AVTPARTEMEXIGVAMMONTISPONTOQ TVM . . .

---

[1] Insignis hujus monumenti primam cognitionem debeo viro clarissimo Gaetano Marini, quem veterum inscriptionum peritissimum suspiciunt antiquarii. Altum est uncias duas cum lineis novem, ex integro lapide circa mediam altitudinem in duas velut plinthos divisum quarum quae superior singulis lateribus habet latitudinem unciarum 7, lin. 1.; inferior unciarum 8. Singula utriusque plinthi latera tres continent versus hexametros litteris exaratos satis elegantibus, licet quae in iis deprehenduntur scriptionis compendia, Marinio judice, saeculum redoleant quintum vel sextum. Consule de hoc lapide Gorium in thesauro veterum diptychorum tom. 2. pag. 69. 72., ubi integrum epigramma ex eo restitutum habes.

In tertio

. . . . ICTAESTVELOCIVSE . . .
. . . . . . I VLOMIRANTECARINAM
INTEREAROMĀĀPOROVASTANTETYRANNO
. VGVSTIIACViTDONVMSTVDIVMQ̧LOCANDI
. ONFASTVSPRETISEDQVODNŌCREDERETVLLVS
. ANTÆMOLISOPVSSVPERASCONSVRGEREINAIR . .

In quarto

. . . . AV . . . . . .
. - . , . QVEPOLOSHÆGLORIADVDVM
AVCTORISERVATASVOCVMCAEDETYRANNI
REDDITVRATQVE . . . TVROMÆVIRTVTERE . . . . . .
VICTOROVANSVRBIQVÆLOCATSVBLIMETROPAE . .
PRINCIPISETMVNVSCONDIGNISVSQ̧TRIVMPHIS [1]

§. V.

Stylobates obelisci, qui stat in hippodromo Constantinopolitano, duobus insignitur epigrammatis, Latino in latere orientali, in occidentali Graeco. Hoc primus, quod comperi, prodidit Petrus Gyllius, qui Byzantium invisit ante medium saeculum XVI.: illud jam descripsit Christophorus de Bondelmontibus ineunte saeculo XV. Postea alii qui Constantinopolin adierunt peregrinatores: sed nihil auctius neque emendatius. Graecum apud Gyllium in topographia Constantinopoleos edita Lugduni 1562., lib. 2. cap. 11. pag. 87. et apud cl. Brunck in analectis veterum poetarum Graecorum, Argentorati 1776., tom. 3. pag. 132., [2] ita habet:

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟϹ
ΜΟΥΝΟϹ ΑΝΑϹΤΗϹΑΙ ΘΕΥΔΟϹΙΟϹ [3] ΒΑϹΙΛΕΥϹ
ΤΟΛΜΗϹΑϹ ΠΡΟΚΛΩ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ [4] ΚΑΙ ΤΟϹΟϹ ΕϹΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΕΛΙΟΙϹ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ

Ex versione Gruteri in thesauro inscriptionum pag. 185: *Columnam quadrilateram humi semper jacens pondus, solus erigere Theodosius imperator ausus, et Proclus accersitus ac tanta erecta est columna intra dies triginta duos.* Quae autem in altero stylobatae latere incisa est Latina inscriptio apud Bondelmontium in descriptione Constantinopoleos, annexa historiis Joannis Cinnami editore Carolo du Fresne, Parisiis 1670. pag. 179.: et in Anthologiae Burmannianae lib. 2., num. 117. hujus argumenti est:

---

[1] Advertere juvat basidion versibus 9. 15. 23 cum Mercato stare; 13. vero et 14. cum Castalione et Fontana, cujus orthographiam deprehendis etiam in ultima voce epigrammatis.

[2] Habes etiam in praefatione ad tom. 6. thesauri Gronoviani et in Bandurii antiqu. Constantinop. part. 3. pag. 144.

[3] In prima editione Gyllii θεοδοσιος: in reliquis et apud Smithium, Brunckium aliosque θευδοσιος, jubente metro.

[4] Sponius itinerarii tomo 1, pag. 177. edidit: και προκλος επεκεκλετο: Gruterus autem thesauro inscriptt. pag. 185.: και προκλος επεκλετο. Thomas Smith in opusculo de moribus Turcarum, Oxon. 1674. pag. 119. scribit προκλω επικεκλετο; eumque secutus est Burmannus in Anthologia Latina tom. 1. p. 248.

DIFFICILIS QVONDAM DOMINIS PARERE SERENIS
IVSSVS ET EXTINCTVS PALMAM PORTARE TYRANNIS
OMNIA THEVDOSIO [1] CEDVNT SOBOLIQVE PERENNI
TER DENIS SIC VICTVS EGO DOMITVSQVE DIEBVS [2]
IVDICE SVB PROCLO SVPERAS [3] ELATVS AD AVRAS

CAPUT QUARTUM.

Monumenta in quibus expressi cernuntur obelisci.

§. I.

Inter antiqua opera, quae obeliscorum figuras exhibent, primum locum obtinet celebre illud lithostroton, quod superiori saeculo detectum in templi Praenestini ruderibus, nunc in eodem oppido asservatur in aedibus Barberinorum [4]. In eo enim cum alias res quibus adumbrantur mores atque artes Aegyptiorum, tum binos deprehendimus obeliscos ea ratione constitutos ante templi aditum, qua nostra quoque aetate qui Aegyptum invisere, se eos positos offendisse testantur; quamquam aedificium, cui adstant, Graecam potius sapit architecturam quam Aegyptiam. Nimirum in musivo opere [5] conspicitur templum oblongum cum aëtomate lunato, et cum tecto in modum fornicis modice curvati constructo: duobus gradibus quoquoversus ascensum praebentibus ad aedem. Cellam ejus circumdant parietes recti, quorum anguli firmantur antis; et in fronte porticus est quatuor columnis duabusque pilis quadratis subrecta. E regione autem ante gradus assurgunt obelisci duo, ejusdem fere ac templum altitudinis, apice acuto et nudo, hieroglyphicisque notis destituti. Color albus est, ac si facti essent e marmore candido; symmetria, quantum colligi

[1] Bondelmontius scripsit *Theodosio*, quod correxit Bandurius lib. cit. part. 3. pag. 182.

[2] Gyllius l. c. edidit, *Ter denis sic victus duobusque diebus*. Thomas Smith, qui superiori saeculo Constantinopolin adiit, hunc versum ita sistit: *Terdenis sic . . . ectus duobusque diebus*; sed testatur suo tempore infimam baseos partem terra fuisse obrutam, ut postremas inscriptionum lineas perlegere non esset integrum.

[3] Gyllius *sublime*: Gruterus l. c. *rursus sum*.

[4] De hujus monumenti aetate et significatu, deque natura aedificii ubi repertum fuit, hoc loco disputare supersedeo: reliquis probabiliorem existimans eam sententiam, quam primam protulerunt viri eruditi, esse hoc idem opus vermiculatum, quod a Sylla dictatore in Fortunae delubro factum memorat Plinius lib. 36, cap. 25.; neque in eo repraesentari certam aliquam fabulam historiamve, sed pro argumento aliquo campestri fingi Aegypti faciem et conterminae Aethiopiae, qua tempestate exundans Nilus planitiem mare facit, colles vero oppidaque insulas. Artificium ejus rudius est, effigierum lineamenta neque justa neque satis perspicua; et ubi proportiones spectes, distantias atque umbras, pictor continuo fere cuncta neglexit artis praecepta: quo fit ut saepe perquam difficile sit vel ipsas res pictas dignoscere vel seriem earum sequi. Multa etiam aevi injuria pessumdata sunt, et recens artifex, qui operi restituendo manum admovit, non pauca deteriora reddidit.

[5] Fragmentum, quod enarrare aggredior, jubente Eminentissimo Cardinali Borgia novis curis delineatum me praesente, aenea forma expressum sistitur prima libri pagina. Integrum vero lithostroton aeri incidendum curavit Franciscus Cardinalis Barberinus anno 1721., addita interptetatione quam profectam ferunt a Cardinali Polignac. Alias quoque ejusdem icones habes in Kircheri Latio veteri pag. 100.; in Ciampini monimentis veteribus tomo 1. pag. 81.; in Montfauconii antiquitatum supplemento to. 4. pag. 148., tab. 56. —— 60.; et curante Comite Caylus in actis academiae inscriptionum tom. 30. pag. 503. cum interpretatione viri clarissimi Barthelemii. Vide etiam Suaresii *Praenesten antiquam* pag. 288. et Vulpii *vetus Latium profanum* tom. 9. tab. 9. pag. 134.

potest e rudibus lineis, ea est, ut ima trunci latitudo fere par sit altitudini pyramidii, totius autem longitudinis partem efficiat undecimam, et bis exaequet summi trunci latitudinem. Uterque obeliscus impositus est stylobatae, coloris itidem albi, figurae fere cubicae, cum coronide rustica et crepidine; qui stylobates convenit cum septima parte longitudinis obelisci. A templo vero distant modico intervallo, et ita separati sunt alter ab altero, ut inter eos transitus pateat commodae latitudinis. Inter medios eos stat mulier stolata et frondibus coronata, forte sacerdos, quae dextra elata ad templum conversa est, tamquam gradus ascensura. Post obeliscos vero fronti aedis opponitur moles, exstructa ad instar muri validae crassitudinis, amplior aliquantum et crassior in ima parte quam in summa. Haec longitudine extenditur ad totum obeliscorum situm cum spatio inter eos interjecto, altitudine parum superans eorum cacumina. Forte ea significatur vestibulum, qualia in Aegypto esse solent ante templa; licet fores in ipsa omiserit auctor lithostroti. Adjacet ei lacus orbicularis, sive amplum puteum appellare mavis, cum praecinctione affabre compacta e quadratis lapidibus; quam circumstant palustres plantae nonnullae et palmae arbor. Adsunt quoque mulieres duae, quae consistere videntur cogitabundae, velut rem quam inspexerint perpendentes. Eum lacum vel pro nilometrio accipias cum Barthelemio, vel lustrationibus destinatum credas, sive mysteriorum repraesentationi inservientem, uti lacus ille orbicularis et lapidea crepidine munitus, de quo Herodotus libro 2., cap. 170.[1]. Forsan et moles illa supra dicta murus est, quo ab arcanorum rituum inspectione arcerentur profani. Denique a postica parte aedis constituta est turris quadrata, cum triplici fenestrarum ordine, ejusdem ac ipsa aedes altitudinis, et summitatem versus sensim coarctata, donec in quatuor desinit velut cornua, quae tectum amplectuntur. Haec monente Barthelemio sacerdotum et aedituorum habitationi designata videtur.[2]

§. II.

Minus liquet, num trabes sive metae quadratae, quas erectas videmus in duabus tabulis pictis ex Herculani ruderibus erutis, veri sint Aegyptii obelisci, siquidem non satis constat utrum Aegyptiae sint regiones an Graecae, quae ibi repraesentantur; sed Graecas esse potius suadere videntur aedificiorum modus et hominum habitus. In altera quidem, quae aeri incisa exhibetur Herculanensium picturarum tomo primo, pag. 133., fluvius fingitur per mediam tabulam transiens. Interius cis fluvium conspicitur fanum, cui e regione constitutus est tripus grandis lauri ramis decorus, circumque fanum stant viri aliquot et mulier clavem gestans. Trans fluvium collis est porticibus semicircularibus cinctus, et extra eas duae cernuntur trabes quadratae, admodum altae exilesque et sensim gracilescentes, cum fastigio ita negligenter delineato, ut definiri nequeat obtusumne sit an acutum. In collis vertice est aedicula, et in declivibus ejus tria aedificia, quorum uni, quod et ipsum aediculae speciem refert, a latere posita est trabs similis metis supra dictis, nisi quod multo minor sit et apice acuto praedita. Duae vero illae majores ita distant a porticu atque a sese invicem, ut hoc saltem respectu minime comparari possint obeliscis in lithostroto Praenestino ante templum statutis; sed potius videantur seorsim collocatae in agro. Certe Herculanen-

[1] Vide supra cap. 1, pag. 3.

[2] Altera turris, quae in fragmento aeri inciso inferiorem hujus turris partem obtegit, non huc pertinet, sed ad aliud aedificium in insula prope adjacente. Quod monendum erat ne existimes iconem dissentire a descriptione.

ses academici collem cum aedificiis pro villa acceperunt, quas hoc modo construere consueverant Romani: erectas trabes, quarum in tabulae descriptione non meminere, forte inter metas columnasve retulerunt, quae in picturis veteribus frequenter occurrunt, modo aedificiis adstitutae, modo per regionem sparsae. Altera tabula, quae habetur ibidem pag.243., sistit sinum maris sive fluvii ostium, triremibus refertum, et varii generis aedificiis utrinque frequentatum. In his aedicula est, in cujus fronte conspicitur ornamentum obscure quidem expressum, neque doctis viris qui tabulam descripsere memoratum, sed quod aliquo modo simile videtur globo cum serpentibus, quem in aedium coronide vel supra januas effingere solebant Aegyptii. Prope aediculam a laevo latere stat pila quadrata, ipso aedificio altior, caeterum non magna proceritate, exilis et in altitudinem coarctata, fastigiique loco ornata capitulo quod doricum dixeris, cuique insistit velut nux pinea seu pileus semiovalis. Haec pila an obeliscus sit non satis perspicio; ex viris doctis quos supra laudavi alii pharum in ea agnoscunt, alii aram. Ante pedem ejus stat vir tunica talari et manicata indutus cum pileo in capite, quem accipere possis pro Aegyptio sacerdote: quamquam ipsa aedicula et reliqua quae adsunt aedificia Graeciam magis sapiant quam Aegyptum.

§. III.

In marmoribus anaglyptica arte exornatis haud raro obviam sunt obelisci, sed plerumque pro notissimo Romanorum instituto in circi spina collocati, neque ea cura effecti ut magna inde percipi possit utilitas. Modo pila gaudent apici addita, modo ea destituuntur; modo in media spina positi sunt, modo propius admoti ad secundas metas quam ad primas; nempe scalptor non id agebat ut obeliscum nobis ante oculos poneret, sed ut aliquam exhiberet circi imaginem. Hujus classis typi tres prostant in Museo Pio-Clementino, elegantioribus sane accensendi, quos publici juris fecit cl. Fea in libro de circis veterum [1]. Alii asservantur Romae in aedibus Lancellottiis, in hortis Justinianeis, in suburbanis Burghesiorum et Albaniorum. Aeri incisos habes in Graeviani thesauri tomo 9. pag.95. 183.: in Montfauconii antiquitatibus tom.3.tab.161.—— 165.:apud Maffeium in museo Veronensi p. 126.; aliosque. [2] In hisce omnibus uno tantum obelisco spinam deprehendo ornatam: at in eo anaglypho circensi, quod Constantinopoli conspicitur in meridionali latere; stylobatae obelisci Theodosiani, duo habentur obelisci, ejusdem fere altitudinis, neque multum inter se dissimiles. Horum alter repraesentare videtur obeliscum Aegyptium a Theodosio Magno in circo constitutum; alter qui nonnihil amplior cum basi paullo depressiore, eam exprimere molem pyramidalem e marmoreis truncis concinnatam et laminis olim aereis contectam, quam structilem colos-

---

[1] *Descrizione dei Circhi, particolarmente di quello di Caracalla: opera del consigl. Gio. Lod. Bianconi, pubblicata con note dell' Avvocato Carlo Fea. Roma* 1789. in calce praefationis et in fronte capitis primi.

[2] Eburneum anaglyphon cum circo et obelisco sistit Gorius in diptychis, tom. 1. pag.89.

[3] Ita narrat Gyllius topographiae Constant. lib. 1. cap. 11., qui primus descripsit typos in stylobate et basi hujus obelisci obvios: neque refragantur Sponius et Whelerus, quibus debemus icones aeri incisas. Vide *Voyage d'Italie, de Dalmatie, de Grece et du Levant, fait en 1675. et 1676. par Jac. Spon. et Geo: Wheler. à Lyon* 1678. tom. 1. pag. 232.: et *George Wheler voyage du Levant, traduit de l'Anglois à Amsterd.* 1689. tom. 1. pag. 140.

sum appellat Gyllius [1] et obelisco dicit altiorem. Sunt praeterea in medio inter obeliscos spatio columnae quinque, et prope eas agonotheta qui victori coronam porrigit: extremis autem locis metae duae, circum quas equos agitant equisones; [2] et in marmoris parte inferiore currus quatuor partim bijuges partim quadrijuges. Qui autem in ejusdem stylobatae septentrionali latere [3] exstat typus marmoreus, attentiore dignus est inspectione: nam machinas exprimit quibus ad movendum obeliscum usi sunt ejus aevi homines. Jacentem atque chamulco impositum ductariis funibus trahunt ergatae quatuor, quarum eadem fere est constructio quam quibus nunc utuntur mechanici. Versant singulas quatuor operarii, quinto humi addente et funem ergatae circumvolutum attrahente [4]. Praeter spectatores cernuntur duae figurae in suggestibus stantes, forte Theodosius imperator et Proclus praefectus urbis. Post obeliscum cernitur aedificium, quod pro oppido circi vel pro carceribus accipere licet. Ipse obeliscus hieroglyphicis insignitur characteribus, quos tamen pro lubitu finxit sive marmoris artifex, sive qui primus delineavit, Sponius in itinere; et summus apex recisus est, quo vertici imponeretur pila. Cernitur deinde in eodem latere obeliscus jam erectus, licet integro cacumine et pila atque stylobate destitutus; et prope eum ab altera parte luctatores duo, ab altera tres figurae, quas prodente Gyllio hac ratione interpretantur Constantinopolitani, ut magister sit qui nisi interposita tertia persona retentus fuisset, castigare conatur discipulum, quod se absente obeliscum erexisset.

§. I V.

Sed inter anaglypha, in quibus exprimuntur obelisci, tum artis elegantia tum argumenti novitate, longe eminet illud quod Romae visitur in ejus columnae stylobate, quam Antonino Pio in consecrationis memoriam dedicaverunt M. Aurelius Antoninus et L. Verus filii [5]. In eo Antoninus et Faustina uxor, diis adscripti,

---

[1] Lib. cit. cap. 12.

[2] Spina caruisse videtur hippodromus Byzantinus, saltem nullum ejus in anaglypho vestigium, neque in icone circi, quam exhibet Panvinius libro de Circensibus in Graev. thes. tom. 9. pag. 226.

[3] Gyllius, Sponius, Whelerus ll. cc.

[4] Etiam equos movendo obelisco adhibitos fuisse, ex hoc stylobate colligere sibi visi sunt nonnulli, sed in errorem eos induxerunt Bandurius imperii orientalis tom. 2. pag. 667.; Gronovius in praefatione ad tom. 9. thesaur. ant. Graec.; et Montfaucon antiqu. expl. tom. 3. tab. 187.; qui icones mutuati ex libro Sponii, perperam in unum contraxerunt utriusque lateris typos, quos ipse Sponius accurate separatos exhibet.

[5] Quatuor hujus monumenti latera aeri incidenda curavit, et docte in ea commentatus est Joannes Vignolius libro de columna Antonini Pii, Romae 1705., quo tempore jussu Clementis XI. P. M. e terra erutus fuit stylobates marmoreus pedum duodenum, una cum ipsa columna ex syenite lapide alta pedes 50., quae postea incendio corrupta est. Is in typo, quem enarrandum mihi proposui, Mundi genium vidit imperatores in sublime deferentem, et immortitatis genium eum putat qui humi sedens attollit obeliscum, immortalitatis, ut ipse docet, symbolum. Serpentem mundi animam interpretatur, sole vero absente designari ait tempus nocturnum, et zodiaci signis certum quid denotari negat. Denique Romam deam dextra ad volantem genium extensa auxiliariam manum ei praebere existimat. Quam eruditissimi viri expositionem minime praetereundam putavi, rationes quae ab ejus sententia recedere cogunt, fusius explicaturus in sectione de usu et significatu obeliscorum. Hic enim non de interpretatione agitur, sed de monumento describendo. Caeterum a Vignolio docemur praesens anaglyphum eam obtinere partem stylobatae, quae olim conversa fuit ad solem orientem. Vide lib. cit. pag. 12. 13.

nudo ille capite et dextra gestans scipionem consularem, haec velata, feruntur dorso genii, qui alis late explicatis sursum attollitur: divos utrinque comitante aquila, animae symbolo ad superos evolantis [1]. Genius specie est juvenili et venusta, modice comatus, alis praegrandibus, nudusque praeter volitans amiculum, quod ipse dextra prehensum retinet. Hunc si Urani ministrum appellaverim et immortalitatis nuncium, haud procul a vero me abfuturum esse existimo. Sinistra enim praefert globum coelestem, signifero circulo crescentisque lunae imagine et quinque planetis insignem: sole coeli anima et volventium saeculorum rectore, occultiori serpentis emblemate adumbrato, [2] qui in spiras contractus globo obvolvitur ore ad genium converso. Zodiacum circulum, qui globum intersecat, obtinent signa piscium, arietis atque tauri; nam sole in Piscibus constituto consecratus est Antoninus, Aries vero, coelestis anni dux, Marti sacer fuit, et Taurus Veneri, Romanae gentis auctoribus. Porro in dextro marmoris angulo, infra pedes coelestis genii, humi sedet juvenis seminudus, quem Romani orbis genium esse puto. Humilior locus, humiliorque oris et corporis habitus genium declarant terrestrem, alis quoque destitutum [3]. Is sublatis ad imperatores oculis, laevo brachio complectitur obeliscum femori suo impositum, munus amoris atque gratitudinis in principem, quo probior nullus tenuit Romanum imperium [4]. E regione altior sedet galeata dea Roma, amazonica tunica et talari peplo induta, sinistra innixa clypeo, in quo scalpta est lupa cum geminis, dextramque elevat velut imperatores astris receptos salutatura. Circum adjacent spolia militaria, et infra pedes deae decurrunt fluenta Tiberis e rupe, cui ipsa insidet, delapsa. [5] Obeliscus autem quem subrigit decumbens genius, stylobatae insistit fere cubico cum coronide rustica, et cacumine sustinet pilam aculeatam quatuor fulcris munitam, quae obelisci angulis applicata pertingunt usque ad imam partem pyramidii: eadem prorsus ratione qua olim ornatum cernebatur fastigium obelisci Vaticani. Universa ejus altitudo quatuor palmorum est et unciarum VII-S. Ex his stylobates occupat uncias IV-S., pyramidium III., totidem globus atque apex globo superimpositus. Latitudo in ima trabe efficit uncias III. et decimas partes VIII., in summitate uncias II-S. Hanc proportionem licet minime statuamus certo aliquo consilio servatam ab artifice, tamen advertere juvat obelisci longitudinem tredecies fere latitudinem baseos exaequare. [6]

---

1 Consule Vignolium lib. cit. pag. 127.

2 In numis Aegyptiis serpenti, qui equo insidet, adscriptum legitur Solis vocabulum. Inspice librum cui titulus: *Numi Aegyptii imperatorii in Museo Borgiano Velitris*: in Domitiano num. 101. ex museo Emin. Card. Borgiae, et in Vero num. 40. ex museo Regis Galliae. Confer etiam Clem. Alex. strom. 5, 4.

3 Eundem Romani orbis genium conspicere mihi videor rogo adsidentem in apotheosi junioris Faustinae, inter anaglypha Musei Capitolini tab. 12. luce donata a viro doctrina atque humanitate conspicuo Fogginio, sed qui erudita conjectura ea imagine repraesentari arbitratur genium vici Halalae ad radices Tauri montis siti, ubi fatum obiit Faustina.

4 Hisce jam prelo destinatis, doceor a viro cl. Visconti, cujus singulàrem sagacitatem in antiquis operibus interpretandis suspiciunt eruditi, et in hac figura et in ea quam modo laudavi ex anaglypho Capitolino, expressum sibi videri Genium Campi Martii, ubi solemne fuit rogos exstruere defunctorumque corpora cremare, et cui obeliscus horarius ab Augusto erectus inter praecipua cessit ornamenta.

5 Flumen nunc quidem periit e lapide, una cum cruribus genii humi sedentis: sed olim adfuisse fidem facit Vignolius.

6 Ipsum anaglyphum novis curis delineatum et aeri incisum sistimus in fronte praefationis.

§. V.

Inter gemmas notatu digna est jaspis Basilidiana coloris mixti e rubro et viridi, servata in dactyliotheca Borgiana. Ibi obelisco incisum cernitur nomen IAW: et prope stat dea tunicata et alata cum flore in capite, ad obeliscum conversa. Lapidis autem figura ea est ut brevior sit et crassus, cum fastigio pyramidali, et sine stylobate.[1] Eas autem gemmas, quae Circum exhibent cum obelisco, in medium afferre supersedeo, siquidem nulla hactenus mihi innotuit, quae pro hoc nostro argumento aliquid facere visa sit. Si cui cordi sunt, inspiciat Gorium in gemmis musei Florentini tomo 2. tabula 79.; et Montfauconii antiquitates tomo 3. tabula 162.

§. VI.

Neque ex numis multum quaerendum est praesidii, cum praeter eos qui Circum prae se ferunt vix unus alterque inveniatur obelisco insignitus. Parisienses quidem Academici Inscriptionum, in consultatione qua agitur an Manlius Mathematicus omnium primus obelisco pilam addiderit,[2] affirmant reperiri Graecos numos Pythea, vel quod idem est Alexandro Magno anteriores, in quibus obeliscus cum pila vertici superimposita: in his tetradrachmum Philippi patris Alexandri apud Golzium in numismatis Graeciae, operum tomo 3., tabula 30., num. 5. Hic altera facie sistit caput Herculis imberbe leonina pelle obtectum; altera epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, et typum Jovis sellae insidentis, qui dextra aquilam sustinet, sinistra hastae innititur. In area ante Jovem est obeliscus cum globo super apice, toro et stylobatae impositus; et inter sellae fulcra littera Τ[3]. Praeclarum sane monumentum, at auctor parum idoneus. Nam etiamsi tueri velis fidem Golzii, quam ego damnare non sustineo, tamen de accuratione dubitandum: praesertim in minutis illis rebus, quae occurrunt in area numismatum. Si vero, quod asserunt eruditi Parisienses, alii exstant numi similes, me hactenus fugiunt.[4] In tetradrachmo quidem Alexandri Magni, qui est in Museo Eminentissimi Cardinalis Borgiae, aliquando deprehendisse mihi visus sum obeliscum stella in vertice insi-

---

[1] Vide ectypon ejus ad calcem hujus sectionis, insimul cum scarabaeo ex eodem museo, de quo sermo erit infra.

[2] *Histoire de l' Academie des Inscriptions et des Belles lettres* tom. 2. pag. 210. et apud Bandinium in appendice commentarii de obelisco Caesaris Augusti pag. 68. Vide etiam *Goguet de l'origine des loix* part. 2. lib. 3., cap. 2. art. 2.

[3] Malim caeteroquin eos numos qui cum Philippi regis nomine conjungunt caput Herculis et typum Jovis αετοφορου, cum Harduino et Froelichio tribuere fratri Alexandri, quam patri ejus, licet hanc sententiam amplexi sint summi viri Pellerinius atque Eckhelius. Ea enim in iis offenditur metalli, moduli et fabricae similitudo cum numis Alexandri, a certis vero Philippi II. numis discrepantia, ut post Alexandrum cusi videantur potius quam ante eum. Sed haec disputatio, donec certum inveniatur hujus generis numisma obelisco insignitum, huc non pertinet.

[4] Haec jam typis mandata fuere, ubi inspicere licuit librum rarissimum: *Recueil de medailles des rois du cabinet de Mr. P. van Damme. à Amsterdam* 1790., cujus exemplaria non plus duodecim expressa fuisse testantur litteratores Goettingenses. (*Gottingische anzeigen von gelehrten sachen* 1791. num. 77.) a ditissimi istius numophylacii possessore dono missum Eminentissimo Borgiae, quem omnium bonarum artium patronum agnoscunt quoque et venerantur exteri. Hujus libri tabula 5., num. 5., sistitur tetradrachmus in omni re similis Golziano illi supra descripto, notatus etiam littera G., qua nescio num indicetur a Golzio jam fuisse divulgatum, vel ex hujus museo migrasse in Dammianum; nam liber e solis constat iconismis, ne notarum quidem explicatione adjecta.

gnem, at diligentiori inspectione invenio figuram conicam, quam pro Agyeo accipere licet Apollini consecrato, vel pro Baetylio, cujusmodi in variis per Asiam urbibus Soli sacra novimus. Sed anecdotum numum, cujus et infra recurret mentio, si hoc loco descriptum proponam, rem erudito lectori non ingratam me facturum confido. Alteram quidem ejus partem de more occupat caput Herculis imberbe leoninis spoliis tectum, alteram Jupiter seminudus, qui throno cum suppedaneo insidet dextrorsum conversus, et dextra porrecta gestat aquilam, sinistra elata adnititur hastae; addita epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. In area autem a dextris ante Jovis genua conus cernitur figurae aliquantum irregularis, cujus vertici imminet astrum grande octo radiis conspicuum, et infra conum patera, nisi mavis litteram Θ: interque fulcra throni constitutum est monogramma ΜΕ, quod num spectare possit ad Methymnaeos Lesbi insulae cives, judicent eruditi. [1]

In numis quoque Illyrici atque Epiri obeliscos exstare putant nonnulli, in quibus Pellerinius *recueil de medailles de villes et de peuples* tom.1.pag.79. tab.12: num.1. At Eckhelius in numis anecdotis pag.102. 103. metam tantum agnoscit in harum provinciarum pecunia: et qui hujusmodi numismata adservantur in museo Borgiano figuram praeferunt, metae certo quam obelisco similiorem. [2] Metam quoque repraesentare suspicor brevem eum obeliscum praealto stylobatae insistentem, qui inter duo templa constitutus comparet in numo Caracallae apud Gorium in numismatis maximi moduli musei Florentini tomo 2., tabula 59., numero 3., a Sardianis iterum neocoris procusus: ubi tres coronae, una in metae cacumine, reliquae in area super templa, ludos innuere videntur. Duos vero obeliscos quos in Cypriorum numismate cum capite Vespasiani ante templum Paphiae Veneris collocatos sistit Havercampus in numophylacio Reginae Christinae tabula 52., numero 16.; ex integerrimo ejusdem insulae numo in honorem Iuliae Domnae percusso, qui exstat in museo Borgiano, candelabra esse colligo. [3]

Unicus ergo relinquitur Graecus numus, mihi quidem notus, in quo certus conspicitur atque Aegyptius obeliscus. Alexandri Augusti is est, in Aegypto cusus et quinto imperii anno praenotatus; quem olim inspexi in museo Regis Galliae [4]. Typus est Nilus seminudus decumbens dextrorsum conversus et sinistro cubito suffultus, cum octo pueris et obelisco super stylobate ad fluvii pedes adstituto. Nilus dextra subrigit cornu Amaltheae genubus suis impositum, sinistra complectitur arundinem. E pueris quatuor circumludunt arundinem Niloticam, quintus sedet inter fruges quibus refertum est cornu abundantiae, sexto ad imum cornu adsidente; septimus vero consistens prope obelisci stylobaten jacentem Nilum prospicit, octavusque conscenso stylobate ulnis amplectitur obeliscum, antiquae opulentiae symbolum.

Latinos numos citatos invenio, in memoriam obeliscorum ab Augusto ex Ae-

---

[1] Confer cl. Eckhelium *num. anecdot.* p.75. Numi ectypon habes ad calcem sectionis quartae.

[2] Novam horum numorum interpretationem mecum communicavit vir ingenio et doctrina clarus Ennius Quirinus Visconti, quam eruditis arrisuram esse minime dubito, nimirum candelabrum in iis excusum cerni, eoque alludi ad Apollinem sive Solem, quem impense colebant Apolloniatae, Actii, aliique hujus tractus incolae.

[3] Exstare quoque in museo Caesareo duo Cypriorum numismata, in quibus ante Paphiae templum bina compareant candelabra, pro humanitate sua litteris ad me datis significavit vir cl.Eckhelius,

[4] *Numi Aegyptii imperatorii ex museo Borgiano Velitris* in Alexandro n. 39.

gypto advectorum signatos, [1] prostantes apud Tristanum in commentariis historicis tomo 1. pag. 84. et apud Mediobarbum in imperatorum Romanorum numismatis pag. 22. [2] Eosdem aeri incisos reperies apud Havercampum in numophylacio Reginae Christinae tabula 1. numero 3. 4.: et in Morellii thesauro XII. Caesarum, inter numos Caesaris tabula 5, num.26. —— 33.; Augusti tabula 26, num.9. —— 12, tabula 27, num.5.6: descriptos autem atque explicatos ibidem tomo 1. pag.73.75. 352.357. Hi altera facie prae se ferunt epigraphen DIVI IVLI. IMP. CAESAR DIVI F. capita vero Julii Caesaris et Imperatoris Caesaris Octaviani, cervicibus oppositis, intermedia nonnunquam palma: altera parte ostentant epigraphas COPIA vel C. I. V. nonnunquam etiam litteris omnino carent. Typus autem aversae navis est, cujus prorae imminet trabs gracilescens, quae Angelono pyramis visa est, Tristano aliisque obeliscus, Schlegelio vero et Havercampo turris. Ex his eruditorum virorum sententiis cui sit assentiendum pronunciare non audeo, nam justae conservationis exemplar nancisci nondum contigit. In iconismis sane obelisco vel metae similior est figura quam turri, at bini hujus generis numi in museo Borgiano prostantes, licet non parum corrosi, suspicari faciunt adesse solummodo notam assis, quae crassa saepe offenditur et trabi similis et nonnunquam super navi constituta; nisi quod numis extra Italiam signatis assis nota minus convenire videatur. Sed haec quomodocunque se habeant, ex anticae epigraphe constat hosce numos cusos fuisse ante receptum ab Octaviano Augusti titulum [3], id est annis saltem ante Christum natum 27., ideoque respicere non posse obeliscos quos Romae statuit Augustus anno ante aeram nostram 10., qui Urbis est 744.

Circum denique cum obelisco in media spina super stylobate erecto, vertice modo nudo, modo pila nonnumquam aculeata decoro, habes in numis aereis Trajani, Caracallae, et Gordiani Pii, apud Venutium in numismatis maximi moduli bibliothecae Vaticanae tomo 1., tabula 50., num. 3; tomo 2, tabula 67., n. 2; in Begeri thesauro Brandenburgico tomo 3., pagina 115; apud Havercampum in numophylacio Reginae Christinae tabula 9., numero ultimo, et tabula 27., n.10; in Pedrusii numis Farnesianis tom. 5. tab. 21. num. 4.; tom. 6. tab. 24. num. 5.; tom. 7. tab. 29. num.6.; apud Bonarrotium in *osservazioni sopra alcuni medaglioni antichi* tab. 14. num. 5.; apud Gorium in musei Florentini numismatis maximi moduli tomo 2., tabula 70., num. 1.; et in numismatis maximi moduli ex cimeliarchio Ludovici XIV. regis Galliarum tabula 18. num. 9. Idemque typus offenditur in missilibus aereis, quae Italis audiunt *contorniati*, cum capitibus Augusti, Neronis, Trajani, Elagabali et Alexandri Severi, apud Havercampum de numis contorniatis, tabulis 6. 8. 10. 12.; in Morellii thesauro duodecim Caesarum, tabula Augusti 23., Neronis 6.; et apud Pedrusium in numis Farnesianis tom. 5. tab. 6. num. 2. 4. tab. 20. num. 5.

§. VII.

Haec quidem sunt quae in Graecis Romanisque scriptoribus et monumentis reperi ad obeliscos sive ad Aegyptias stelas spectantia. Alia praeterea superesse, quae meam hactenus effugere diligentiam, nullus dubito, foreque viros eruditos

[1] Vide cl. Bandinium commentario de obelisco Caes. Aug. pag. 32.

[2] Editionis 1683.

[3] Octavianus Caesar anno Urbis 725. Imperatoris praenomen accepit, et duobus annis post Augustus fuit renunciatus. Consequitur inde hoc temporis intervallo cusos fuisse numos, qui absque Augusti appellatione sistunt praenomen Imperatoris.

qui attentius lectis scriptoribus vel monumentis diligentius inspectis apparatum sistant uberiorem. De iis autem figuris, quae obeliscos aut stelas repraesentantes non ita raro occurrunt inter hieroglyphicos Aegyptiorum characteres, alio loco disserere mihi proposui. Nam cuncta ea quae ex Aegyptiis petuntur monumentis, nimiis involuta sunt tenebris, quam ut certum exploratumque quid ex iis elicere queas, nisi ubi argumentis adjutus magis perspicuis multa jam stabiliveris atque definiveris. Hoc tantum adnotare juvat, obeliscos, qui repetiti cernuntur in scalpturis obeliscorum Lateranensis et Flaminii inque aliis monumentis Aegyptiis, breves plerumque videri et crassiores, integra longitudine modo quinquies modo sexies vel septies superante imae partis latitudinem, cum modica latitudinis in summa trabe diminutione; apicem constanter comparere nudum et integrum, desinentem in angulum plus minusve acutum; pedem vero defixum in stylobaten rotundum atque humilem, nonnunquam perexiguum, trabis latitudinem modo plus modo minus excedentem, aliquando et abaco ejusdem fere latitudinis superimpositum: caeterum singulos plerumque deprehendi obeliscos aut ternos simul constitutos. Eadem fere ratio est obeliscorum, qui scalpti inveniuntur in scarabaeis e creta candida fictis et malta vitrescente obductis, quibus pro signaculis usi videntur Aegyptii. Ex hac familia unum habes in Shawii itinere, versionis Gallicae tomo 2,, pag. 166., litt. S,; ubi e regione obelisci sedet vir cum lituo, cidari pone eum adstituta: infra vero adesse videntur serpentes uraei duo, et supra obeliscum schema ellipticum cum minutis notis non satis clare expressis. Alterum coloris viridis prostantem in dactyliotheca Borgiana hic aeri incisum vides. In eo prope obeliscum est scarabaeus, Soli sacer et creatoris dei ex Aegyptiorum mente symbolum, inque obeliscorum fastigiis frequenter obvius. E regione autem sedet vir manu fronti admota, tamquam res longinquas prospiciens: et supra caput hujus cernis orbem ellipticum et scaphium, quae forte solis iter significant et elementum cui innatant astra. Si vero conjecturis iudulgere licet, ea forsan est totius scalpturae sententia, e mundi contemplatione discere homines aeternum dei numen venerari.





In Museo Borgiano Velitris V. pag. 61. 64

Ant. Ronnelli del. *C. Antonini sculp.*

SECTIO SECUNDA.

Enarratio obeliscorum Aegyptiorum qui hodie vel integri vel aliqua sui parte superstites offenduntur.

Recensione facta testimoniorum ad obeliscos qui hodie adhuc supersunt enarrandos transeo. In his principem locum tenent ii, qui ab Augusto aliisque imperatoribus Romam deportati et erecti, deinde Urbis cladibus prostrati, renato postea artium et antiquitatis studio a Summis Pontificibus, Sixto Quinto praesertim, et qui huic nostro saeculo illuxit ad praeclara quaeque atque ardua perficienda natus, PIO SEXTO, quo Urbi suae veterem redderent splendorem, e terra effossi et coelo restituti fuerunt. Nam praeter quod nullo alio orbis loco tot obeliscos simul existere compertum sit, nec tam magnos tamque eximia arte elaboratos, si unum demas alterumque Thebis in Aegypto adhuc superstitem: hi quos Romae quotidie intueri datur, soli fere probe innotuerunt eruditis, atque ab iis initium cepit omnis in obeliscorum naturam inque hieroglyphicas notas inquisitio. His igitur pro magnitudinis successione recensitis, ab Urbe velut communi antiquorum operum centro egredi propositum est, et geographico quodam ordine per reliquam Italiam caeterasque Europae provincias investigare obeliscos. Pauci ii quidem sunt, nec mole nec conservatione Romanis obeliscis aequiparandi. Sed uberiorem messem offert Aegyptus, artium mater magnorumque operum nutrix, et post omnis generis calamitates, quas viginti amplius saeculis perpessa est, hodie adhuc vetustorum monumentorum et copia et magnitudine prae reliquo orbe conspicua. Ea ab Alexandria usque ad Philas peragrata, in conterminam transibo Aethiopiam, in cujus oppido Axuma, Aegyptiorum ut videtur colonia, exstare perhibentur obelisci non pauci numero, sed hieroglyphicis characteribus destituti et, tribus exceptis, molis exiguae. In reliquis terrae regionibus si offenduntur obelisci Aegyptii, me hactenus fugiunt; de iis autem monumentis passim obviis, quae aliqua figurae similitudine accedere videntur ad obeliscos, sed quibus cum Aegypto nulla certa cognatio, sermonem habebo infra, ubi dicendum erit de stelarum et obeliscorum apud varias gentes usu et origine.

In singulis autem obeliscis describendis id institutum est, ut praeter locum, materiem, magnitudinem et figuram, declarem etiam quale sit scalpturarum artificium, quae elegantiores quaeve rudiores, vel ubi hoc respectu uni alterive obelisco insit peculiare quid, ad aetatem patriamque eorum investigandas utile. De notarum distributione pauca quaedam delibavi summatim, quae praesertim faciunt ad obeliscos inter sese comparandos et in aliquas velut classes redigendos: pleniorem vero enarrationem effigierum, quae habentur in iis obeliscis, quos vel ipse vidi vel quorum ad manus sunt iconismi, seorsim in ultima libri sectione melius proponi existimavi. Hoc monendum superest, obeliscos, de quibus hoc loco sermonem instituimus, universos factos esse ex pyrrhopoecilo sive Syenite lapide rubro, vulgo dicto *granito rosso*: nisi ubi expresse annotetur ex alio lapide esse monumentum, vel proditam non inveniri ejusdem materiem. Pro mensura vero constanter usus sum palmo, quem vocant Romanum architectonicum, continente partes 990 ex partibus 1440. pedis Parisiensis, diviso in uncias duodecim, quae singulae dividuntur in minuta quinque vel in lineas decem.

CAPUT PRIMUM

Obelisci veteres Romae existentes.

§. I.

Romanos non solum obeliscos, sed quotquot hodie supersunt magnitudine antecellit ille, quem a patre ex Aegypto advectum Constantius imperator in Circo Maximo statuit, nunc erectus ante porticum septentrionalem templi Lateranensis. Eum esse volunt quem a Ramise excisum prodit Plinius, omnium in ipsa Aegypto maximum: sed de hac re inferius erit disputandum. Hic enim de figura ejus, et reliqua indole, non de historia quaerimus.

In mensura ejus prodenda nonnihil inter se dissentiunt qui humi stratum conspexere, Fontana et Mercatus: [1] sed adcuratior videtur Mercati diligentia, Fontanam autem architectum ad pondus tantum inveniendum rudiori mensura contentum fuisse credibile est. Audiamus utrumque. Dominicus Fontana in libro de transportatione obelisci Vaticani deque aliis operibus a se perfectis fol. 70. Constantianum obeliscum repertum fuisse narrat in tria fragmina ruptum, quorum infimum palmos contineret sexaginta sex, secundum quadraginta quatuor, tertium cum adhaerente pyramidio triginta quinque: itaque integram longitudinem aequasse palmos centum quadraginta quinque, e quibus pyramidium occuparet quindecim, quadratus truncus centum triginta. Latera quidem non esse perfecte aequalia, circumferentiam autem efficere in ima trabe palmos quinquaginta duo cum triente, in summa palmos triginta tres. Continere totum obeliscum palmos cubicos 15383., et pondus librarum 1322938. Haec Fontana. Ubi vero Mercatum consulis libro de obeliscis Romanis capite 42.pag. 379. 384. e tribus frustis in Circo Maximo effossis infimum fuit palmorum sexaginta quinque cum semisse, medium palmorum quadraginta trium cum semisse, ultimum triginta novem. Universa igitur altitudo fuit palmorum centum quadraginta octo; sed ita fracta apparuit et corrupta infima trabis pars sive basis, ut quatuor palmos auferre opus fuerit, quo denuo posset erigi: ideoque relicti fuere palmi centum quadraginta quatuor, e quibus quatuordecim ad pyramidion pertinent sive acrobelida, centum triginta quadrati trunci efficiunt longitudinem. Latus autem est obeliscus in ima trabe duobus lateribus sibi oppositis, quae nunc meridiem spectant et septentrionem, palmos tredecim cum quadrante, reliquis lateribus palmos duodecim cum triente. In summa trabe infra pyramidion latiores facies exaequant singulae palmos novem cum quarta parte palmi, angustiores habent palmos septem et dodrantem. Circumferentia igitur in basi palmos tantum colligit quinquaginta unum et uncias duas; in summitate palmos triginta quatuor. Comprehendit obeliscus palmos cubicos 15129., quibus pondus est librarum 1301094. [2]

---

[1] *Della trasportatione dell' Obelisco Vaticano et delle fabriche di N. S. P. Sisto V. fatte dal Cav. Domenico Fontana architetto di S. S. in Roma* 1590. Et: *Degli Obelischi di Roma di Monsig. Michele Mercati Protonot. Apost. alla Santità di N.S. Sisto V.P.M. in Roma* 1589.

[2] Obelisci symmetriam e Mercati libro transcriptam habes in Kircheri Oedipo tom. 3., pag. 165. 166. sed ubi typothetae incuria basis latera majora produntur palmorum tredecim cum semisse, et obelisci pondus librarum 1310094.

Figura eadem fere quae in reliquis obeliscis Aegyptiis, nempe basis quadrata est et trunci latera plana;[1] atque dum assurgit lapis, sensim gracilescit, donec emensa longitudinis parte longe maxima ventum sit ad angulos superiores, supra quos procliviori declinatione in pyramidion convergunt latera. Hoc vero nobis annotandum reliquerunt viri eruditi, acrobelida non veram efficere pyramidem lateribus atque angulis recta linea a basi tendentibus ad verticem, sed aliquam habere convexitatem, qua cono angulis deformato assimilatur fastigium. Idem obtinet in obelisco Flaminio, sed magis in oculos incurrit in minoribus obeliscis, Mahutaeo atque Mediceo, quos ad hanc legem recte expressit Kircherus in Oedipi tomo 3. pag. 317., in majoribus obeliscis delineandis hancce apicis a pyramidali figura declinationem negligens.

Praeter palmos quatuor, quos a pede obelisci recisos narrat Mercatus, et fidem faciunt effigies quae ibi cernuntur dimidiatae, non pauca desiderantur in superficie circa imam partem, praesertim in angulis, quos veteris stylobatae fragminibus refecit Fontana, et frustrato labore oneravit characteribus pseud-aegyptiis. Idem evenit circa commissuras frustorum trium, in quae disruptus fuerat obeliscus, quorumque extremae orae comminutae fuerunt. Invenies praeterea lapidis facies hinc et inde ignis vi delibatas, sed non magno notarum detrimento. Fragmentum autem ex lateris orientalis parte infima, altum palmos quinque, latum tres, forma irregulari, servatur Velitris in museo Borgiano, quod paucis abhinc annis neglectum jacuit in area Lateranensi una cum veteris stylobatae fragmine supra memorato.

Syenites lapis e quo excisus est obeliscus Constantianus, coloris est paullo pallidioris, quam in reliquis Romanis obeliscis, dempto Minervaeo, quamquam rubore et densitate vincat pyrrhopoecilum in Italiae montibus obvium. Universa autem moles ab imo usque ad apicem effigiebus decoratur notisque hieroglyphicis, quibus eadem inest artis excellentia, quam deprehendimus in Augusteis obeliscis, in reliquorum qui Romae exstant scalpturis frustra quaesita.

Sunt enim tres illi obelisci, Lateranensis, Flaminius, et quem ante Curiam Innocentianam nuper erigi jussit PIVS SEXTVS, eo artificio scalpti, ut quaecunque Aegyptia monumenta advecta fuere in Europam, excepto uno alteroque minoris moduli opere, elegantia longe superent; et vix credibile sit exstare hodie in Aegypto quae palmam eis praeripiant: exque iis potissimum discimus, quae fuerit artis indoles apud Aegyptios quo tempore res eorum maxime floruere. Lineae quibus circumscribuntur figurae, rigidae sunt et austerae, ut festinanter intuentibus geometrica quadam ratione ad normam et circinum ductae videantur: qua re praesertim dignoscitur haec scalpturae species a reliquorum populorum operibus et ab ipsis Aegyptiis monumentis aevi minus remoti. Sed ea duritas impedimento non est quin in hominum animantiumque effigiebus apte expressa sint membra musculique et vultus; in attributis, vestibus et utensilibus forma et modus. Cuncta potius admodum accurate scalpta sunt, et in multis figuris operosa quaedam apparet diligentia, qua minimas quasque partes exacte repraesentare studuit artifex; etsi his permixtae aliae etiam adsunt, ubi praecipuas lineas perfecisse contentus minora lineamenta neglexit. Maxima cura in grandioribus illis figuris, quas circa caput et basin obelisci

[1] Ea tamen Lateranensis obelisci facies, quae occidentem solem respicit, non perfecte complanata est, sed exigua quadam convexitate deformatur.

adstitutas, historicas appellamus, quasque in tribus hisce obeliscis singulari elegantia effictas videmus. Animantium etiam plurimae hominumque effigies, licet iis notis, quas per obelisci scapum columnatim dispositas symbolicas dicimus, [1] insertae, ad naturae veritatem sunt expressae: sunt et utensilia quaedam magna diligentia elaborata. Atque haec de arte quatenus in saxo scalpendo versetur: ubi vero inventionem spectes, humanae effigies sublimitatem quandam prae se ferunt roburque corporis, et quamquam ea careant gratia, quam admiramur in Graecorum operibus, nihilosecius inest iis pulchritudo aliqua Aegyptiorum ingenio accommodata, nec Europaeis inamoena: earumque contemplatione docemur, idem fecisse Aegyptios quod Graeci artifices, ut vulgaribus formis rejectis eas deligerent quas civibus suis prae reliquis noverint placituras. Motus et actus figurarum simplices sunt et lenti, nec magna in iis varietas: sed non raro naturam et rei veritatem perfecta imitatione exprimunt. Symplegmata raro obvia sunt, sed plerumque eae figurae, quae actione inter se conjunguntur, altera alteri e regione cernuntur positae. Quod denique attinet ad scalpturae modum in supra dictis obeliscis: in plana lapidis superficie incisa sunt spatia singulis figuris designata, iisdemque lineis circumscripta quibus ipsae figurae: et in iis prostant effigies anaglyptice scalptae, modo plus modo minus elevatae, cavorumque spatiorum marginibus tanquam coronide cinctae. Sunt nempe ex iis spatiis nonnulla, quae ad profunditatem plus quam duarum unciarum excavata effigies includunt paululum tantum ex imo fundo emergentes, alias modice elatas; sunt alia, quorum cavitas non plus efficit semuncia vel quarta adeo parte unciae, inque iis effigies exstant summa lapidis superficie non multo depressiores; sunt et notae nonnullae minutae et quaedam majorum effigierum extremae partes et velut accessoriae, quae sulcis simplicibus tenuibusque exaratae nulla plane gaudent prominentia. Plerumque historicae figurae, et quaecunque ob linearum flexus scalptu essent difficiliores, marginibus circumdantur minus altis quam reliquae notae symbolicae, quarum magna pars in ima cavitate ita sunt abditae, ut procul intuentibus cavi spatii margines pro ipsis sint figurarum lineamentis. Qua via facilitatem operis sectatus intelligitur scalptor, nec aliud esse huius rei consilium. Caeterum plana saxi superficies naxio vel alio ejusmodi pulvere ad splendorem usque laevigata est, historicae quoque effigies et notarum pars eximio laevore nitent; quae vero depressius scalpta sunt, vel solis sulcis exarata, laevore carent et scalpro tantum videntur expolita.

Hieroglyphicorum autem in Lateranensi obelisco destributio haec est. Pyramidii latera ornant figurae historicae quadrilatero schemati inclusae, inque meridionali latere super eo schemate duae adsunt notarum columnae; in reliquis summus apex purus est. Infra pyramidion in unoquoque latere alii duo effícti sunt historicarum figurarum ordines, quae tanquam capitulum efficiunt obelisci; et basin canali horizontaliter perducto a reliqua trabe separatam circumstat quartus earundem ordo, qui nunc quidem majori ex parte periit. Singulis historicarum figurarum ordinibus adjecti sunt characteres minuti, quos majorum effigierum continere dixeris interpretationem. Universum autem illud spatium, quod est capitulum inter et basin, quodque scapum appellaveris commode, majores obtinent notae symbolicae, singulis lateribus in tres columnas divisae. Hasce scalpturas alio loco enar.

[1] De hac distinctione inter figuras historicas et notas symbolicas, vide quae dicturi sumu in ultima hujus libri sectione.

rare mihi proposui, sed hic praevie notare expedit, eum historicarum figurarum ordinem, quem excipiunt notae symbolicae, et qui tanquam caput esse videtur totius sermonis, in singulis lateribus exhibere accipitris pileati imaginem praegrandem, cui vir dona offert, accipitrem comitante serpente uraeo cum globo et clave.

Iconem habes apud Kircherum in Oedipi Aegyptiaci tomo 3., syntagmate 2. pag. 161., [1] sed neque in molis figura neque in hieroglyphicis characteribus reddendis satis diligentem. Est quidem is circiter notarum ordo, quem expressit Kircherus, licet in hac quoque re non raro peccet; ubi vero figuras spectes singulas, incredibile est quantum aberret Oedipus. Nulla exacta lineamentorum descriptio, nulla artis Aegyptiae imitatio, nulla adcuratio in vestibus, insignibus, instrumentis, quibus ad cogitata declaranda usi sunt Aegyptii; neque animantium species, neque hominum gestus et attributa diligenter sunt expressa. Multa in schematismo obscura evadunt, quae liquent ipso inspecto monumento: nonnulla omissa sunt, a vetere artifice profecta; alia quae recentioris sunt artificii, velut genuina in tabulam recepta; nonnulla etiam ex arbitrio suppleta. Sed ea est conditio Romanorum obeliscorum, quotquot aeri incidendos curavit Kircherus, ut icones iis quos notavi laborent defectibus; attamen solae exstent eorundem delineationes aliqua attentione dignae. Dominicus Fontana binas Lateranensis obelisci icones in aes incisas vulgavit, minorem alteram duo tantum obelisci latera sistentem, insertam operi de transportatione obelisci Vaticani fol. 72., alteram majorem, cujus ipse meminit libro citato fol. 71., docens in ea repraesentari quatuor obelisci facies cum hieroglyphicis notis exacte delineatis, quo inservire posset iis qui notas interpretari essent aggressuri. Hanc ego non vidi, priorem vero exiguae deprehendi utilitatis. Reliqui etiam hujus caeterorumque obeliscorum iconismi, quotquot inspicere obtigit, Kircherianis tabulis sunt inferiores, neque eos indicare operae pretium existimo.

§. II.

Secunda in Romanis obeliscis magnitudo ei est, quem in Vaticani Circi spina erexit Cajus Caesar, Sixtus Quintus autem collocavit in meditullio areae ante aedem Divi Petri. Is purus est, Aegyptiis notis prorsus destitutus, atque si fides est Plinio, excisus a Nuncoreo Sesosidis filio, qui Herodoto dicitur Pheros. Fractus quidem videtur antiquitus, neque exigua sui parte defraudatus, altitudine tamen exaequat palmos centum tredecim cum dimidio, e quibus sex tantum cedunt pyramidio, reliqui efficiunt longitudinem trunci, cui in ima parte singulis lateribus latitudo est palmorum duodecim cum uncia, sub apice palmorum octo et unciae. Continet autem palmos cubicos 11204, qui pendunt libras 963538. Ita Fontana architectus in libro quem scripsit de hoc obelisco a se transportato atque erecto fol. 9. Mercatus quoque in libro de obeliscis cap. 40. pag. 367, circa altitudinem convenit cum Fontana, aequalia etiam statuens latera, ima quidem parte palmis duodecim parum ampliora, summa quadratura octo palmis paria: soliditatem autem facit palmorum cubicorum 11544, et pondus librarum 992789.

[1] Athanasii Kircheri Soc. Jesu Oedipi Aegyptiaci tomus tertius, theatrum hieroglyphicum, h. e. nova et hucusque intentata obeliscorum coeterorumque hieroglyphicorum monumentorum interpretatio. Romae 1654.

At Kircherus Oedipi tomo 3., syntagmate 11., pag. 375. obelisci symmetriam et proportionem exactissime, ut ipse scribit, exhibet hoc modo: „ Obeliscus usque ad pyramidion altus est palmos centum septem cum semisse: obelisci basis inferior meridionalis lata palmos duodecim; basis orientalis duodecim; occidentalis tredecim cum semisse; borealis tredecim: pyramidion altum palmos sex; basis pyramidii ex omni fere parte lata palmos octo. Ex quo colligitur duo in obelisco inferiora ad basin latera deinceps esse inaequalia, unde basis obelisci non quadratum, sed parallelogrammum exprimit: Soliditas totius obelisci est palmorum cubicorum 11118., pondus vero librarum 956148. „ Quo pacto autem evenire possit, ut parallelogrammum efficiat planum cujus latus orientale palmos aequat duodecim, occidentale tredecim cum dimidio, itemque latus meridionale duodecim, boreale tredecim; nemo facile perspexerit. Nempe numerales notas ita oscitanter expressit typotheta, ut quam obelisci symmetriam statuerit Kircherus, plane sit incertum. Praeterea in apposita obelisci figura ima latitudo notata cernitur pl. 12. 7. id est palmis duodecim, uncia una, lineis quatuor; quae eadem est latitudo quam in tabulis aeneis a se vulgatis prodiderunt Antonius Lafrerius anno 1550. et Nicolaus van Aelst anno 1589. Et quod mirum est, in solida obelisci massa computanda convenit Kircherus cum scheda, quam ante institutam accuratam obelisci mensionem, a se vulgatam narrat Fontana fol. 9. In hoc vero cum Kirchero facile consentient, qui diligenti obtutu inspexerint obeliscum, latera ejus non esse aequalia: ampliores enim aliquantum apparent eae facies, quae inscriptione insignitae olim respiciebant circi aream, ad orientem atque occidentem solem conversae: et credibile est Fontanam in hoc uti in caeteris obeliscis, neglecta laterum symmetria, integram tantum peripheriam in quatuor partes distribuisse. Sed a palmis quadraginta octo cum triente, qui juxta Fontanam faciunt circumferentiam, nimis distant palmi quinquaginta semis, e Kircheriana symmetria colligendi. Huic tamen favet Petrus Bellonius, qui obeliscum mensus est, quo tempore aggesta humo obrutus erat stylobates, facilisque ad trabem patebat accessus. Is enim anno 1553. libro 1. de admirabili operum antiquorum praestantia, cap. 8., latitudinem ejus ab uno angulo ad alterum colligere ait palmos tredecim Sed qui primus obelisci prodidit mensuras, Julianus a Sangallo architectus, cujus liber membranaceus continens veterum operum delineationes coeptas anno 1465. servatur in bibliotheca Barberina, imae trabis latitudinem sistit brachiorum Florentinorum quatuor cum besse sive palmorum $12\frac{196}{990}$, summam latitudinem brachiorum trium cum decima brachii parte, sive palmorum $8\frac{84}{990}$. Itaque cunctis perpensis pronunciandum videtur, nihil statui posse circa Vaticani obelisci amplitudinem, nisi nova mensione facta, quae ut nunc quidem constitutus est obeliscus haud facile obtineri potest. Perutilis autem foret hujus rei cognitio ad veram Aegyptii cubiti longitudinem investigandam, cum valde probabile sit, hunc eum esse obeliscum, quem a Pherone excisum octonos cubitos latum prodit Herodotus [1].

Figuram ejus qualis olim stetit in circo Caii et Neronis principum exhibuere Julianus a Sangallo libro citato fol. 28. et 70.; Antonius Lafrerius tabula edita Romae 1550.; et Dominicus Fontana libro citato fol. 8. Qualis vero nunc cernitur, habes apud eundem Fontanam fol. 35.

Caeterum integerne sit obeliscus an mutilus, lis est inter eruditos. Ex iis

[1] V. sect. 1. pag. 3.

autem qui fractum statuunt, alii in Aegypto id evenisse arbitrantur, alii Romae. Quod certum est et neminem fugit, qui paullo attentius contemplatus fuerit Vaticanum obeliscum, figura ejus a consueta figura reliquorum, quos vel Romae videmus vel a peregrinatoribus depictos offendimus, non parum recedit, atque insolitum quid prae se fert, obtusior quam in reliquis, et oculis minus accepta. Ex mensione etiam arguitur eum esse nonnihil breviorem respectu latitudinis quam sint reliqui Romani obelisci. Sed haec indicia, licet suspicionem moveant, rei conficiendae minime sunt idonea. Nam Aegyptios in obeliscorum symmetria constituenda, lege aliqua exacte definita usos fuisse, nullis evinci potest validis argumentis, quod infra docebitur sectione tertia. Neque satis constat de hujus obelisci latitudine, quae si ea est quam prodidit Fontana, non multum intercedit quoad proportionem eum inter atque Flaminium. Hoc vero ad litem dirimendam magni ponderis est, quod idem Fontana libro citato fol. 16: doceat, obelisci fastigium non ea arte politum esse qua truncus quadratus, sed alia eaque imperitiori manu videri pertractatum; atque ex hoc indicio, accedentibus ejusdem fastigii brevitate et totius obelisci figura obtusa et inamoena, concludat, recte scripsisse Plinium, in molitione fractum fuisse Caii obeliscum. Eandem sententiam amplexi sunt major pars auctorum qui obeliscos sibi sumserunt argumentum. In his Petrus Angelius Bargaeus commentario de obelisco in Graevii thesauro tom. 4. pag. 1923.: Mercatus libro de obeliscis cap. 16. pag. 177.: Kircherus de obelisco Pamphilio pag. 70.: et Comes Rezzonico Plinianarum disquisitionum tom.2., pag.204.: iisque assentiendum esse in prima sectione adstruere conatus sum in Pliniani textus recensione pag.18. not. 82. Sed eorum qui negant credibile esse, quod fractus unquam fuerit obeliscus, ordinem ducit Philippus Pigafetta, qui in libro cui titulus *discorso. d' intorno all' istoria dell'Aguglia*, edito Romae 1586., pag.17. scribit: „ inter Vaticanos Plinii codices „ unus tantum integram sistit auctoris sententiam, nempe: ex omnibus unus factus „ imitatione ejus quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus.„ Quod vero ipse existimat idem sensisse Polydorum Virgilium, in hujus commentario de inventoribus lib.3., cap. 11. *de obeliscis* non reperio. Lectionem a Pigafetta laudatam in textum recepit Harduinus, eumque secuti sunt recentissimi scriptores plerique, in quibus Winkelmannus in epistola de architectura veterum, ad calcem historiae artis apud veteres, editore Fea tom. 3. pag. 166.

Utrum vero diminutus sit, quo tempore Romam deportavit Cajus et in circo suo curavit erigendum, uti existimat Rezzonico libro citato pag. 206., eo argumento usus, quod credibile non sit Cajum advehi jussisse obeliscum jam olim diffractum; an in prima molitione in Aegypto, quae sententia est Mercati et Kircheri, et magis respondere videtur verbis Plinii: ista ad historiam obeliscorum pertinent inferius exponendam, potius quam ad descriptionem quae hoc loco nobis curae est. Caeterum Kircherus obelisco deesse opinatur palmos duodecim, Mercatus autem vigintiquatuor et semissem vel triginta et semissem: sed uterque innixus rationibus non satis firmis. Vide Kircherum de obelisco Pamphilio pag.71.: Mercatum in libro de obeliscis pag.189. et in responsis ad Latinum Latini pag.84.

Id quoque in hoc obelisco notandum occurrit, quod infima pars trabis usque ad altitudinem palmorum trium cum dimidio facta in singulis faciebus incisione paullum sit imminuta: Quod spatium, quo tempore stabat obeliscus in circo Vaticano, ornatum fuit laminis aeneis, docente Philippo Pigafetta libro citato pag. 11. 15.

§. I I I.

Vaticanum obeliscum magnitudine excipit Flaminius, quem in circo magno olim statuerat Augustus. Altus est secundum Fontanam fol. 75., palmos centum octo, una cum pyramidio, quod palmos comprehendit undecim: ima laterum amplitudo palmos efficit undenos, summa septenos; sed duae facies sibi oppositae reliquis nonnihil deprehenduntur angustiores: caeterum ex tribus constat fragmentis. Diligentior Mercatus cap. 42. et 43., pag. 380. 388. ex tribus frustis, in quae fractus repertus est obeliscus, infimum altum prodit palmos quinquaginta duos, medium triginta duos, summum cum apice viginti sex; ut universa longitudo esset palmorum centum decem, comprehenso pyramidio, cujus altitudo evehitur ad palmos decem. Sed cum inferior pars temporum injuria laesa obelisco sustinendo impar esset, tres palmos pedi adimere opus fuit, et erecto obelisco relicta est altitudo palmorum centum septem. Bina vero latera sibi opposita, quae nunc meridiem spectant et septentrionem, latitudinem habent in ima trabe palmorum decem cum dodrante, infra apicem sex cum besse: in reliquis ima latitudo est palmorum novem cum dimidio, summa quinque et dodrantis. Circumferentia igitur quae ex mente Fontanae in parte inferiore est palmorum quadraginta quatuor, in superiore viginti octo; ex Mercati mensione conficitur palmis quadraginta cum semisse, et palmis viginti quatuor cum dextante. A Mercato symmetriam suam mutuatus est Kircherus Oedipi tomo 3. syntagm. 3. pag. 215.

Quod ad conservationem attinet eadem fere obelisci Flaminii conditio est ac Constantiani. Nam praeter quod ab imo lapide tres palmos avulsos scribit Mercatus, etiam reliqui trunci infimi anguli a Fontana resarciti sunt, et in oris summae trabis circa primam commissuram pluria frusta deprehenduntur tunc temporis inserta. Septentrionalis quoque obelisci facies hinc et inde igne vastata est, at reliqua latera illibata nitent politura, et hieroglyphicas notas praeferunt intactas.

De pyramidii figura dixi in descriptione obelisci Lateranensis, et de notarum exquisito artificio. Ordo autem earum is est, ut in singulis lateribus tria adsint historicarum figurarum syntagmata cum minutis notis circa ea exaratis, videlicet in pyramidio, inque iis trunci partibus quas capitulum et basin vocamus; reliquus autem scapus unoquoque latere tres contineat majorum notarum columnas, quarum quae medium locum obtinet reliquis longior, protrahitur per mediam basin usque fere ad pedem obelisci. In singulis vero columnis prima effigies repraesentat accipitrem pileatum caeteras notas magnitudine antecellentem.

Inter iconismos quotquot inspexi, is solus notatu dignus est, quem proposuit Kircherus Oedipi Aegyptiaci tomo 3, syntagm. 3, pag. 213; sed de eo idem statuendum quod animadverti de Lateranensis obelisci icone Kircheriana.

§. I V.

Quartus magnitudine is est, quem Augustus pro gnomone erexit in Campo Martio, e cujus ruderibus adustum quidem et disruptum sublevari jussit Benedictus XIV. Pontifex Maximus, dein abdito loco projectum & tantum non iterum sepultum in lucem revocavit PIVS SEXTVS Pontifex Maximus, et squalore deterso statuendum curavit in area Curiae Innocentianae, sacri principatus sui anno XVIII.

Hic obeliscus juxta delineationem, quam mecum communicavit Joannes Antinorius ejus architectus, longus est palmos nonaginta quatuor cum semisse, pyramidio ex iis obtinente palmos septem cum quadrante : ad basin vero patent latera palmos decem, in summo trunco infra pyramidium palmos sex cum dodrante. Sed qui in eo metiendo magna cum cura et subtilitate versatus est Jacobus Stuart Anglus architectus, in epistola ad Carolum Wentvvort comitem de Malton, impressa in appendice commentarii, quo hunc obeliscum erudite illustravit cl.Bandinius, pag. 73. sqq., universum obeliscum altum prodidit pedes londinenses septuaginta unum, pollices $5\frac{1}{3}$, sive palmos romanos nonaginta septem et dimidium : una cum pyramidio, cujus altitudo perpendicularis pedum lond. quinque, pollic. $\frac{578}{1000}$, vel palmorum sex cum unciis $10\frac{2}{3}$. Inclinatam pyramidii altitudinem in lateribus meridionali et septentrionali statuit Stuartus pedum 5, pollicum $8\frac{721}{1000}$, seu palmorum $7\frac{785}{991}$; in reliquis lateribus pedum 5, pollicum $7\frac{528}{1000}$, id est palmorum $7\frac{663}{990}$: et angularem altitudinem pedum 6, pollicum $2\frac{25}{1000}$, seu palmorum $8\frac{438}{995}$. Latitudines autem ita constituit : pyramidii bases meridionalis et septentrionalis latae sunt pedes 4, et pollices $11\frac{68}{1000}$, palmos $6\frac{791}{990}$: orientalis et occidentalis pedes 5, et pollicem $1\frac{74}{1000}$, palmos $7\frac{20}{990}$: trunci bases orientalis et occidentalis patent pedes 8, poll. $\frac{4}{1000}$, seu palmos decem cum unciis undecim. Meridionalem et septentrionalem trunci latitudinem metiri non potuit Stuartus propter saxi corrosionem. Ipse quoque mensus pyramidii latus meridionale, deprehendi latitudinem baseos ejus qua parte adhaeret trunco palmos sex, uncias novem; quod exacte respondet mensurae Antinorii, a Stuartiana autem distat semuncia. Latitudinem verticis, qua parte integer est infra globum lapidi inscalptum, inveni palmum unum, uncias decem : distantiam inter binas eas latitudines plano inclinato palmos quinque, uncias septem; eandem distantiam ad lineam angularem palmos sex, unciam unam, lineas sex. Longitudinem vero plani inclinati usque ad supra dicti globi marginem superiorem, ubi fractus deficit obeliscus, inveni palmos sex, uncias quatuor, quibus ubi addideris palmum unum, habes altitudinem pyramidii quam statuit Antinorius; ubi palmum cum unciis $5\frac{1}{2}$, eam meridionalis lateris altitudinem inclinatam, quam prodidit Stuartus. Mihi quidem, sed instrumentis uso non satis commodis, visum est apici deesse palmum et uncias $4\frac{1}{2}$. Hoc praeterea monendum, eam nobis dici faciem meridionalem, quae prae reliquis est integra, et teste Thoma de Marchis architecto, apud Bandinium commentario de obelisco Caesaris Augusti pag. 106, ad terram conversa erat, quo tempore obeliscus jacebat porrectus a meridionali stylobatae sui latere ; quaeque et hodie restituto obelisco meridiem respicit.

Inventus autem est obeliscus Campensis in quinque frusta diffractus, ex quibus infimum, longum palmos fere quindecim, ita igne deprehendebatur exesum et corruptum, ut reliquae moli sustinendae minime sufficeret ; ideoque alium lapidem ejusdem magnitudinis pro eo substituere necesse fuit. Tria quoque fragmina, quae medium occupant spatium, duobus tantum lateribus, iisque non integris, notas servant hieroglyphicas. Quintum vero fragmentum, longum palmos triginta duo una cum pyramidio, praeter latus meridionale, quod fere intactum est, in orientali etiam scalpturas magna ex parte integras exhibet, in occidentali non ita

---

[3] De obelisco Caesaris Augusti e Campi Martii ruderibus nuper eruto commentarius auctore Angelo Maria Bandinio. Romae 1750.

multas, septentrionali autem facie prorsus deficit. Summus denique pyramidii apex fractura comminutus est, uti ex modo dictis patet. Segmentum frusti infimi, trabi subrigendae haud idonei, altum palmos novem, latum circiter tres, figura irregulari et igne vastatum, sed propter egregiae scalpturae reliquias admodum notabile, servatur Velitris in museo eminentissimi Cardinalis Borgiae.

Caeterum hujus obelisci fastigium recta linea assurgit inclinatum, et verum efficit pyramidion, qua re non parum augetur formae elegantia: et pyramidii altitudo, quae fere par est ejusdem latitudini, ea esse videtur quae prae reliquis adblandiatur inspicientium oculis, cum nimis subtilis appareat Lateranensis obelisci cuspis, quae tertia parte superat maximam suam latitudinem, nimis vero obtusa Vaticani, ubi altitudo plus quarta parte vincitur a latitudine.

Scalpturae quoque quibus insignitur obeliscus Campensis eam artis prae se ferunt perfectionem, quam exceptis obeliscis Flaminio et Lateranensi frustra quaeras in reliquis operibus e syenite lapide factis: qua de re fusius disputavi in recensione obelisci Lateranensis. Adde quod ad eum efformandum molis faber elegit pyrrhopoecilon ejus speciei, quae coloris moderata rubedine, et exquisita partium mixtura, gratissima evadit spectatoribus et notis inscalpendis aptissima: et facile assenties eruditissimis viris Bandinio, Feae [1], aliisque, qui hunc omnium obeliscorum pulcherrimum pronunciaverunt.

Pyramidium singulis lateribus prope apicem globum scalptum habet, quem excipit scarabaeus alis late explicatis tanquam eum voluturus: inferiusque adest historicarum effigierum syntagma et multae notae minutae. Capitulum trunci historicis figuris destitutum bini obtinent accipitres pileati, initium constituentes notarum, quae in duas columnas distributae descendunt usque ad basin lapidis, sulco horizontali a scapo separatam et figuris historicis minutisque notis decoram.

Egregiam ejus iconem diligenti cura delineatam et nitide excusam habes in clarissimi viri Angeli Mariae Bandinii commentario jam pluries laudato, tabulis 1. et 2.: qua magnam sane laudem promeruit auctor, cum archetypo ita respondeat, ut tuto inde colligi queant scalpturae argumenta figurarumque modus et indoles. Sed quia ad justam ejus effigiem omnibusque numeris absolutam nonnulla adhuc desiderabantur in ea icone, novam incidendam curavit, et huic nostro libro addi jussit PIVS SEXTVS, cujus munificentia Campensis obeliscus denuo assurgit integer, et aeternae Urbis auget ornamenta.

§. V.

In secundo ordine primum locum obtinet obeliscus Pamphilius sive fori Agonalis, olim erectus in circo suburbano prope aedes D. Sebastiani, quem vocant Caracallae. Hunc Kircherus in libro quo eum interpretatus est, pag. 66., in septuaginta quatuor fere palmorum altitudinem excurrere scribit, sed de reliqua ejus symmetria nihil prodidit. Nescio praeterea quantum tribuendum sit adcurationi scriptoris, qui Barberinum obeliscum altum dicit palmos sexaginta sex, dum constet palmos eum continere haud amplius quadraginta duobus cum triente. At certe falsus est Julianus de Sangallo architectus, qui in libro ms. supra laudato ex bibliotheca Barberina, fol. 70., obeliscum tunc jacentem in circo Caracallae altum facit

[1] Cl. Bandinius l. c. pag. 23. Cl. Fea in notis ad Winkelmanni historiam artis apud veteres lib. 2.: cap. 2. editionis Romanae tom. 1. pag. 79.

brachia florentina triginta septem, una cum pyramidio alto brachium unum: latum vero in imo trunco brachia duo cum triente, in summo brachium unum et bessem. Haec in palmos distributa longitudinem dant palmorum nonaginta sex cum semisse, comprehenso pyramidio palmorum $2\frac{602}{990}$: latitudinem baseos palmorum $6\frac{85}{990}$, pyramidii $4\frac{344}{990}$.

An vere quadratus sit neminem invenio qui annotaverit, oculis autem, mensura non adhibita, aequalia apparent latera. Neque definire ausim pyramidium utrum recta assurgat linea, cum media sui parte ruptum sit, aenea quoque ornamenta angularem lineam exacte persequi vetent. Infima quidem pars, ubi trunco insidet, videtur subconvexa, et latera aliquam prae se ferunt cavitatem, ac si linea ducta a basi usque ad apicem lemniscum efficeret.

Diffractus fuit in frusta sex, et multae notae, quae perierant e vetere lapide, recenti artificio cernuntur suppletae, in lateribus praesertim meridionali et orientali. Basin autem obelisci parte sui non exigua multatam fuisse suspicor, cum majores figurae, quae eam partem obtinere solent, prorsus desiderentur, etsi nimis tribuere nolim huic indicio.

Pyramidii latera decorant figurae historicae, cum adscriptis minutis characteribus, truncus autem singulis faciebus unam habet notarum columnam, incipientem ab accipitre pileato, quam utrinque praecludunt canales latiusculi a summo ad imum deducti, et infra pyramidion horizontali sulco conjuncti. Scalpturae indoles multum abhorret ab ea quae deprehenditur in majoribus obeliscis, quamque declaravi in primo hujus capitis paragrapho, et aevum monstrat multo recentius. Molliores enim apparent figurarum superficies, neque extremae lineae ita rigidae sunt et exactae. Propius autem abest ab obelisco Barberino, de quo humi jacente et intuentibus obvio, fusius dicetur infra: nam Pamphilius ita remotus est a spectatorum oculis, ut non adeo accurate disserere detur de ejus artificio. Minor tamen videtur in hoc obelisco effigierum mollities, quam in Barberino, extremaeque lineae curatius exaratae, et cuncta magis expolita: nonnulla etiam satis operose sunt elaborata, avium praesertim plumae, quae in alis singulae seorsim scalptae conspiciuntur. Caeterum in eo quoque similes sunt obelisci Pamphilius et Barberinus, quod notae non valde profunde sint incisae; et in characterum dispositione aliqua eos inter observatur affinitas.

Iconem exhibuit Kircherus in libro quem scripsit de hoc obelisco,[1] sed parum meliorem iis quas de majoribus obeliscis sistit in Oedipo Aegyptiaco.

§. VI.

Sequuntur obelisci duo olim positi ante mausoleum Augusti in Campo Martio, nunc erecti, alter jubente Sixto V. in Exquilino prope templum S.Mariae Majoris, alter PII SEXTI munificentia ante aedes Pontificias in monte Quirinali. Ex his priorem altum prodit Mercatus libro citato cap. 41. pag.373., palmos sexaginta sex, latum in ima parte palmos fere quatuor cum quadrante. Consentit Fontana libro citato fol. 76., omissa tamen summae partis latitudine. Hanc vero Kircherus, qui in re-

---

[1] Athanasii Kircheri obeliscus Pamphilius h. e. interpretatio nova et hucusque intentata obelisci hieroglyphici, quem ex hippodromo Antonini Caracallae transtulit Innocentius X. P. M. Romae 1650.

liquis cum Mercato convenit, refert palmorum quatuor cum dimidio, Oedipi tomo 3, syntagm. 11, pag.369. Idem Mercatus docet coagmentatum esse obeliscum ex quatuor fragmentis, quorum primum erat palmorum quadraginta quinque, secundum quinque et dimidii, tertium duodecim, quartum trium cum semisse. Is autem qui in Quirinali stat, altus est palmos sexaginta quinque cum dimidio, latus singulis faciebus in ima basi palmos sex, in summitate quatuor: juxta delineationem Joannis Antinorii architecti.

Uterque purus est, scalpturis notisque destitutus. Fastigium quoque sive pyramidium antiquitus abscissum fuit, et summa superficies novo cacumini firmando aptata. Id Romae factum existimo cum Mercato, ut aurato fastigio decorarentur trabes.

§. VII.

Hos excipit obeliscus repertus in hortis Salustianis, nunc jubente PIO SEXTO statutus in monte Pincio ante aedem SS. Trinitatis. Is ex delineatione Joannis Antinorii penes me asservata altus est palmos sexaginta duo cum quadrante, ex quibus pyramidio cedunt palmi quatuor et unciae novem; latus singulis faciebus ea parte qua innititur stylobatae palmos sex, uncias octo; infra pyramidium palmos quatuor, uncias decem; in summo pyramidio, vertice antiquitus decurtato, palmum cum dimidio.

Non parum ab Antinorio dissentit Mercatus l. c. cap. 28., pag. 257., pyramidio tribuens altitudinem palmorum sex cum semisse, reliquo radio palmorum quinquaginta novem et dimidii: latitudini vero in imae baseos duobus lateribus oppositis palmos sex et semissem, in reliquis duobus palmos quinque et quadrantem. In diversa quoque abit Kircherus Oedipi tomo 3., syntagm. 4., pag. 258., ubi altitudinem prodit palmorum septuaginta sex, pyramidio tribuens palmos quatuor; latitudinem vero baseos singulis frontibus facit palmorum senum cum semisse, pyramidii quaternum.

Latera pyramidii linea fere recta inclinantur, in hac re imitantia obeliscum Campensem: summus autem vertex eo pacto recisus fuit, ut in medio spatio relinqueretur saxi pars formae cylindricae dimidii circiter palmi altitudine, pro retinaculo puto aenei apicis, quo credibile est aliquando ornatum fuisse obeliscum. Caeterum ruptus fuit in frusta duo, quorum inferius ex tribus partibus longitudinis duas fere continet. Desunt baseos anguli: etiam circa frustorum commissuram nonnulla reficere opus fuit.

Iconem ejus habes apud Kircherum Oedipi tomo 3., syntagm. 4., pag. 257. in ea tantum re a caeteris iconismis ei libro insertis diversam, quod notarum lacunae non sint suppletae. Sed novam in nostro libro exhiberi jussit PIVS SEXTVS, quae veram sistat monumenti faciem.

Scalpturae, quae totam implent obelisci superficiem, rudes sunt et incomptae, certoque artis charactere destitutae. Non eam quidem sapiunt ruditatem, quam offendi novimus inter homines e primitivo et inculto statu emergentes, et cogitata sua paucis informibusque lineis expressisse contentos: sed propius ad eam accedunt barbariem, quae propria est senescenti saeculo, multas res et confusas consarcinare satagenti, parumque sollicito de exacto rerum modo, de perspicuitate et elegantia. Summa negligentia in figuris ordinandis et delineandis;

at in coacervandis et profunde scalpendis improbus labor. Adeo autem diversum est notarum in hoc obelisco artificium a reliquorum obeliscorum sculptura, quin et ab omnium quae umquam inspexi Aegyptiorum operum indole, ut persuasum mihi habeam ab Aegyptio artifice profectas neminem existimaturum esse, qui aliqua usus ejus gentis familiaritate obeliscum attente fuerit contemplatus. In hominum effigiebus non vultus lineamenta Niligenas referunt, non membrorum habitus, actusve et motus corporis. Neque indumenta et insignia Aegyptiorum moribus rite sunt accommodata, sed imitatione satis indocta obscure adumbrata deprehenduntur. Bruta quoque animalia figuris repraesentantur valde recedentibus ab iis quae conspici solent in Aegyptiis monumentis. Ipsa denique lapidis tractatio gentem prodit in pyrrhopoecilo caelando parum exercitatam, naturaeque ejus ignaram et modi quo efficitur ut res in eo incisae spectantium oculis amoenae evadant et perspicuae: neque in superficie laeviganda cum arte versati sunt hujus molis fabri.

Sed in obelisci patriam et aetatem infra erit inquirendum: hic ubi de enarrandis agitur obeliscis, pauca quaedam subiiciam de notarum in eo dispositione. Pyramidium figuras continet historicas, quibus adjectae sunt notae minutae. Truncus quoque tum in capitulo tum in basi ejusmodi figuris minutisque characteribus decoratur. Reliquum scapum occupant notae symbolicae grandiores, singulis lateribus tres columnas efficientes, quarum media per basin descendit usque ad imum obelisci marginem. In singulis notarum columnis initium fit ab accipitre pileato. In ea vero facie quae nunc ad boream spectat, historicarum effigierum syntagma, quod in reliquis basin obtinet, loco stat nonnihil elevatiori, et infra id satis confuse scalptae sunt notae symbolicae, majores aliae, aliae minores.

§. VIII.

Inter mediae magnitudinis obeliscos agmen claudit Barberinus qui repertus in agro Verano extra portam, quam vocant Majorem, nunc jacet in impluvio Vaticano, vulgo dicto *Cortile della Pigna*. Hic e Romanis obeliscis hactenus cognitis solus adhuc expectat sospitatorem, quem ei non defuturum esse, sperare jubet PII SEXTI ad antiqui aevi monumenta servanda atque decoranda propensus animus.

In eo metiendo vehementer falsus est Kircherus Oedipi tomo 3., syntagm. 5. pag. 273., dum longitudinem statuit palmorum sexaginta sex, latitudinem quinque. Nam humi extensum ipse adcurate mensus sum, adhibito amicorum consilio, et universam ejus longitudinem inclinato plano inveni palmos quadraginta duos, uncias tres cum semuncia; computatis quoque unciis octo pro summo pyramidii apice, nunc comminuto. Nam e tribus frustis, in quae ruptus est obeliscus, infimum habet palmos tredecim et uncias octo; medium palmos duodecim et uncias tres cum dimidia; ultimum palmos quindecim et uncias quinque: ut totius saxi longitudo nunc sit palmorum quadraginta unius cum unciis septem et semuncia. Ex his pyramidio apice destituto cedunt palmi tres, unciae septem. Apex vero non recisus videtur, sed casu contritus; et pyramidii ea est figura ut latera plana sint, rectaque linea tendant a basi ad verticem. In summo trunco infra pyramidion latera sunt aequalia, palmorum ternum, cum unciis quinque et lineis duabus. At imae partis latitudo, ubi integer est lapis, palmis fere quinque supra extremum qui nunc est marginem, in binis lateribus oppositis palmos efficit tres, uncias decem,

lineas duas : in binis palmos tres, uncias octo, lineas sex. Periit autem basis, sive rupti trunci fragmen extremum, forte fossorum incuria relictum in agro Verano. Reliquus obeliscus probe conservatus est, praeter quod infra pyramidion unus ex angulis fractus sit, et pars figurarum in summo trunco deperdita.

Pyramidion purum est, at summi trunci latera historicis figuris decora. His adjecti sunt characteres minuti: et infra fascia est aliqua tanquam triglyphis metopisque ornata. Quod superest spatii in singulis lateribus, canalibus latioribus a summo ad imum perductis, dividitur in columnas duas, quae parvarum notarum magnum continent numerum. Capitulum una cum fascia altum inveni palmos quatuor cum uncia: canales vero lati sunt uncias duas cum quarta parte unciae, spatiaque quae eos interjacent, in summo scapo latitudinem habent unciarum quatuordecim, in imo unciarum sedecim et semunciae.

De arte autem ubi quaeris, cuncta fere in hoc obelisco diversa sunt a maximorum obeliscorum indole. Non ea linearum duritas, non partium illa ακριβεια, non effigierum sublimitas, nec tersum illud atque nitidum, quod eos obeliscos commendat intuentibus: sed mollities aliqua et facilitas in saxi tractatione, plus studii in humani corporis musculis exprimendis, motus quidam liberiores et magis variati, tum in hominibus tum in brutis. Est enim is universi lapidis aspectus, ut credere suadeat, Aegyptios tunc temporis adinvenisse caelaturae aliquod compendium et scalpendarum rerum modum expeditiorem: quod in causa esset ut effigies facerent molliores et carnosiores, extremas autem earundem lineas negligerent, insimulque in caelandis rebus non animatis minori cum cura versarentur. Nempe deprehenditur in humanis figuris inque animalibus quibusdam minuta partium investigatio, quas modo tumida rotunditate modo profundis sulcis cernimus expressas: quo fit ut eae scalpturae, licet majorem demonstrent in auctore scientiam, minus elegantes sint et amoenae, quam rigidae illae simplicesque quas videmus in vetustioribus obeliscis, quid quod ruditatem aliquam prae se ferant et tanquam barbariem. Caelator autem, qui ex his rebus scientiae laudem captasse videtur, de utensilium reliquorumque attributorum forma minus se ostendit sollicitum; atque adumbrasse ea potius quam expressisse dici potest. Caeterum cavis spatiis, quibus includuntur caelaturae, exigua est profunditas: nam in historicis figuris inque iis notis quas prae reliquis diligenter elaboratas videmus, vix semunciam superat, et quae iis insunt effigies elevatione fere aequant planam superficiem; in reliquis autem characteribus plerumque duarum linearum est vel lineae unius, et ipsa spatia modo caelaturam continent paululum prominentem, modo fundum habent planum vel concavum sine caelatura. Denique scalpturae omnes scite quidem laevigatae sunt, et plana superficies magis nitet quam partes depressiores, sed non is est laevor qui in majoribus obeliscis, neque cavorum spatiorum margines ita acuti sunt et integri.

Caeterum hic obeliscus factus est e pyrrhopoecilo magis rubente quam caeterorum obeliscorum materies, qui Romae cernuntur hieroglyphicis notis insignes. Ex eodem autem lapide excisi sunt obelisci puri nunc erecti in collibus Quirinali et Exquilino, etiam Veliternus obeliscus de quo infra capite 2. §. 1.: ejusdemque naturae esse accipio ea obeliscorum fragmenta quae Beneventi exstant et Catanae.

Iconem sistit Kircherus Oedipi tomo 3., syntagm. 5. pag. 271.; sed a vera lapidis facie ita dissonam, ut nemo sit Aegyptiarum rerum studiosus, quin gra-

tuletur sibi, quod tam eximii monumenti novam delineationem libro nostro adjici jusserit PIVS SEXTVS, scalpturasque ita exprimi, ut novam Aegyptiae artis epocham ab hoc obelisco ordiendam, ex ectypo cognoscant quibus ipsum saxum adire non datur.

§. IX.

Minoris molis obelisci paucis ab hinc annis quatuor visebantur Romae; nunc uno Florentiam devecto, qui ornamento erat hortis Mediceis, tres supersunt; in foro S. Mariae ad Martyres, quae vulgo dicitur *la Rotonda*, in area S. Mariae supra Minervam, et in hortis Matthaeianis constituti.

In his primus, qui et Mahutaeus dici solet ab ecclesia S. Mahuti, prope quam aliquando erectus stetit, longus est palmos viginti septem cum semisse, latus ima parte palmos ternos cum dimidio. Ita quidem proditum invenio in delineatione, quam Kircherus proposuit Oedipi tomo 3., syntagm. 7., pag. 317., neglecta reliqua ejusdem symmetria. Meminit ejus etiam Mercatus libro citato cap. 29. pag. 264., obelisci fragmentum existimans, cujus integra longitudo olim comprehendisset palmos quadraginta quinque. Sed hujus rei nullum reperio probabile indicium, et vero propior videtur Kircheri sententia qui integrum putat obeliscum.

Caeterum hujus lapidis fastigium acuto caret apice, neque unquam habuisse credibile est. Est et ea fastigii figura ut plurimum recedat a pyramide, cono longe similior, quid quod universus obeliscus imitatur metae speciem lateribus gaudens non ita parum convexis, angulisque horizontalibus prorsus destitutus, et eo modo concinnatus ut demptis angulis verticalibus in conum transeat. Hoc satis bene expressit Kircherus in delineatione supra laudata, nisi quod angulum infra cuspidem distinctius multo pinxerit, quam appareat in obelisco, ubi ita obtusus est et rudis, ut oculis vix deprehendatur. In notis quoque hieroglyphicis imitandis majorem diligentiam impendit Kircherus huic obelisco atque Mediceo quam reliquis.

Scalpturarum indoles, ubi stylum spectes inventionemque et primas lineas, mechanicam quoque lapidis tractationem, eadem est quae in tribus illis maximis obeliscis; sed artificium rudius est et longe imperfectius, figuris minus expolitis atque limatis, neque lineis ita exactis et definitis, nec plana superficie ita laevigata. Caeterum nullae ei insunt figurae grandiores, nec magnus est notarum numerus. Trunci enim latera singulas habent notarum columnas, ab accipitris figura incipientes; pyramidium autem eadem ratione qua in Campensi obelisco singulis faciebus praefert globum et scarabaeum, sub quo adstituta sunt bina schemata elliptica hieroglyphicis characteribus insignita.

§. X.

Minerveus obeliscus inventus in ruderibus Isei, quod fuit in Campo Martio, excisus est e pyrrhopoecilo pallide rubente, atque ut videtur minus compacto, quam caeterorum obeliscorum materies. De ejus symmetria Kircherus libro quo ipsum interpretari aggressus est, sectione 1., cap. 4. pag. 13., ita scribit: „ Altitudo est viginti quatuor palmorum, inferior basis palmorum trium cum sex-

„ tante , superior latitudo ubi in pyramidion terminat palmorum duorum et qua-
„ drantis . Pyramidion vero palmorum duorum et dodrantis altitudinem continet .
„ Abacum , cui impositus fuerat palmos tres cum dodrante altum , una cum
„ obelisco repererant „ . Apponit praeterea Kircherus figuram delineatam a Josepho Paglia ejusdem obelisci architecto , in qua cernitur obeliscus summo apice decurtatus , cujus pyramidion altum statuitur palmos duos cum dodrante , latum duos cum quadrante ; reliqua vero longitudo palmorum undeviginti et dextantis . Subjecti autem sunt obelisco abaci duo , quorum superior altus est palmum cum deunce , latus palmos tres et dodrantem ; inferior altus palmos tres cum dodrante latitudinem habet palmorum quatuor et quadrantis . Veram inde colligo obelisci longitudinem , omissis abacis plano inclinato palmos viginti duo et uncias septem ; linea autem perpendiculari palmos viginti duo , unciam unam. Fortassis enim superior abacus adhaeret obelisco , ideoque a Kirchero pro parte ejusdem acceptus fuit et longitudini trabis adscriptus . Caeterum maxima inter Romanos obeliscos huic est laterum obliquitas , pyramidii autem facies recta linea inclinantur a basi ad apicem .

Scalpendi modus exilior est et angustior quam in reliquis obeliscis , et imitatorem prodere videtur , qui archetypi alicujus notas describeret , sed ingenium ejus in opus suum transferre non valeret . In lineis quidem ducendis non multum abludit a ratione characterum quos videmus in maximis illis obeliscis , sunt et nonnulla satis apte expressa , alia autem timide imitatus est scalptor , et opere nondum ad finem perducto taedio correptus manum amovisse videtur . Nam hinc et inde notas cernimus exarari coeptas , alias dimidia ex parte caelatas , neque superficies perfecta gaudet politura . Pyramidium purum est , reliquus truncus in singulis lateribus unam habet hieroglyphicorum columnam , quam utrinque includit sulcus verticalis superne desinens in sceptrum aratriforme : in unaquaque autem columna primum locum obtinet accipiter .

Schematismum habes apud Kircherum libro citato sect. 2. , pag. 22. , pro auctoris more non indiligenter expressum , qui et ipse recte advertit scalpturam obelisci non fuisse terminatam , sed opus eventu aliquo interceptum : et definire abstinet utrum characteres incisi sint ab Aegyptiis vel a Romanis [1] .

§. X I.

Matthaejanum obeliscum , qui aliquando stetit in horto Arae Coeli in monte Capitolino , rectius fragmentum vocaveris , cum integra altitudo decem palmos non superet , reliqua vero symmetria eadem sit quae in obelisci Mahutaei parte superiore , cui figura etiam similis est . Inspice Kircheri Oedipum tomo 3, syntagm. 7. pag. 320. — 323 , ubi et ligno incisus proponitur obelisci iconismus . Artificium idem est ac in Mahutaeo , et idem fere notarum quae supersunt contextus .

Etiam is qui erectus stat in suburbano excellentissimi Principis Albani , pars tantum est veteris obelisci , cui et fastigium et basin addidit hodiernus artifex . Vetus truncus longitudine efficere videtur palmos circiter sedecim , et in sin-

---

[1] Athanasii Kircheri interpretatio hieroglyphica obelisci Aegyptiaci nuper inter Isaci Romani rudera effossi . Romae 1666. pag. 15.

gulis lateribus unam habet characterum columnam sulcis verticalibus praeclusam, qui et dispositione et arte quam proxime absunt ab iis qui scalpti sunt in obelisco Borgiano, de quo dicemus capite sequenti, §.1. Maximam ejus partem lignea forma expressam sistit Kircherus in interpretatione obelisci Minervei, pag. 136.: quo scribente stabat fragmentum in platea Branchiorum in Urbis regione dicta *della Regola*, muro angulari insertum, ima parte ut videtur terra obruta.

§. XII.

Praeter obeliscos jam memoratos, qui hodie Romae conspiciuntur superstites, nonnullorum meminere scriptores saeculo XVI. et XVII, de quibus quid factum sit postea, rescire nondum contigit. Scribit nimirum Bellonius in commentario de admirabili operum antiquorum praestantia, libro 1, cap. 8., Sunt et „ Romae obelisci plures, sed longe minores, quorum alii humi prostrati post „ templum Minervae jacent, alii adhuc erecti stant post Pantheon: item duo „ in Capitolio juxta murum templi ad Aram Coeli visuntur. Nuper cum Romae „ essem tempore Pauli III P. M. duo admodum parvi terra effossi sunt, qui „ antea obruti erant et consepulti maceriis „. Ex his duos tantum novimus, Mahutaeum nimirum tunc temporis existentem non procul a templo Minervae, et Matthaejanum, qui teste Kirchero Oedipi tom. 3. pag. 320 olim stetit in horto ad Aram Coeli. De iis vero qui sedente Paulo III inventi fuere, narrat Kircherus in obelisco Pamphilio lib. 1., cap. 7, pag. 59, alterum positum fuisse prope eandem ecclesiam, alterum in aedibus Sacchettiis: utrumque altum palmos quindecim. Ibidemque pag. 60 scribit: „ M. Fabius Calvus in descriptio„ ne Urbis, obeliscum prostratum tradit in circo Florae, quem ego puto esse „ Mediceum „. Mercatus quoque libro de obeliscis cap. 26, pag. 245. 246, extare refert parvum obeliscum in impluvio aedium Orsiniarum in Campo Florae, alterum ad ecclesiam Arae Coeli, diversum ab eo quem a populo Romano dono acceptum in hortis suis collocavit Cyriacus Matthaejus. Meminit praeterea duorum qui simul reperti fuere pontificatu Pauli III; sed quo loco inventi vel quorsum deportati fuerint, non prodit; aliosque parvos obeliscos offendi ait in vineis suburbanis et in veterum aedificiorum ruinis. Fert quoque rumor, sepultos jacere obeliscos in fundamentis coenobiorum S. Mariae supra Minervam, et S. Stephani de Caco: sed frustra adlaboravi ut certior fierem de re, cujus nulla prostat memoria litteris mandata.

§. XIII.

Superest ut dicam de obelorum fragminibus in Urbe adhuc residuis. Tria ejusmodi notat Kircherus et ligneis formis excusa sistit Oedipi tomo 3, syntagm. 12, pag. 382. 383, tunc temporis inter ecclesiam S. Ignatii et plateam, quae Cursus dicitur, conspicienda; nunc vero nescio quorsum avecta. Unum ex iis, quod scribente Kirchero translatum fuerat in collegium Romanum, altum fuit palmos sex, duobus lateribus integrum, reliquis temporis edacitate corruptis. Alterum longum erat palmos septem, pro angulari lapide inserviens

aedificio, et duabus tantum faciebus spectandum. Tertii eodem pacto muro inserti magnitudinem non prodit Kircherus; at in icone reliquis apparet brevius. Figura fuerunt parallelepipeda, notisque insignita hieroglyphicis, quae in singulis lateribus una serie descendebant a summo ad imum. Duorum ex iis meminit Mercatus lib. cit. cap. 29, pag. 265, partes existimans ejus obelisci qui tunc stabat ante ecclesiam S. Mahuti; at Kircherus ex latitudinis differentia arguit, non unius fuisse lapidis fragmina, sed spectasse ad tres parvos obeliscos, olim ut ipse arbitratur in Iseo constitutos.

Aliud fragmentum quadrilaterum lignea forma expressum habes apud eundem Kircherum loco citato pag. 380, et in Minervei obelisci interpretatione pag. 133. tunc spectandum ante ecclesiam S. Bartholomaei in insula Tiberina, ubi olim statutum fuisse obeliscum constat e descriptione regionum Urbis, quae P. Victoris nomen praefixum habet [1]. Magnitudinem non notavit auctor, exiguum esse ait, atque e notarum modo coniicit avulsum fuisse ex ea parte quae proxime contingit pyramidion. Eodem loco se vidisse scribit Pocockius circa annum 1740, et duas ejus facies in aes incisas sistit in Itinere Orientali, tomi 2 parte 2, tab. 91; [2] Sed perperam velut partem ejusdem fragminis una cum eo proposuit cippum bifrontem cum vertice arcuato ex syenite lapide in hortis Barberinis asservatum, scalpturae modo Barberino obelisco non dissimilem, quem et sistit Winkelmannus monumentorum ineditorum figura 79. Sequenti tempore loco motum fuit fragmentum obelisci Insularis atque dissectum, et duo ejus latera nunc cernuntur in suburbano Albaniorum inserta stylobatae obelisci supra memorati: tertium ex officina quadratarii Romani transiit in museum Borgianum quod Velitris est. Hujus segmenti altitudo est palmorum quatuor et quadrantis, latitudo palmorum duorum cum quadrante: cumque eo ad amussim conveniunt tum artificio tum notarum modulo segmenta duo, alta singula palmos tres et trientem, lata duos et sextantem, quae exstare dixi in villa Albaniorum. Scalpturae indoles, a reliquorum quos vidi obeliscorum artificio longe distans, Aegyptia quidem est, atque e figurarum lineamentis artificem intelligis non imperitum: sed modus scalpendi accedit quasi ad linearis picturae rationem, licet ne huic quidem apte comparandus. Nam in reliquis obeliscis figurae anaglyptico opere diligenter expressae prostant in cavitate plus minusve profunda, cujus margine cinguntur et defenduntur, depressiores quam reliqua lapidis superficies; at in hoc fragmento extrema earundem lineamenta leviter tantum incisa sunt, ipsae vero effigies festinante manu scalptae, ut adumbratas potius dixeris quam effictas, elevatione aequant planam lapidis faciem, quae et ipsa pulchra illa et splendente politura destituitur, qua gaudet in grandibus praesertim obeliscis. Borgiani fragmenti ectypon sistimus in ultima hujus sectionis pagina. Duo autem ejusdem magnitudinis anaglypha, quae praeter segmenta jam memorata adhaerent obelisci stylobatae in suburbano Albaniorum, secta fuere de cippo bilatero syenitae lapidis, reperto prope Collegium Romanum, ubi incipit vicus vulgo dictus *Piè di marmo*: [3] et in utroque

---

[1] Vide sectionem 1. pag. 28.

[2] *A description of the East and some other countries by Richard Pococke*. 1743. vol. 2. part. 2. pag. 207.

[3] Ita accepi a Paulo Cavaceppi sculptore celebri, cujus opere in obelisco suo instaurando usus est Cardinalis Alexander Albani.

servata est dimidia pars figurae grandioris, ejus fere scalpturae, quam supra descripsi in obelisco Barberino.

Tria praeterea offenduntur fragmenta pyrrhopoecili lapidis infixa in fronte stabuli aedium Pamphiliarum ad forum Agonale, quae suspicor ejus esse obelisci, quem in Agonali circo olim erectum fuisse probabili conjectura affirmaverunt viri eruditi. At figura sunt prorsus irregulari, neque anguli conspiciuntur vel margines, ex quibus colligeres quae olim iis fuerit forma, vel evinceres, ea frusta ab obelisco aliquo avulsa fuisse potius quam a labro sive sarcophago. Quod maximum est latitudine efficit palmos circiter tres, altitudine sesquipalmum; eademque fere est reliquorum altitudo, sed latitudo palmorum tantum duorum. Artificii indole propius quam ad reliquos obeliscos accedunt ad Pamphilium, de quo vide quae scripsi in enarratione obelisci Barberini.

CAPUT SECUNDUM.

Obelisci in Europae provinciis extra Urbem superstites.

Praeter Romanos obeliscos quatuor adhuc in Italiae civitatibus conspici reperio: unum Velitris, unum Beneventi, utrumque mutilum; Florentiae autem duos integros, sed alterum parvi, alterum minimi moduli. Catanae quoque in Sicilia duorum cernuntur obeliscorum reliquiae. Arelate in provincia Narbonensi unus stat secundae magnitudinis, purus: et in Angliae provincia Essex servatur non parvi obelisci pyramidion. Denique Constantinopoli, quem in hippodromo statuit Theodosius imperator, hodie quoque erectus stat; et in hortis regiis alter exstare perhibetur.

§. I.

Veliternus obeliscus, repertus in ruinis veteris Praenesté anno 1791, conspicitur inter cimelia musei Borgiani, quod ob Aegyptiorum monumentorum copiam praestantiamque merito vocaveris asylon Osiridis, et Saitidis Minervae locuples sacrarium.

Est autem parvi obelisci truncus inferior, in quatuor frustra diffractus; longus palmos novem, latus palmos duos cum uncia. Utrum aequalia sint latera deprehendi nequit, cum unum ex iis prorsus sit corruptum et contiguorum laterum anguli exesi. Insensibilis quoque est latitudinis summitatem versus diminutio. Fuisse autem integri saxi imam partem, inde arguo, quod hieroglyphici characteres et sulci quibus includuntur non sint perducti usque ad infimum marginem, sed spatium remaneat, exiguum quidem, scalpturis plane destitutum. Sed certius adest argumentum: nam basis aliqua crassitudinis parte privata fuit usque ad altitudinem semipalmarem, quo infigeretur stylobatae sive plintho. Aegyptios enim hoc modo obeliscos suos statuere consuevisse, dicetur in tertiae sectionis capite quinto, ubi agendum erit de positione obeliscorum.

Scalptura Aegyptia quidem est et effigierum lineamenta satis justa, sed artificium rudius et festinante manu negligenter expolitum. Pars notarum profunde incisae sunt, pars levibus sulcis exaratae. Caeterum grandiusculae sunt pro

lapidis magnitudine , unam efficientes columnam perpendicularibus sulcis coarctatam , et singulis lateribus exigua aliqua diversitate repetitam. Iconem ejus ab Eminentissimo possessore benevole subministratam dabimus ad calcem sectionis tertiae.

Quae vero in eodem museo asservantur Romanorum obeliscorum fragmenta, nempe Lateranensis, Campensis atque Insularis, jam supra memoravi capite praecedenti, ubi sermo fuit de obeliscis in Urbe superstitibus, §§.1. 4. 13.[1]

§. I I.

Obeliscus Beneventi repertus in quatuor frusta disruptus, ibidemque erectus a Senatu Populoque Beneventano, anno 1698, cuspide et basi destituitur, in medio quoque radio aliqua sui parte defraudatus; altitudine autem efficit palmos sedecim et uncias octo, maxima latitudine palmos circiter duos cum dextante, minima sesquipalmum.

Praeter iconismum, quem anno 1764 aeneis formis exprimendum curavit Eminentissimus Cardinalis Borgia, tunc Beneventanae provinciae administrandae praefectus, ampliorem ante oculos habeo obelisci delineationem, eodem jubente a Liborio Pizzella architecto concinnatam; e quibus colligo scalpturas tum notarum dispositione tum artificii specie non dissimiles esse iis quae sunt in obelisco Pamphilio. Totus enim truncus refertus est parvis characteribus, quae in singulis faciebus una comprehenduntur columna sulcis verticalibus coarctata: et figurarum lineamenta vagum quid prae se ferre videntur, a vetustiorum operum rigore alienum.

Servari praeterea in eadem civitate in impluvio aedium episcopalium fragmentum longum palmos quatuor, latum quoquoversus palmum cum dimidio, et in omni re praefato obelisco ita simile, ut pars ejusdem credi possit, doceor a cl. Guilielmo Uhden, Germano, nuper inde reduce.

§. I I I.

Florentia duos possidet obeliscos, quorum icones satis bonas habes apud Kircherum in Oedipi tomo tertio, syntagm. 7. pag. 310; et syntagm. 10. pag. 350 sqq. Prior olim Romae constitutus in hortis Mediceis, juxta Kircherum longitudinem habet palmorum viginti duum, maxima latitudine non excedente palmos tres cum quadrante. Cuspidis figura similis ei est quam notavi in obelisco Mahutaeo, cui et notarum dispositione artificioque ita affinis est ut quae superius dicta sunt de Mahutaeo obelisco, iisdem fere verbis repetenda essent, si Mediceum describere aggrederer.

§. I V.

Alter Florentinus obeliscus, omnium quos fama accepimus minimus[2], olim

---

[1] Pag. 67 74. 82.

[2] Nempe inter Aegyptios obeliscos referendum non censeo palmaris longitudinis lapidem Basilidianum, quem e Bonarrotiorum museo publici juris fecit Gorius inscriptionum in Hetruria exstantium tomo 1., tab. 19. Neque cum Comite Caylus trilateri obelisci ectypon existimo formas eas gypseas hieroglyphicis refertas, quas ipse aeri incidendas curavit collectionis tomo 2., tabula 2.: sed potius trabis faciem ter repetitam, cujusmodi trabibus tergo adniti solent simulacra Aegyptia. Nullum enim adest obelisci indicium, scalpturae autem singulis formis plane eaedem exprimuntur.

asservabatur in aedibus Vecchiettorum Florentiae, nunc exstat in museo Magni ducis Hetruriae. Unde Florentiam deportatus sit, vel quo tempore, in comperto non est. Iconem ejus a Joanne Baptista Balatro architecto satis accurate delineatam Kirchero transmisit Joannes Nardius medicus Florentinus, de Aegyptia antiquitate optime meritus [1]; Kircherus autem ligneis formis expressit Oedipi tomo 3, syntagm. 10, pag. 350 sqq. Quae vero de symmetria ejus, figura et materie mox dicenda erunt, debeo cl. Ludovico Hirt, Germano, litteris ad me datis Florentiae die 12 septembris 1792. [2]

Excisus est e lapide Thebaico fusco, quem Itali vocant *granito nero*, cujusque eadem fere natura est ac pyrrhopoecili. Altitudine tantum non exaequat palmos octo, summo pyramidii apice et imae baseos parte, ut videtur non magna, defraudatus. Eadem fere in summo trunco latitudo deprehenditur atque in basi: nempe binis lateribus oppositis latus est uncias circiter undecim cum semuncia, reliquis circiter decem. Pyramidium denique altum est uncias septem cum triente: et figura quidem gaudet pyramidali, sed irregulari, non ita convexa atque acuta ut in icone supra laudata, sed lateribus imperfecte planis et inaequalibus. Summus vertex data opera recisus est; a vetere artifice an a recente, ignoratur.

Fastigium scalpturis caret; trunci autem ea facies est, ut in singulis lateribus quinque deprehendantur sulci a summo ad imum perducti, quorum qui in medio est hieroglyphicos characteres magna copia exaratos in duos dividit columnas, quas a raso margine separant bini sulci utrinque adstituti. Sunt autem minuti isti characteres a reliquorum obeliscorum scalpturis omnino diversi, quamquam majori ex parte referant easdem res quae offenduntur in reliquis. Non enim uti in aliis saxis Aegyptiis effigies cernuntur anaglyptico vel saltem

---

[1] Nardius in epistola ad Kircherum data Florentiae, id. febr. 1651. apud Kircherum l. c. pag. 348. ita scribit: „ Nactus opportune clar. „ senatorem Philippum Vecchiettum, celeberrimi musei haeredem meritissimum, summa „ comitate cuncta nobis communicavit. Obvius primum fuit marmoreus ex basalte obeliscus, litteris haud tibi ignorabilibus exsculptus, quas fideliter transcripsit Joa. Bapt. Balatrus seren. Magni ducis architectus insignis „.

[2] En verba ejus: *L'altezza intera dell' obelisco è braccia Fiorentine 3., soldi 1.: senza il piramidio br. 2., soldi 16., quattrini 1.: il piramidio essendo alto soldi 4. qu. 2. La larghezza sotto il piramidio è nel lato A di soldi 6. qu. 1. $\frac{1}{2}$: lato B. s. 7., qu. $\frac{1}{2}$: lato C. s. 6.: lato D. s. 7., qu. 1. $\frac{1}{2}$. La larghezza della base nel lato A soldi 6., qu. 2. $\frac{1}{2}$: lato B. soldi 7., qu. $\frac{1}{2}$: lato C. s. 6., qu. 2.: lato D. s. 7., qu. $\frac{1}{2}$. La parte infima del fusto è rotta. Il piramidio è senza geroglifici, e congiunge col fusto a angolo deciso. La sua figura non rassomiglia alla stampa Kircheriana: un lato è più, un altro meno spianato, e le linee che separano il fusto dal piramidio non sono nemmeno dritte. Non ha punta, ma questa forse è stata tagliata modernamente, affine di metterci il globo di bronzo per mezzo d'un perno. I geroglifici sono separati mediante una linea verticale in due colonne, ed ambedue le colonne racchiuse fra due solchi o siano linee raddoppiate, come presso Kirchero. Lo spazio liscio da ciascheduna banda della parte geroglificata è notabilmente disuguale in ogni lato, come è disuguale l'intervallo dei solchi. Questi solchi sono fatti colla sega, e il taglio dei geroglifici è condotto a scalpello, senza che vi sia usata altra diligenza maggiore. In cima al fusto ove principiano i geroglifici, non v'è alcun solco orizzontale. La pietra è un granito nericcio, nel quale domina lo scorlo: vi sono però delle macchie grosse di felspat d' un color bianco sudicio con piccoli punti rossigni.* Caeterum mihi, cum quatuor abhinc annis obeliscum inspicerem, notae in eo exaratae in Kircheriano iconismo satis bene expressae visae sunt.

englyptico opere elaboratae, sed extrema tantum lineamenta scalpro incisa sunt, velut pictura aliqua lineari. Praeterea rudes sunt lineae, non certa aliqua ratione imitantes rerum species, sed obscure tantum adumbrantes, fluxae quoque et trepidae, ac si casus direxisset manum scalptoris, litterisque similes festinante calamo pictis. Quam proxime autem accedunt ad notas eas effigiesque Aegyptias rapido penicillo expressas, quae non raro obviam fiunt in cadaverum integumentis inque simulacris e ligno vel e lapide calcareo: neque desunt monumenta e lapide tenero vel e creta malta obducta, in quibus ficti offenduntur cursivi characteres his non dissimiles. Sed de variis hieroglyphicorum generibus alio loco erit disserendum.

§. V.

Parvum obeliscum Catanae erectum in area ecclesiae cathedralis, una cum alterius fragmento ibidem existente in museo Paternonio, publici juris fecit Gabriel Lancellottus Castelli Princeps Turrismutiae in Sicularum inscriptionum collectione, classe 20, num. 1 et 3, sed materiem non indicavit, neque magnitudinem.[1] Ante eum aenea tabula expresserat Jacobus Philippus d' Orville, quo Siciliam invisente anno 1727 in foro domoque senatus asservabantur.[2] Excisos autem fuisse eos obeliscos e pyrrhopoecilo coloris saturi, accepi a peregrinatoribus, quos Romae vidi e Sicilia reduces: mensuras vero figuraeque notitiam mutuatus sum e Petri Carrerae commentariis Catinensibus.[3]

Fragmentum Paternonium cuspis est obelisci admodum mutila, cum trunci parte contigua ejusdem fere ac ipsa cuspis longitudinis. Figura est fere quadra-

---

[1] Siciliae et objacentium insularum veterum incriptionum nova collectio. Panormi 1784. pag. 285. et 287.

[2] Jac. Phil. d' Orville Sicula. Amstelaedami 1764. pag. 215. *Cataniae veniunt animadvertenda duorum Aegyptiorum obeliscorum fragmenta. Catanenses hodie perhibent esse ab civibus suis factos, Aegyptiorum aemulis. Ego ex Aegypto petitos arbitror, sive a Romanis, sive a Siculis. Plura ridicula rursus de iis habet Carrera, et audacter adseverat a Catinensibus adportatos: etiam longe maturioribus temporibus, quam ulli fuerint Romae conspecti: quod certe nisi ex daemonio aliquo cognoscere non potuit. Projecta illa fragmina in foro et in domo senatus adservantur: illa nostro aere erigenda curavissemus, si proceribus Catinensibus negotium placuisset. Ectypon in aere expressum vides.*

[3] *D. Pietro Carrera memorie istoriche della città di Catania.* 1639. tom. 1. pag. 104. *Di questi minori obelischi al presente ne abbiamo uno in Catania poco men che intiero, il quale per terra disteso si vede nella strada della Luminaria vicino alla piazza della fiera di lunedì. E lungo palmi quattordici, e nel giro circonda palmi otto; egli è ottangolo, cioè d'otto faccie grandi, e d' otto picciole vicendevolmente susseguenti, sicchè d'ogni due delle faccie grandi si scorge un personaggio, ma tronco e mancante, et anche per tutto è di caratteri hieroglifici scolpito. Nel piede sta guasto alquanto, ma più nel capo, perchè vi manca non meno di due palmi. Questo obelisco per lungo tempo fu veduto star posto per architrave della porta settentrionale del Vescovato, poscia per la sfabricazione e ristorazione di quella di là fu tolto. Un altro pezzo di simil obelisco di forme hieroglifiche effigiato giace presso l'entrata della casa di D. Carlo Gravina Cavalier Catanese, ch' è presso il convento di S. Francesco, la cui lunghezza non è più di quattro palmi, e mezzo; e quadro, ma non perfettamente, perchè inchina alquanto a rotondità. La misura di ciascun quadro è quasi d' un palmo e mezzo. L' Arcangelo afferma che al suo tempo davanti la medesima casa si vedevano più tronchi hieroglificati.*

ta ; sed lateribus ita convexis ut ad rotunditatem tendere videatur saxum . Longum est palmos quatuor cum semisse , latum singulis faciebus prope sesquipalmum . Neque qui erectus stat obeliscus integer est , sed praeter quod fastigium majori ex parte recisum sit , et summae trabis scalpturae exesae , in imo quoque non exiguam partem deesse , arguitur ex effigierum mutilatione . Longitudinem obtinet palmorum quatuordecim , peripheriam palmorum octo . Figura autem ea est , ut octo habeat latera ampliora et octo praeterea facies intermedias angustiores , sive angulos recisos dicere mavis : quo fit ut octogonos appareat , licet vere sit heccaedecagonos . Hac in re cum Carrera consentit Dorvillii ectypon ; at in delineatione Castellii octo tantum noscuntur latera .

Effigies etiam et notae utrique lapidi incisae peregrinum quid spirant et insolens , sive ordinem speciemque consideres sive lineamenta , et suspicionem movent , eas profectas esse non ab Aegyptio artifice , sed ab imitatore , seu Poenus ille fuerit , seu Graecus Romanusve : licet non satis constet , qua fide eos expresserint delineatores . Paternonium fragmentum in singulis lateribus unius figurae servat reliquias : in majori autem illo et polygono lapide singulae scalpturarum columnae duo occupant ampliora latera , una cum angustiori quod interjacet : ita ut totus obeliscus quatuor contineat notarum series .

§ V I.

E Gallia unus hactenus innotuit obeliscus , Arelate constitutus in foro publico , integer , rasus , longus pedes parisienses quinquaginta duo sive palmos septuaginta quinque cum besse , latus pedes septenos sive palmos denos cum sextante , repertus in hortis suburbanis Rhodano adjacentibus , atque erectus anno 1676. Quis eum advexerit non constat , neque antiquitus erectus fuisse videtur , sed jacere permissus eo loco quo nave delatus fuerat ex Aegypto . Hoc solum invenitur in annalibus municipii , Carolum IX Galliae Regem de eo subrigendo cogitasse . [1]

---

[1] Arelatensis obelisci notitiam excerpsi e libro cui titulus : *Correspondence d' histoire naturelle ou Lettres sur les trois regnes de la Nature* : (*par Pierre Joseph Buchoz*) : volumes 8. à Paris 1775. Nempe volumine 3. , pag. 181. , epistola *66.* quae inscribitur : *Sur l' obelisque de la Ville d' Arles* , ita disserit auctor : *C' est le seul monument de cette nature qui soit en France . On n' en sçait au vrai l' histoire . Il est de granit oriental : sa hauteur est de 52. pieds , et sa base a 7. pieds de diametre , tout d' une piece . Il fut trouvé dans les jardins d'un particulier auprès des murs de la ville , qui ne sont que très-peu eloignés du Rhône . Il etoit probablement demeuré dans cet endroit depuis son debarquement , qui doit s' être fait il y a environ 17. siecles , sans qu'il eût jamais servi à l' usage auquel on l'avoit d' abord destiné . Il étoit enséveli dans la terre , sa pointe étoit seulement un peu découverte . On lit dans les archives de l'hôtel-de-ville , que Charles IX. , roi de France , passant par cette ville , donna ordre qu' on deterrât ce granit pour le transporter ailleurs . Mais celà ne fut pas executé . Dans la suite les habitans d' Arles ont fait élever cet obelisque à la gloire de Lovis XIV. , dans une de leurs places publiques , avec des inscriptions magnifiques aux quatre faces de son piedestal . On a placé à sa pointe un globe qui represente la terre , et un soleil au-dessus , ce qui fait une vraie divise sans paroles . Le pied de l'obelisque est enfermé , et on n' a epargné aucune dépense , soit pour son ornement , soit pour sa conservation . C' est en 1676. qu'il a été élevé , et en 1677. qu'il a été embelli . —— Cet obelisque est venu d' Egypte de même que ceux que l'on voit à Rome . Tous les autres sont remplis de caracteres hieroglyphics , mais celui-ci étoit demeuré entierement nud et uni . Apparemment les Romains l'avoient fait venir d' Egypte pour le consacrer à la gloire de quelqu'un de leurs empereurs .*

§. VII.

Obelisci cuspidem pyramidalem e syenite lapide pallidiori, altam pedes londinenses ferme duos cum dimidio, sive palmos tres, uncias quinque; latam prope pedes tres, sive palmos quatuor: et scalpturis decoram, ab Alexandria in Angliam advexit Guilielmus Lethieullier anno 1722.: postea diligenter delineatam aeneis formis exprimendam curavit Alexander Gordon Scotus, veteribus monumentis a se editis atque illustratis clarus. Ea nunc asservatur Wanstedii in provincia Essex, in hortis Jacobi Tylney Long, Baronetti.

Latera ejus rectilinea sunt, sed summus vertex recisus est ad planum pollicum trium et dimidii, sive unciarum quatuor cum besse; et basis irregulari ruptura deformata nullum offert indicium, utrum integrum sit obelisci pyramidion an inferiore parte privatum. In singulis lateribus duo sunt majorum effigierum ordines, et praeter minutas notas columnatim exaratas in area; aliae adsunt infra figuras horizontali serie proscriptae. Scalptura, quantum judicare datur ex iconismo, ea caret linearum propositionumque accuratione, eoque rerum exacte exprimendarum studio, quae in Ægyptiis monumentis e syenite aliisque ejus generis lapidibus invenire solemus. Sed cum in hac re tum et in figurarum habitu vestiumque modo affine videtur fragmentum iis tabulis Ægyptiis ex lapide calcareo albente, quarum non paucae conspiciuntur in Borgiano aliisque per Europam museis, et in quibus scalpendis minori cum cura versati videntur artifices quam in durioribus saxis.

Caeterum praeclari hujus fragmenti cognitionem acceptam refero amicitiae ornatissimi viri Thomae Ford Hill, qui litteris datis Londini die 22. junii 1792 Gordonianam iconem a se emendatam transmisit, scribens se lapidem bis invisisse atque attente examinasse: angulos ejus fractos esse et comminutos, amplius quam appareat in icone, summum autem apicem recisum videri data opera, quo ornamentum aliquod imponeretur obelisco.

§. VIII.

Ultimi in Europa occurrunt obelisci, Constantinopoli stantes; alter in hortis claustri regii; alter de cujus stylobate diximus sectione priori, [1] in hippodromo ambo e syenite lapide.

De eo qui est in hippodromo primus inter recentiores retulit Christophorus de Bondelmontibus Florentinus, in descriptione urbis Constantinopoleos concinnata anno 1422 ita scribens: „ Agulia ex uno lapide in quatuor taxillis aeneis in „ altum erecta cernitur, cubitorum viginti quatuor. Ultra tres aenei serpentes „ in unum videmus oribus apertis. Ultra ex multis lapidibus agulia confecta, „ quinquaginta octo cubitorum „.

Post eum Petrus Gyllius Gallus, qui ante medium saeculum decimum sextum Byzantium invisit, in Constantinopoleos topographia edita anno 1562, li-

[1] Vide supra sect. 1., cap. 3., §. 5. pag. 55. et cap. 4., §. 3., pag. 56.

bro 2, cap. 11, [2] de utroque obelisco monolitho et de tertio e multis lapidibus structo disserit hoc modo : „ In medio circo , quem Graeci hippodromum appel„ lant , obeliscus ex Thebaico lapide factus exstat , cujus cum non memine„ rit antiqua regionum descriptio , et meminerit obelisci Thebaei quadrati quem „ ponit in quinta regione , [3] arbitrarer hunc terrae motu eversum translatum „ fuisse in hippodromum a Theodosio post editam descriptionem , nisi haec Theo„ dosiacorum multorum meminisset operum . — Habere igitur plures obeliscos „ Constantinopolis potuit , ex quibus non superest ille Thebaeus , quem in quin„ ta regione ponit antiqua regionum descriptio . Duos adhuc exstantes vidi , cum „ primum venissem Byzantium : unum in circo maximo , alterum intra claustrum „ regium in latere primi collis vergente ad septentrionem , quadratum ex lapide „ Thebaico factum , erectum juxta domum vitreariarum officinarum regiarum: sed „ paulo post eversum et extra claustrum elatum vidi jacentem longum triginta „ quinque pedes : cujus singula latera , si bene memini , senos pedes lata , peri„ metrum illius efficiebant pedum viginti quatuor . Hunc Antonius Priolus nobi„ lis Venetus emit Venetias exportaturus , et in foro Divi Stephani locaturus . Al„ ter vero in medio hippodromo pro meta in hunc diem exstat supra quatuor tes„ seras aeneas latas quoquoversus sesquipedem , altas tantundem , sustentatas „ basi et stylobate . A solo duos gradus habet stylobates , quorum inferior altus „ est pedem unum , cujus latitudo pedalis ; superior gradus altus duos pedes , „ projectus extra stylobaten duos pedes et quatuor digitos . Gradus subjecti non „ sunt stylobatae , sed adjecti et adstructi velut suggestus , ut apparet ex commis„ sura; supra quos latus quoquoversus duodecim pedes stylobates eminet in altitudi„ nem quatuor pedum et octo digitorum , et extra basin projicitur sesquipedem . „ Praeter hos quatuor pedes et octo digitos, stylobates pedalem altitudinem excedit „ non extra basim eminentem : nam ex summo stylobate eminet striatura alta pe„ dem et tredecim digitos , quadrilatera : nempe ex perpetuo uno eodemque la„ pide constans quo stylobates . Nam stylobates emittit suam supremam partem , „ non solum sesquipede strictiorem quam infimam , sed etiam angulis mutilatam , „ locoque quatuor angulorum diminutorum existunt quatuor lapides quadrati mar„ moris Thebaei rubentis , singuli alti sesquipedem , nempe quantum striatura sty„ lobatae his quatuor angularibus lapidibus interclusa , qui cum intermedia parte „ suprema stylobatae sustinent basim altam pedes septem et digitos tredecim , „ projectam extra imum scapum obelisci sesquipedem , quoquoversus patentem „ novem pedes et novem digitos , quae tota insculpta est ut stylobates , qui sta„ tuis eminentibus omnia latera incisa habet „ . Ad stylobatae anaglypha et epigrammata pergit Gyllius , de quibus diximus prima sectione locis jam citatis . Dein ad basin transiens ait : „ Jam vero in boreali basis latere scalpti sunt qua„ tuor ordines continentes trigintaquinque statuas togatas . Ex latere occiden„ tali eminent duo ordines ; quorum inferior habet novem statuas supplices offe„ rentes munera regi , qui stat in superiori ordine cum statuis sedecim . Latus „ meridianum duobus ordinibus distinguitur , inferiore exprimente statuas togatas „ decem , superiore viginti , togatas omnes , exceptis quatuor clypeatis . Latus „ orientale habet in parte inferiori tres ordines : infimus continet sedecim perso-

---

[2] In Gronovii thesauro antiquitatum Graecarum tom. 6. pag. 3265.sqq. et in Bandurii imperii orientalis parte 3. pag. 374. sqq.

[3] Vide supra Sect. 1. cap. 1. , pag. 29.

„ nas alias viriles alias muliebres saltantes, alias organa pulsantes ; supra quas emi- „ nent duo ordines capite tenus , puto spectatores . Superior ordo reddit viginti „ statuas ; harum sex ab aliis distinguuntur columnis ; media coronam tenet manu. „ Supra basim exstant quatuor tesserae aeneae , quibus in quadrum dispositis to- „ tus obeliscus sustinetur , cujus quidem quadrati singula latera ima lata sunt cir- „ citer pedes sex : ab imo ad summum scalpta notis Aegyptiacis . „ Mox addit ca- pite 12 : „ In medio hippodromo etiamnum exstat structilis colossus ex lapidibus „ quadratis factus , olim aereis tabulis vestitus , ut epigramma in ejus basi inci- „ sum testatur , ferro colligatis , ut apparet ex foraminibus non modo in scapo sed „ et in basi remanentibus , in quae quidem foramina regulae ferreae insitae erant „ plumbo confirmatae . Hic colossus excelsior est obelisco . Basis est marmor qua- „ dratum altum pedes septem digitos tres , latum singulis lateribus pedes decem „ cum dodrante . Imae basi adjecti sunt gradus tres , qui efficiunt altitudine pe- „ des quatuor , digitos quatuor. In basi legitur epigramma Graecum : „

„ το τετραπλευρον θαυμα των μεταρσιων
„ χρονω φθαρεν κωνσταντινος νυν δεσποτης
„ ο ρωμανου [4] παις δοξα της σκηπτουχιας
„ κρειττον νεουργει της παλαι θεωριας
„ ο γαρ κολοσσος θαμβος ην εν τη ροδω
„ και χαλκος ουτος θαμβος εστιν ενθαδε . „

Eodem fere tempore Petrus Bellonius , libro primo de admirabili operum antiquorum praestantia . cap. 8 , ita retulit : [5] „ Est et obeliscus Byzantii in „ hippodromo a Theodosio imperatore collocatus , cubo marmoreo altissimo ni- „ tens , sub cujus quatuor angulis quaternae subsunt tesserae , quibus sustine- „ tur . Ingentis eum fuisse magnitudinis , crassitudo indicio est . Mutilus enim in „ praesentia et veluti truncatus apparet , cujus longitudo non amplius extenditur „ quam decies viri mediocris statura . Ad umbram solis emensus sum . Characte- „ ribus maximis notatur , quemadmodum et alii obelisci , in quibus multa serpen- „ tium genera et quadrupedum , ut sunt cerastae , viperae , chamaeleontes , hip- „ popotami , insculpi solent . — Obelisci mentiti moles gracilis , sed admodum „ excelsa , marmoreis lapidibus ferro et plumbo invicem junctis , Byzantii in hip- „ podromo adhuc cernitur . Bracteis aeneis convestita fuit et auro oblinita , ut „ aureus videretur obeliscus : nunc bracteis suis nudatus . „

Monolithi obelisci in hippodromo statuti altitudinem quinquaginta cubitorum facit Joannes Sanderson , qui Constantinopoli fuit anno 1594 [6] : at

---

[4] Bandurius imperii orientalis tom. I., parte 2 pag. 181. legit ὁυ ρωμανος , et totum epigramma latine reddit : *Quadrilaterum hoc rerum sublimium miraculum , tempore corruptum, Constantius nunc dominus , cujus filius est Romanus , gloria imperii , excellentius renovat, quam olim visebatur . Colossus enim miraculo erat Rhodo ; et aes hoc stupori est hoc loco .*

[5] In Gronovii thesauro ant. Graec. tom. 8. pag. 155,

[6] *In the midst of the Atmeidan is to bee seen, raised upon four dice of fine metal , a very faire pyramid of mingled stone , all of one piece , fifty cubits high , carved with heroicall letters : resembling the Agulia of Rome . Its foot is double : in the first foundation , which is two cubits high , is carved the manner and the way they tooke to set up this pyramid or obelisk ; in the second foundation , which is four cubits high, are carved the tyrants conquered by Theodosius,*

Sponius et Wheler [7] pedum tantum quinquaginta, sive palmorum circiter septuaginta trium; hisque assentit Cornelius de Bruyn seu Lebrun, addens excisum esse obeliscum e fusco lapide et nonnihil corrosum [8]. Praetereo reliquos peregrinatores, qui memoriam de eo injicientes nihil novi prodidere.

Iconem ejus delineavit Paniotes Nicusius interpres Caesareus in aula Ottomanna, et Kirchero transmisit anno 1654, qui aenea tabula exprimendam curavit in Oedipi tomo 3, syntagm. 6, pag. 305. Alteram exhibuit Carsten Niebuhr, vir clarissimus, in descriptione itineris Arabici, [9] tomo 1, pag. 32: multo sane accuratiorem quam illa, sed quae et ipsa hinc et inde laborare videtur.

Scalpturarum numerus exiguus est pro tanto lapide. Fastigium quidem singulis lateribus ornatur figuris historicis cum minutis notis in area adjectis; eademque conditio est ejus partis quam in trunco appellavi capitulum: reliqua vero trabs unoquoque latere unam tantum offert notarum seriem verticalem, quae incipiunt ab accipitre, eademque fere ratione distributae cernuntur ac Romae in obelisco Mahutaeo. Sed potuit habuisse alias figuras historicas circa basin, quae forte avulsa periit, cum saxum docente Bellonio mutilum appareat et truncatum.

De altero obelisco, quem Gyllio scribente emit Priolus, altum est apud auctores silentium. Sed a cl.Graves, Anglo, qui Constantinopolin adiit an. 1792, accipio, in hortis regiis, extremo colle ad septentrionem, erectum cerni obeliscum ex syenite lapide, hieroglyphicis notis insignem, sibi praeternaviganti non multo minorem visum eo qui est in hippodromo. Hunc eum esse de quo narrat Gyllius vix dubito: licet ignorem quo factum sit ut eodem fere loco denuo erigeretur. Ab eodem peregrinatore doceor structilem illum colossum, cujus post Gyllium meminere Georgius Sandys Anglus et Petrus de Valle Romanus [10], stare adhuc in circo, altum circiter pedes nonaginta, sed ita corruptum et nigredine obductum, ut dignosci vix possit, e quo lapidis genere sit constructus; epigramma autem quod supra descripsi, legi adhuc in stylobate.

Alium praeter hunc ex pluribus frustis compactum obeliscum, a Graecis hominibus vana Aegyptiorum operum imitatione erectum, offendit in minori Asia Pocockius et in aes incidi curavit. Quatuor videlicet horarum itinere a Nicaea distare scribit monumentum sepulcrale, ab incolis dictum Besh-tash sive *quinque-lapides*, quippe quod tot concinnatum sit frustis marmoreis colore cinereo. Figura autem gaudet obelisci triangularis, apice destituti, forte quod supremus lapis vetustate deciderit. Latera ejus valde inclinata sunt, et recta linea tendunt apicem versus. Caeterum stylobatae insidet quadrato, cujus altitudo efficit pedes londinenses undecim, latitudo sex cum dodrante. Obelisci altitudinem non definivit Pocockius, ex iconismo autem arguitur altum esse pedes circiter quadraginta quinque

---

who bring presents and render obedience on every side to the said emperor, he also being carved in the midst. Haec ex epistola amicissimi Hillii; nam itinerarium Sandersoni insertum collectioni Purchasianae, Londini 1625., ipse non vidi.

[7] *George Wheler voyage du Levant* tom. 1. pag. 139. *L'obélisque de l' hippodrome de Constantinople est haut d'environ* 50. *pieds, elevé de terre sur un piedestal d' environ* 8. *à* 10. *pieds de haut*. Vide etiam *Voyage fait en* 1675. *et* 1676. *par. Jac. Spon. et George Wheler*. tom. 1. pag. 231.

[8] *Cette pyramide est d' une espece de pierre brune, et un peu gatée. Corn. Lebrun voyage au Levant. à Paris.* 1714. pag. 48.

[9] *Carsten Niebuhr's reisebeschreiburg nach Arabien und andern umliegenden ländern. Kopenhagen* 1774.

[10] *George Sandys's relation of a journey begun anno Domini* 1610. *London* 1637. pag.34. *Viaggi di Pietro della Valle. Venezia* 1667. tom.1. pag. 37.

vel palmos sexaginta unum cum semisse, modo justa proportione sit delineatus. Purus est, praeter quod in australi latere infimo lapidi inscriptum legitur: Γ ΚΑΣΣΙΟΣ ΦΙΛΙΣΚΟΣ Γ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΤΟΥ ΥΙΟΣ ΖΗΣΑΣ ΕΤΗ ΠΓ: h. e. *C. Cassius Philiscus C. Cassii Asclepiodoti filius qui vixit annos LXXXIII.* [11] Hic quidem obeliscus, si modo recte eo appelletur nomine ad eorum numerum non pertinet, quos mihi sumsi enarrandos: attamen hoc loco occasione oblata notitiam ejus inserendam duxi. Nam praeter structilem colossum Constantinopolitanum unicus mihi obvenit e Graeca antiquitate superstes, solus quoque figura praeditus triangulari, et solus inter eos qui aevum tulere ex pluribus truncis invenitur coagmentatus.

CAPUT TERTIUM

Obelisci hodie exstantes in Aegypto et in Aethiopia

Sic lustratis Europae regionibus pergendum nobis est ad eos obeliscos, qui in Africae provinciis exstantes descripti offenduntur in libris peregrinatorum: nam e secunda antiqui orbis portione nulli quod sciam innotuerunt Aegyptii obelisci. Africae quoque duo tantum regna sunt, in quibus ejus generis monumenta existere novimus, Aegyptus et Aethiopia. Aegyptus quidem obeliscorum patria, licet victoriae rapacitate ornamentorum suorum ingentem vim perdiderit, tamen hodie quoque inter vetustae opulentiae immanes reliquias multos servat obeliscos, quos in civitatum ruinis erectos, vel et jacentes in locis celebrioribus, memoriae prodiderunt Europaei qui ultimis hisce saeculis magna frequentia peragraverunt provinciam. Sed credibile est non paucos praeterea adhuc latere sepultos vel ignobilioribus locis abditos, quos in lucem evehent futurae aetates. Aethiopia vero nostro aevo parum frequentata Europaeorum commercio, ubi demas fragmenta aliqua quae in ruderibus Meroes se offendisse scribit Brucius, solis inclaruit Axumitis obeliscis, neque iis ut videtur valde vetustis: quamquam a stelis, quas in Aethiopia positas celebrant auctores antiqui, initium sumpsisse obeliscorum proceritatem, non improbabili conjectura aliquis affirmaverit.

§. I.

Obeliscos integros decem et octo in Aegypto existentes enumerat P. Sicardus e societate Jesu, qui inde ab anno 1697. per annos fere triginta missionarii munere functus est in Aegypto. Scilicet duos exstare scribit Alexandriae, Thebis decem, Philis quatuor, unum vero Heliopoli et unum in nomo Arsinoite [1].

---

[11] *Pococke's description of the East* vol. 2., part. 2., pag. 123.: *Setting out from Nice and travelling on the north side of the lake, in about four hours we came to an obelisk about a mile to the north of it. The people call it Beshtash, or the five stones, because it consists only of that number. It is of grey marble, and of a singular kind; for it is triangular, and stands on a base and pedestal six feet nine inches square, and about eleven feet high. There is an inscription on the south side of it, from which one may conclude, that it was erected as a sepulchral monument, probably to some great citizen of Nice.* Confer ibidem tabulam 61.

[1] *Discours sur l' Egypte par le P. Sicard*, cap. 8. in *Nouveaux memoires des missions de la compagnie de Jesus dans le Levant. à Paris* 1715. —— 1755. tom. 7. pag. 170.

Sed de numero non satis convenit inter peregrinatores. Nam Thebis alii octo memorant, alii sex tantum; et in Abydi ruinis duo conspici perhibentur, Sicardo ignorati.

Generatim autem de obeliscis in Aegypti locis hodie obviis ita disserit Fridericus Ludovicus Norden, Danus, in descriptione itineris jubente Christiano VI. Daniae rege suscepti in Aegyptum et Nubiam annis 1737. et 1738.[a]: „ Obelisci „ quos vidi in Aegypto plerumque facti sunt e pyrrhopoecilo, licet ea magnitudine „ haud frequenter inveniatur ille lapis; offenduntur tamen ex aliis quoque lapi„ dibus excisi. Quadrilateri sunt, pyramidis instar assurgentes atque gracile„ scentes, donec summitatem versus ad veram transeant figuram pyramidalem, acu„ to fastigio terminati. Sed in hoc alii ab aliis differunt, quod nonnulli acuto de„ stituuntur apice. Omnes autem ex uno constant lapide, modo casu non „ sint fracti. Pro stylobate habent truncum cubicum, cujus amplitudo imam obe„ lisci latitudinem non plus quam binis vel ternis pedibus excedere solet: at is „ ut plurimum una cum ima trabis parte terra obtegitur. Majori ex parte hie„ roglyphicis ornati sunt perpulchris: sunt tamen quorum minus elegans est „ scalptura; sunt et puri nonnulli. Caeterum figura ea est ut merito inter ae„ dificiorum praestantissima referantur ornamenta: ad id vero praecipue videntur „ destinati, ut condecorarent templorum et regiarum domuum aditus vel porti„ cuum extremitates. Reperiuntur per universam Aegyptum: primos enim vi„ di Alexandriae, ultimos in Ell-heiff insula, quam veterum Philen esse plane vi„ detur probabile. „

§. II.

Ista fere Nordenius, quo duce Aegyptum peragraturus incipiam ab Alexandria, quae civitas prima occurrit ex Europa in Aegyptum tendentibus. „ Unus „ ibi erectus stat obeliscus ex syenitae lapidis frusto, ima quidem parte in are„ nam immersus, comite altero fracto et humi prostrato. A Cleopatrae nomine „ vulgo appellant stantem obeliscum, ambo vero ii esse videntur quos in Caesaris „ templo constitutos memorat Plinius. Locus enim est in veteris urbis regione se-

---

[a] *Travels in Egypt and Nubia by Frederik Lewis Norden captain of the Danish navy: translated from the French original published by command of his majesty the King of Denmark; and enlarged with observations from antient and modern authors by Dr. Peter Templeman. London* 1757. tomo 1., pag. 96. 97. *The obelisks in Egypt are commonly of granite, tho' the granite rarely furnishes pieces so large as were necessary for this purpose. Their shape and their embellishments placed them likewise in the number of precious things and proper to serve as majestic ornaments. They seem more especially to have been designed for decorating the gates of temples, palaces, or the extremity of a colonnade. They are quadrangular, rising up in form of a pyramid to a certain height, tapering almost to a point, and terminating like true pyramids. Each of their faces are commonly adorned with hieroglyphical figures, that are contemplated with admiration for their beauty. They are all alike with respect to their form, except that the summit is sometimes wanting in them. Neither are they all made by the same masters, nor with the same materials; tho' for the most part they are of granite marble. We find them in Egypt from one end of the kingdom to the other. I observed the first at Alexandria, and the last at the island that is called at present Giesiret-ell-heiff, which seems to be the Philae that ancient authors have so often mentioned. They are, or at least were originally made of a single piece; and their pedestal is a cube, which commonly does not exceed more than two or three feet the breadth of the obelisk. This pedestal, and even part of the obelisk, are most usually buried under the ground.*

„ ptentrionali prope littus, modico ascensu, antiquorum aedificiorum ruderibus „ obsitus, columnarum et zoophororum fragmentis; medio fere itinere ubi a novo „ Alexandriae oppido pergis ad turrim dictam Pharillon minorem. Perpulchrae sunt „ hieroglyphicorum quae supersunt scalpturae; at stantis obelisci duo latera, non „ igne quidem, neque hominum injuria, sed aëris inclementia adeo sunt cor- „ rosa ut notarum lineamenta vix appareant amplius, quamquam valde profun- „ de fuerint incisa. „ Hactenus Norden, [1] quocum in obeliscorum situ definiendo consentiunt Richardus Pococke, Anglus itinere per Orientem suscepto clarus, qui Aegyptum lustravit annis 1737. 1739., in Alexandriae ichnographia rerum Aegyptiacarum tabula secunda, et Carsten Niebuhr, qui in Aegypto fuit annis 1761. 1762, a Friderico V Daniae rege ad Arabiam explorandam missus, itineris tomo primo. [2] At Savary peregrinator Gallus, qui Aegyptum

---

[1] Libro citato tom. 1, pag. 4, 5. *The obelisk of Cleopatra is situated almost in the middle between the new city and the little Pharillon. Its base, of which a part is buried under the ground, is raised twenty feet above the level of the sea. Between this monument and the port runs a thick wall, flanked on each side of the obelisk by a great tower; but this wall has been so ruined that its height is almost equal to the base of the obelisk. The inside of the wall is but at ten feet distance from this monument; and the outside but at four or five paces from the sea. All the front of this wall quite into the port, is full of an infinite quantity of ruins of columns, freezes or other pieces, which have belonged to a magnificent edifice. They are of divers sorts of marble: I have perceived there some granite and verd antique. Towards the country the obelisk has behind it a very large barren plain. —— As to the obelisk in itself, it is of a single piece of granite marble. It suffices to say, that there are only two of its four faces, which are well preserved; the two others are effaced, and you scarce see in them the hieroglyphics, with which they were anciently cover'd. The obelisk that is thrown down appears to have been broken; but that which may be decypher'd of its hieroglyphics, gives one reason to judge, that it contained the same figures and in the same order, as those of the obelisk which is standing. Some ancient authors have written, that these two obelisks were in their time in the palace of Cleopatra; but they do not tell us, who caused them to be placed there. It is probable that these monuments are much more ancient than the city of Alexandria, and that they were brought from some place in Egypt, for the ornament of this palace. This conjecture has so much the more foundation, as it is known that at the time of the foundation of Alexandria, they no longer made any of these monuments covered with hieroglyphics, of which they had already long since lost both the knowledge and the use. The two sides of such hard stone spoiled and effaced shew us the great difference there is between the climate of Alexandria, and that of all the rest of Egypt; for it is neither fire nor a brutal hand, that has damaged these stones. One sees clearly that it is only the injury of time that has eaten some of the figures, and which has effaced some others, tho' they were very deeply engraven. One perceives about the obelisks remnants of vvorks of brick burnt by the fire and very hard: some vaulted canals, vvhole walls thrown dovvn without the bricks being detached, apartments half destroy'd. All these ruins make so confus'd a chaos that one cannot form to one's self a just idea of the edifices* Et ibidem praeliminarium pag. 19. *I have given designs of the four sides of the obelisk commonly called Cleopatra's, and already described by Plinius, vvith the other vvhich is actually upon the ground, and vvhich as vvell as the first vvas of old placed in the temple of Ceasar. The hieroglyphics upon the tvvo contiguous sides are very beautiful, but the others (the east and south sides: see plate 9.) have greatly suffered from vvind and damps. I have therefore represented them as they are.*

[2] *Carsten Niebuhr's reisebeschreibung nach Arabien und andern umliegenden ländern. Kopenhagen* 1774. tom. 1. pag 45. *Das beste stück des alterthums innerhalb der alten stadtmauer von Alexandrien ist der sogenante Obelisk der Cleopatra. Dieser ist so vvie alle andere obeliske, vvelche man bey den pallästen und tempeln der alten Egypter gefunden hat, von hartem rothen granit, und ganz von einem stücke. Jezt ist ein theil davon in der erde. Er ist aber dennoch ein und sechzig fuss elf zoll hoch, und an der erde sieben fuss drey zoll breit. Einige buchstaben von der Pharaonischen schrift sind noch einen zoll tief. Norden hat von diesem obelisk eine gute zeichnung geliefert. Nahe dabey sieht man*

invisit anno 1777, memoria lapsus videtur, dum in Alexandriae tabula topographica eos ponit extra urbis moenia a parvo Pharillone in orientem, versus promontorium Lochiam.

Eidem Nordenio debemus obelisci Alexandrini iconem magna diligentia delineatam: sed symmetriam ejus prodere omisit, qua in re prae reliquis diligentem se praestitit Titus Livius Burattinus architectus Venetus, qui circa medium saeculum decimum septimum mensuras suas una cum occidentalis lateris delineatione ex Aegypto transmisit Kirchero, qui eas publici juris fecit in Oedipi tomo 3, syntagm. 9, pag. 339 —— 342. Is universam altitudinem supra terram conspiciendam statuit pedum capitolinorum sexaginta duum cum $\frac{691}{970}$, sive palmorum fere octoginta trium et bessis; ex quibus pyramidion obtinet pedes quinque cum $\frac{691}{970}$ vel palmos fere septem cum dimidio: laterum vero in ima parte amplitudinem prodit pedes septem et $\frac{746}{979}$ sive palmos fere decem et quadrantem. In hac quidem baseos latitudine cum Burattino fere conveniunt, qui post eum obeliscum mensi sunt; sed altiorem esse aliquanto quam scribit Burattinus, suspicari faciunt novissimorum auctorum mensiones. Pocockius enim et quem supra laudavi Graves, nuper ex Aegypto redux, altum invenere pedes londinenses sexaginta tres, vel palmos circiter octoginta sex: [3] et Niebuhrius longum deprehendit pedes danicos sexaginta unum cum deunce, id est palmos octoginta septem, uncias fere undecim. Ad hunc quam proxime accedit Savarius, obeliscum altum narrans pedes parisienses sexaginta, palmos octoginta sex cum quadrante: [4] ad Pocockium vero Bremond et Monconys, qui in Aegypto fuere annis 1645 et 1647, et obeliscum altum prodiderunt pedes parisienses quinquaginta octo et dimidium, palmos octoginta quinque. [5] Domi-

---

einen andern obelisk, an dem jede seite sechs fuss drey zoll breit ist. Dieser aber steht nicht mehr aufrecht, sondern liegt zerbrochen auf der erde, und ist zum theil mit erde bedeckt. Ich bin zweifelhaft ob nicht jede seite des stehenden obelisks 6. fuss, 3. zoll, und des dabey liegenden 7. fuss, 3. zoll breit ist. Dann würde die höhe des stehenden obelisks etwa 60. fuss seyn. Ibidem pag. 49. *Bey dem obelisk der Cleopatra stehen die ecken ohngefähr nach den vier weltgegenden.*

[3] *A description of the East and some other countries. Volume the first: observations on Egypt. By Richard Pococke. London 1743.* lib. 1. cap. 1. pag. 7. *Of the two obelisks at Alexandria one is broke and part of it lies on the ground. It has been found by digging under ground, that the bottom of the obelisks were rounded, and let into a plinth, as the Egyptians used to place their pillars. These obelisks might be before the temple of Neptune. If J made no mistake in taking the height of that which is standing, by the quadrant, it is sixty-three feet high; the piece of the obelisk that is broke, is eighteen feet long, and at the bottom measured seven feet square.* Inspice ibidem tabulam 2., qua sistitur ichnographia Alexandriae. Et pag. 216. *It has been found out that the obelisks were placed on low bases, and let into a socket, which made the raising of them much easier than on high pedestals, as they are placed in Rome.*

[4] *Lettres sur l'Egypte par M. Savary. à Paris* 1785. tom. 1. pag. 35. *Vers la partie orientale du palais d'Alexandrie on voit deux obélisques, nommés vulgairement les aiguilles de Cléopatre. Ils sont de pierre Thebaique et chargés d'hieroglyphes: l'un est renversé, rompu et convert de sable: l'autre posé sur son piédestal. Ces obélisques, chacun d'une seule pierre, ont environ soixante pieds de haut sur sept pieds carrés à la base. Ils sont près le promontoire Lochias, dans l'emplacement que Strabon donne au palais.* Vide ibidem ichnographiam Alexandriae ad pag. 20.

[5] *Viaggi fatti nell' Egitto e in altri paesi di Levante del Signor Gabrielle Bremond Marsiliese tradotti dal Francese. Roma* 1679. pag. 20. *Avanti il luogo ove i vascelli Franchi fanno scala, verso il mezzo dei muri della città, si rimirano le superbe rovine del regio palazzo di Cleopatra e dei Tolomei, che non sono oggi che rovine, pezzi di marmi, frammenti di colonne, capitelli fracassati ed altri trofei del tempo. Avanti queste rovine cinquanta passi dentro la città si vedono due belli obelischi, istoriati di belli geroglifici Egizj, tutti d'un pezzo, e è*

nicus Jauna autem, qui Alexandriam invisit anno 1702, altum facit pedes parisienses quinquaginta quinque, palmos octoginta; atque ex latitudine ejus qui prostratus cernitur arguit, exiguam tantum erecti obelisci partem terra contegi. [6] At Paulus Lucas in descriptione itineris suscepti anno 1714, ad duodecim pedum altitudinem in terram demersam ait, et quae supra terram sunt pedes efficere quinquaginta quatuor. [7] Nimis quoque aberrasse videtur Shavvius, qui circa annum 1730 Alexandriam profectus, altum prodidit pedes parisienses non plus quinquaginta, palmos septuaginta duo cum dodrante, comprehensis pedibus tribus, quos terra obrutos latere acceperat.

Sed notabilem de hujus obelisci stylobate narrationem tradit idem auctor: „ Paucis, ait, annis antequam Alexandriam appellerem, Dn. le Maire Gallus, „ humo circa basin Alexandrini obelisci effossa, delineari curavit stylobaten, invenitque obelisci partem, quae terra obtegitur, altam pedes parisienses tres, stylobaten pedes octo. Hic Graecae architecturae prae se ferebat indolem: at obelisci basis in hemisphaericam desinens figuram infixa erat in foramen in summo stylobate ei adaptatum. Et sane convexa ista et subrotunda baseos figura obeliscum reddit telo similiorem, quam plana et quadrata basis, et solis radio adumbrando aptiorem. Caeterum stylobatae, cujus schema ab ipso Lemairio mecum fuit communicatum, incisi visebantur characteres non intelligibiles, ejusdem forsan naturae ac illi de quibus scribit Apulejus metamorphoseôn libro undecimo „. Haec Shavvius, [8] cui facile credimus, quod obelisci basis

---

maggiori che si vedono; uno dei quali è in piedi, ma quasi affatto sepolto fralle rovine e la sabbia, ha dieci palmi e mezzo di faccia, e perchè non si vede il suo piedestallo, comunemente si crede sepolto fralle dette rovine, Ciò che appare sovra terra ha 58. piedi e 6. polsi d'altezza e 7. piedi di quadro a basso. L'altro è giacente, nè se ne può vedere che circa 10. piedi.

Voyages de Mr. de Monconys conseiller du Roy. à Lyon 1677. tom. 1., pag. 151. *Le 26. janvier 1647. je fus mésurer l'esguille de Cléopatre, qui a 58. pieds 6. pouces, et a 7. pieds en quarré en bas.*

[6] *L' état present de l'Egypte par Dominique Jauna, conseiller de sa majesté Imperiale; dans son histoire générale des royaumes de Chypre etc. à Leide* 1747. tom. 2. pag. 1231. *L' une des aiguilles de Cléopatra est aujourd'hui renversée et presque ensévélie sous le sable. On en decouvre pourtant la plus grande partie. L' autre est encore debout, et quoique on ne voie point le piedestal, sur le quel elle est posée, à cause du sable dont il est couvert, il est aisé de juger, en mesurant un des côtés d' en bas de celle qui est renversée, que la partie cachée de celle qui est en pied n'est pas fort considerable. —— On voit à Alexandrie un obélisque qui a plus de 55. pieds de hauteur, sans compter le piédestal; et son épaisseur d'en bas est de 7, à 8. de chaque côté.* „

[7] *Voyage du Sr. Paul Lucas fait en* 1714. *par ordre de Louis XIV. à Rouen* 1724. tom. 2. pag. 24 25. *L' aiguille de Cléopatre a 54. pieds hors de terre, et environ 12. pieds, qui y sont ensévélis, et on n' en sçauroit voir le piedestal pour la même raison. Cette aiguille est chargée d'hieroglyphes, comme on peut le voir dans la figure que j' en donne. On en voit à douze pas de là une autre de la même grandeur, qui est à present renversée. Ces obélisques, sont d' un beau marbre granit.* Quod vero in priori itinere publici juris facto Parisiis 1704., tom. 1. p. 41., eos altos faciat pedes 80. vel 90., notari vix meretur. *Ils peuvent avoir environ 80. ou 90. pieds de hauteur, d' un marbre granit rougeatre. L'un est debout, et l' autre à bas un peu en terre par sa pointe.*

[8] *Voyages de Mr. Shavv dans plusieurs provinces de la Barbarie et du Levant, traduits de l' Anglois, à la Haye* 1743. tom. 2., pag. 139. —— 142. *Quant aux piedestaux des deux obélisques qu' on voit encore debout, l' un à Alexandrie et l'autre à Mattareah, ils sont tellement ensévélis sous les ruines et les décombres, qu' il ne m' a été possible de les voir. On m' a dit cependant, que le piedestal du premier ayant été decouvert, il y a quelques années, par M. le Maire, on trouva qu'il avoit 8. pieds de France de hauteur, et qu'au reste il étoit dans le gout Grec et Romain. Mais peut-être celà demande-*

aliqua crassitudinis parte diminuta infixa fuerit stylobatae, quae res aliunde quoque fit probabilis, ut dicetur suo loco: sed hoc non video quo pacto fieri potuerit ut Lemairius obelisci pedem deprehenderet hemisphaericum, nisi universa mole sede sua avulsa vel fractis saltem stylobatae lateribus. Pocockius vero ubi libro citato pag. 7, eandem rem se accepisse memorat, auctorem non adfert, at Shavvium videtur secutus. [9] E contrario Baro de Tott, libro de moribus Turcarum tom. 4, scribit, se Alexandriae in jacentis obelisci pede invenisse indicia, unde arguendum eum olim impositum fuisse quatuor tesseris aeneis: [10] quod vix sibi persuasisset, si basis appareret hemisphaerica. Peregrinatores autem Batavi, van Egmont et Joannes Heyman, in Aegypto usi familiaritate Sicardi et Lemairii, stantis obelisci stylobaten inventum narrant ex uno frusto syenitae lapidis, figurae quadratae, simplicem, altum pedes parisienses sex, latum quoquoversus pedes octo, et in singulis lateribus quatuordecim pollicibus ampliorem quam basis obelisci; ex quo consequeretur imam obelisci latitudinem non excedere pedes quinque et pollices octo. [11]

Stantem obeliscum vehementer corrosum esse ait Shavvius, praesertim late-

---

t-il d'être examiné plus mûrement, quoique le plan ou le dessein que j'en ai vu, et d'ou j'ai emprunté les caractéres qu'on trouvera ci-après, fût susceptible de pareils ornemens et de pareilles proportions. Le pied ou la base de celui d'Alexandrie, à ce que m'a dit Mr. le Maire, n'est pas quarrée, mais hemisphérique, et entre de cette maniere [figure] dans une cavité du piedestal, qui y repond exactement. On y voit pareillement une dixaine de caracteres bizarres, qui sont peut-être de la même espéce que ceux dont parle Apulée. Il est certain que ces colomnes ainsi arrondies par le bas ressemblent mieux à des dards ou à des javelots, que si elles étoient quarrées, et par consequent qu'elles sont plus propres à figurer les rayons du soleil. —— L'obélisque d'Alexandrie, qui est dans un lieu humide et près de la mer, a extrémement souffert, surtout du côté du Nord. Il paroit que les faces des obèlisques, aussi bien que celles des pyramides, étoient disposées de façon qu'elles répondoient précisément aux quatre coins de la boussole. On peut encore observer par raport à celui d'Alexandrie, que sa hauteur, que je trouvai de 50. pieds de France, y compris 3. pieds qui en sont cachés sous terre, répond exactement à celle des deux obélisques que le roi Mesphees erigea anciennement dans ce lieu. V. Pline 36., 9. Tous les obélisques que j'ai vus sont d'un marbre granit qui tire sur le rouge, et très proprement polis: mais les caracteres hieroglyphiques qui s'y trouvent et qui ont quelquefois deux pouces de profondeur, sont rudes et raboteux; du moins il ne paroit pas qu'ils ayent jamais été polis. Et comme on n'y apperçoit, non plus que sur les obélisques même, aucune marque de ciseau, il est probable que les caracteres ont été formès au poinçon, et que tout le corps de l'obélisque a été poli par le frottement.

[9] Inspice notam 3.

[10] *Memoires du Baron de Tott sur les Turcs et les Turtares. à Hambourg* 1785. part. 4., pag. 33. *L'obélisque renversé d'Alexandrie a été posé sur quatre dez de bronze: on le connoit encore.* Ita quidem in excerptis olim a me congestis; nam librum nunc ad manus non habeo.

[11] *Travels through part of Europa, Asia, Egypt by Mr. van Egmont and Mr. John Heyman: translated from the Low Dutch. London* 1759. tom. 2. pag. 129. *At Alexandria are two beautiful obelisks of granite, one being still standing on its pedestal, but the other thrown down and partly buried under the earth. In the first is observable that the sides facing the N. W. and S. W. are best preserved, and still present the spectator with a distinct view of the ancient hieroglyphics: while on the contrary notwithstanding the hardness of the stone, the N. E. and S. E. sides are extremely damaged, large scales falling from the stone; so that there is no distinguishing the characters. The obelisk still remaining on its pedestal is* 54 *feet above the surface of the ground, and about* 12. *beneath it. The pedestal is a flat square plinth,* 8. *feet on each side, and* 6. *in depth, formed out of a single block of greyish marble or granite, and projects* 14. *inches on every side beyond the base of the obelisk. Some are of opinion that no more than* 3. *feet of the obelisk are buried under ground.*

re septentrionali quod juxta delineationem Nordenii prae australi et orientali probe conservatum est. At vereor Nordenium erravisse in obelisci positione ad plagas mundi: nam quod Burattino est latus occidentale, ipsi tabula octava audit boreale; et asseveravit mihi cl. Graves meridionale latus, quod apud Nordenium tabula nona apparet valde exesum, reliquis melius esse conservatum, quod et poscere videtur rei natura, cum hoc latus minus obnoxium esset exhalationibus marinis pluviisque quae borea spirante cadere solent circa Alexandriam. Sed ubi Shavvius hunc et reliquos in Aegypto obeliscos ita statutos fuisse arbitratur ut quatuor facies exacte conversae essent ad quatuor mundi cardines, nec ipse satis accurate observasse videtur eorum positionem. Nam de hoc nostro obelisco diserte advertit Burattinus, qui data opera in eam rem inquisivit, laterum directionem nonnihil aberrare a rhombis quatuor ventorum cardinalium: idemque colligitur e relatione Niebuhrii, atque e Pocockii ichnographia Alexandriae, supra laudatis. Etiam Heymanus ea latera, quae occasum brumalem spectant et occasum aestivum probe conservata dicit, quae vero ad ortum brumalem et ortum aestivum valde corrupta.

De jacente obelisco non satis constat, utrum totus adhuc supersit, majori ex parte terra contectus, an pars tantum ejus sit relicta. Solus enim Pocockius de eo loquitur velut de fragmento, longitudine aequante pedes octodecim vel palmos viginti quatuor cum semisse, maxima latitudine pedes septem, palmos novem et dimidium [12]. Reliqui peregrinatores pro integro acceperunt obelisco, licet fracto et majori ex parte inter arenas sepulto. Distare ab eo qui erectus cernitur passibus duodecim, scribit Paulus Lucas, [13] consentiente Graves, qui spatium eos inter definivit gradibus anglicis viginti: et positus ad occasum brumalem arguitur ex ichnographia Alexandriae apud Pocockium. Mole videntur aequales fuisse, putatque Nordenius eandem exstitisse in utroque obelisco notarum seriem, [14] sed cui rei non satis suffragantur pauci illi characteres quos e jacente lapide descriptos ipse sistit tabula septima. In hoc saltem similes deprehenduntur uterque obeliscus, quod majoribus figuris imae trabi inscalpi solitis carere videantur.

Caeterum vix aliquem invenies inter auctores qui res tractarunt Aegyptias, quin horum obeliscorum injiciat mentionem. Jam ante medium saeculum duodecimum de iis ita retulit Arabs periegetes, quem Nubiensem geographum vocant, alii Sherif Edrisi: [15] „ Exstant Alexandriae duo obelisci, suntque duo lapides ubique „ cubici, arcti in suprema parte magis quam in ima. Longitudo unius est quatuor staturarum, et latitudo basis ejus in singulis lateribus decem palmorum, „ ita ut totus simul ambitus sit quadraginta palmorum. Suntque in ipso incisae litterae charactere Syro. Refert autem auctor libri mirabilium, fuisse praefatos obeliscos excisos e monte Tarim in occidentali parte regionis Metsr. Porro scriptura est haec: *Ego Jamer filius Sceddad aedificavi hanc urbem, dum non esset adhuc senectus protensa, neque fatum praeproperum, neque canities apparens, et dum lapides quasi lutum, et homines non agnoscerent sibi dominum. Erexique columnas ejus, fluvios aperui, et arbores ejus plantavi. Volens autem longe superare reges qui*

[12] Vide notam 3.
[13] Vide notam 7.
[14] Vide notam 1.
[15] *Geographia Nubiensis ex Arabico in Latinum versa, interpretibus Gabriele Sionita et Joanne Hesronita. Parisiis* 1619. pag. 95.

„ *fuerunt in illa , erigendo in ea monimenta mira , nisi Althabut filium Morrae Aladitae , „ et Mecdam filium Omar filii Abureghal Thammuditae , ad montem Tarim rubrum ; et „ exciderunt ex eo duos lapides , tuleruntque eos super humeros suos . Et cum fracta esset „ costa Althabut volui ut gens regni mei esset pro ipso . Erexit autem mihi ambos Alfe- „ ten filius Giarud Mutafachitae , in die prosperitatis .* Atque iste obeliscus est in an- „ gulo urbis ex parte orientali . Alter obeliscus est paulo intra urbem . „ [16] Petrus Bellonius vero , qui Alexandriam adiit medio saeculo decimo sexto , de iis disse- rit libro primo de admirabili operum antiquorum praestantia cap. 8.: „ Sunt duo „ obelisci insignes in urbe Alexandria Aegypti circa palatium Alexandri Magni , „ prope murum ; quorum alter humi procumbit in frusta , alter erectus est , sed „ semisepultus , ita ut nulla ejus pars praeterquam media appareat . Is tamen „ multo major est quam ille qui nunc Romae in Vaticano cernitur „ . His fere gemina leguntur apud Petrum de Valle , epistola data Cairi anno 1616 ; [17] apud Villamontium , qui Alexandriam vidit saeculo decimo sexto exeunte ; [18] apud Debreves , Thevenot et Lebrun , qui ibidem adfuere annis 1605, 1657 , 1680 : [19] nisi quod Cleopatrae regiam appellant rudera quae obeliscis ad- jacent . Adi praeterea si placet Principem Radzivil Polonum , qui in Aegypto fuit anno 1583 : [20] peregrinatores Anglos Joannem Evesham et Georgium Sandys cir- ca annos 1586 et 1610 : [21] et Mailletium , qui Gallorum in Aegypto commercio praefuit ineunte saeculo decimo octavo : [22] sed qui nihil scitu dignum de hisce retu- lerunt obeliscis .

Jam vero ex iis quae hactenus dicta sunt in universum colligitur, exstare Alexan- driae ad portum orientalem duos obeliscos scalpturis insignes, in Caesaris templo olim ita constitutos ut inter utrumque obeliscum ab oriente in occasum spatium relinquere- tur duodecim passuum . Horum qui latus obtinebat occidentale , nunc humi jacet

---

[16] Eodem saeculo , qui magnam orbis partem peragravit, Benjamin Hebraeus Tudelensis, in iti- nerario a Lempereur ex Hebraico in Latinum converso, Lugd. Batav. 1633., pag. 124. scribit : „ Alexandriae in maris littore marmoreum con- „ spicitur sepulchrum , cui omnia avium alio- „ rumque animalium genera insculpta sunt , „ omnia cum priscorum inscriptione , quam „ nemo legere potest. E conjectura ferunt olim „ ibi regem quendam ante diluvium fuisse se- „ pultum , cujus sepulchri longitudo 15. spi- „ thamarum erat , latitudo autem sex . „ Ista de obelisco esse accipienda , multa sunt quae suadent , sed obstant mensurae nimis exiguae , nisi textus hoc loco depravatus .

[17] Libro citato tom. 1. pag. 121. 122. *Dì riguardevole vi sono a Alessandria due guglie , una in piedi , ma sotterrata assai , che è come quella di S. Pietro a Roma e forse più grande ; et un'altra simile ma spezzata e caduta in ter- ra . Alla marina poi , congiunte con le mura della città , la dove sono le due guglie , si ve- dono le rovine di un' edificio molto magnifico e riguardevole fra gli altri , che si sporge molto dentro in mare , et ha strade e porte false , da passar per le mura dentro e fuori della città ; dai quali contrasegni il Signor Consolo mi di- ceva di poter raccogliere e tener per certo , che fosse il palazzo reale di Cleopatra .*

[18] *Les voyages du Seigneur de Villamont. à Lyon* 1620. pag. 686.

[19] *Relation des voyages de M. de Breves. à Paris* 1628. pag. 236. *Relation d' un voyage fait au levant par M. de Thevenot . à Rouen* 1663. tom. 2. pag. 230. *Voyage au Levant par Corneille le Brun . à Paris* 1714. pag. 242.

[20] *Principis Nicolai Christophori Radzivili peregrinatio Hierosolymitana a Tretero ex Polo- nico sermone in Latinum conversa. Antuerpiae* 1614. pag. 210.

[21] *John Evesham's travels in Hakluyt's col- lection* pag. 223. *George Sandys* libro citato pag. 114.

[22] *Description de l' Egypte composée sur les mémoires de M. de Maillet , consul de France au Caire , par M. l'Abbé le Mascrier . à Pa- ris* 1735. pag. 142. Ad verbum fere consentit cum iis , quae exscripta dedimus e libro Domi- nici Jauna , omissa mensura obelisci .

fractus; alter adhuc erectus stat. Hic altus est circiter palmos nonaginta, comprehensa baseos parte non magna quae terra contegitur, latus palmos fere decem cum semisse: neque is qui nunc fractus est minor fuisse videtur. Stylobatae ambo aggesta humo obruuntur, at probabile est trabis pedem defixum fuisse in summitatem stylobatae, forte et aeneis clavis firmatum. [23]

Stantem obeliscum delineatum exhibuerunt Burattinus apud Kircherum loco citato; Norden libri laudati tabulis septima, octava et nona; Cornelius Lebrun,[24] et Paulus Lucas, [25] a quo iconem mutuatus est Mascrierius. [26] Ex his Burattinus obelisci summum apicem repraesentat truncatum, ac si olim ornamentum aliquod fastigio impositum fuisset: reliqui integrum sistunt et acutum. Sed Lucas obeliscum adumbravit tantummodo, neque Lebrun in hieroglyphicis imitandis magna usus est accuratione. Diligentior Burattinus, quamquam et is unum tantum expressit latus, ipsi dictum occidentale, Nordenio vero, qui quatuor delineavit obelisci facies, boreale.

Hieroglyphicorum characterum juxta Nordenium ea est conditio, ut quae effigies conspiciuntur in latere boreali eaedem fere scalptae videantur latere meridionali, licet vehementer corroso, sed in altera facie sinistrorsum conversae, in altera dextrorsum; similisque ratio obtineat inter latus occidentale atque orientale. Itaque in binis faciebus oppositis eadem est characterum dispositio, in binis autem contiguis eadem effigierum conversio. Pyramidio in singulis faciebus inscalptum est schema quadratum, fere ut in obelisco Lateranensi, inque eo figura humana subsidens aliaeque notae minutae a Nordenio obscure expressae: Burattinus enim fastigium repraesentavit rasum. Scapi latera eo scalpturae genere prorsus carent, quod in aliorum obeliscorum vel summa vel ima facie obvium historicum vel cyriologicum appellavimus. Continent autem singula tres hieroglyphicorum characterum columnas, sat magna notarum copia refertas, et probe distinctas, quamquam sulcis verticalibus non separatas; et unaquaeque columna incipit ab accipitre. Ubi vero artem spectes, scalpturae elegantiam celebrat Nordenius, auctor in hac praesertim re magni ponderis: [27] et Niebuhr ad pollicarem profunditatem excisos testatur characteres. [28] Sed quod ruditatis accuset Kircherus et notas ab imperito hieroglypta profectas scribat; [29] id tribuendum est incultae delineationi, licet satis exactae, quam ei transmisit Burattinus.

§. III.

Praeter famigeratos istos obeliscos, Cleopatrae reginae vulgo adscriptos, alios nonnullos Alexandriae erectos fuisse, constat ex veterum scriptorum locis, quae priori sectione transcripta exhibui. Ex his duo steterunt in acropoli, [1] quo-

---

[23] Clavorum vestigia in pede jacentis lapidis indicio fuisse reor Baroni de Tott ut eum astragalis olim subvectum crederet. Vide notam 10.

[24] *Voyage au Levant*. tab. 98.

[25] *Voyage en* 1714. tom. 2. pag. 24.

[26] Loco citato in nota 22.

[27] In praeliminaribus. Vide supra notam 1.

[28] Vide notam 2.

[29] Oedipi tomo 3. pag. 343.

[1] Aphthonius progymnasmatum num. 12. Vide supra sect. 1. pag. 24.

rum forsan reliquiae sunt ea saxa, quae circa columnam a Pompeii nomine vulgo appellatam vidit Nordenius, et delineata proposuit libri citati tabulis undecima et duodecima. [2] Horum alterum scribit esse ex marmore orientali candido, et hieroglyphicis notis probe conservatis decoratum, quae fidem faciant lapidem esse fragmentum obelisci valde vetusti. Sed res dubia, cum neque lapidis forma neque ordo notarum aliquod certum praebeat indicium. Frustum enim est oblongum, formae incertae, cujus unum tantum latus conspicere datur, reliquis sub columnae stylobate latentibus. In eo autem latere hierogyphici caracteres non juxta longitudinem lapidis dispositi sunt, uti fieri assolet in obeliscis, sed juxta latitudinem, unam efficientes seriem horizontalem, quam sulcus separat ab iis quae adfuisse videntur in superiori lapidis parte, nunc deperdita.

Alterum non parvae molis frustum ex marmore Siculo flavo cum rubris maculis jacere ait Nordenius a columnae fundamentis dimotum, hieroglyphicis characteribus refertum, sed adeo corrosis ut transcribi nequeant. De figura ejus nihil prodit, at in tabula duodecima, qua ipsam repraesentavit columnam, delineatum cernitur prope columnae pedem fragmentum obelisci longum et gracile, servato fastigio, et hieroglyphicis notis duobus saltem contiguis lateribus a summo ad imum dispositis. Hoc utrum idem sit ac frustum illud flavi marmoris, non satis perspicio, neque alios invenio auctores qui ejus meminerint, licet de lapide hieroglyphicis inscripto in columnae fundamentis conspiciendo omnes fere peregrinatores sermonem instituant. Fuere qui universam columnam eo lapide subrectam prodiderunt; in quibus Paulus Lucas et Maillet [3]. Pocockius quoque scribit, sibi non videri improbabile, praecipuum columnae pondus inniti saxo quatuor pedes longo, quod ipse vidit, ex alabastro et silice mixto atque hieroglyphicis insignito [4]. At vereor ne cuncta ista fragmina, aedificiorum quae columnam olim cinxerunt reliquiae, ab Arabibus ad fundamenta ejus resarcienda translata fuerint. Nam nequaquam cre-

---

[2] Norden lib. cit. tom. 1. pag. 10. *The foundation of the column of Pompey is open on one side, so that one can judge vvhat stones have been employed in this foundation. I have observed there a piece of vvhite oriental marble, quite full of hieroglyphics, perfectly preserved, that it has been easily for me to dravv them exactly. Another large piece, vvhich is removed from its place, is of Sicilian marble yellovvish and spotted vvith red; it has equally its hieroglyphics, but so damaged, that J have not been able to dravv any thing from it. A piece of a little column had likevvise served for this foundation, as vvell as some other pieces of marble. That vvhich has been taken avvay of the foundation leaves a void of 3. feet underneath the pedestal; and the middle as vvell as the other three sides continue in their original solidity.* Adde epigraphen tabulae 11. num. 2. *Piece de marbre blanc au fondement de la colonne de Pompée, avec ses hieroglyphes, qui donnent à entendre que c'est d'un obélisque très ancien.*

[3] *Voyage de Paul Lucas en* 1714., tom. 2., pag. 23. 37. *Description de l'Egypte par le Mascrier*, pag. 144.

[4] *Description of the East*, vol. 1. pag. 8. *From the foundation of the pillar commonly called Pompey's pillar, some stones have been taken avvay on the vvest south vvest side, so as to shevv the middle stone vvhich has been so much talked of, as if the pillar rested on that alone, vvhereas che vvork remains all round, on vvhich the pillar is rais'd; and yet it is indeed probable that the main vveight of the pillar does rest on this stone, vvhich on that side is about four feet vvide, and appear'd to me to be a mixture of alabaster and flints of a great variety of colours, and has hieroglyphics on it. When J return'd a second time to Alexandria, part vvas repair'd in such a manner, that the lovver plinth is made a seat for people to sit on; and so 'tis no more to be seen in its ancient state.*

dibile est veteres architectos, sive Graeci fuerint sive Romani, tantae molis columnae pro fundamentis subiicere voluisse irregularia saxa, obeliscorum et columnarum fragmina, quae non nisi debilem efficere poterant substructionem. Arabes vero et Turcas novimus, alio tempore absconditis thesauris inhiantes columnae fundamenta perfodere tentasse, alio vero de ejus conservatione sollicitos ea pro more suo tumultuarie refecisse. [5]

§. IV.

Post Alexandriam in septentrionali Aegypto nulli hactenus comperti sunt obelisci, nisi quod in moeniis castri Rosettani fragmenta nonnulla flavi marmoris vidit Pocockius hieroglyphicis notis inscalpta, quae pertinuisse coniicit ad obeliscum comminutum. [1] Haec forte ablata fuere e ruderibus Bolbitines, quae civitas haud procul abfuisse videtur ab eo loco ubi nunc est oppidum Rashid, Europaeis dictum Rosetta.

Etiam Paulus Lucas se in Aegypto fama accepisse refert, exstare prope oppidum Themaye inter magnae civitatis rudera complures obeliscos: sed quo tempore ipse Massurae erat, stagnante fluvio ab iis ruinis invisendis impeditus fuit. Themaye enim septem leucis distat in ortum a Massura et eo Nili amne, qui a Cairo tendit ad Damiatam. [2]

§. V.

Ex iis autem obeliscis quos in Solis urbe statuerunt reges veteres, unus adhuc erectus stat, ad vicum Matarea, quinque fere millibus passuum a Cairo ad ortum aestivum, humili situ, quem aestuantis Nili fluenta statis anni temporibus lacum efficiunt, et obeliscum ad sex vel septem pedum altitudinem contegunt, praeter eam partem quae infra terram latet. Prope hunc inter monticulos et aggeres marmoreis frustis refertos jacet sphingis simulacrum ex marmore flavo vigintiduum pedum longitudine; adsunt et lapides grandes mutili, olim forte in ejusdem monstri figuram efformati, alii praeterea hieroglyphicis notis inscripti, magnifici tem-

---

[5] *Niebuhr's reisebeschreibung* tom. 1. p.48. *Voyages de M. de Breves*, pag.236.

[1] Pococke lib. cit. vol. 1. pag. 15. *I vvent from Rosetto about tvvo miles north to the castle of Rosetto, on the vvest side of the river. It is a square building, vvith round tovvers at the corners; there are port holes near the bottom of it: I observed about them several pieces of yellovv marble, many of vvhich had hieroglyphics on them, and might be the pieces of some broken obelisk.*

[2] *Voyage en* 1714., tom. 2. pag.17. *A la Massoure j' apris des habitans du païs, qu' on trouvoit à* 7. *ou* 8. *lieues de la Massoure, dans un lieu nommé Themaye, les ruines d' une ville plus grande que le Caire; qu' on y voyoit encore des pyramides, des obélisques, beaucoup de belles colonnes, et une grande quantité de tombeaux de marbre blanc. Mais l'inondation du Nil avoit tellement gâté les chemins, qu' il ne me fut pas possible d' y aller.*

pli exiguae reliquiae. Haec fere narrant Pocock [1], Norden [2] et Niebuhr [3]; reliquis qui viderunt non dissentientibus. [4] At in eo nimis sibi sumsisse videtur Pocockius,

---

[1] *Description of the East*, tom. 1. pag. 23. *The small remains of Heliopolis are to the north of Cairo, vvhich are represented in the sixth plate. A large mound encompasses the vvhole; the antient site being about half a mile broad and a mile long. At the south end are tvvo entrances, and at the vvest a large one, vvhich might have been the antient vvay to the temple, for near it are ruins of a sphinx of a bright spangling yellovv marble; it is about* 22. *feet in length, the ear is tvvo feet long, and the head four feet broad; it has such a tutulus or ornament on each side of the head, channelled, as the great sphinx at the pyramid has, vvith vvhich the sphinx is commonly represented. Near it is a piece of the same stone, vvith hieroglyphics cut on it. Sixteen paces to the north are several stones that seem to be the ruins of another sphinx; to the east are some others that might be part of tvvo other sphinxes, and a large stone six feet long and three feet broad, adorn'd vvith hieroglyphics on one side. There is an obelisk remaining, almost opposite to the gate, but a little more to the south, as there doubtless vvas another to the north. I found by the quadrant that it vvas sixty seven feet and a half high, so that supposing it one of the four erected by Sochis, vvhich vvere seventy tvvo feet high, and allovving three feet for the depth of the plinth it vvas let into, the ground has risen seven feet and a half. This obelisk is six feet vvide to the north and south, and six feet four inches to the east and vvest, and it is discolour'd by the vvater to the height of near seven feet. It is vvell preserved, except that on the vvest side it is scaled avvay for about fifteen feet high. To the north of this obelisk and of the place vvhere the other may be suppos'd to have stood, the ground is very much raised; on vvhich the antient city might be built. To the south of the vvest entrance the earth has been dug avvay, and J savv a rusticated vvall three feet eight inches thick, built vvith tvvo rovvs of stone in breadth, clamped together vvith irons. Sultan Selim encamp'd his army in this place vvhen he came to besiege Cairo; and there are great mounds raised all round of very large unburnt brick, and also a rampart to the east of the obelisk. There is a tradition that Sultan Selim caused the sphinx I have mention'd to be blovvn up.* Sphingem illam longam pedes viginti duo, quam ad portam occidentalem vidisse se scribit Pocockius, ab obelisco in septentrionem jacere refert Dominicus Jauna, libro citato tom. 2. pag. 1273. *J'ai découvert une figure de sphinx dans le lieu qui passe aujourd'hui pour Heliopolis. Elle est opposée a l'aiguille, qui subsiste encore en cet endroit. Cette idole est d'une grosseur extraordinaire, d'une seule pierre; elle est renversée, et si minée par les eaux que d'abord elle ne paroit qu'une pierre informe. Elle est au nord de l'aiguille. Il y a aux environs plusieurs pierres si grandes qu'elles paroissent comme des rochers sortant de la terre.*

[2] *Travels in Egypt and Nubia* tom. 1. pag. 98. *In the neighbourhood of Matarea there is an obelisk still standing, of a vvell proportioned size, and of the height of that of Cleopatra at Alexandria; but as to its hieroglyphics, tho' they may pass for being vvell done, yet they are inferior in that point to those of Carnac and Lukoreen. I have represented the southern side of this obelisk, because it is the best preserved. The other sides are alike, excepting that of the north, vvhere there is a small difference. —— I ought hovvever to mention that the bottom of the obelisk on the east side is almost entirely ruin'd, in so much that vve can scarce discover on it any longer the hieroglyphics. I have marked likevvise upon the same plate hovv high the Nile ascends.* Vide tab. 39.

[3] *Reisebeschreibung nach Arabien*, tom. 1. pag. 98, 99. *Man sieht die ruinen von Heliopolis nahe bey dem dorf Matarê nach nordnordost etvva zvvey stunden von Kahira oder drey stunden von Fostat. Aber es ist davon vveiter nichts übrig als grosse dämme und hügel voller kleiner stücke marmor, granit und scherben, einige überbleibsel von einem sphinx, and ein annoch aufrechtstehender obelisk. Lezterer ist von granit, und an allen seiten mit hieroglyphen beschrieben. Seine ecken stehen nach SSO, NNW, ONO, WSW. Ich habe Norden's abbildung der hieroglyphen an der südlichen seite mit dem originale verglichen, und sie sehr gut gefunden. An den übrigen seiten vvar am* 24. *december* 1761. *noch so viel vvasser dass ich mich hier nicht vveit genug von dem obelisk entfernen konte um die inschrift deutlich zu sehen. Mit dem quadranten fand ich die ganze höhe des obelisks über der erde acht und funfzig fuss und einen zoll. Dieses schöne stück des alterthums stand in dem berühmten der sonne gevvidmeten tempel, und in einer so niedrigen gegend, dass vvenn der Nil am höchsten ist, das vvasser an demselben noch jezt* 5. *fuss* 8. *zoll steigt*.

[4] Bellonius lib. cit. 8. scribit: „ Excelsissimus est obeliscus, admodum insignis, ere-

quod ex aggerum figura urbis templique ichnographiam concinnare aggressus sit, obelisci quoque ante templum positionem definire, et locum ubi steterit alter obeliscus. Nam aggeres illi recentium munimentorum potius referunt speciem, et aggesti videntur quo tempore Selim Turcarum Sultanus Cairo imminens hoc loco castra posuit. Certe ipse Pocockius indicia non prodit quorum ope a Turcarum munimentis, sibi quoque cognitis, distinxerit vetus vallum, quod Heliopolin cinxisse et crescentis fluvii aquas ab urbe prohibuisse existimat: quo fit ut reliqua etiam evadant incerta, atque illud vel maxime quod asserit utrumque obeliscum respexisse portam urbis occidentalem.

Meminit hujus obelisci Abulfeda Arabs saeculo decimoquarto, in Aegypti descriptione pag.34 juxta versionem Joannis Davidis Michaelis ita disserens: „ Ainschemes nostro tempore in ruderibus, nec ullae ibi habitationes. Urbs Pharaonis fuisse dicitur, habetque magna antiquitatis monumenta ex saxis ingentibus „ constructa, sed neglecta. Haec inter est columna fusco colore Pharaonis nomine, (*Schultens vertit*; acus Pharaonis) ulnarum circiter triginta altitudine. „ Juxta eam est pagus Matarie. „ [5]

Sed duos obeliscos Heliopoli superfuisse eo tempore quo Saraceni Aegyptum sibi subiecere, ex Arabum libris docet Mailletus in Aegypti descriptione, addens in utriusque obelisci summitate collocatum fuisse lebetem aeneum, de quo statis temporibus magico peracto sacrificio guttae deciderint, ex quarum numero futurae inundationis altitudinem praesagirent Aegyptii. [6] Quae res licet fabulosa indicium

„ ctus in agro, distans medio milliari ab horto „ balsamorum, procul trium milliarium spatio „ a Memphi. Locus vulgo Matarea dicitur. „ Ejus magnitudo tanta est quanta illius qui in „ Vaticano „ Confer *Viaggi di Pietro della Valle* tom.1. pag.236. *Vicino alla Materea si vede un lago, pur delle acque che restano dalle inondazioni del Nilo, il quale però non ha sempre acqua, ma solo in certi tempi dell'anno. In mezzo di esso vi è piantata in fin hora una guglia grande, assai più di quella di Alessandria, intera e dritta, molto bella.* Et Bremondi itinerarium pag.65. *Vicino al giardino della Matarea è un obelisco, stimato il più bello che sia in Egitto; è però quasi sotto le rovine; il che fa credere che ivi fosse alcuna di quelle città prossime a Menfi delle quali parlano gli antichi. L'obelisco è in un luogo assai bello, ove quasi sempre ci è dell'acqua, e in particolare nel tempo dell'inondazione del Nilo, facendovisi allora uno stagno che dura tre o quattro mesi. In questo luogo campeggiò con la sua armata Sultan Selim, quando prese il Cairo, e dalli baloardi alzati ci si conosce il luogo delle trinciere e fortificazioni.* His fere gemina leguntur apud Thevenot lib. cit. tom. 1. pag. 265.

[5] *Abulfedae descriptio Aegypti Arabice et Latine, cum notis Joh.Dav.Michaelis. Gottingae* 1776.p.34 Confer Kircherum Oedipi tom.3. pag.331.

[6] Libro citato pag. 112. *On voit encore aujourd'hui à la Matarée un ancien obelisque planté sur son piedestal. Cette aiguille n'étoit pas la seule qu'on rencontrât autrefois dans le même endroit. Elle étoit accompagnée d'une seconde, qui subsistoit encore dans le temps que les Arabes firent la conquête de l'Egypte. Ces deux aiguilles étoient de celles, dont on se servoit pour connoitre d'avance la hauteur future de l'accroissement du Nil, et qui étoient surmontées d'une espece de chapiteau d'airain, d'où on avoit le sécret de faire couler autant de goutes d'eau qu'il étoit necessaire pour entretenir la superstition du peuple. Elles étoient placées dans une enceinte, qui formoit un quarré long orné d'une grand nombre de statues. Peut-etre étoit ce l'entrée de quelque ancien temple. Les historiens Arabes rapportent que Mohamed-Ebn-Toulon fit abatre une de ces statues &c.* Et pag. 61. *On lit dans divers auteurs Arabes, que du temps des anciens rois d'Egypte il y avoit des temples, où il se trouvoit des puits, des obélisques ou des colosses, par le moyens desquels après quelques prieres et certains sacrifices, qui dans certains jours de l'année se faisoient en présence de tout le peuple, on apprenoit infailliblement quelle dévoit ètre l'augmentation du Nil. —— D'un basin, dont l'extrémité des obélisques et des colosses étoit couverte, il tomboit pendant le tems du sacrifice certain nombre de gouttes d'eau, qui designoient les coudées, dont les eaux du Nil dévoient ètre augmentées.*

mihi offert, obeliscis olim impositas fuisse pilas aliquas sive scaphia; accedente hodierna fastigii specie, qualem in Heliopolite obelisco delineatam sistit Nordenius. Nempe prope summitatem recisus conspicitur apex, relicto in medio spatio velut aculeo, qui ad hoc videtur destinatus, ut rem sustineret obelisco superimpositam. Hoc quidem ab iis animadversum non invenio qui obeliscos in Aegypto pro gnomonibus stetisse autumant, licet opinionem eorum non parum juvare videatur: nec in aliis hujus obelisci iconismis expressum cernitur. Burattinus enim apud Kircherum Oedipi tomo 3., syntagm. 8., pag. 333. summo tantum apice ad rectam lineam reciso repraesentat; Shavvius vero [7], Lucas [8], et qui ex hujus libro transtulit Mascrier, [9] integro vertice et acuto.

In obelisci longitudine indicanda valde discrepant recentes auctores, Pocockius praesertim et Niebuhrius, qui uterque quadrantis ope altitudinem ejus definire quaesiverunt. Pocockius nimirum altum ait pedes londinenses sexaginta septem cum dimidio, vel palmos nonaginta duos; Niebuhrius autem pedes hafnienses quinquaginta octo et unciam, palmos octoginta duos et trientem. [10] Sed propius ad Niebuhrium accedit Burattinus, cujus supra laudavimus diligentiam, obeliscum altum scribens pedes Romanos sexaginta tres et $\frac{150}{970}$, palmos octoginta quatuor et quadrantem, una cum pyramidio cujus altitudinem facit pedes quinque et $\frac{94}{970}$, palmos sex cum dodrante. Nam quae ex Burattini mensuris vel prave intellectis vel arbitrarie confusis colligit Kircherus, altitudinem palmorum centum quinque, latitudinem palmorum decem, attentione digna non existimo. Latitudo juxta Burattinum in summo scapo, ubi pyramidium attingit, efficit pedes quatuor et $\frac{224}{970}$, palmos quinque cum besse; in imo pedes sex et $\frac{644}{970}$, palmos octo et uncias fere undecim [11]. Pocockius scribit duo latera opposita, orientale nempe et occidentale, amplitudinem habere pedum sex cum triente, palmorum octo et unciarum novem; reliqua duo pedum sex, palmorum octo et paullo plus unciis duabus. Nordenius faciem septentrionalem sex pedibus supra terram mensus, latam invenit pedes quinque cum besse, palmos octo [12]. Advertit quoque Vanslebius, qui in Aegypto fuit anno 1672., ampliora esse duo obelisci latera, pedesque continere parisienses senos, palmos octonos cum dodrante, reliqua duo pedes quinos et semissem, seu palmos octonos [13]. Caeteri peregrinatores, qui mensuram ejus prodidere, Lucas et Heymanus altum scribunt pedes parisienses sexaginta, latum quinque cum dodrante [14]; Shavvius

---

[7] Libro citato tom. 2. pag. 142.

[8] *Voyage en* 1714., tom. 2. pag. 46.

[9] Lib. cit. pag. 112.

[10] Vide notas 1. et 3.

[11] Apud Kircherum Oedipi tom. 3. synt. 8., pag. 331.

[12] Vide notam 2.

[13] *Nouvelle relation d' un voyage fait en Egypte par le P. Vansleb R. D. en 1672. 1673. à Paris 1677.* pag. 235. *L' aiguille de la Matarea est hors du village, plantée dans le champ, qu'on dit être le lieu de l' ancienne Heliopolis. L'aiguille n'est pas également quarrée; mais il y a deux côtez qui sont plus larges que les deux autres. Les plus larges sont chacun de six pieds de roy, et les plus étroits chacun de cinq et demi. Il y a peu de caracteres gravés dessus, mais ils sont encore tous fort nets; et ceux, qui sont gravés d' un coté, le sont aussi aux autres trois. Elle est de granit, comme toutes les autres aiguilles que j' ai vues en Egypte, et plantée sur la terre sans aucun piedestal. Près de cette aiguille il y a une pierre quarrée d'une grandeur extraordinaire, qui semble avoir servi de piedestal à quelque grande colonne, mais elle est écornée par les côtez. Ce fut dans ce champs que Sultan Selim campa avec son armée lorsqu' il donna bataille au Sultan Cajed Bey dernier roy des Mamelucs, et on y voit encore les levées du retranchement de son camp.*

[14] *Paul Lucas voyage en* 1714., tom. 2., pag. 46. *Les habitans de la Matarée prétendent*

altum sexaginta quatuor, latum sex [15]; Savary denique latum sex cum semisse; altum praeter stylobaten pedes sexaginta octo, qui aequant palmos nonaginta octo cum deunce [16].

Praeter Savarium Mailletus quoque obeliscum stylobatae suo insidere ait, et Carolus Perry Anglus, qui Heliopolin invisit mense februario anni 1740., scribit, se agro prorsus desiccato umbrarum ope mensum esse obeliscum, et invenisse radium longum pedes londinenses sexaginta tres, vel palmos octoginta sex, stylobatae autem eam partem quae super terra eminet altam pedes septem, palmos novem cum dimidio. Qua in re quae fides habenda sit scriptoribus, quos saepe nugas vendidisse constat, ego quidem definire non ausim. Mirum sane quo fieri potuerit, ut tanti momenti res fugerit cordatiores qui Aegyptum lustraverunt peregrinatores, Pocockium praesertim qui adeo diligenter investigavit Aegyptiae architecturae indolem. Is enim inferiorem ipsius radii partem terra contegi perhibet, idemque apparet e delineatione Nordeniana, atque e mensuris Niebuhrii. Etiam Heymanus stylobaten infra terram latere scribit, et Vanslebius expressis verbis negat Heliopolitano obelisco subjectum esse stylobaten, alioque loco ait se in Aegypto nullum conspexisse obeliscum stylobate subrectum [17]. Neque reliqui scriptores, qui hujus obelisci imum truncum accurate mensi sunt, meminere stylobatae: Perrius autem qui multus in eo est ut inde confutet opinionem Shavvii de Aegypti solo Nili allu-

---

qu' il y avoit autrefois une grande ville dans cette plaine; mais on n' en trouve à présent aucun vestige, si vous en exceptés un obélisque chargé d' hieroglyphes, dont je donne ici la figure. Il est encore sur pied, près d' un petit lac, qui se decharge dans le Nil; il a soixante pieds de haut hors de terre; sa largeur d' en bas est de cinq pieds, neuf pouces. On voit auprès une espece de rampart miné. Cette aiquille qui est de marbre granit d' une seule piece, est d' une grande beauté. On y voit aussi un sphinx. Je ne compte pas parmi les antiquités de cette ville les restes d' un grand retranchement qui paroît et est en effet très moderne. Les habitans du pays assurent, que ce sont les débris du camp que le Calife Campson avoit fait fortifier en cet endroit, lorsque l'empereur Selim fit la conquête de l' Egypte. Vide etiam *Travels by Van Egmont and Heyman* tom. 2. pag. 109. *Its present height is about 60. royal feet; the remaining part together vvith its pedestal being buried under the sand. The side of this obelisk measured at the surface of the ground is 5. feet 9. inches. It is something damaged near the bottom by the Arabians, vvho being persuaded there are treasures hid under it, have attempted to throvv it dovvn. They call the place vvhere it stands, or rather the obelisk itself, Ain el chamb, beam of the sun.*

[15] Lib. cit. tom. 2. pag. 143. *La largeur de la base de l' obélisque d' Heliopolis est de six pieds, et sa hauteur autant que je l' ai pu mésurer par la proportion des ombres n' excede pas 64. pieds, quoique quelques voyageurs ayent dit, qu'il en avoit plus de 70.* Et pag. 141. *Les caracteres hieroglyphics, qu' on voit sur l' obélisque d' Heliopolis, et qui sont les mêmes sur tous les côtés, sont encore parfaitement beaux et visibles, et tout l'obélisque est si entier et si bien conservé, qu'on diroit qu' il ne vient, que d' etre fait. Plusieurs des caracteres sont remplis d' une substance blanchâtre qui ressemble de l'émail, mais qui vient des frélons qui en été font leurs nids dans ces cavités.* Vide etiam §. 2. notam 8.

[16] *Lettres sur l' Egypte*, tom. I. pag. 119. *Des quatre obélisques que Sochis avoit fait élé-ver dans la ville d' Heliopolis, deux furent transportés à Rome, un autre a été detruit par les Arabes, et le dernier reste encore debout sur son piedestal. Un bloc de pierre Thebaïque parfaitement poli le compose. Il a 68. pieds de hauteur sans compter la base, et environs 6. pieds et demi de largeur sur chaque face. Elles sont convertes d' hieroglyphes. Cet obélisque s' est bien conservé, excepté du coté du sud-ovest, où le granit est écaillé jusqu' à une certaine élévation. Ce beau monument et un sphinx de marbre jaunâtre renversé dans la boue, sont les seuls restes d' Heliopolis.*

[17] Lib. cit. pag. 264. *J' ai remarqué qu' il n'y a point d' aiguilles en Egypte, au moins de celles que j' ai vues, qui soient posées sur un piedestal, et qu' elles sont toutes plantées sur la terre.*

vionibus aucto, obelisci latitudinem indicare neglexit, et de universa mole satis oscitanter disserit [18]. Sed litem dirimit testimonium clarissimi Graves, qui pro humanitate sua mecum communicare voluit, quae circa obeliscos adnotavit in itinere ad Cairum suscepto, anno 1792. Is enim Heliopoli praesens die martii 27. quo tempore campus Matareensis plane siccus esset, obeliscum et quae eum circumjacent rudera accurate lustravit, pedemque ejus humo contectum esse observavit sine ullo stylobatae indicio.

Caeterum latera ejus non mundi cardines respicere docet Niebuhr, sed angulos obversos esse iis ventis, qui spirant inter austrum et ortum brumalem, interque boream et occasum aestivum, et sic porro.

Hieroglyphicas hujus obelisci notas rudi Minerva incisas scribit Kircherus Oedipi tomo 3., pag. 332., nescio utrum ex sententia Burattini, an ex iconis indicio ab eodem transmissae, ubi rudes sane apparent et incultae. Sed elegantius expressae habentur in delineatione Nordenii, qui et ipse testatur non esse iis eam scalpturarum pulchritudinem, quae deprehenditur in Thebaeensibus obeliscis, attamen satis bene esse effictas. Etiam Hasselquistus, vir in naturali historia apprime doctus, in itinere Aegyptio volucres, quae in hoc obelisco scalptae sunt, adeo distincte expressas pronunciavit, ut singulas ad genera sua referre facile sit [19]. Perfectam quoque conservationem et nitidam polituram in lapide laudant peregrinatores, nisi quod aliquantum detrita sit ea pars quam quotannis inundat Nilus, et docente Pocockio occidentale latus usque ad altitudinem pedum quindecim rimis foedatum, quod et evenisse in boreali latere colligitur e delineatione Nordeniana.

Iconismos quos inspexi jam memoravi, ubi de apicis figura sermonem institui. Ex his palmam omnibus praeripiunt icones laterum australis atque borealis, quas sistit Nordenius tabula trigesima nona, et instar omnium sunt. Historicis figuris prorsus caret obeliscus, nec magna ei inest notarum varietas. Pyramidium purum est, reliquus autem truncus unoquoque latere eandem repetitam offert characterum seriem unica columna comprehensam, excepta parva differentia quam deprehendit Nordenius in latere septentrionali. Primum locum in singulis columnis tenet accipiter.

---

[18] *A vievv of the Levant, particularly of Constantinople, Syria, Egypt, and Greece, by Charles Perry M. D. London* 1743 pag. 319. *The firt time vve vvent to the Matharea, to vievv the famous Heliopolitan obelisk, vvas in the month of february, vvhen the level it stands in vvas perfectly dry.* —— *We found it to correspond exactly in all its appearances and dimensions vvith the draught given of it by Dr. Shavv: vve took its height by the comparison of shadovvs, and found it to be near 63. feet english.* —— *That part of the pedestal, vvhich is novv above the earth's surface, is seven feet deep; but hovv much of it may be buried in the earth, vve cannot say. Hovvever vve cannot help observing, that the part of the pedestal, vvhich novv appears above the earth is in a due proportion to the height of the pillar; vvhich greatly discredits Dr. Shavv's notion, that the earth is considerably raised by the accession of mud and soil from the Nile's overflovv.* —— *Besides the sphinx, that novv lies in ruin adjacent to it, is a presumptive proof, that the elevasion of the soil is much the same novv as it vvas formerly.* —— *The level in vvhich this pillar stands, is circumscribed vvith a bank or mound, vvhich probably may express the limits of thi ancient Heliopolis: but if so, that city vvas of less extent than fame; for the vvhole circuit of it is not above tvvo miles round.* Haec transcripsi ex epistola ornatissimi juvenis Johannis Walker, ad me data Londini die 12. octobris 1792.: nam Perrii librum ipse non vidi.

[19] Vide cl. Pauvv *recherches sur les Egyptiens* tom. 1. p. 265. Hasselquisti librum inspicere mihi non licuit.

§. VI.

Cairum, nova civitas, ubi olim fuit Babylon Aegypti, inter alias destructarum urbium reliquias obeliscorum quoque servat fragmina aedificiis suis inserta, forte ab Heliopoli illuc devecta. Duo ejusmodi vidit et delineavit Niebuhr, alterum ex syenite lapide longum pedes hafnienses quinque cum semisse, vel palmos septem cum dextante, gradui inserviens privatae domus; alterum ex marmore atro liminis usum praebens moscheae in arce Cairina [1]. A parvis obeliscis ea avulsa fuisse docet idem auctor, et itineris tabula trigesima sexta utriusque fragmenti duo sistit latera, quae singula unam exhibent notarum columnam, scalpturae ut videtur haud inelegantis. Pocockius quoque in arce deprehendit fragmentum parvi obelisci ex atro marmore, hieroglyphicis characteribus insignitum, longum pedes londinenses octo, palmos undecim et dextantem, latum sesquipedem seu palmos circiter duos, pro fenestrae limine domui alicui insertum [2]. Mailletus autem Cairi in aedificio quodam se vidisse scribit stantem obeliscum ex syenite lapide hieroglyphicis notis refertum, sed ex parte in muro abditum. Eo Aegyptios olim ad Nili exundationem metiendam usos fuisse autumat, atque ex obelisci positione arguit canalem Cairensem olim alia quam nunc fluxisse directione [3].

§. VII.

In Aegypti parte occidentali, quo tenditur ad lacum Moeridis, olim fuit Arsinoe mediterranea, nunc est Fium vel Faiuma civitas, cui a septentrione adjacent antiquae urbis rudera. Ab ea tribus fere millibus passuum ad occasum brumalem obeliscum stantem vidit Pocockius, de quo ita disserit: [1] „ Obeliscus ex lapide

---

[1] *Reisebeschreibung nach Arabien.* tom. I., pag. 206. *Auf der 36. tabelle sieht man einen theil der Pharaonischen schrift auf zvvey kleinen zerbrochenen obelisken. Das erste stück ist von schvvarzem marmor, und iezt eine thürschvvelle vor einer mosqué in dem castell zu Kabira. Einige der figuren sind merkvvürdig, vveil sie in einer vertiefung ziemlich erhaben sind. Das zvveite stück ist von granit, und iezt eine treppe vor einem hause nicht vveit von Kantared siedid. Es ist fünf und einen halten fuss lang. Auch hier sind einige figuren zvvar so vvie die übrigen tief eingegraben, aber in der mitte erhaben.*

[2] Lib. cit. tom. I. pag. 33. *In the castle of Cairo I savv a piece of a small obelisk of black marble, vvith hieroglyphics on it, made use of as the sill of a vvindovv; it is about eight feet long and 18. inches square.* Et pag. 98. *The obelisks said by Strabo to exist in the sepulchres of the kings of Thebes, must have been small, it may be of the size of the obelisk mention'd in a vvindovv in the castle of Cairo.*

[3] Lib. cit. pag. 196. *On trouve dans une ancienne maison au Caire, peu éloignée de celle du Cadilesker, une colomne ou aiguille quarrée de marbre granit, sur laquelle on mésuroit autrefois la hauteur de l'accroissement du Nil. Elle est chargée de figures hieroglyphiques; mais comme elle se trouve présentement engagée dans un mur, on n'en découvre qu'une partie. La position de cette colomne justifie l'antiquité du Caire, puisque depuis un tems immemorial le canal du Nil ne passe plus dans cet endroit.*

[1] Lib. cit. tom. I. pag. 59. 60. *I vvent and examined the site of the antient Arsinoe to the north of the tovvn of Fajume, tvvelve miles and a half from the lake of Moeris. —— There are little remains of the city, except the great heaps of rubbish that are seen on all sides, and ruins of a vvall of a round building, vvhich seems to have been built of brick, and vvhich the people say vvas a bagnio. —— I vvent from Faiume about three miles to the south vvest, to a very particular obelisk of a red granite, called Akmud Bijige or the pillar of Bijige, from the village of Bijige near it. It is of the figure represented in the 22. plate, measuring 4. feet 2. inches on the north side, and 6. feet 6. inches on the east. It is 43. feet high, each side of it divided by lines into three columns, that in the middle being a foot vvide. I observed the manner in vvhich the hieroglyphics are disposed; above these are four stories of men, six on each line, 18. inches high, most of them having havvks heads and the high cap; belovv, it is divided*

„ syenite, caeterum valde diversus a reliquis obeliscis, conspicitur prope vicum „ Bijige, ab eo dictus Akmud Bijige sive columna Bijigensis. Figura ejus ea est quam „ sistimus tabula vigesima secunda; altitudo pedum anglicorum quadraginta trium, „ (id est palmorum quinquaginta octo et bessis); amplitudo lateris septentrio- „ nalis pedum quatuor et sextantis, (palmorum quinque cum besse) lateris orien- „ talis pedum sex et dimidii, (palmorum octo cum unciis decem et semuncia). „ Pyramidio destituitur obeliscus, et summa ejus superficies, quae plana relinqui- „ tur, ita se habet, ut a septentrione ad meridiem decurrat velut canalis excisus ad „ profunditatem trium fere pollicum (vel quatuor unciarum). Singulae facies sul- „ cis verticaliter ductis in tres dividuntur columnas, quarum quae medium locum „ obtinet pedalem habet latitudinem. Scalpturarum autem ea est dispositio, ut „ superiori parte quatuor cernantur ordines, singuli sistentes viros sex altitudine „ sesquipedali cum capite plerumque accipitrino et alto pileo; reliqua autem pars „ usque ad imum in quatuordecim dispescatur hieroglyphicorum characterum co- „ lumnas. Caeterum obeliscus valde pessumdatus est usque ad decem pedum al- „ titudinem, praesertim latere meridionali, cujus et anguli diffracti sunt usque ad „ viginti pedes supra terram; latus autem occidentale totum fere erasum est. Avium „ praeterea excrementis, quae summitati ejus insidere solent, ita foedatus est, „ ut hieroglyphicae notae vix transcribi possint. „

A Pocockii narratione non multum distant, quae leguntur apud Vanslebium in itinere Aegyptio [a]. Is vici nomen effert Bibig, circa obeliscum vero neque domus conspici scribit neque veterum aedificiorum vestigia, sed in agro constitu-

---

into 14. *columns of hieroglyphics; and the top is cut dovvn in the middle about three inches from north to south, as in the draught. The obelisk is much decay'd all round for* 10. *feet high, but mostly on the south side; the vvest side is almost entirely defaced, and at the south vvest and south east corners it is much broken for about* 20. *feet high; and the vvhole is very foul, on account of the birds that sit upon the top of it; so that it vvould have been difficult to have taken off the hieroglyphics.*

[a] *Nouvelle relation &c.* pag. 258. *L'ancienne ville d' Arsinoe, sise tout proche de Fium du coté de nord-ouest, est à présent entierement ruineé; et l' on n' y voit plus rien qu' un très grand nombre de montagnes fort hautes faites de ses ruines.* pag. 262. *L' aiguille de Bibig est plantée en terre sans piedestal, au milieu d'un champ semé; dans un endroit où il n' y a aucune maison, ni aucun vestige qui donne a connoître qu' il y en ait eu autrefois. Elle est éloignée de Fium d' une grande demi-lieue, et proche d'un village nommé Bibig, dont elle prend le nom. Ce village est situé du côté du sud-ouest de Fium. Elle est faite en quarré long, et fort haute: ses côtés les plus larges ont chacun six pieds de roi, et les plus etroits en ont quatre. Ce qu' elle a de particulier est qu' elle n' aboutit pas en pointe, comme les autres qu' on voit en Egypte et en Italie; mais que sa cime est faite en dos d' âne. Au côté du midi, qui est un des plus larges, il y a d' abord trois rangs de figures, qui représentent des hommes et des femmes, qui se tiennent par la main. Dessous ces trois rangs commencent quatorze rangs de caracteres hieroglyphiques de la grandeur d' un doigt, qu' on lit de haut en bas: chaque rang est separé de l' autre qui en est proche par une ligne tirée entre deux, tout le long de l' aiguille: de sorte que cette aiguille est sans contredit la plus curieuse qu' on puisse voir. Dans chacun des petits côtés il n' y a qu' un seul rang de caracteres de moyenne grandeur, qui sont encore fort beaux et fort nets. Une seule chose est à plaindre; c'est que la longueur du temps a presque effacé les figures, depuis le milieu de la colonne jusqu' en bas; et que la pierre même n' a pu se garantir de la corruption, étant fort mineé. Elle est de granit comme toutes les autres. Parceque sa cime est faite en dos d' âne et fort large, celà donne la commodité aux vautours et aux éperviers d'y reposer la nuit, et ces oiseaux l' ont tellement blanchie avec leurs excrémens qu' à peine peut on connôitre les figures des rangs d' en haut. Nous la fumes voir le* 29. *juillet* 1672.

tum esse solitarium, terrae infixum absque stylobate. Fastigium ejus ad instar aëtomatis esse efformatum, ea autem baseos latera quae ad austrum et boream conversa sunt latitudinem obtinere pedum parisiensium sex, palmorum octo et dodrantis, reliqua pedum quatuor, palmorum quinque cum besse. Caeterum valde esse corrosum et avium praeterea excrementis velut dealbatum. De figurarum ordine scribens ait: „ In australis lateris parte superiori tres cernuntur effigierum „ ordines, quae viros repraesentant et foeminas dexteras jungentes: inferius ad- „ sunt notae hieroglyphicae pollicaris magnitudinis, sulcis verticalibus ad imum us- „ que obeliscum perductis, divisae in columnas quatuordecim: latera autem orien- „ tale et occidentale, quae reliquis sunt angustiora, una columna continent no- „ tas grandiusculas satis elegantes. „

Hunc obeliscum, quem merito attentione prae reliquis dignum censuit Vanslebius, sed cujus adhuc desideratur adcurata delineatio, invisit etiam Paulus Lucas in itinere suscepto anno 1704, [3] et delineavit ruditer, narrans praeterea altum esse lapidem pedes parisienses sexaginta, palmos octoginta septem cum quadrante, latum duobus lateribus pedes octonos, palmos undenos cum besse, reliquis autem lateribus arctiorem; et olim velut tectorio opere fuisse dealbatum. Figura, quam aeri incisam proposuit, obeliscum repraesentat summitatem versus ita coarctatam ut pyramidi fere evadat similis, praeter fastigium quod aëtomatis speciem refert. In ea autem facie quam meridionalem dicit Vanslebius, tribus ordinibus dispositae sunt figurae humanae novem, praecinctorio tenus nudae, capite plerumque ferino. Hae tertiam occupant obelisci partem fastigio contiguam; reliqua vero facies rasa apparet in delineatione, quod omissi sint minuti characteres. Orientale latus et id quod ei oppositum est unam habent notarum columnam mediae magnitudinis, quas adumbratas potius quam delineatas exhibet. In boreali quoque facie una est effigierum series ab alto ad imum, sed quae majores apparent et diligentius aliquanto expressae. Quae summum locum obtinent similes videntur iis a quibus incipiunt Heliopolitani obelisci latera, licet accipitris figura non satis clare agnoscatur. In medio latere cernitur schema ovatum, in quo includitur scarabaeus: inferius cynocephalus sedens, variis notis minoribus circumdatus. Lineas vel sulcos quibus separentur vel cingantur notarum columnae non expressit.

§. VIII.

Inter Girge, quae civitas nunc caput est superioris Aegypti, et Badjoura oppidum, locus est Berbi dictus sive Birbe tribus millibus passuum a Nilo ad occidentem, ubi Pocockius putat sitam fuisse Abydum, veterum regum aliquando sedem. Hic templi ruinas conspici acceperat idem auctor, sed eo profectus ne vesti-

---

[3] *Voyage du Sr. Paul Lucas fait par ordre du roi dans la Grece, l' Asie mineure, la Macedoine et l' Afrique. à Paris* 1712. tom. 2., pag. 61. *Nous sortimes de Phioume par ponant. Après avoir fait environ une lieue, nous arrivames à une grande éguille quarrée, d'environ soixante pieds de haut: deux de ses côtés en ont huit de largeur, les autres sont un peu plus etroits; mais elle va un peu en diminuant. Je reconnus facilement qu' elle avoit été encrustée d' une matiere blanche, et qu' autre fois il y avoit eu en dessus des hieroglyphes et quelques figures des divinités de l' Egypte. J' ai donné ce que j' en ai pu copier.*

gia quidem invenit. [1] At a duce videtur deceptus, nam qui in Aegypto fuit anno 1730, Grangerius [2] vidit eo loco aedificium, magna quidem ex parte arenis sepultum, longum pedes centum triginta duo, latum quinquaginta duo, cujus tectum e praegrandibus saxis coagmentatum quatuor subrigebatur columnarum ordinibus. In unoquoque ordine undecim statutae erant columnae trium pedum diametro cum capitulis, ut ipse scribit, Corinthiis, altis pedes tres et pollices octo. Lacunar autem et parietes colore obducti erant caeruleo et figuris vario colore pictis decorati. Prope hoc templum vidit colossalis statuae reliquias, et duos obeliscos fractos, quorum alter ex pyrrhopoecilo alter e lapide thebaico fusco. Hos aliis auctoribus memoratos non invenio. Savary quidem magnifici templi ruinas a Girge in occidentem constitutas satis prolixe enarrat, sed obeliscos tacet, et in templo describendo adeo discedit a Grangerio, ut loqui videatur de aedificio ab eo quod ille vidit diverso. [3]

Ulterius ad austrum in Nili littore orientali Copton versus oppidum est veteribus dictum Caenopolis, recentioribus Kenne vel Caana. Ibi inter magnae civitatis rudera complures grandes obeliscos hieroglyphicis characteribus inscriptos se vidisse scribit Paulus Lucas in itinere coepto anno 1699 [4], sed quos ab aliis peregrinatoribus non invenio notatos. Fides ergo apud auctorem.

Jacobus Bruce V. Clar. anno 1769 iter faciens a Kenna per desertum ad Cosseir portum maris Rubri, ad radices montis Terfowey circiter quinque dierum itinere a

---

[1] Lib. cit. tom. 1. pag. 83. *I vvent from Girge about three miles to the vvest, to a village called El-Berbi or the temple. It is built on part of a raised uneven ground, vvhich seems to have been the site of an antient city. Asking them vvhere the temple vvas, from vvhich it had its name, they shevv'd me a hollovv ground from vvhich prabably all the stones had been carried avvay to Girge. This J suppose to be the antient Abydus; vvhich is the more probable as it is mention'd as a city distant from the river on the vvest side.* Recte Pocockius templi vocabulo interpretatur vocem Berbi vel Birabi, hodiernis Aegyptiis usurpatam et Arabicis quoque scriptoribus, ubi loquuntur de ruderibus Aegypti. Est enim eadem vox quae in Copticis libris scribitur ΠΙΕΡΦΕΙ vel ΠΡΠΕ *ὁ ναος*, templum: et falluntur interpretes, qui de pyramidibus vel obeliscis accipiunt; vel et de cryptis subterraneis.

[2] *Relation d' un voyage fait en Egypte par le Sr. Granger chirurgien en* 1730. *à Paris* 1745. pag. 37. *Trois lieues de Baskier au pied de la montagne occidentale est le village de Madfoune bati sur les ruines d' une ancienne ville. Il y a là un ancien temple ensévéli sous les sables jusqu' à la voute. Il a* 132. *pieds de long sur* 52. *de large; quatre rangs de colonnes de onze colonnes chacun soutiennent le plafond. Elles ont chacune trois pieds de diametre. Les chapiteaux sont d' ordre Corinthien et très bien sculptés, ayant trois pieds huit pouces de haut. Tout le temple est peint de diverses couleurs sur un fond azur, orné de plusieurs figures humaines et d' hieroglyphes. Les pierres du plafond sont toutes de* 14. *pieds de long,* 4 $\frac{1}{2}$ *de large* 2 $\frac{1}{2}$ *d'épaisseur. On voit auprès de ce temple les débris d' une statue colossale et de deux obélisques, l'un de granit rouge, l'autre noir. On appelle ce temple Birbé.* Nolim equidem cum Goguetio de legum artiumque origine part. 2., lib. 2., sect. 1., cap. 3., art. 1., ex hoc aliisque locis ubi in Aegyptiis aedificiis Corinthiarum columnarum meminit Grangerius, arguere ea structa esse a Graecis Romanisve hominibus. Nam inter Aegyptiarum columnarum capitula a Nordenio et Pocockio delineata non desunt quae aliquam prae se ferunt similitudinem cum ordine Corinthio, quaeque a peregrinatore in ea arte parum exercitato pro Corinthiis accipi potuere.

[3] *Lettres sur l' Egypte*, tom. 2., pag. 90.

[4] *Voyage du Sr. Paul Lucas au Levant. à Paris* 1704. tom. 1. pag. 140. *Je passai quatre jours a Caana fort agréablement, une partie à faire la medecine, et à m'aller promener dans les ruines d'une ancienne ville, qui doit avoir été très grande, puisqu' elle paroit avoir eu plus de deux lieues de circuit. On y voit quantité de colonnes et quantité de grandes éguilles toutes chargées d' hieroglyphes.*

Nilo in orientem, offendit fragmentum enormis magnitudinis obelisci ex marmore ut videtur viridi, longum pedes londinenses triginta seu palmos fere quadraginta duo, latum pedes decem et novem, palmos viginti sex : fere quadratum, sed aliqua sui parte rupi adhuc adhaerens. In excidendo enim ruptus videtur lapis, et fragmentum apice et basi multatum relictum in lapicidina : at obelisci partem esse unde resciverit auctor, non satis assequor. Caeterum faucibus montium dilatatis et complanatis viam perductam scribit usque ad jacens saxum: et occurrere passim in deserto declivia artefacta a lapicidinis usque ad Nilum, modice inclinata, ut in quinquagenis fere passibus uno pede decrescerent; quo artificio facilior evaderet ingentium onerum devectio. [5]

§. IX.

At in superiori Aegypto prae reliquis inclaruere obelisci, quos Hecatompylos Thebe suis accenset ornamentis, hodie adhuc stantes inter immanium aedificiorum reliquias, prope Luxor et Carnac parvos vicos qui successerunt amplissimae metropoli.

Sicardus in Thebarum ruinis ad orientale Nili latus decem exstare scribit obeliscos, duos e syenite lapide apud vicum Luxor ante aedificium, quod ipse putat sepulchrum Osymandyae : sex ante magnum atrium prope Carnac, ubi Thebaeensium regum arcem fuisse opinatur, quorum duo minores e marmore porphyrite, reliqui e pyrrhopoecilo. Duos vero quibus compleretur denarius numerus, ubi siti sint non indicat [1]. At P. Protasius Capucinus qui ad evangelium propagandum missus superiorem Aegyptum perlustravit anno 1668, et primus ni fallor inter recentiores Europaeos de ea provincia scriptum aliquid reliquit, apud Luxor duos obeliscos cerni retulit, apud Carnac septem, tres quidem fractos et

---

[5] *Travels to discover the source of the Nile in the years 1768. —— 1773.:by James Bruce of Kinnaird Esq. Edinburgh* 1790. tom. 1. pag. 184. *Terfowey is a large mountain, partly green marble partly granite. About* 40.*yards within the narrow valley which separates this mountain from its neighbour, we saw a part of the shaft of a monstrous obelisk of marble, very nearly square, broken at the end and towards the top. It was nearly thirty feet long and nineteen in the face. About two feet of the bottom were perfectly insulated, and one whole side separated from the mountain. The gully had been widened and levelled, and the road made quite up underneath the block.* Et pag. 186. *It seem'd to be very visible that those openings in the hills, which J have call'd defiles, were not natural but artificial; and that whole mountains had been cut out at these places, to preserve a slope towards the Nile as gentle as possible. This I suppose might be a descent of about one foot in fifty at most: so that from the mountains to the Nile those heavy carriages must have moved with as little draught as possible; and at the same time been sufficiently impeded by friction, so as not to run amain.*

[1] *Discours sur l' Egypte par le P. Sicard*, in *Nouveaux memoires des missions de la compagnie de Jesus dans le Levant*, tom. 7. edito 1729. pag. 170. *Restes de l'ancienne Egypte payenne. —— Dixhuit obélisques, deux à Alexandrie, dix à Thebes, quatre à Phile, un à Arsinoé et un à Heliopolis.* pag. 160. *A l'est du Nil on voit six portes entieres du chateau du roi de Thebes. —— L' on peut compter jusqu'à milles colonnes, quatre colosses de marbre, et plusieurs obélisques, dont deux sont de porphyre et quatre de granit.* Et *Lettre du P. Sicard au P. Fleurian contenante le plan d' un ouvrage sur l'Egypte ancienne et moderne*, ibidem tom. 5. edito 1725. pag. 224. *Le chateau royal de Thebes : —— le grand salon soutenu par* 112. *colonnes : six obélisques de granit et de porphyre à l' entrée du salon.* pag. 225. *Le palais et sepulchre du roi Osymandyas : —— deux obélisques de granit.* pag. 227. *Vue du chateau royal: plan du grand salon et des six obélisques, principalement des deux petits de porphyre.*

prostratos ; quatuor adhuc erectos . In his duos esse integros , alterum latitudine pedum parisiensium octonum cum semisse , seu palmorum duodenum et trientis ; alterum minorem : duos vero ex jaspide , magni moduli figuris insculptos , sed in superiore parte fractos . [2]

Cum hoc quodammodo consentire videtur Nordenius , qui ad vicum Carnac ante magni atrii ingressum stare scribit duos obeliscos , magnitudine et elegantia iis fere similes qui cernuntur prope Luxor , eorumque positionem diagonalem indicio esse , adfuisse alios duos , nunc loco motos . Et ante parvam aedem erectos duos minoris molis , longitudine pedum tantummodo duodecim , vel palmorum decem et septem , latitudine pedis cum dimidio , palmorum duum et sesquiunciae . Hos eos esse quos ex jaspide factos credidit Protasius , e porphyrite Sicardus , inde colligo quod Nordenius graniten lapidem , e quo excisi sunt , particularum subtilitate accedere ait ad marmor porphyreticum ; fastigio etiam destitutos esse scribit , et statuis sustinendis videri destinatos , caeterum scalpturis decoros , quae variis coloribus obductae figuras plerumque sistunt sese invicem amplectentes . Inveniri praeterea non pauca immanium obeliscorum lapsu comminutorum fragmina , grandia nimirum frusta albicantis lapidis colorum varietate admodum amoene depictis : [3]

---

[2] *Lettre du P. Protais , du Caire le 6. janvier* 1670. , in libro cui titulus *Relations de divers voyages curieux publiées par Melchisedec Thevenot , à Paris* 1696. tom. 2. , pag. 4. *J' ai employé trois mois de temps dans le voyage de la haute Egypte ; j'ai pénétré où jamais François n' avoit été de mémoire d' homme , jusque à* 300 *lieues au dessus du Caire : —— J' ai compté dans un seul endroit jusques à sept obélisques ou aiguilles comme celles qui sont à Rome , et environ* 120. *colonnes dans une seule salle de la grosseur de cinq brasses* . Et *Relation du voyage du Sayd ou de la Thebaide , fait en* 1668. *par les PP. Protais et Charles-François d' Orleans , capucins missionaires* , ibidem pag. 2. , atque in Vanslebii itinere jam citato pag. 407. seqq. *A Loxor on nous fit voir les restes d' un fameux temple d' idoles : —— Proche d' une des portes du temple il y a deux très beaux obelisques ou aiguilles fort hautes , auxquelles rien ne manque ; il semble qu' elles soient fraichement faites , tant la gravure en est belle . Chaque face a huit pieds de roi de largeur par le bas . Au pied de chacune sont deux statues de pierre noire et dure , qui représentent deux femmes ; il y a* 12. *semelles d' une epaule à l' autre ; elles sont enterrées jusq' à la ceinture ;* (apud Vansleb , *elles sont néansmoins au dehors de la hauteur de trois hommes*) . —— *Le deuxieme village est El-hamdie ou Loxor-el-kadim ou Carnac . La tradition des gens du pais dit que c' étoit autrefois la demeure d' un roi . — Il y a un très grand nombre de colonnes ; j' en comptai environ* 120. *dans une seule salle , qui étoient de cinq grandes brasses de grosseur . Je remarquai sept aiguilles , deux desquelles sont assés regulieres : excepté que l' une a demipied de face plus que les deux de Loxor , et que l' autre est beaucoup plus petite . Il y-en a trois par terre , brisées qui à moitié qui tout à fait , et deux autres de jaspe rompues par le haut , sur lesquelles il y a de grands personnages gravés avec quantité d' ornemens fort particuliers* . Post Protasium mentionem de his obeliscis injecerunt PP. Jacobus Albani et Josephus Maria de Hierusalem Franciscani , qui Thebaidem inviserunt anno 1691 , et quorum narratio exstat in *Giro del mondo di Don Gio. Franc. Gemelli Carreri . Venezia* 1719. tom. 1. p. *66*.

[3] *Travels in Egypt and Nubia* tom. 1. p. 98. *Near Carnac , vvhere vve perceive the continuation of the ruins of Thebes , they reckon still four obelisks entire and situated in the place , vvhere they vvere erected at first . In the front of the great hall , vvhich is near Carnac , at its entrance there are tvvo other obelisks standing , placed in a diagonal line . They are pretty nearly of the same size and of the same beauty as those of Lukoreen . The tvvo others , vvhich accompanied them vvithout doubt , appear no more . We see before a little temple tvvo other obelisks ; but much less than the preceding . They may have about eleven or tvvelve feet of height ; and their faces have no more than a foot and a half of breadth . As to the material , it is granite , and so fine a grain that it approaches near to porphyry . They have served in all probability as pedestals to tvvo idols ; and they are adorned vvith hieroglyphics , painted in divers colours ; and these hieroglyphics represent for the greatest*

Pocockius autem, qui prolixam adornavit Thebaeensium aedificiorum descriptionem, duos minores obeliscos ab auctoribus modo laudatis proditos, sub hoc saltem nomine non memorat, at eosdem intelligere videtur dum pilas quadratas speciei valde insolitae positas ait in aditu parvae domus, quam ipse existimat cubiculum virginis Thebaeo Jovi quotannis consecrandae. Caeterum scribit quatuor cerni magnos obeliscos constitutos ante interioris templi introitum orientalem, ea quidem dispositione, ut duo ex iis januae sint propiores, duo magis remoti ad orientem, amplius quoque alter ab altero distantes. Priores illos altos esse pedes sexaginta tres cum triente, vel palmos octoginta sex et uncias quinque, latos pedes senos, palmos octonos cum sextante: singulisque faciebus unam continere hieroglyphicorum columnam. Qui autem magis distant a templo, altitudine efficere pedes septuaginta tres, palmos nonaginta novem cum besse, latitudine pedes septenos cum semisse, palmos denos et uncias ternas: et unoquoque latere tribus notarum columnis esse insignitos. Ex his unum humi jacere prostratum, ejusque pyramidion altum esse pedes decem et pollices novem, palmos quatuordecim et dodrantem, latum ima parte pedes quinque et pollices novem, palmos fere octo [4]. In ichnographia autem, qua ruinas Carnac vico adjacentes repraesentavit idem Pocockius, eo spatio, quod relictum est in medio inter quatuor illos obeliscos, delineata cernuntur parvi aedificii vestigia aperti ad occidentem atque orientem, cujus in descriptione nullam invenio mentionem. Hoc quidem pro intima aede accipere malim sive adyto obeliscis cincto; eam vero aedificiorum partem, quam interiorem aedem vocat Pocockius, pro porticu sive pronao. Sed de hac re infra.

Perrius quoque et Savarius in Carnacensibus ruinis obeliscos recensent non plus quátuor, tres quidem stantes, prostratum unum. Ex his minores duos Savarius altos esse ait pedes parisienses sexaginta, palmos octoginta septem cum quadrante, imaque circumferentia aequare pedes viginti unum, palmos triginta et dimidium; reliquos duos longitudine colligere pedes septuaginta duo, palmos centum quatuor et dodrantem, circumferentia pedes triginta, palmos quadraginta tres cum besse,

---

part figures that embrace one another. Amongst these same ruins of Carnac vve find moreover divers great masses of a vvhitish stone, and vvhich join'd formerly together have formed obelisks of a prodigious size. These last as vvell as the others vvere only of a single piece; but vvhen they vvere throvvn dovvn, they vvere probably broken in the fall. They have been entirely filled vvith hieroglyphics, colour'd and adorn'd by compartments vvith different figures, that have a very agreable effect.

[4] *Description of the East* tom. 1. pag. 95.. *At the east end of the inner temple there vvas an entrance, novv in ruins, and vvithout it vvhat J took to be a raised terrace. On each side of this entrance at the east end of it, are tvvo obelisks, having only one column of hieroglyphics, and are sixtythree feet four inches high, and six feet square. Further to the east are tvvo other obelisks, seven feet six inches square, and seventythree feet high. The obelisk to the south is fallen dovvn, they have three columns of hieroglyphics all the vvay dovvn. All these obelisks are of granite. —— Continuing on along the middle to the east, vve came at length to the small granite room, vvhich seems to have been a place of more than ordinary sanctity, and the entrance to it is adorn'd vvith a very particular sort of square columns. It is possible this room vvas the place allotted for the virgin that vvas annually consecrated to the deity.* Pag.94. *I measured the pyramidal top of the great obelisk, vvhich vvas fallen, and found it to be ten feet nine inches long, and that it vvas five feet nine inches square at the bottom of the pyramid.* Inspice etiam ichnographiam templi tab. 28.

vel singulis lateribus palmos fere undecim : e majoribus unum humi jacere [5]. Sed Perrius omnium maximum altum scribit pedes londinenses septuaginta tres, palmos nonaginta novem et bessem ; minimum pedes quinquaginta, palmos sexaginta octo cum quadrante ; jacentis vero obelisci fragmentum tantum conspici, longum pedes triginta duo, palmos quadraginta tres et bessem, comprehenso pyramidio alto pedes decem, vel palmos tredecim cum besse . [6]

Magna igitur inter auctores dissensio circa numerum et magnitudinem obeliscorum prope Carnac superstitum : hoc tamen pro certo statui posse videtur, duos adesse mole iis aequiparandos quos in Romanorum obeliscorum recensione in primum ordinem retulimus, alios duos secundae magnitudinis, duosque praeterea conspici, qui, sive obeliscos appellaveris sive stelas pilasve, tertio ordini sint abscribendi .

De hujus loci obeliscis intelligendus quoque videtur Brucius, qui antiqui aevi reliquias leviuscule attingens atque, ut videtur, praeconceptae opinioni nimis tribuens, prope Carnac et Luxor inter ruinas Diospoleos, quam civitatem putat a Thebis diversam, duos cerni perhibet obeliscos perpulchros, minores quidem iis qui Romae sunt, sed perfecte integros . Circa eos stratum esse lapidem, umbris dierum metiendis destinatum, hodie quoque ita planum et horizontalem, ut eidem inservire posset observationi : obelisci autem fastigium figura esse semicirculari, quo experimento, qui obeliscos statuere pro gnomonibus, penumbram evitare tentaverint . [7]

---

5 *Lettres sur l' Egypte* tom. 2. pag. 125. *L' entrée du temple de Carnac qui faisoit face au temple de Luxor est bien dégradée, mais elle dévoit être d' une grande sumptuosité, si l'on en juge par les obéliques qui l' annoncent. On en voit deux de* 60. *pieds de haut sur* 21. *de circuit à la base, et un peu plus loin deux autres de* 62. *pieds d' élévation sur* 30. *de circonférence ; chacun d' un bloc de granit rouge. On y a gravé divers hieroglyphes divisés en colonnes. Trois de ces obélisques restent debout. Un seul est renversé.*

6 *Vievv of the Levant* pag. 344. *Beyond this apartment is an open space, vvhich extends for* 30. *or* 40. *paces in length; and beyond that again are several other apartments. —— In this open space vvere four very beautiful stately obelisks, tvva of vvhich are yet on foot, as fresh and perfect, as if just novv erected. —— One of these obelisks, namely the eastermost, is* 73. *feet high; the other not above* 50. *—— Opposite to the great obelisk, at about* 10. *paces distance, is part of another large one lying on the ground. ——* We *measured it and found the shaft part to be* 22. *feet long, and its pyramidion near* 10. *feet long.*

7 *Travels to discover the source of the Nile*, tom. 1. pag. 138. *Luxor and Carnac, vvhich is a mile and a quarter belovv it, are by far the largest and most magnificent scenes of ruins in Egypt, much more extensive and stupendous than those of Thebes and Dandera put together. There are tvvo obelisks here of great beauty and in good preservation, they are less than those at Rome, but not at all mutilated. The pavement, vvhich is made to receive the shadovv, is to this day so horizontal, that it might still be used in observation. The top of the obelisk is semicircular, an experiment J suppose, made at the instance of the observer, by varying the shape of the point of the obelisk, to get rid of the penumbra. —— I have said that Luxor is Diospolis, and should think that place and Carnac together made the Jovis Civitas magna of Ptolemy.* Et tom. 3., pag. 676. *The very base of all the obelisks in Upper Egypt are bare and visible, and even the paved plane, laid visibly on purpose to receive the gnomonical shade, is not cover'd, nor scarcely out of its level, and these small deviations are apparently ovving to the falling of neighbouring buildings.* Et tom. 1., pag. 161. *The inquiry into the length of the solar year vvas the occasion of the number of obelisks raised in every ancient city in Egypt.* We *cannot mistake this, if vve observe hovv anxiously they have varied the figure of the top or point of each obelisk; sometimes it is a very sharp one, sometimes a portion of a circle, to try to get rid of the great impediment, that perplexed them, the penumbra. The projection of the pavements, constantly to the*

§. X.

Magis expedita sunt quae de Luxorensibus obeliscis narraverunt peregrinatores. In his Pocockius, qui hoc loco instar omnium est, ita de iis refert: [1] „ The-
„ barum reliquiae in ripa orientali a Carnac per tria fere millia passuum porrigun-
„ tur usque ad vicum Luxor sive Lacsor, ubi magnifici templi magna adhuc pars
„ conspicitur integra. Hic ante templi vestibulum boreale duae cernuntur colos-
„ sales statuae ad utrumque januae latus adstitutae, et ante eas duo obelisci non
„ multum remoti in septentrionem, ita vero alter ab altero distantes ut inter me-
„ dios eos tantum fere spatii sit, quantum tributum est foribus templi atque
„ duobus colossis. Hi omnium in toto orbe conspiciendorum apparent pul-
„ cherrimi, sive laevigati saxi polituram cogites, sive scalpturarum arti-
„ ficium, quae incisae sunt ad altitudinem pollicis cum dimidio, seu uncia-
„ rum fere duarum. Fastigium quidem singulis lateribus figuram sistit thro-
„ no insidentem, cum altera quae flexis genubus sedenti dona offert. Eadem
„ res repetita cernitur in summo scapo, reliquum autem latus notis inscal-
„ ptum est in tres columnas distributis. Hae incipiunt a tribus accipitribus, quos
„ tres subsequuntur tauri. In reliquis characteribus deprehenduntur noctuae, ser-
„ pentes, insecta, canes, lepores, simiae, aves variae et camelorum capita.
„ Uterque obeliscus perfectae est conservationis, nisi quod in eo qui ad occiden-
„ tale latus constitutus est, fracta sit dimidia pars pyramidii, in altero autem an-
„ gulus occasui brumali obversus nonnihil corrosus usque ad sex pedes supra ter-

---

northvvard, so diligently levelled, and made into exact planes by large slabs of granite, most artificially joined, have been so substantially secured, that they might serve for the observation to this day.

[1] Lib. cit. tom. 1. pag. 106. 107. *When I had seen Carnack, J vvent up the river, a small league to Luxerein or Lacsor. J vievv'd the remains of the large and magnificent temple there, vvhich vvithout doubt vvas a part of the antient Thebes on the east side of the river. That grand building ansvvers very vvell to the particular description Diodorus gives of the sepulchre of Osymandyas. First he says there was a gateway 200. feet long, exactly answering to the measure of the first pyramidal gate to the north: but as for its height, it appears from the upper part of two statues above the ground without this gateway, that the ground is very much risen. These statues being thirteen feet and a half above ground, if we suppose they were sitting, they must be 20. feet at least under ground: unless they were half statues. The shoulders are about three feet and a half above ground; the neck and head to the cap measure five feet; and the cap as much more. The head itself may be suppos'd to have been design'd to be as high as the part of the cap that sets out, being 3. feet deep, and the remainder of the cap 2. feet more, so that the head being near seven feet long, the whole statue, if standing, would be about 50. feet high, if sitting, about 34. feet, computing seven heads to the whole body: so that if they were sitting, the ground must have risen about 17. feet. To the north of these and of the gateway are two obelisks, that probably are the finest in the world; they are novv above the ground sixty feet high, and might be 70. or 80., according as the ground has risen. They are seven feet and a half square, and at bottom might be eight feet. The hieroglyphics are cut in vvith a flat bottom, an inch and a half deep, and the granite has perfectly retain'd its polish, vvhich is the finest J ever savv. The hieroglyphics are in three columns dovvn every side, at top on each side a person sits on a throne, and one offers something on his knees: these figures are likevvise belovv. Lovver are three havvks, then three bulls, and at about the distance of every four is an ovvl. J also observed among the hieroglyphics serpents, insects, hares, monkies, birds, and heads of camels. They are exceedingly vvell preserv'd, except that about half of the pyramid of the vvestern obelisk is broke off, and the south vvest corner of the eastern one is a little batter'd for about six feet high.* Positionem obeliscorum definivi ex ichnographia hujus templi quam sistit Pocockius tabula 40.

„ ram. Super solo assurgunt pedes sexaginta (palmos fere octoginta duos), et ima „ latitudo septenum pedum est cum dimidio (palmorum denum cum quadrante). „ Sed magnam trunci partem humo et ruderibus contegi, colligitur e colossalium „ statuarum conditione, quae e capitis proportione arguuntur ad altitudinem sal- „ tem pedum viginti terra obrutae. Itaque obelisci alti credi possunt pedes cir- „ citer septuaginta vel octoginta (id est usque ad palmos fere centum decem). „

A Pocockio non multum dissentiunt reliqui auctores qui horum obeliscorum meminere. Cuncti in eis velut omnium pulcherrimis celebrandis conveniunt. Nordenius aeri incisos sistit una cum colossis et fronte vestibuli, sed omissis notis hieroglyphicis. In ea delineatione perbreves apparent obeliscorum vertices, sed rectilinei et integri. Inspice tabulam ejus centesimam sextam. Etiam in templi ichnographia, tabula centesima quarta, eodem situ eos posuit quo Pocockius tabula quadragesima. Sed aliquanto minorem statuit imae partis latitudinem, pedes nimirum hafnienses senos et pollices octonos cum dimidio, seu palmos novenos cum unciis septenis: isque obeliscus quem summo vertice defraudatum scribit Pocokius, integer ipsi visus est et altero minor [2]. Grangerius altitudinem eorum prodit pedes parisienses quinquaginta octo, palmos octoginta quatuor et trientem, latitudinem pedes octo, palmos undecim cum besse: distare autem unum ab altero pedes quindecim [3]. At spatio saltem duplo majori ab se invicem distare necesse est, si modo recte eos collocarunt in ichnographiis suis Nordenius et Pocockius: quibuscum consentit Perrius, scribens inter utrumque obeliscum intervallum esse octo passuum, vel pedum circiter quadraginta, totidemque passibus abesse obeliscos a colossis januae adstitutis. Protasius quoque latos esse refert pedes octonos, longitudinem non prodit [4]. Perrius autem atque Savarius longe eos referunt majores, quam ex reliquorum narrationibus. Nempe Perrius altos esse ait pedes londinenses septuaginta sex, qui palmos efficiunt centum tres et dodrantem, latos pedes octonos, palmos denos cum deunce [5]: et Savarius altos scribit supra terram pedes parisienses septuaginta duo, seu palmos centum quatuor et dodrantem, cum circumferentia pedum triginta duum, palmorum quadraginta sex et dimidii; conjicitque totam longitudinem esse pedum nonaginta, palmorum centum triginta. [6]

---

[2] Lib. cit. tom. 1. pag. 97. *At Lukoreen, which is consider'd as a part of ancient Thebes, there are two obelisks, of which each face has six feet eight inches and a half. Their height is in proportion. That which is situated towards the east is higher than the other. Both are standing before the portal, or at the entrance of the magnificent ruins, which are admir'd in this place; and without doubt they are the utmost that art could ever execute with regard to obelisks.*

[3] *Relation d' un voyage fait en Egypte par le Sr. Granger.* pag. 54. *A Luxor il y a deux obélisques de granit rouge, distans l' un de l' autre quinze pieds. Leur hauteur est de* 58. *pieds, la largeur en bas* 8. *pieds en quarré. On voit aussi deux statues colossales de femme d' un très beau marbre noir,* 15. *pieds hors de terre, mais ensévélies jusques par dessus la ceinture: elles sont placeés à coté d' une porte.* Haec e schedis meis: nam librum nunc ad manum non habeo.

[4] Vide supra §. 9., notam 2.

[5] *View of the Levant*, pag. 345. *Before those statues at about* 8. *paces distance from them, and about as much from one another, are two beautiful and stately obelisks, both of which are yet as perfect and fresh, as if they just came out of the sculptor's hand. —— These obelisks are each eight feet square at their bases, or so near them as we could come at, because several feet deep of them may be supposed to be buried in the earth; and seventysix feet high.*

[6] Lib. cit. tom. 2. pag. 128. *Rien ne donne une idée plus grande de la magnificence de l' édifice de Luxor, que deux obélisques qui lui servoient d' ornement. Formés chacun d' un seul bloc de*

§. XI.

In Syenes ruderibus, haud procul ab hodierno oppido Assuan orientem versus, obeliscum jacentem vidit Nordenius, eo ipso loco quo excisus fuerat, fractum et hieroglyphicis notis carentem, latum pedes tres, sed ex majori longitudinis parte arena contectum. Videtur is idem esse de quo alio loco scribit, reperisse se non procul ab Hermaeis Straboni memoratis obeliscum efformari coeptum, sed relictum opere nondum ad finem perducto: et cujus meminit Pocockius scribens de lapidicinis prope Syenen: [1] „ A veteris urbis ruderibus accessi ad latomias, di-
„ stantes circiter mille passibus ad ortum brumalem. Tota ea regio a fluvio in
„ orientem consistit e granite rubro, uti et alveus fluvii et insulae, unde opus non
„ fuit fodinas agere in profundum, sed frusta quae ad opera sua adhibere vo-
„ lebant, excidebant e collium lateribus, quorum nonnulli rescissis trabibus velut
„ in gradus secti apparent. Vidi hic pilas aliquas, quarum duo latera jam formata
„ erant, in quibus unam quadratam admodum longam, fortassis pro obelisco desti-
„ natam. Modus autem quo in saxis eis excidendis usi sunt veteres, is esse
„ videtur, ut in rupe scalpri ope canales agerent profundos, postea immissis cu-
„ neis frustum avellerent. Nam in multis locis sulcos offendi in rupe latitudinis tri-
„ pollicaris, et in iis sulcis foramina modicis spatiis inter se distantia, ad id facta,
„ ut scalprum altius immitti posset. Multa etiam vidi cuneorum in collibus
„ vestigia. „

De Hermaeis autem illis in itinere Syenen inter et Philen obviis, ita refert Nordenius [2]: „ Quinquies vel sexies idem iter emensus sum, quo Strabo a Syene

---

granit, ils ont soixante douze pieds de haut au-des'us du sol, et trente-deux de circonférence; mais comme ils sont enfoncés fort avant dans le sable et le limon, on peut croire qu' ils ont quatre-vingt-dix pieds depuis la base jusqu' au sommet. L'un d'eux est fendu vers le milieu, l'autre parfaitement bien conservé. Les hieroglyphes qui les couvrent, partagés en colonnes, et taillés en relief saillant d'un pouce et demi, font honneur à l'artiste qui les a sculptés. La dureté de la pierre les a preservés de l' injure de l'air; rien n'est plus majestueux que ces obélisques. L'Egypte est le seul pays où l' on ait exécuté de semblables ouvrages.

[1] Lib. cit. pag. 117. *From viewing the ruins of the antient Syene, J went about a mile south east to the granite quarries, all the country to the east, the islands and bed of the Nile, being red granite, which is the Thebaic stone mentioned by Herodotus; the quarries are not worked in deep, but the stone is hewn out of the sides of the low hills. J saw some columns marked out in the quarries, and shaped on two sides, particularly a long square one, which might be designed for an obelisk; they seem to have worked in round the stones with a narrow tool, and when the stones were almost separated, there is reason to think they forced them out of their beds with large wedges, of which there are signs in the quarries in all parts; in some places J observed channels mark'd out about three inches wide, and holes cut in those channels at certain distances, as if for their chisels to go in, so that probably they worked down with the chisels at the bottom and on one side of the stone, and then forced the stone out of its bed with wedges. J could not find any other ground why some persons have affirmed that there are pyramids here, but certain quarries cut out into steps up the sides of the hills, which may have caused ignorant people to take them for the remains of pyramids, as some of the pyramids are built in that manner.*

[2] Lib. cit. tom. 1., pag. 97. *In the ruins near Essouan there is an obelisk, which was made upon the spot; we see no hieroglyphics upon it, and it is broke in two. Each face has three feet of breadth; but the length cannot be measur'd, because it is concealed in great measure under the sand.* Tom. 2. pag. 113. *Coming from the cataract, and passing by Essouan, J turn'd a little to the left, to see there an obelisk*

„ profectus est ad Philen insulam , atque attente contemplatus sum saxa quae ille „ ἕρμαια appellat. Ea non sane humana opera alterum alteri imposita sunt; sed na- „ turae opus est , cui ars praeter hieroglyphicos characteres hinc & inde exaratos „ nihil addidit . Animadvertendum enim syenitae lapidis rupes ab aliis in ea re „ differre , quod non sint una et solida massa , sed velut ingentia frusta coacer- „ vata . Itaque opifices amotis iis frustis quae finibus suis praecipue viderentur „ accommodata , reliqua remanere siverunt , forte ut limitibus designandis inser- „ virent . Haec origo videtur Hermaeorum apud Strabonem . Circumcirca vero „ conspiciuntur ejusdem generis lapides ingenti numero , alii excisi tantum et lae- „ vigari coepti , alii fere expoliti , eo statu relicti , ad quem perducti fuere quo „ tempore publica aliqua calamitas operarios abegit . Parum ab eo loco distat obe- „ liscus ille , modo expoliri coeptus : et universa illa planities , cujus meminit „ Strabo , inde traxisse videtur originem , quod pyrrhopoecilus ad aedificia ornan- „ da inde fuerit avectus . Forsan et hujus tractus saxa , quod melioris naturae es- „ sent , praetulerunt veteres iis quae ipsi Nilo adjacebant , quorumque facilior „ erat devectio ; licet etiam in ripa fluvii hinc et inde excisi pyrrhopoecili offen- „ dantur vestigia . „ Saxa ea ad instar coni assurgentia vidit quoque Pocockius in reditu a Philis ad Syenen . [3] Rupes esse refert boreali insulae extremitati oppositas, immanis altitudinis , figurae autem regularis , quibus incisae cernuntur effigies hominum et notae hieroglyphicae . Easdemque delineatas exhibet tabula quinquagesima , ubi singulae una massa apparent , non saxum saxo impositum , ut scriptum reliquere Strabo [4] et Nordenius .

---

vvhich is half burried in the sand, and of vvhich J have already made mention elsevvhere. Tomo 1. pag. 87. 88. *J have gone the same road from Syene to Phile as Strabo* ; *J have observed vvith attention those stones vvhich he calls* ἑρμαια. *It is not by art that they are heaped one upon another . They are the mere vvork of nature , vvhich has placed them J imagine in this manner from the beginning . It must be observed that the rocks of granite differ from others in this , that they are not a single mass , and that they are as it vvere great heaps of large flint stones plac'd one upon another . The vvorkmen that have formerly cut this granite , have taken avvay the pieces that most suited them , and left others standing here and there , either to serve as limits or for some other use . This is in my opinion the origin of vvhat Strabo about Syene calls* ἑρμαια . *What confirms me in this notion is , that besides some hieroglyphics , vvhich vve see there engraven , one finds all about an infinite number of stones of the same kind, cut, and some only sketched ; others almost finish'd ; and all in the same condition in vvhich they vvere left by the vvorkmen , vvhen probably the calamities of vvar obliged them to retire . It is proper to observe also that it is but at a small distance from thence that vve find the obelisk , vvhich is but just begun : and all that plain vvhich Strabo mentions vvas almost entirely formed by taking avvay the granite , vvhich vvithout doubt vvas of a better kind than that on the border of the Nile , since they preferred it to the letter , vvhich vvould have been the more easily transported . We observe hovvever on the border of the Nile some fevv places vvhere the stones are loaded vvith hieroglyphics , like those vve have been speaking of ; and there are seen likevvise in the adjacent parts some stones of the same kind , vvhich they had begun to cut . Those* ἑρμαια *could never have given the idea of building the pyramids . Their shape and their size are so different , that there is no conformity betvveen the one and the other . Moreover J can assure the reader that their is nothing but the hieroglyphics , in vvhich art had any share ; for in other respects the stone is quite rough , and such as nature has formed and placed it . J have travelled the road Strabo made from Syene to Philae , five or six times .*

[3] Lib. cit. tom. 1. pag. 121. *Returning from Philae to Assouan J took a vievv of some extraordinary high rocks of granite , in a regular figure; on them are cut hieroglyphical inscriptions and figures of men , and they directly face the north end of the isle .*

[4] Vide supra sect. 1. pag.42.

§. XII.

In Phile insula quatuor obeliscos recenset Sicardus [1], quos vidit quoque Pocockius et in templi ichnographia adumbravit, rerum Aegyptiarum tabula quadragesima nona [2]. Ex his duos e pyrrhopoecilo singulis lateribus amplos esse scribit Pocockius pedes binos, vel palmos binos cum dodrante: duos vero, quorum materiem silentio premit, pedes binos cum dimidio, palmos ternos et uncias quinas. Priores stant in magna area quae est ante templi faciem in austrum vergentem; suntque ita constituti, ut intranti per aditum, quem praebet areae latus orientale parum a templi angulo distantem, a sinistris sit porticus a septentrione tendens in meridiem, dein iter pateat inter duos obeliscos, quos excipiunt leones duo sive sphinges; postea pergenti in mediam aream a dextris sint fores templi et vestibulum. Estque probabile in altero areae latere, quod similem habet aditum, alios fuisse obeliscos eadem ratione positos, ut e templo egressis utrinque esset via sphingibus et obeliscis decora. Reliqui duo, quos stylobatis suis insidere ait Procockius, praecinctioni quae ab austro claudit aream, in exteriori parieti adstituti sunt ad marginem insulae, medium locum obtinentes inter duas pilas quadratas eodem modo in praecinctionis fronte collocatas. Ea autem praecinctio in ichnographia Pocockiana murus apparet continuus, et obelisci positi videntur in loco qui nullum inter eos praebet ingressum.

Nordenius in ea insula duos tantum notavit obeliscos, alterum stantem in fronte porticus occidentalis, e marmore candido, avulso vertice, et hieroglyphicis destitutum, altum pedes sedecim, palmos viginti duo cum dextante, latum pedes binos, palmos ternos dempta sesquiuncia: alterum e pyrrhopoecilo, altum pedes viginti duos, palmos triginta unum cum semisse, latum pedes binos, et una hieroglyphicorum columna singulis lateribus decoratum; humi quidem jacentem, sed omnium quos ipse vidit integerrimum, unde reliquis recentiorem esse coniicit [3]. Locum ejus non prodit, forte unus est ex iis quos in areae latere occidentali olim constitutos fuisse, supra suspicatus sum. Qui autem ipsi audit obeliscus e marmore candido, aperte eadem moles est quam pilam quadratam appellat Pocockius. Caeterum in insulae templique ichnographia ita inter se dissentiunt laudati auctores, ut cuinam potius fit credendum, vix dignoscere queat aliquis, nisi ipso loci situ inspecto.

---

1 Vide supra §. 9, notam 1.

2 Lib. cit. tom. 1. pag. 120. 121. *The vvhole island of Philae seems to have been vvall'd round, something in the manner of a modern fortification. —— The great temple is near the vvater, on the vvest side of the island. — The long area or court to the south seems to have been an addition to the temple, for the pillars on the vvest side are not finish'd. — At the entrance to the east, vvhich is near to the great pyramidal gate-vvay of the temple, there is an obelisk on each side vvithin; they are of red granite, about tvvo feet square. A little more to the vvest is a lyon on each side, as J find J took them to be, tho' if the heads vvere broke off, they possibly might have been sphinxes. Betvveen the vvest side of the grand area and the vvater, there is only a narrovv terrace vvith doors to it from the portico, the vvhole ending at the vvater to the south vvith a parapet vvall, at vvhich two obelisks about a feet and a half square, are rais'd on their pedestals, as vvell as two square pillars at the end of the colonnade.*

3 Lib. cit. tom. 1. pag. 97. *J have seen two obelisks in the island of Giesiret-ell-heiff. The one is of vvhite marble and standing; but without any hieroglyphics: the other, which is of granite, lies upon the ground, and has a*

§. XIII.

Haec sunt quae de obeliscis et obeliscorum fragminibus in Aegypto adhuc obviis a peregrinatoribus litteris mandata invenio. Reliquum est ut ea addam quae de Aethiopicis obeliscis leguntur apud eosdem.

In Atbarae parte, Nubiae adscripta, prope Curgos, quae Nili insula est, vetustae urbis reliquias se offendisse refert Jacobus Bruce vir clar., qui non ita pridem eas regiones peragravit [1]; in his multas bases comminutas, quibus olim imposita simulacra Caniculae; et obeliscorum fragmina nonnulla hieroglyphicis characteribus inscripta, sed qui temporis longaevitate fere prorsus sint exesi. Praeterea accepisse se ab Arabibus ejus tractus incolis, late patere ea rudera, et multa statuarum fragmenta hic effossa fuisse tum hominum tum brutorum. Ex hisce indiciis atque e situ, qui est inter septentrionalis latitudinis gradus decimum sextum et decimum septimum, colligit Brucius hic olim positam fuisse Meroënsium metropolin priscis scriptoribus celebratam.

§. XIV.

Axuma aliquando Aethiopiae metropolis fuit et regum sedes, nunc vastata est, et locum ejus occupat vicus Heleni dictus [2]. Sita autem est in Tigre provincia, Abessinici imperii parte orientali, duodecim dierum itinere distans ab Aduli

rovv of hieroglyphics on each face. The summit of the first, vvhich terminates the columns of the vvestern gallery, is shortened. It is no more than eight feet in square and 16. in height. The second has likevvise 8. feet in square, but 22. in height. It seems to be more modern than all those that J have had the opportunity of seeing, at least it has been better preserved. Vide insulae ichnographiam tab. 139.

[1] *Travels to discover the source of the Nile in the years* 1768. — 1773., *by James Bruce of Kinnaird Esq. Edinburgh.* 1790. tom. 4. pag. 538. *At this place begins a large island in the Nile several miles long, full of villages, trees and corn, it is called Kurgos. Opposite to this is the mountain Gibbainy, vvhere is the first scene of ruins J have met vvith since that of Axum in Abyssinia. We savv here heaps of broken pedestals, like those of Axum, plainly designed for the statues of the dog; some pieces of obelisk, likevvise, vvith hieroglyphics, almost totally oblitterated. The Arabs told us these ruins vvere very extensive; and that many pieces of statues, both of men and animals, had been dug up there; the statues of the men vvere mostly of black stone. It is impossible to avoid risquing a guess that this is the ancient city of Meroê, vvhose latitude should be* 16.° 26'., *and J apprehend further, that in this island vvas the observatory of that famous cradle of astronomy. The Ethiopians cannot pronounce P., Curgos then should probably be Purgos, the tovver or observatory.* Mitto quae de insulae nomine a Graeco πυργος derivando scribit auctor, quae omni carent veri similitudine: at loci natura omnino videtur suadere, ut veterem Meroën in hac vicinia conditam credamus.

[2] Consule de ea et de regno Axumitarum Ptolemaei geographiam lib. 4. cap. 5; S. Athanasii apologiam ad Constantium imperatorem num. 29; Nonnosi historiam legationum apud Photium cod. 3; Procopium de bello Persico lib. 1. cap. 19. 20; Philostorg. histor. eccles. lib. 1., num. 5; Theophanis chronographiam pag. 150. ed. Venetae; Malalae historiam chronicam lib. 18. pag. 56. ed. Ven.; Palladium de Brachmanibus pag. 1. ed. Londin.; Stephanum voce αξουμιτης; Geographum Ravennatem lib. 3. cap. 1.; Vitam Arethae martyris in Lipomanni vitis Patrum tom. 6. pag. 378. sqq. Et praeter auctores infra citandos Jobum Ludolphum in historia Aethiopica, Francofurti ad Moenum 1781. lib. 2. cap. 11., §. 1. et in commentariis ad historiam Aethiopicam, ibidem 1691. pag. 251.

rubri maris portu [3], Evergetae Ptolemaei monumentis celebri ; eademque civitas esse videtur quam Asmach appellat Herodotus, et Aegyptiorum coloniam perhibet [4]. Eam obeliscis gaudere constat numero non paucis : sed ita concisa sunt quae de iis prodidere auctores, et insimul ita dissona, ut quot sint, qua figura et indole vix certo definiri queat.

Primam de iis mentionem factam invenio a Marmol, Hispano scriptore saeculi decimi sexti, qui in Africae descriptione libro 10, cap. 23, ait in Abessiniae oppido Acachuma videri magna aedificia, et pyramides nonnullas ejusdem altitudinis atque obeliscus Vaticanus [5]. Alphonsus Mendezius autem Lusitanus, Aethiopiae patriarcha, in epistola kalendis juniis 1626 in Europam missa, [6] de antiquo Axumae splendore testes adesse scribit pyramides sedecim aut septemdecim, ex uno saxo factas, et mirabili altitudine Aegypti gloriam aemulantes, quamvis quae inter eas maxima fuit temporis injuria sit dejecta. Mausolea eas putat veterum regum, sed ab Europaeis architectis exstructas quo tempore Justino aliisque Byzantinis imperatoribus amicitia conjuncti fuere reges Axumitarum. Quod quidem arguit ex indicio saxi non procul inde erecti, tres cubitos lati, cum inscriptione valde corrosa, sed in qua Graecae litterae offenduntur Latinis permixtae, ut tunc temporis obtinuisse novimus. Etiam Manuel d' Almeyda ex societate Jesu Lusitanus, [7] Axumae exstare narrat lapides gran-

---

[3] Ita Procopius lib. cit. Nonnosus scribit dierum quindecim. Ludolphus a mari abesse ait leucis lusitanicis quadraginta quinque.

[4] Lib. 2., cap. 30. In vulgatis libris habetur *ασμαχ*, alii legunt *ασχαμ*, malim equidem *ασχμα*, nam ϫⲁϭⲏ-ⲙⲁ vel ⲙⲁ-ϫⲁϭⲏ Aegyptiis est *locus a sinistris*, et sic vocabulum interpretatur Herodotus.

[5] *Descripcion general de Africa, dirigida al Rey Don Phelipe segundo, por Luys del Marmol Carvasal. en Malaga* 1599. lib. 10, cap. 23 *Los Abixinos dizen que la reyna Saba tenia su camara y su tesoro en la civdad de Acachuma, donde agora se veen grandes edificios, y algunas piramides de la grandezza de la aguja de San Pedro de Roma. — Ptolomeo la llama Axuma.*

[6] Apud Ludolphum in commentariis pag. 251. *Come apparisce per molti cadaveri dell' antico splendore e maestà, che sono sedici o diciassette piramidi, tutte d'un pezzo, di maravigliosa altezza, quantunque la più alta sia stata dal tempo abbattuta, concorrenti alla gloria dell' Egitto. A me parvero mausolei degli antichi rè. Indi poco lontano sorge un sasso di larghezza tre braccia, scolpito a lettere parte Greche e parte Latine, ma quasi rose dal tempo. Il che fa indicio che tutte quelle opere sono d'artefici Europei del tempo di Giustino ed altri imperadori orientali; i quali ebbero grande intelligenza, come attesta Procopio, co' rè d' Etiopia: avvegnacche allora fosse un miscuglio delle lingue Greca e Latina; per ritrovarsi insieme alloggiati sotto le tende i soldati dell' uno e dell'altro idioma.* Subjungit Ludolphus: „ Imaginari mihi non possum mixtam scripturam „ in illis saxis reperiri: oculatiores scriptores ali„ quando reperient scripturam mere Graecam.„

[7] *Historia general de Ethiopia a alta ou Preste Joam, composta na mesma Ethiopia pelo P. Manoel d'Almeyda, abreviada com nova releyçam et methodo pelo P. Balthezar Tellez. em Coimbra* 1660., lib. 1. cap. 22. *Da cidade de Acçum. Vem se ali muytas ruinas antigas. — O que neste lugar mostra grande magnificencia sam hũas pedras muyto altas a modo de obeliscos, agulhas ou pyramides, a mayor tem cento et quatro palmos; a largura no pé tem dez palmos; he lavrada como em almofadinhas, cada hũa das quays he como hum quadrado de dous palmos: as mays pequenas, que sam de quarenta até trinta palmos, sam hũas lagens rudes et informes. Algũas das que parece eram mayores estam ja derrubadas, et dizem que os Turcos entrando em Ethiopia as derrubaram. O fim pera que estas pyramides se levantaram, se pode bem crer que era pera que fossem como mausoleos, que junto as suas sepulturas erguiam, poys este foy tambem o intento dos Egypcios na quellas suas tam celebradas pyramides. — A qui se vè tambem hũa pedra levantada com hum grande letreyro con letras Gregas et Latinas; porèm nenhun sentido fazem.*

des ad instar obeliscorum sive pyramidum, forte veterum regum mausolea, et cippum cum ampla inscriptione, intellectu non obvia, litteris partim Graecis partim Latinis exarata. Inter stantes obeliscos eum qui reliquos antecellit magnitudine, altum esse palmos lusitanicos centum quatuor, palmos romanos circiter centum duos, latum palmos decem; et eo modo scalptum ut compositus videatur pulvinis quadratis, quoquoversus palmos duos obtinentibus: reliquos rudes esse lapides et informes, altitudine palmorum tricenum vel quadragenum. Sed majores nonnullos humi jacere, Turcarum invasione ut ferunt dejectos.

Post hos Aethiopiam invisit Carolus Jacobus Poncet, medicus Gallus, 1698 —— 1700, et in diario scriptum reliquit, [8] offendi in oppido Heleni in media area, quae amplo spatio complanata est ante ecclesiam S. Helenae dicatam, tres obeliscos pyramidales et triangulares e syenite lapide, hieroglyphicis notis refertos: qui, licet non compareant stylobatae, altitudine pares videntur obelisco Vaticano una cum stylobate cui insidet. Inter figuras autem, quibus ornati sunt isti obelisci, deprehendisse se inscalptum singulis faciebus claustrum sive seram, quod mirum sibi visum sit, cum ad hunc usque diem serarum usum ignorent Aethiopes.

Denique Jacobus Bruce Axumam adiit mense januario 1770; et in itineris historia edita anno 1790 multa prodidit de ejus oppidi ruderibus, quae licet manca videantur et ex ingenio suppleta, neque prorsus sibi consona, tamen scitu digna sunt, et pro Aegyptiarum originum investigatione haud inutilia. [9] Abes-

---

[8] *Relation du voyage de Charles Jacques Poncet, médécin François, en Ethiopie en 1698—* 1700: in libro cui titulus: *Lettres édifiantes et curieuses, quatrieme recueil. à Paris* 1704. pag. 399. *En allant à Duvarna, qui est la capitale du roiaume de Tigra, je passai par la ville de Heleni, ou il y a un très beau monastere et une magnifique eglise dediée a S. Helene. Au milieu de la grande place qui est devant l'eglise, on voit trois aiguilles pyramidales et triangulaires de granit, toutes remplies de hiéroglyphes. Parmi les figures de ces aiguilles je remarquai dans chaque face une serrure, ce qui est fort singulier, car les Ethiopiens ne se servent point de serrures, et n'en connoissent pas même l'usage. Quoiqu'il ne paroissent pas de piedestaux, ces aiguilles ne laissent pas d'être aussi hautes que l'obélisque de S. Pierre à Rome posé sur son piedestal. On croit que ce pays est celui de la reine de Saba.*

[9] *Travels to discover the source of the Nile*, tom.3. pag. 128. sqq. *On the* 18. *of january vve came into the plain, vvherein stood Axum, once the capital of Abyssinia, at least as it is supposed. For my part, J believe it to have been the magnificent metropolis of the trading people, or Troglodyte Ethiopians called properly Cushites, as the Abyssinians never built any city, nor do the ruins of any exist at this day in the vvhole country. But the black or Troglodyte part of it in many places have buildings of great strength, magnitude and expence, especially at Azab, vvorthy the magnificence and riches of a state, vvhich vvas from the first ages the emporium of the Indian and African trade. The ruins of Axum are very extensive; but, like the cities of ancient times, consist altogether of public buildings. In one square, vvhich J apprehend to have been the center of the tovvn, there are forty obelisks, none of vvhich have any hieroglyphics upon them. There is one larger than the rest still standing, but there are tvvo still larger than this fallen. They are all of one piece of granite; and on the top of that vvhich is standing there is a patera exceedingly vvell carved in the Greek taste. Belovv there is the door-bolt and lock, vvhich Poncet speaks of, carved on the obelisk, as if to represent an entrance through it to some building behind. The lock and bolt are precisely the same as those used at this day in Egypt and in Palestine, but vvere never seen, as far as J knovv, in Ethiopia, or at any time in use there. J apprehend this obelisk and the tvvo larger that are fallen, to be the vvork of Ptolemy Evergetes. There is a great deal of carving upon the face of the obelisk in a Gothic taste, something like metopes, triglyphs and guttae, disposed rudely and vvithout order, but there are no characters or figures. The face of the pyramid looks due south; has been placed vvith great exactness, and preserves its perpendicu-*

sinos scribit nunquam urbes condidisse, neque hodie in universo imperio occurrere oppidorum vestigia, dempta Axuma, priscorum Troglodytarum, ut ipse retur, metropoli, qui multis in locis firma aedificia reliquere, praesertim circa Azab ad mare rubrum: Axumae quoque reliquias magnum tractum occupantes ex solis consistere publicis aedificiis. Ex his tria inprimis memorat, nempe aream quadratam, quam urbis aliquando centrum fuisse putat, quadraginta ornatam obeliscis; viam e rupe excisam et statuarum colossalium basibus hinc et inde decoram; et scalas per quas ascenditur ad aream, cui templum impositum fuisse existimat: sed ea utrum inter se cohaereant, vel qui nexus sit, non satis liquet ex ejus narratione; credibile tamen est viam ab obeliscis scalas versus tendere. Eam nimirum ex rupe rubri marmoris exsectam a septentrione porrigi refert ad meridiem in radicibus montis, cujus vertici insistit parvus obeliscus; in laevo autem viae latere murum relictum esse ejusdem lapidis altum pedes quinque, cui paribus intervallis bases adhaerent colossalibus simulacris aptatae. Ex iis centum triginta tria Anubidem vel Caniculam repraesentasse docet, quamquam ipse fateatur duas tantum statuas superesse, neque eas integras, e syenite lapide Aegyptio artificio scalptas, de reliquis autem non constare e marmore fuerint an ex aere. Alias praeterea bases conspici scribit quibus olim incubuere sphinges. Scalarum vero gradus, quae ad meridionalem viae terminum sitae videntur, ex eodem lapide affabre excisos duplice ordine constructos ait per plures pedum centurias: templi nullum extare vestigium, sed pro eo ecclesiam aedificatam esse in colle: infra scalas cerni tres cellas parvas et quadratas, e syenite itidem lapide, in quarum angulis constitutae columnae octangulae Aegyptium redolent ingenium. Hisce vero columnis olim


---

lar position till this dav. J have given a geometrical elevation of this obelisk servilely copied, vvithout shading or perspective. After passing ths convent of Abba Pantaleon, and the small obelisk situated on a rock above, vve proceed south by a road cut in a mountain of red marble, having on the left a parapet-vvall about five feet high, solid and of the same materials. At equal distances there are hevvn in this vvall solid pedestals, upon the top of vvhich vve see the marks vvhere stood the colossal statues of Sirius the Latrator Anubis or Dog-star. One hundred and thirty three of these pedestals, vvith the marks of the statues J just mentioned, are still in their places; but only tvvo figures of the dog remained vvhen J vvas there, much mutilated, but of a taste easily distinguished to be Egyptian. These are composed of granite, but some of them appear to have been of metal. Axum being the capital of Siris or Siré, from this vve easily see vvhat connection this capital of the province had vvith the dog-star. There are likevvise pedestals, vvhereon the figures of the sphinx have been placed. Tvvo magnificent flights of steps, several hundred feet long, all of granite, exceedingly vvell-fashioned, and still in their places, are the only remains of a magnificent temple. In the angle of this platform vvhere that temple stood, is the present small church of Axum. Without the outer gate of the church, belovv the steps, are three small square inclosures, all of granite, vvith small octogon pilars in the angles, apparently Egyptian; on the top of vvhich formerly vvere small images of the dog-star, probably of metal. Upon a stone in the middle of one of these, vvhich by its remains apparently vvas an altar of Anubis or the dog-stur, (cf. tom. 2. pag. 280.) *the King sits and is crovvned, and alvvays has been since the days of Paganism; and belovv it, vvhere he naturally places his feet, is a large oblong slab like a hearth, vvhich is not of granite, but of free stone. The inscription, though much defaced. may safely be restored* ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, *Axum is vvatered by a small stream, vvhich flovvs all the year from a fountain in the narrovv valley, vvhere stand the rovvs of obelisks. The spring is received into a magnificent bason of* 150. *feet square.* Tom. 2. pag. 483. *Among the ruins of Axum there is a very high obelisk, flat on both sides, and fronting the south. It has upon it no hieroglyphics, but several decorations, or ornaments, the fancy of the architect. Upon a large block of granite, into vvhich the bottom*

institisse parvas statuas, forte ex aere, Anubidem referentes; quomodo scire potuerit, me quidem fugit. In una vero ex iis cellis medio loco conspici refert truncum lapideum, quem aliquando Anubidis aram fuisse coniicit, sed cui nunc insidere assolent reges Abessiniae, dum peragitur coronationis caeremonia: et ante hunc truncum infra sedentis regis pedes stratum esse lapidem oblongum, in quo litteris admodum corrosis scriptum legitur πτολεμαιου ευεργετου βασιλεως. Postremo a via in septentrionem in angusta valle complanata extat area cum quadraginta obeliscis e singulis frustis syenitae lapidis, quos hieroglyphicis characteribus prorsus carere scribit Brucius, nihil prodens de figura vel de magnitudine. Tres tantum ait reliquis esse majores, duos quidem omnium maximos humi jacentes, tertium adhuc stantem. De hoc in itineris descriptione bis disserens in diversa abit: sistit quoque iconem ejus ab utraque narratione non parum dissentientem. Uno loco ait obeliscum in duobus lateribus multo quam in reliquis esse ampliorem, si modo verba ejus recte intelligo, pro hieroglyphicis autem exhibere varia ornamenta ab architecti arbitrio profecta: faciem ejus plagam respicere australem, et pedem infixum esse ingenti trunco ejusdem lapidis, qui truncus ante eum velut mensam efficit, et in cujus superficie exscalpta cernitur Graeca patera. Eam pateram alio loco, omissa trunci sive stylobatae mentione, in obelisci vertice exstare prodit, Graeco artificio egregie elaboratam: reliquam autem obelisci faciem Gothico more scalpturis esse oneratam, quae metopas aliquas repraesentant et triglypha et guttas, ruditer et inordinate disposita. In eo vero sibi constat, quod in una obelisci facie austro obversa ficta sit janua cum sera et repagulo, ejusdem generis quo hodie utuntur Aegyptii et Syri, sed cujus usum prorsus ignorant hodierni Aethiopes. Scribit praeterea obeliscum ad amussim statutum hodie quoque servare positionem perpendicularem, verticemque ejus umbrae colligendae destinatum in angustum collum

of it is fixed, and vvhich stands before it like a table, is the figure of a Greek patera, and on one side of the obelisk, fronting the south, is the representation of a vvooden door lock and a latch to it, vvhich first seems designed to dravv back and then lift up, exactly in the manner those kind of locks are fashioned in Egypt at this very day. Poncet observed very justly, there are no such locks made use of in Abyssinia. He calls this place Heleni, from a small village of that name in the neighbourhood. Had he been a scholar he vvould have knovvn that the ruins vvere those of the city of Axum, the ancient metropolis of this part of Ethiopia. Ptolemy Evergetes conquer'd this city and the neighbouring kingdom, resided some time there; and being absolutely ignorant of hieroglyphics, then long disused, he left the obelisk, he had erected for ascertaining his latitudes, ornamented vvith figures of his ovvn choosing, and the inventions of his subjects the Egyptians, and particularly the door for a convenience of private life, to be imitated by his nevv-acquired subjects the Ethiopians, to vvhom it had hitherto been unknovvn.
Tom. 1, pag, 162. *There is at Axum an obelisk erected by Ptolemy Evergetes, the very prince vvho vvas patron to Eratosthenes, vvithout hieroglyphics, directly facing the south, vvith its top first cut into a narrovv neck, then spread out like a fan in a semicircular form, vvith a pavement curiously levelled to receive the shade, and make the separation of the true shadovv from the penumbra as distinct as possible. This vvas probably intended for verifying the geodesique experiment of Eratosthenes vvith a larger radius: for by this obelisk vve must not imagine Ptolemy intended to observe the obliquity of the ecliptic at Axum. Though it vvas true that Axum by its situation vvas a very proper place, the sun passing over that city and obelisk tvvice a year, yet it vvas equally true, that he could not make any use of the sun's being tvvice vertical at Axum, for the sun is vertical at Axum about the 25 of april aud again about the 20 of august, and at both seasons the heaven is so overcast vvith clouds, and the rain so continual, especially at mid-day, that it vvould be a vvonder indeed, if Ptolemy had once seen the sun during the months he staid there.*

contrahi, deinde ad instar flabelli semicirculari figura dilatari superius; et subjectum pavimentum accurate stratum ad libellam umbrae dignoscendae apprime esse aptatum. Ex quibus omnibus arguit, majores eos obeliscos erectos fuisse a Ptolemaeo Evergete, quem Axumae aliquod temporis spatium consedisse putat, et obeliscis usum esse ad loci latitudinem sive distantiam ab aequatore deprehendendam, pro hieroglyphicis vero tunc diu jam oblivioni traditis scalpenda curavisse Aegyptiorum architectorum inventa, januam inprimis cum claustro communis vitae usui inservientem, quam imitarentur Aethiopes regno suo nuper adjecti. Caeterum ex icone, cui addita est scala pedum londinensium, universa stantis obelisci altitudo colligitur pedum sexaginta sex cum dimidio, seu palmorum nonaginta et dodrantis; baseos latitudo pedum fere decem, palmorum tredecim cum semisse, et latitudo scapi infra angustum verticem pedum quinque, palmorum sex cum dodrante. Vertex, qui semicircularem figuram efficit obversa facie planam et flabello non dissimilem, abaco videtur impositus, in media autem ejus facie discus apparet inscalptus sive globus flore stellave quadrifariam divisus. Superior trabis pars infra verticem dispescitur in pulvinos aliquos, et speciem prae se fert rustici quod vocant aedificii: adjectis praeterea globulorum serie et regulis nonnullis perpendicularibus. Inferius praeter januam et seram, Brucio et Ponceto memoratas, aliae quoque aedium partes repraesentari videntur, nempe fenestrae et moeniana et contignatio columnis suffulta.



In Museo Borgiano Velitris v. pag. 82.

SECTIO TERTIA

De usu Obeliscorum in Aegypto.

Hactenus id egimus ut lectoribus ante oculos ponerentur, quae de obeliscis sciri possunt vel ex veterum auctorum libris, vel e recentiorum observationibus, vel denique ex ipsorum monumentorum, quotquot oculis usurpare licuit, inspectione. Quae omnia velut fontes sunt disputationis nunc instituendae, de usu, origine & historia obeliscorum. Primo loco dicam de usu, hoc vocabulo complexus quaecunque immediate spectant ad naturam obeliscorum, significationem, situm atque erectionem: expositisque quae de singulis statuerunt viri docti, quid ipse sentiam declarabo breviter. Sequenti vero sectione inquiram in originem eorum, qui factum sit ut ejusmodi molibus erigendis operam dederint Aegyptii; eodemque tempore meam de obeliscorum natura sententiam firmius stabilire conabor. Post transitu facto ad historiam, a quibus in Aegypto regibus et quo aevo erecti fuerint, quantum in his tenebris fieri potest, investigare instituam: quae vero Romae fuere eorum vicissitudines, a Caesare Augusto, qui primus Urbem obeliscis decoravit, usque ad PIVM SEXTVM, qui jacentes adhuc obeliscos coelo restituit, in clariore annalium luce enarrare pergam.

CAPUT PRIMUM

De nomine obelisci.

§. I.

Inquirenti in rationem atque historiam obeliscorum hoc primum est et maxime necessarium, ut certis finibus circumscribat usum et significationem vocabuli, quid sit obeliscus, qua lege nomen id tributum fuerit certo monumentorum generi, quaeve sint qualitates omnibus iis lapidibus communes quos obeliscos appellare consuevimus. Sed dum hoc agimus, cavendum est pracipue ne definitione nimis arcta vocabulum in augustiores restringamus limites quam patitur loquendi consuetudo, neque praeconceptae indulgentes opinioni, velut omnibus probata statuamus ea de quibus adhuc ambigitur inter eruditos: utrumque enim evenisse videmus iis qui hoc argumentum tractare aggressi sunt. Missis igitur quae de mystica figurae inventione, deque certis proportionibus in ea servandis, tradi solent ab auctoribus, hoc potissimum criterio a reliquis antiqui aevi monumentis discerni existimo obeliscos Aegyptios, quod trabes sint quadrilaterae, a basi fastigium versus sensim coarctatae, et cacumine praeditae fere pyramidali; ad eum vero finem excisae ut metarum instar erectae statuminentur [1]. Sed nolo hoc pa-

[1] Ab his non procul absunt, quae habet Ammianus Marcellinus lib. 17. cap.4, cujus verba sistimus sectione prima pag. 25. Eundem transcripsit Bargaeus in commentario de obelisco, thesauri Graeviani tomo 4, pag.1905, addens *obelos* dictos esse a Graeco vocabulo quod veru denotat, postea vero *obeliscos* diminutive, quod plures essent parvi quam magni hujus generis

cto excludere eos obeliscos, qui vel a quadrilatera figura recedunt; vel pyramidali destituuntur fastigio: modo ne aequali ab imo ad summum latitudine pilae fiant, vel figurae rotunditate coni, vel baseos amplitudine pyramides.

§. II.

Vereres quidem auctores obeliscorum nomine eas tantum trabes videntur significasse, quae magna excelsitate praeditae pro insigni ornamento in templis Aegyptiis statutae spectabantur; minores vero, quos propter figurae similitudinem obeliscos nunc appellamus, stelarum vocabulo esse complexos. Nam paullo antiquiores Graeci Romanique historici de obeliscis non nisi cum admiratione aliqua locuti reperiuntur, regum in iis excidendis certamen celebrantes, et proceritatem ad quam assurgunt in descriptione vix omittentes. Strabonis locus, in quo de obeliscis intra sepulcra collocatis sermo esse videtur, non satis certus est: et confido plerisque placituram esse interpretationem Mancinelli, in Thebarum civitate erectos fuisse illos obeliscos, et apud Strabonem pro θηκαις legendum esse θηβαις [2]: praesertim ubi conferatur cum verbis Taciti, qui suppresso quidem obeliscorum nomine eadem, quae in his scalpta refert Strabo, Thebarum molibus inscripta tradit [3]. Ipse Ammianus Marcellinus, quo scribente jam omnes illi, quos parvos dicimus obeliscos, Romae fuisse putandi sunt, ad proceritatem excelsam adsurgere scribit obeliscos, nec in iis qui tunc aderant enumerandis ullam habet parvorum rationem [4]. Primi, quod sciam, Urbis topographi, incertae aetatis scriptores, recentiusculi tamen, in magnos parvosque dispescuerunt obeliscos, parvorum quidem nomine nonnullos comprehendentes, quos merito magnos vocaveris, saltem mediae magnitudinis, ut Pamphilium et Barberinum [5].

---

lapides. Kircherus in obelisco Pamphilio lib. 1. cap. 4, pag. 44 obeliscum describit hoc modo: „ Est columna hieroglyphica quadrilatera „ sensim versus apicem gracilescens, et dein- „ de in parvam pyramidem truncata „. Mercatus autem de obeliscis capite 1, pag. 1. ita scribit: *Questi sono sassi intieri di misteriosa figura, et alcuni di grandezza così ammirabile, che vengono annoverati tra le sette maraviglie del mondo. Sono fatti con semplice taglio, ma così ingegnoso, che più vaghi non possono alla vista apparire: perciò che dall'infima parte loro si veggono quadri tirati in alto con i lor quattro canti, sminuendo a poco o poco, quasi la terza parte della grossezza, fin che terminino ad una punta piramidale, che da ciascuna faccia della quadratura stringendosi, nella cima s'aguzza. Ritrovarono tal figura gli antichi Egittij, per imitare i raggi del sole, adorato da loro per principale dio, al quale havevano per costume di dedicarli*; *et dalla figura di essi raggi nominavano tutti gli obelischi raggi del sole. Ma i Greci, non seguendo il nome datoli da gli Egittij, da altra somiglianza, che a loro pareva più convenirsi, trassero il nome, et li chiamarono obeli, che tanto vuol dire quanto spiedi, come da gli historici antichi si dimostra. Nel tempo poi che il regno di Egitto signoreggiato da i rè Macedoni, venne per il commertio apprendendo assieme con i costumi la lingua Greca ancora; gli obeli non molto grandi in comparatione de maggiori, furono nominati obelischi, come sarebbe a dire spiedetti: de quali essendovi numero grande, come anco hoggi dì si vede nelle ruine della città di quei paesi, tanto fu dal popolo frequentato il nominarli obelischi, che venuto quasi in disusanza il nome di obeli, in progresso di tempo così i picoli come i grandi, indifferentemente tutti furon chiamati Obelischi*. Varias obelisci definitiones habes in Geo. Christoph. Mulleri dissertatione mathematica de obelisco gnomone Augusti Caesaris, Norimb. 1706, annexa commentario cl. Bandinii de obelisco Caesaris Augusti, appendicis pag. 63. §. 4.

[2] Vide supra sect. 1. cap. 1. pag. 6.

[3] Ibid. pag. 19.

[4] Ibid. pag. 25.

[5] Ibid. pag. 28. 29.

Isque loquendi usus nunc obtinet, ut metas quascunque quadrilateras sensimque gracilescentes dicamus obeliscos; et eum secutus de omnibus iis hoc libro disputare institui. Sed quo veterum scriptorum narrationes recte intelligantur, opus visum est monere, obeliscos veteribus dici eos tantum quos magnos vel medios hodie vocare solemus, reliquos autem stelas; quamquam contendere nolim cunctas Aegyptiorum stelas ad hanc figuram fuisse formatas.

§. III.

Hujuscemodi monumenta quo nomine appellaverint veteres Aegyptii in comperto non est, nam obeliscorum mentio non fit in libris Copticis, columnas autem Graeco vocabulo denotare consueverunt. At Hebraicum מצבות, Exodi capite 23, versu 24,[6] ubi septuaginta interpretes habent στηλας, vulgata versio *statuas*, a Coptis conversum legitur ϩⲁⲛⲥⲧⲩⲗⲏ ⲛⲉⲙ ϩⲁⲛϫⲏⲣⲓ ⲛⲥϧⲁⲓ, quo loco ⲥⲧⲩⲗⲏ mihi quidem significare videtur *statuas*, quas sequioris aetatis Graeci saepe στηλας appellant, ϫⲏⲣⲓ ⲛⲥϧⲁⲓ autem *inscripta monumenta*, a ϫⲉⲣ vel ϫⲏⲣ *indagare*, et ⲥϧⲁⲓ *littera*. Quo fit probabile Aegyptios ea appellatione significasse stelas suas, ad quas obeliscos quoque pertinere suspicor; licet nullo modo negaverim peculiari vocabulo ab iis insignitas fuisse praegrandes illas stelas, quas binas plerumque in templis collocari mos fuit. Kircherus quidem scribit in obelisco Pamphilio pag. 44, ejusmodi lapides Aegyptiis dictos fuisse ⲛⲓⲧⲉⲃⲛⲏⲣⲏ (scribere voluit ϩⲁⲛⲧⲉⲃⲛⲫⲣⲏ vel ϩⲁⲛⲧⲉⲃ ⲛⲧⲉⲫⲣⲏ) *solis digitos*; sed auctorem non citat. Ad fidem Kircheri eam appellationem ut exploratam retulerunt Delacroix in Africae descriptione[7]; Daviler in dictionario architectonico, voce *obélisque*[8]; Chambers in encyclopaedia, voce *obelisk*, et compilatores alii. Nos rem historica fide destitutam auctori suo relinquendam censemus. Quod vero idem in Oedipi tomo 1, syntagm. 4. pag. 309. pyramides et obeliscos ab Aegyptiis dictos perhibeat ⲛⲓⲥⲧⲩⲗⲗⲟⲥ ⲛⲫϯ *deorum columnas* seu *aras*, referre piget, cum ⲥⲧⲩⲗⲗⲟⲥ nihil sit praeter Graecum vocabulum duplicato ⲗ corruptum, quo certe usi non sunt veteres Aegyptii.

§. IV.

Obelos dixerunt Graeci vel usitatius Obeliscos, ob similitudinem ut vulgo fertur, quae est veruculum inter et ingens saxum sensim gracilescens. Fuere tamen qui ex Plinii loco, lib. 36, cap. 8: „ Trabes ex syenite lapide fecere re-

---

[6] ⲛⲛⲉⲕⲟⲩⲱϣⲧ ⲛⲛⲟⲩⲛⲟⲩϯ ⲟⲩⲇⲉ ⲛⲛⲉⲕϣⲉⲙϣⲓ ⲙ̄ⲙⲱⲟⲩ : ⲟⲩⲇⲉ ⲛⲛⲉⲕⲓⲣⲓ ⲕⲁⲧⲁ ⲛⲟⲩϩⲃⲏⲟⲩⲓ : ⲁⲗⲗⲁ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲱϫⲡ ⲉⲕⲉⲟⲩⲟϫⲡⲟⲩ ⲟⲩⲟϩ ϧⲉⲛ ⲟⲩϣⲟⲣϣⲉⲣ ⲉⲕⲉⲟⲩϣⲟⲣϣⲉⲣⲟⲩ ⲛⲛⲟⲩⲥⲧⲩⲗⲏ ⲛⲉⲙ ⲛⲟⲩϫⲏⲣⲓ ⲛⲥϧⲁⲓ. Septuaginta interpretes: *ου προσκυνησεις τοις θεοις αυτων, ουδε μη λατρευσῃς αυτοις. ου ποιησεις κατα τα εργα αυτων· αλλα καθαιρεσει καθελεις, και συντριβων συντριψεις τας στηλας αυτων*. Vulgata versio: *Non adorabis deos eorum, sed destrues eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum.*

[7] *Relation universelle de l'Afrique ancienne et moderne par le Sr. de la Croix. à Lyon* 1688. *tom.*1. *pag.*173.

[8] Apud Goguetium *de l'origine des loix*, part. 2, lib. 3, cap. 2, art. 2.

„ ges quodam certamine , Obeliscos vocantes , Solis numini sacratos . Radio- „ rum ejus argumentum in effigie est , et ita significatur nomine Aegyptio „ : arguerunt , obeliscum vocabulum esse Aegyptium , significans radium solarem . In his Bergierius in commentario de publicis et militaribus imperii Romani viis , lib. 2 , sect. 36 : et Harduinus in interpretatione Pliniano textui subjecta . Eos et ipsum Plinium exemplis petitis e Graecis scriptoribus, ubi *οβελισκος* verticulum sonat, confutare aggressus est nuperus ejusdem interpres Parisiensis , tomo 11 , pag.504. Henninius autem in annotationibus ad librum Bergierii modo citatum negat eam fuisse mentem Plinii , sed ipsum cogitasse de alio vocabulo Aegyptio [9] : quae etiam sententia est Lacrozii et Jablonskii . At sane nisi corrupta statuas verba Plinii , non video quomodo ab interpretatione Harduini discedi possit : nam obelisci vocabuli inventionem iisdem , quibus primam erectionem trabium , Aegyptiis attribuit ; et statim vocabulum interpretatur radium . Nec habeo quo elevem fidem Plinii . Nam inter veteres nemo scriptum reliquit , a verum similitudine vocatos fuisse obeliscos Aegyptios ; et Diodorus , ubi lapidem a Semiramide erectum , cujus ima latitudo quinta pars erat universae altitudinis , a figura obeliscum dictum fuisse scribit , ad Graecam vocis significationem neutiquam videtur respexisse . Fieri potuit ut Aegyptium vocabulum , quo appellari solebat haec stelarum species , ejusmodi efferretur sono , ut Graeco homini in mentem revocaret *οβελους* vel *οβελισκους* : fieri et potuit ut nomen istud aliquo modo involveret radiorum significatum . Hoc quale fuerit , in tanta caligine , veteri lingua magna ex parte deperdita , assequi vix ulli continget . Etyma quidem e Copticis lexicis expiscari haud magni laboris est , sed quaecunque proponi potuerint , ex aliqua saltem parte claudicabunt . ⲃⲁⲗ Aegyptiis oculos est : et ubi considero obeliscos plerumque binos poni solitos ante aedium frontes , non ita absonum videtur hoc vocabulo eos nuncupavisse Aegyptios . Ei autem si praefixeris articulum indefinitum ȣ sive ⲟⲩ , habes vocem satis affinem Graeco *οβελος* . Si vero quaeris *οβελισκου* etymon : ϩⲥⲕ Aegyptiis habitationem significat [10] , nec video quid obstet quin aedium oculos vocaverint Obeliscos, ϩⲛⲃⲁⲗⲛϩⲥⲕ , vel singulariter ȣⲃⲁⲗⲛϩⲥⲕ . Sed haec pro levi sint conjectura . Ab oculo ad radium , ad solem , non difficilis quidem est transitus : interpretes autem Graeco-Aegyptii , quos Plinius videtur secutus , splendida quaecunque et sublimia elicere e vocabulorum etymis , atque ad solem cuncta referre summo studio adnitebantur . Fortassis etiam ex hoc etymo fluxit fabella de obeliscis ob visum redditum Soli sacratis , quam fuse narrant Herodotus et Diodorus ; quin et Isidorus Hispalensis ab oculorum infirmitate primam repetit obeliscorum originem [11] .

§. V.

Non lubet immorari derivationi a Bryanto propositae , qui obeli vocabulum repetit ab Ob אוב , *pytho* , et El *ἥλιος* , *sol* ; et sacrum serpentem Aegyptiis dictum asserit Ob-El , *pytho-sol* , eique dicatos obeliscos [12] . Sed diligentius exami-

---

[9] In Graeviani thesauri tomo 10 , pag. 191.

[10] Unde Graecis *σκηνη* , *tentorium* ; uti a ⲃⲁⲗ *βλεπειν* , *videre* .

[11] Herod. 2, 111. Diod. 1, 59. S. Isidor. origin. 18, 31. Vide supra sect. 1. pag. 2. 5. 30.

[12] *Bryant's analysis of ancient mythology* , vol. 1. pag. 103. *The serpent was the same as Osiris or the sun and hence was often called Ob-El sive Pytho-Sol : and there were pillars sacred to him with curious hieroglyphical in-*

nanda occurrit Lacrozii opinio, quam in prolegomenis ad Pantheon Aegyptiorum exposuit Jablonskius, pag. 82, et doctis viris placuisse reperio [13]. Conjiciunt nimirum Lacrozius et eum secutus Jablonskius, Aegyptium obelisci nomen ad quod alluserit Plinius, fuisse πυραμις sive ⲡⲓ-ⲣⲏ-ⲙⲟⲩⲓ, απαυγασμα ἡλιου, *radius solis*: Graecos autem pro pyramidis vocabulo substituisse obelisci appellationem [14]. At praeter quod ex analogia Piremoue Graecis non foret πυραμις sed πιρημουης, vel πυραμουης, viri isti eruditissimi obliti videntur hoc loco, quod veteres auctores pyramides Aegyptias nunquam non ab obeliscis segregent, velut duas rerum species, quibus, sive constructionem spectes sive usum et significatum, nihil esset commune: excepto quidem uno alterove ex sequiori aevo infimae notae scriptore, qui ut reliqua omnia ita pyramides quoque et obeliscos confuderunt [15]. Nullo igitur pacto credibile est, Plinium de obeliscis disserentem ad pyramidis nomen respexisse, neç memini apud antiquum scriptorem me legisse pyramides soli consecratas vel ad radios ejus imitandos concinnatas. Si veteribus fides est, pyramides sepulcra fuere, si sequioris aevi scriptoribus, horrea: etymon de more e Graeco idiomate repetiverunt Graeci, πυραμις απο του πυρος, alii απο του πυρου, ab igni vel a tritico [16]; aequo ut mihi quidem videtur jure. Ea autem opinio, quod frumento condendo et servando inservierint pyramides, ipsis inspectis vel ultro corruit; recentiorum quoque de iis sententiae, in unum congestae a cl. Beckio in compendio historiae universalis [17], vix aliquo nituntur firmo argumento; nec est cur fidem abroges veteribus, qui unanimi consensu sepulcra eas renuntiaverunt. At sepulcra sua, teste Diodoro Siculo, aeternas domus appellavere Aegyptii [18]: et hoc ipsum pyramidum vocabulo significari reor. Radix ϩⲣⲙ, *aram* vel *herem* ex Agyptia lingua hodie quidem videtur intercidisse; at Hebraeis ארמון, *armon* vel *harmon*, arcem denotat, et Arabes tum principum virorum aedes tum Aegypti

---

scriptions, vvhich had the same name. They vvere very lofty and narrovv in comparison of their length; hence among the Greeks, vvho copied from the Egyptians, every thing gradually tapering to a point, vvas called obelos and obeliscos.

[13] Vide *Anleitung zur kenntniss der altgemeinen welt-und völkergeschichte, von Chr. Dan. Beck. Leipzig* 1787. part. 1. pag. 168.

[14] En verba Jablonskii:,, Cum Plinius nos docuerit obeliscos esse effigies radiorum solis, ,, praeterea id ipsum significari nomine Aegyptio, ex eo Lacrozius summus vir concludebat, obelisci vocabulum antiquissimum ,, apud Aegyptios fuisse Pyramis. Etenim ,, ⲡⲓ-ⲣⲏ Aegyptiis dici solem tritum vulgatumque est. Deinde ⲙⲟⲩⲓ, splendorem ,, et radium designat, απαυγασμα. Erit itaque ⲡⲓ-ⲣⲏ-ⲙⲟⲩⲓ, Pi-ra-mue radius solis, quod nos docere Plinium vidimus. Graeci id efferre consueverunt πυραμις, cum proprie et verius scribendum fuisset πιραμυς. ,, Aegyptii igitur obeliscis primo pyramidum ,, nomen indiderunt, quod in effigie quadam ,, radios solis imitarentur: deinde illud idem ,, ad structuras molis amplioris, quas proprie ,, pyramidas vocant, etiam transtulerunt, quod ,, et hae aliquam radiorum solis speciem servarent, quamvis earum alius esset usus ,,.

[15] Vide supra sect. 1, cap. 1. pag. 31.

[16] Ammian. Marcellin. rerum gestarum lib. 22. cap. 15. pag. 262. Stephanus de urbibus voce πυραμις: Eudocia Macrembolissa violarii pag. 286.

[17] Loco citato nota 13.

[18] Diodorus bibliothecae libro 1, cap. 51.: οἱ γαρ αιγυπτιοι τας μεν των ζωντων οικησεις καταλυσεις ονομαζουσιν, ὡς ολιγον χρονον εν ταυταις οικουντων ἡμων· τους δε των τετελευτηκοτων ταφους αϊδιους οικους προσαγορευουσιν, ὡς εν ᾁδου διατελουντων τον απειρον αιωνα. Vertit Rhodomannus: *Aegyptii domilia viventium diversoria nominant, quod exiguum ad tempus haec incolamus. Defunctorum vero sepulcra domos aeternas appellitant, quod infinitum apud inferos aevum peragant.*

pyramides designant vocabulo *haram* vel *heram* [19]. Huic ubi praefixeris articulum definitum ⲡ fit ⲡϩⲣⲙ, *pierum*, *pyram*, et cum terminatione *ις*, qua Aegyptias voces sexcentas auxerunt Graeci scriptores, *πυραμις*, *οικος αληθης και αΐδιος*, vera et sempiterna domus. Ab eadem origine deductum nomen Hermonthis, oppidi Aegyptii, significare potest domum vel arcem sacerdotum, ϩⲣⲙ-ⲡϩⲛⲧ vel ⲉⲣⲙⲟⲛⲧ. Sed nec tacenda est alia derivatio vocabuli pyramidis, erudita atque ingeniosa, quam indigitavit mihi vir cl. Ignatius Rossius, videlicet a radice Hebraica רום, *Rum, altum esse*, ut moles illae ab immani sua altitudine pyramides dictae forent Aegyptiis. Etiam voce Birabi, Arabibus usurpata ubi loquuntur de Aegyptiae vetustatis reliquiis, pyramides denotari crediderunt nonnulli, alii obeliscos. At recte templum reddiderunt Michaelis in versione Abulfedae de geographia Aegypti pag. 17, et Pocockius in Orientis descriptione vol. 1, pag. 83; licet vocabuli originem non afferant, quam in Arabum lingua frustra quaeri litteris ad me datis docuit cl. Simeon Assemani. Esse autem Birabi quod Coptis scribitur ⲡⲣⲡⲉ, vel ⲡⲓⲉⲣⲫⲉⲓ, *ὁ ναος*, facile mecum sentient qui callent linguam Aegyptiam [20].

CAPUT SECUNDUM

De figura obeliscorum.

§. I.

Quae ad figuram attinent et dimensiones obeliscorum, singula jam enarrata habes in prioribus libri nostri sectionibus, at sparsa et disjuncta, uti de singulis notata reperi apud auctores, vel ipse inveni in iis obeliscis quos mihi videre contigit. Hic consilium est cuncta in unum redigere, et figurae varietates, quae hactenus innotuere, lectoribus una serie ante oculos ponere, ut ex earum comparatione ipsi judicent, quid putandum sit de symmetriae legibus, deque rationibus, sive mysticis sive gnomonicis, quas in obeliscis quaerendas credidere viri eruditi.

Figuram plerumque esse quadrilateram, in longitudinem porrectam et coarctatam, et pyramidali apice praeditam, jam in obelisco definiendo monui capite praecedenti. Latera ut plurimum plana sunt, nec magna esse solet amplitudinis differentia inter singulas ejusdem molis facies; quae autem sibi sunt oppositae fere aequales inveniutur. At non semper perfecte complanata esse latera, sed nonnunquam aliqua convexitate trabem efficere subrotundam, notavi de obelisco Mahutaeo et de eo fragmento quod Catanae est in museo Paternonio: etiam Lateranensis obeliscus unum latus habet subconvexum [1]. Is autem, cujus pars erecta est Catanae ante ecclesiam cathedralem, figura gaudet prorsus singulari,

---

[19] Vide Golii lexicon Arabicum pag. 2538. ex Gieuharis, grammatico Arabe. Giggeius quidem lexici Arabici tomo 4, pag. 984, eumque secutus Michaelis in Abulfedae descriptione Aegypti pag. 13, a grandaevitatis vocabulo pyramidibus nomen Haram impositum putant; sed tunc, cur quaeso principum virorum domus hoc nomine appellatae?

[20] Confer quae scripsi sectione 2, cap. 3, §. 8., nota 1. pag. 111. Videtur autem ⲉⲣⲫⲉⲓ vox composita ab ⲣ *facere* et ⲫϩ *coelum*, ac si dixeris coelestium rerum imitamentum.

[1] Vide Sect. 2, pag. 79. 86. 67.

octo faciebus latioribus, octo vero angustioribus [2]: sed affirmare nolo Catanenses obeliscos excisos fuisse ab Aegyptiis. Fuere quidem qui et trilateros obeliscos ab Aegyptiis factos credidere: sed nullum satis certum de hac re invenio testimonium [3].

Neque fastigii figura eadem est in omnibus. Vero pyramidio, planis lateribus tendente ad verticem acutum, praeditus est Campensis obeliscus; in Barberino quoque, Sallustio, Vaticano, et Minerveo plana sunt pyramidii latera, et ita repraesentatos videmus eos quos Heliopoli, Alexandriae et Constantinopoli delineavere peregrinatores. In his Sallustius obeliscus summum verticem ita recisum habet ut desinat in planum horizontale latitudinis sesquipalmaris, in cujus medio assurgit cylindrus. Id quidem Romae factum credi potest: at Heliopolitanus obeliscus, si modo recte eum expressit Nordenius, eadem fere ratione ornamento alicui sustinendo aptatus videtur [4]. Alexandrinus quoque obeliscus, si fidem habemus Burattino, et is cujus fastigium servatur Wanstedii, in ipsa Aegypto verticis diminutionem passi sunt [5]. Alia pyramidii ratio est in maximis illis obeliscis Lateranensi et Flaminio, inque parvis Mahutaeo et Mediceo, quorum fastigia convexis lateribus plus minusve accedunt ad figuram coni obtusi: Arsinoites autem obeliscus pro fastigio aëtoma habere videtur, per cujus medium decurrit tanquam canalis [6]. Taceo fastigium flabello simile, quod in eo qui Axumae stat descripsit Brucius: sed de Aegyptiis quoque obeliscis idem auctor est, alios quidem desinere in angulum acutum, alios autem verticem habere semicircularem [7]. Sunt denique trabes nonnullae cacumine prorsus destitutae, sed laterum inclinatione obeliscis similes, et hoc nomine appellari solitae. Ex his, quae Romae stant in collibus Quirinali et Exquilino, forte truncatae sunt, quo tempore positae fuere ante Mausoleum Augusti; ut de eo obelisco narrat Plinius, quem Alexandriae Maximus quidam praefectus Aegypti ab Arsinoëo transtulit in forum [8]: at in Aegypto inter Thebarum rudera duae adhuc cernuntur ejusmodi trabes erectae ante aediculam, integrae, sed sine fastigio [9].

§. II.

Ubi vero quaeris de proportionibus in obeliscis observandis, quatuor praesertim notari solent ab auctoribus, qui hoc tractarunt argumentum: latera inter se;

---

[2] V. Sect. 2. pag. 87.

[3] Scribit Bellonius lib. 1. *de admirabili operum antiquorum praestantia*, c. 8. ,, Fuisse et trilateros ,, obeliscos auctores prodidere: mihi etiam hoc ,, ex crepidine unius admodum insignis visa ,, constitit; cujusmodi is fuit in cujus fastigio ,, statuam impositam scribunt. ,, Sed auctores non citat, et crepido illa sibi soli conspecta, nec post eum memorata alicui, nimis fallax videtur indicium. Ubi vero obeliscum *τριγωνον λιθον* dicit Julianus in epistola ad Alexandrinos, quam descriptam habes supra pag. 22.: vel *τριγωνου στηλης* in Ammonis templo meminit Pausanias (supra pag. 46.): credibile est eos ad figuram respexisse quam procul intuentibus offerunt obelisci et pyramides: nam trilatera corpora non *τριγωνα* appellare solent Graeci, sed *τριπλευρα*. Miror itaque, Winkelmannum summum virum, in epistola de architectura veterum §. 36. pag. 169, Bellonii sententia nixum pro certo accepisse, quod antiquissimis temporibus facti sint obelisci trilateri. Is autem quem in Asia vidit Pocockius neque ad Aegyptum spectat neque ad ea tempora de quibus Winkelmanno sermo est, sed, quod patet ex nomine ei inscripto, erectus est saltem post Bithyniam Romanorum armis subactam. Vide supra sect. 2. cap. 2. pag. 91.

[4] V. Sect. 2. pag. 105.

[5] Ibid. pag. 100. 88.

[6] Ibid. pag. 109. 110.

[7] Ibid. pag. 115. not. 7.

[8] V. Sect. 1. pag. 14.

[9] V. Sect. 2. pag. 113.

maxima latitudo laterum ad latitudinem summi trunci ; maxima latitudo ad trunci vel ad totius obelisci longitudinem ; et pyramidii altitudo ad latitudinem baseos obelisci .

An obelisci inventi sint laterum perfecte aequalium , nondum satis constat ; nam in hac re prodenda non magna cum diligentia versati videntur scriptores . Est tamen ea inter obeliscos differentia , ut alii appareant fere aequilateri , in aliis in oculos incurrat laterum imparitas . Ad primos pertinent obelisci Quirinalis , Exquilinus , Mehutaeus aliique : et huc quoque referri possunt Vaticanus obeliscus , in quo non ita facile deprehenditur laterum differentia , et Barberinus , qui in summo trunco aequilaterus basin versus exiguam ostendit imparitatem . Etiam in Campensi obelisco , saltem in summa trabe , angustiores facies vix tricesima sui parte vincuntur ab amplioribus . At in Heliopolitano circa imum scapum differentia est partis decimae quartae ; in Lateranensi circa basin partis est decimae tertiae , circa summam quadraturam partis quintae ; in Flaminio circa basin partis octavae , circa summam quadraturam partis sextae . In Sallustio , si recte mensus est Mercatus , imae trabis facies angustiores tres quartas partes continent facierum latiorum : in Arsinoite autem secundum Pocockium vix duas tertias partes .

Laterum diminutio ab imo ad altum in iis obeliscis , quorum proportiones proditas invenio, ea plerumque est ut summus truncus comprehendat imae latitudinis duas tertias partes , sed quin hoc certo aliquo consilio factum putem , obstat , quod ea proportio vix unquam exacte observata sit , sed summae trabis latitudo modo plus modo minus contineat . Ubi enim maximam latitudinem statueris 30 , minima latitudo in Campensis obelisci latere ampliori erit $19\frac{1}{2}$, in Lateranensis latere angustiori 19, in Flaminii latere ampliori $18\frac{1}{2}$, in ejusdem latere angustiori 18 , in Lateranensis latere ampliori 21 , in Sallustio et Minerveo fere 22. Ubi vero Theophrastus loquitur de obelisco lato in parte cubitos quatuor , in parte duos ; non satis constat , utrum ad latera respexerit an ad summum et imum truncum [10] .

Proportionem quoque quae est inter imae baseos latitudinem et truncum obelisci , valde variatam reperio . In obeliscis Quirinali et Exquilino maxima latitudo undecies repetita aequat trunci longitudinem, eademque fere ratio est in Lateranensis et Sallustii lateribus angustioribus ; in Flaminii latere angustiori decies cum semisse , in Lateranensis facie latiori decies , in Flaminii facie latiori novies cum parte tertia, in Sallustii novies; in Campensi obelisco octies cum triente, in Minerveo sexies cum semisse . Sed magis adhuc differunt proportiones , ubi maximam latitudinem compares cum tota obelisci altitudine . Est enim baseos latitudo ad totam longitudinem in Mediceo et Minerveo fere ut 1 ad 7 ; in Arelatensi ut 1 ad $7\frac{1}{2}$; in Mahutaeo ut 1 ad 9 ; in Campensi ut 1 ad $9\frac{1}{7}$; in Sallustio ut 1 ad 10 , et 1 ad 12 ; in Flaminio ut 1 ad $10\frac{1}{4}$, et 1 ad $11\frac{1}{2}$; in Lateranensi ut 1 ad $11\frac{1}{5}$, et 1 ad 12 ; inque iis quos a Pherone erectos scribit Herodotus ut 1 ad $12\frac{1}{2}$.

Denique quanta variandi licentia in formando pyramidio versati sint Aegyptii , inde elucet , quod in Campensi obelisco altitudo ejus sit ad imae baseos latitudinem ut 1 ad $1\frac{5}{8}$; in Minerveo ut 1 ad $1\frac{1}{7}$; in Flaminii latere ampliori ut 1 ad $1\frac{1}{12}$, latere angustiori ut $1\frac{1}{19}$ ad 1 ; in Lateranensis facie latiori ut $1\frac{1}{18}$ ad 1 , facie angu-

---

[10] Theophrastus de lapidibus pag. 394. *μηκος μεν τετταρακοντα πηχων , ευρος δε τη μεν τετταρας τη δε δυο* . Vide sect. 1. pag. 4 et 8.

stiori ut $1\frac{1}{7}$ ad 1 : ad integri vero saxi longitudinem in Campensi, ut 1 ad 14, in Flaminio ut 1 ad 11, in Lateranensi ut 1 ad $10\frac{6}{11}$, in Minerveo ut 1 ad $8\frac{1}{3}$.

§. III.

Ex his jam ipse colligis nihil certi statui posse circa figuram et symmetriam obeliscorum, nullas certas et definitas leges, nostris saltem hominibus cognitas, vel ex ipsis monumentis quae aevum tulere constituendas, in eorum fabricatione observasse veteres Aegyptios: sed proceras trabes, ut plurimum fastigiatas, excidisse contentos, in figura concinnanda hoc tantum sibi proposuisse, ut commoda longitudinem inter et latitudinem proportione, loci quoque ratione habita, ubi essent erigendae, probarent se spectatoribus, majori autem baseos quam summi trunci latitudine firmiores fierent et magis stabiles, et congrua pyramidii altitudine neque nimis obtusae comparerent neque nimis acutae. Et facile mecum senties, incassum adlaborasse eos, qui vel obeliscorum symmetriam ad certam legem revocare, vel mysticas rationes ex obelisci figura eruere, vel denique e pyramidii indole laterumque in obelisco inclinatione gnomonicas et geographicas observationes colligere studuere.

Sed hoc loco ne libro nostro aliquid deesse putes, nec invidi nimisque parci videamur in recentiorum quoque auctorum sententiis exponendis, de symmetria obeliscorum et de mysteriis in figura eorum comprehensis, afferemus Kircherum et Mercatum, quibus in hac re maxima auctoritas, de Stuarto autem et qui eum secuti gnomonicas rationes tuiti sunt, dicetur infra capite quinto. De symmetria ita disserit Kircherus in obelisco Pamphilio lib. 1, cap. 6. pag. 52. „ Proportionem, „ quantum summa diligentia adhibita observare licuit, in omnibus fere obeliscis „ hanc adhibuerunt. Altitudinem obelisci, quae ab infima base ad truncatae mo- „ lis basin desumitur, in decupla proportione constituerunt ad latus quadratae ba- „ sis inferioris; ita ut si obeliscus fieret, cujus basis latus unius palmi fuerit, „ altitudo inter basin inferiorem et truncatam superiorem sit decem palmorum fu- „ tura: quae quidem proportio non tantum commoda est et facilis, sed et inge- „ niosa et magna secum mysteria volvens. Porro latus superioris quadrati, ubi „ truncatio incipit, ad latus quadrati inferioris proportione constituebant subses- „ quialtera: id est ex latere inferiori in tres partes aequales diviso, pro latere „ basis superioris accipiebant $\frac{2}{3}$. Pyramidion vero terminans obeliscum altitudine „ sua aequabat latitudinem inferiorem, sive latus basis infimae obelisci. In obeli- „ scis vero inaequalium laterum, palmus ille qui ut plurimum strictiori lateri de- „ cedebat, adjungebatur altitudini; quamquam non in omnibus hanc adeo mathe- „ matice sumpserint proportionem, ut non plus minusve subinde a vera proportio- „ ne deflexerint. „ Prolixior in hoc argumento Mercatus capite 10. pag. 78 sqq. duabus rebus, quod ad proportionem attinet, inter se differre ait obeliscos: nempe quod in aliis latera sint aequalia, in aliis inaequalia; et quod in nonnullis trunci longitudo decies complectatur amplitudinem baseos, in aliis undecies, inque aliis pro laterum diversitate decies et undecies. Pergit dein hoc fere modo: „ Ubi inaequalia sunt obeliscorum latera, duae facies oppositae palmo fere angu- „ stiores sunt quam sint reliquae duae: quae differentia inventa videtur ad aequi- „ lateros obeliscos ipsi soli dedicatos ab iis distinguendos, qui heroibus fuere con- „ secrati. Attamen fieri potest ut aliae quoque adsint rationes, sive in loci con-

„ ditione, ubi subrigendus esset obeliscus, quaerendae; sive in machinarum com- „ pendio, ut diminuto una cum craffitie pondere lapis fieret tractabilior, et ni- „ hilominus ejusdem videretur magnitudinis ac si fuisset aequilaterus; sive adeo „ in saxi natura, quod montium venae et fissurae aequalibus trabibus excidendis „ impedimento essent. Sed antiquissimi in Aegypto sapientes, qui facere institue- „ runt obeliscos cuncta ea quae supra diximus complectentes mysteria, eosque „ vaticiniis inscriptos Soli dedicare, quadrata trunci latera constituerunt aequa- „ lia, et longitudinem ejus latitudine baseos decies repetita definiendam censue- „ runt. Hac ratione multos videmus parvos obeliscos pro singulis palmis latitudi- „ nis in trunco continere palmos denos. Postea in honorem regum in divos rela- „ torum nova addita videtur obeliscorum species, lateribus inaequalibus, eaque „ altitudinis lege ut in faciebus amplioribus trunci longitudo decies aequaret latitu- „ dinem baseos, in angustioribus undecies. Tertium denique modum adinvene- „ re reges, qui ex voto Soli dedicavere obeliscos nulla inscriptione insignes, quos „ elegantiae caussa aequilateros fecere, sed undecupla trunci ad basin proportio- „ ne. Sunt itaque ubi proportionem spectes tres obeliscorum species: in cunctis „ autem ea fere est pyramidii ratio, ut altitudo ejus par sit latitudini infimi trun- „ ci, et basis pyramidii paullo minus contineat quam infimi trunci duas tertias „ partes: nam trientem latitudinis, assurgendo abjicere solet truncus „. Haec satis quidem speciosa sunt et subtili ingenio excogitata, sed quantum distent a vero, patet ex iis quae tradidimus paragrapho praecedente. Licet enim variantes illae proportiones, quas ibi asseruimus, magna ex parte nitantur mensionibus fortassis non summa accuratione peractis, tamen cum eae omnes fere desumptae sint e libris Mercati et Kircheri, ad horum placita infirmanda satis videntur opportunae. At rem conficiunt mensurae obelisci Campensis, nunc auspiciis PII SEXTI constituti ante curiam Innocentianam, quas a Stuarto cum singulari industria investigatas, in commentario de obelisco Caesaris Augusti exhibuit vir clar. Bandinius. Nam in eo omnia aliter se habent, quam poscit laudatorum duumvirum sententia. Vide supra sectionem 2, cap. 1, §.4. pag. 73.

§. IV.

Dicendum etiam est de mysteriis, quae in obeliscorum figura acutius quam verius invenire sibi visi sunt scriptores. Viam straverunt interpretes Graeco-Aegyptii, quos secuti Plinius et Ammianus solares radios obeliscis expressos perhibuere[1]: quamquam credibile non sit, Aegyptios si solis radios imitandos sibi sumsissent, pro effigie uti voluisse trabe ad pyramidion truncata, dum humana mens quemcunque radium non sub alia quam acuti coni figura concipere soleat. Quae ergo statui potest similitudo radium inter atque obeliscum, non ejus naturae videtur, ut certo consilio expressam existimemus ab obeliscorum conditoribus, sed diu post erectos obeliscos inventam a sophistis, qui Aegyptiam philosophiam in sublimius augere satagentes in omnibus priscae gentis tum effatis tum operibus benefici astri naturam adumbratam docuere[2]. Sed hoc quidem ferendum, neque spernen-

---

[1] Vide supra pag. 10. et 25.

[2] Ad hunc modum Polydorus Virgilius Urbinas, qui anno 1499. commentarium edidit de rerum inventoribus, lib.3, cap. 11. ait: „ Sunt „ obelisci trabes lapideae Solis numini sacratae, „ propter quod ad radiorum similitudinem fie.

da traditio, qua docemur obeliscos aliquo saltem temporis intervallo in ipsa Aegypto pro solarium radiorum effigiebus fuisse acceptos, eo modo quo sequiores Romani Circum suum ejusque partes, ludis edendis atque spectandis unice accommodatas, ad solem et elementa retulerunt. Ubi vero audiveris recentiores interpretes, nulla est in obelisco tam exigua peristasis, quin recondita turgeat sapientia, naturam, solem, animam, aeternam vitam, nescio quid ultra denotet, et secum volvat magna mysteria, quae effari veriti videntur ipsi hierophantae. Piget immorari nugis Joannis Goropii Becani, qui sacram Aegyptiorum dialectum eam esse autumat qua hodie utuntur Belgae, notasque eorum et simulacra interpretatur ex etymologiis e Belgico idiomate violenter extusis. Librum ejus editum anno 1580, cui titulus est Hieroglyphica, rectius vocaveris petulantis ingenii lusum quam seriam et cordatam disputationem. In eo post multas ambages, quas lubens praetergredior, obeliscum statuit perfectae vitae symbolum, dum a multis terrestris vitae negotiis mens ad unum se colligit, et in deum ut summum apicem omnes suas dirigit actiones; pila vero rotunda quam obeliscis imposuere veteres, deum caput omnium, sive aeternam lucem significari ait, quae vitae terminus et scopus est [3]. Merito hujusmodi hariolationes derisit Petrus Angelius Bargaeus, qui commentarium de obelisco obtulit Sixto V. P. M. anno 1586. [4]: sed hoc non obstitit quin Mercatus ei coaevus in obelisco definiendo initium faceret a figurae mysterio [5]. At Goropio prudentior, veterumque premens vestigia, ea mysteria solem praesertim respicere censet. Pyramis ei ignis symbolum est, obeliscus solis, labra sive lacus lunae, et sphinx coelestium signorum leonis atque virginis. Quemcunque radium generaliter cono repraesentari scribit, libro de obeliscis Romanis cap. 7, pag. 59 sqq., sed eum qui a sole proficiscitur, quo ab aliis distinguatur, meta exprimi quadrilatera tum propter anni tempestates quatuor solis dominio subjectas [6], et solarem annum ab Aegyptiis eodem vocabulo insignitum quo quartam cujuscunque rei partem exprimebant, tum ob quartam sphaeram quae Solis orbita est, et quatuor mundi cardines et quatuor elementa. Quadrato autem trunco obelisci significari solis radium, quatenus ab ipso astro procedit usque ad elementa; pyramidali vertice, quatenus per elementa porrigitur usque ad globum terrestrem. Nam primo illo spatio deficiente materia solares radios nullam subire posse mutationem, neque efficere ullam: post ubi attigere materiem, ad generandi conservandique munus conversos elementorum commixtionem promovere, et elementa transmutare in materiem, quae certis et praedestinatis formis recipiendis et servandis sit accommodata. Colligi praeterea ex scapi proportione ad pyramidion, quantum spatii statuerint Aegyptii philosophi a sole usque ad elementa, quantum ab elementorum limine usque ad terram. Ideo autem extremae obelisci parti tributam fuisse figu-

---

„ bant. Apud Aegyptios nomen habent a radio, et plane talis est radii forma dum per fenestram intrat. „

3 Opera Joa. Goropii Becani hactenus in lucem non edita: nempe Hermathena, Hieroglyphica, Vertumnus, Gallica, Francica, Hispanica. Antverpiae 1580. pag. 100. 101. 153. sqq.

4 Petri Angelii Bargaei commentarius de obelisco ad S. et B. D. N. Xystum V. P. M. in Graevii thesauro antt. Rom. tomo. 4., pag. 1906. 1908.

5 *Degli obelischi di Roma di Monsig. Mercati Roma* 1589. cap. 1. pag. 1. conf. supra pag. 128. not. 1.

6 Etiam quod non perfecte aequalia sunt quatuor anni tempora, id laterum in obeliscis nonnullis inaequalitate adumbratum existimavit Latinius, sed conjectura Mercato non comprobata, Vide *Mercati considerazioni sopra gli avvertimenti del Sig. Latino Latini* pag. 39.

ram pyramidalem, quod solis radius inter elementa primo loco consequatur ignem; cujus symbolum ob flammae similitudinem pyramis: et eam ob causam exilius formatum esse obelisci pyramidion, quam illae pyramides quas a solo exstruxerunt Aegyptii, quod his ipsum ignem, illo vero radii actionem in ignem exprimere voluerint [7].

Haec ingeniosa sane sibique congrua tradit Mercatus, licet nulla veterum auctoritate suffulta, et ubi consulueris quae de obeliscorum incerta figura et in singulis fere variante symmetria supra exposuimus, utroque pede claudicantia. At Kircherus, dum omnia in unum commiscet, obeliscos modo distinguit a pyramidibus, modo cum illis confundit, Arabum et Cabbalistarum somnia copulans cum Platonicorum placitis, et vetustis auctoribus obtrudens quae nunquam ab iis fuere cogitata; in obelisco et solis naturam vidit, et animae, et primordialis materiei, magna praeterea deprehendit numerorum mysteria, et disciplinarum quarumvis argumenta. Verba ejus descripta sisto in calce paginae [8], qui vero sensus

---

[7] His novam observationem addidit Shawius peregrinator, cujus verba transcripta dedimus sect. 2, cap. 3. pag. 97. nota 8. asserens infimam obeliscorum basin convexam esse sive hemisphaericam, et hoc modo obeliscos similiores fieri sagittis sive venabulis, quae solarium radiorum symbola sunt, quam si quadrata et plana basi essent instructi.

[8] In obelisco Pamphilio edito 1650. lib. 2, cap. 10, pag. 161 scribit: Cur Aegyptiorum ,, sapientes obeliscis seu pyramidibus acutangulis truncatis usi sint, triplex potissimum ratio adferri solet; quarum prior et principalis est illa, quod haec acuminato fastigio in modum obeli sensim assurgentis exactius concinniusque solis radios imitetur. Altera ab opticis desumpta ratio est, quod obtusa pyramis ad hieroglyphicorum scripturam distincte repraesentandam, eminus intuentibus esset idonea. Tertia denique erat, quod hanc omnium solidarum figurarum sicuti primam sic mysteriossimam comperirent. ,, —— Et in Oedipi tomo 2, class, 7. capite 3, cui titulus est *de pyramidis mysteriis hieroglyphicis*, pag. 109 sqq. ,, Aegyptii potissimum ad mysteria sua indicanda quadrilateram pyramidem assumpsisse videntur: quam duplicem statuunt, integram et decurtatam; illam uti animabus corporibus alligatis, ita hanc toti universo applicabant, vocabantque obeliscum seu digitum solis, neque recto laterum tramite in punctum abibat, sed paullo ante apicem in pyramidem desinebat; qua quidem mystica fabrica quid voluerint, hoc loco ex professo indicare visum est. Cum teste Clemente lib. 6. stromat. nihil apud Aegyprios actum sit mysteriis non refertum, certo nequaquam temere aut sine ratione aut ornatus tantum gratia, ut multi perperam sentiunt, in hieroglyphica sua sapientia posteris repraesentanda obeliscis usos esse putabimus; sed summo studio et insigni quadam mentis investigatione eam sibi comparare voluisse figuram, quae ipsamet mysteriis referta mystico symbolorum contextui undequaque responderet, qualem pyramidem quadrilateram esse, in sequentibus copiose monstrabitur; nam quicquid hierophantae particularium rerum sub symbolis expressarum descriptione connotabant, hoc totum in exteriori obelisci aut pyramidis facie, veluti in synopsi quadam, aut in saxeae cujusdam epigraphes rudimento, *ανακεφαλαιωτικως* universim repraesentabant: adeo ut in naturae penetralibus nihil adeo obscurum sit quod hic non praefiguratum videatur. Atque hae sunt illae maximae columnae de quibus Jamblichus, in quibus veluti sub Sileno quodam astrologiae, geometriae, musicae, arithmeticae, theologiae ac philosophiae reconditioris maxima quaevis mysteria recondita latent: et e quibus Pythagoram, Platonem, aliosque inter Graecos philosophos doctrinam et veram philosophandi rationem didicisse in obelisco Pamphilio ex Jamblicho ostendimus. ,, His subnectit uberiorem demonstrationem, cujus praecipua momenta haec sunt: ,, Dicimus primo per pyramidem seu obeliscum Aegyptios rerum naturam et informem illam materiem, quae innatum quendam ad formas recipiendas appetitum habet repraesentare voluisse. Sic enim Abenephius: *Per ipsam figuram pyramidum signabant materiam primordialem*. Sicut enim pyramis a summo fastigio velut a puncto incipiens per lineas in superficies et corpus abiens paulatim in omnes partes dilatatur, sic rerum omnium natura ab unico principio et fonte, qui dividi nequit, nempe a Deo summo opi-

sit et nexus, alii erunt fortassis qui melius quam ego intelligant: nam nec hodie desunt viri eruditi, quibus arrideant ejusmodi interpretationes. Mea quidem sententia ea est, nihil mysterii esse vel in obeliscis vel in pyramidibus, sive materiem spectes sive figuram, nullamque coelestium rerum imitationem; sed ea factos esse figura, et ex ea materie, quae prae reliquis aptae, pulchrae, durabilesque visae sunt eorundem auctoribus. Hoc quidem spectavere quaecunque gentes aedificiis construendis vel monumentis erigendis operam dedere, aliam vero legem ab hac

„ fice profecta, varias deinceps formas suscipit, ac in varia genera et species diffunditur. — Elementa quatuor per pyramidis quadratam basin repraesentantur. — Aliam pyramidis rationem dat Agazael Arabs libro 1. de astrologia judiciaria, nimirum astronomicam. Zodiacum enim circum in duodecim partes, quas mansiones vocant, partiuntur Aegyptii, iisque singulos angelos seu daemones, quos minores deos appellant praeficiunt, ajuntque cum illis dividi etiam inferiora omnia adeo ut quicquid sub uno ex illis ad centrum usque terrae continetur, id omne ei dodecamorio, eique praesidi angelo subjectum dicatur, et hoc signum seu dodecamorium volunt esse veluti pyramidem quandam, cujus basis in zodiaco, apex in centro terrae. De quibus vide Jamblichum *de mysteriis Aegyptiorum* (Sect. 8. cap. 3.) Cum itaque in hisce pyramidibus omnia fiant, accessusque solis ortum rerum, recessusque ab illis earundem interitum causet, certe minime incongrue rerum omnium naturam per pyramidem repraesentarunt. — Scribit et Artephi Arabs: *Fuit Heliopoli templum Solis et in eo duodecim columnae significantes duodecim signa zodiaci et elementorum arcana*. — Sed et animam hominis veluti igneae naturae sub pyramidis forma adumbrare, utpote quae corpori non secus ac basi vel ignis fomento adhaereat, voluisse videntur, cum magnifica regum atque heroum sepulcra sub ingentibus pyramidibus construxerunt. — Nunc porro qua ratione praedicta naturae mysteria per mysticos numeros in obeliscorum figura contentos expresserint videamus. Cum enim Jamblichus Pythagoram et Platonem omnem suam philosophiam reconditiorem, cujus majorem partem geometricis figuris et numerorum porportionumque velamentis tectam suis discipulis tradidit, e Mercurii columnis seu pyramidibus didicisse luculenter dicat; (confer locum Jamblichi supra sect. 1. cap. 2., pag. 48.) Mosen quoque huic, cum in aula Pharaonis educaretur, incubuisse, quin et arithmetica et musica et tota reliquaAegyptiorum sapientia imbutum Philo testetur; manifeste est, eos summo studio in mysticas illas numerorum ac musicae proportiones in naturae majestate elucescentes rite percipiendas incubuisse, maximaque mysteria sub iis latentia adumbrasse. „ Pergit deinde copiose exponens, unitatem, qua intelligitur summus rerum artifex, significari per apicem obelisci; dyadem sive pugnantes in natura qualitates per duarum cujusque lateris linearum fluxum; triadem, qui numerus est aequae distributionis, reditus ad unitatem et hermoniae mundanae, per verticem et binas baseos extremitates sibi oppositas. „ Tetradem denique, ait, in obeliscis exhibebant per quatuor latera, sed diverso modo: primo in pyramidio quaternarium triangularem, deinde in reliquo trunco quaternarium quadrilaterum. Per illum occulte innuebant mundum angelicum, in quantum ex centro divinitatis, quae per apicem obelisci apposite indicatur, in naturam genialem, divinae naturae immediatum signaculum trigono divinitatis charactere insignitum diffunditur; per quatuor latera mundi quadripartiti praesidium in duodecim mundi arces distributum, quod apte singuli tres numeri quatuor triangularium superficierum denotant. Iterum 3 ad 4 juncta uti 7 constituunt, ita totius naturalis perfectionis genialis mundi sacramentum indicant. Quatuor vero latera triangularia ad 4 latera quadrangula juncta 8 constituunt, influxus angelicae naturae in mundum corporeum aptissimum symbolum, quibus si basis accedat pyramidis, enneadem mysticam, angelici et corporei mundi symbolum, quem et novem anguli solidi, qui in obelisco quolibet considerantur notabant. His denique si accederet apex pyramidis, jam decem constituebantur, totius naturae et trium mundorum, archetypi, angelici, ac corporei mundi complementum innuebant; quem numerum tetras illa sive quaternarius numerus implicite continebat. Si enim 1. 2. 3. 4. ordine posita sibi invicem junxeris, prodibit decas illa mystica, sive tetractys, tanto a Pythagoricis silentio celebrata, tantis mysteriis involuta. „ Quae porro mysteria fuse enucleat auctor.

diversam observasse Aegyptios, vanasque sectatos esse et remotas similitudines, desunt testes idonei.

CAPUT TERTIUM

De materie e qua facti obelisci.

§. I.

Ex variis lapidibus excisos fuisse obeliscos ab Aegyptiis, ex auctoribus colligitur jam supra adductis. Smaragdinum obeliscum memorat Theophrastus, quicunque fuerit veterum ille smaragdus [1]. Unum ex albo marmore Philis se vidisse scribit Nordenius, alterum Alexandriae e marmore variegato, et prope Carnac duos e granite lapide particulis ita minutis ut porphyritae videretur similis [2]. Idem auctor in Thebarum ruinis ingentium obeliscorum fragmenta exstare perhibet ex albo lapide, puto e calcareo illo lapide albente, quo exstructae sunt pyramides et reliquorum in Aegypto aedificiorum magna pars [3]. Pocockius quoque in Rosettani castri moeniis deprehendit fragmina obelisci e marmore flavo; et parvum obeliscum in arce Cairina atri marmoris, qui forte idem est cum illo cujus meminit Niebuhrius, licet in loco designando aliquantum a Pocockio dissentiens [4]. Grangerius inter rudera templi Abydeni conspici refert obeliscum e granite fusco [5]; ejusdemque lapidis est exiguus ille obeliscus qui Florentiae visitur [6]. Denique in lithostroto Praenestino albo colore sunt obelisci, velut facti e marmore candido [7].

Verum enimvero omnes obelisci in Europae civitatibus obvii, ubi excipias unum Florentinum, et maxima quoque pars eorum qui in Aegypto exstant atque in Abessinia facti sunt e syenite lapide, quem et pyrrhopoecilum [8] vocat Plinius, Itali autem *granito rosso*, lithologi graniten rubrum.

Id saxum est durissimum, cujus maximam partem constituit id silicis genus quod feldspathum nunc appellant, coloris plus minusve rubentis, quo fit ut ruber aliquis color sparsus sit per universam lapidis superficiem. Sed admixtae quoque sunt per totam massam et quasi cum feldspatho conglutinatae particulae, aliae candidae ejus silicis quem quarzum vocant, aliae nigrae partim scorlaceae partim micaceae, quae non raro ita offenduntur accumulatae in singulis locis, ut inde nascantur grandes maculae fuscae [9].

---

[1] Vide supra sect. 1. pag. 4. et 8.

[2] Vide sect. 2. cap. 3. §. 12. pag. 120. §. 3. pag. 101. §. 9. p. 113.

[3] Ibid. §. 9. p. 113.

[4] Ibid. §. 4. p. 102. §. 6. p. 108.

[5] Ibid. §. 8. p. 111.

[6] Ibid. cap. 2. §. 4. p. 85.

[7] Vide sect. 1. pag. 56.

[8] Velut dixeris *e rubro varium*, quod nomen probe convenit cum saxi facie, qualem videmus in Romanis obeliscis, et qualem hic descriptam sistimus. Itaque perperam Harduinus apud Plinium lib. 36. cap. 8. scribendum censuit *pyropoecilon* vel πυροποικιλον, quod ipse interpretatur *punctis ignei coloris distinctum*. Vide supra Sect. 1. pag. 10. not. 2.

[9] Forskal Flora Aegyptiaco-Arabica editore Niebuhrio Hafniae 1775. pag. 46. Wallerii systema mineralogicum, spec. 201. *P. Gianvincenzo Petrini gabinetto mineralogico del Collegio Nazareno di Roma*. tom. 2. pag. 238. Sed uberiorem et accuratiorem hujus saxi descriptionem mecum communicavit idem clar. P. Petrinius, scheda data die 13. januarii 1793., hoc modo: *Il granito di Siene o granito rosso dei nostri obelischi è composto di quatro sostanze, di quarzo cioè, di felspato, di mica, e di horneblende. Nellu descrizione del*

Invenitur in Aegypti parte maxime australi, circa Ombos et Cataracten et Syenen, a quo oppido nomen accepit, quod haud procul ab eo distent praecipuae lapicidinae [10]. Tenduntur inde rupes graniteae per Aethiopiam et per Troglodyticen ad mare rubrum; et in Arabia ad montem Sinai abundare perhibentur [11]. Sed obviae quoque sunt in cunctis ferme cogniti orbis regionibus, varia tamen lapidis duritie et consistentia, varia etiam partium et colorum habitu [12].

Ne in ipsa quidem Aegypto eadem est ejus pulchritudo et durities, docentibus ipsis obeliscis, praeter tot alia ex hoc lapide monumenta Romae servata. Est qui colore magis vergit in cinereum, est qui modice rubet, est etiam qui rubedine propius abesse videtur a porphyrite. Ex his ad obeliscos faciendos eum potissimum elegisse videntur Aegyptii, qui medium locum obtinet, neque nimis pallens, neque rubens nimis: cordato quidem consilio, cum scalpturae in eo magis quam in reliquis clarescant lucis umbraeque moderamine, neque candore laedente oculos intuentium, neque rubedine obscurante linearum confinia. Hoc vero coloris temperamentum observatur praecipue in Augusti obeliscis, nunc aream curiae Innocentianae et forum portae Flaminiae decorantibus. Paullo magis albicat Constantianus, et maculis praeterea variegatur fuscis grandibus, quo fit ut licet perpulcher sit obeliscus, iis tamen cedat quos modo nominavi. Sed nimis rubet obeliscus Barberinus pro lapide notis insignito: nam puri obelisci, quo plenior sit color, eo sunt pulchriores, cujus rei exemplum est ille quem in colle Quirinali non ita pridem statui jussit PIVS SEXTVS.

Itaque ad hanc pyrrhopoecili naturam et ejus inde ad intuitum effectum respexisse existimo Aegyptios, dum ad obeliscos hunc reliquis praetulere lapidem, quo vix alius scalpturis e longinquo ostendendis aptior jucundiorque repertus est. Nam profecto primum obeliscorum institutum hoc fuit ut notis insignirentur: quod vero aliquos inveniamus puros, id vel auctorum festinationi tribuendum esse reor, vel ingruenti publicae alicui calamitati quae opus finiri impediret. Sed fuit et alia ratio, eaque urgentior, quae obeliscorum conditoribus universim commendavit saxum graniticum, scilicet quod aequae duritiei et tenacitatis lapis non modo in Aegypto nullus inveniatur, sed ne in universo quidem orbe nobis cognito, ex quo tot et tantae magnitudinis moles erigi possint. Porphyritae lapidis columnae ultra triginta palmorum altitudinem miraculo fere sunt: ex basalte autem non videmus nisi mediocres statuas, neque Plinio plus quam duae innotuerunt magnitudine sua insi-

---

Gabinetto mineralogico del collegio Nazareno non ho fatto parola che delle prime tre; perche il mica nero difficilmente si distingue dall'horneblende dello stesso colore se il granito non sia spezzato e ridotto in frammenti. Ho avuto in seguito campo di rompere qualche frammento rispettabile dell'obelisco solare esistente nel Museo dell' Eminentissimo Borgia in Velletri, e della grossa colonna adoprata per ristorarla, ed ho chiaramente distinto l'horneblende. Dessa è in dose piccola, come il quarzo e il felspato bianco; la dose del mica è mediocre; il felspato rosso domina sopra gli altri componenti. Le macchie nere e grandi che talora si vedono nella roccia summentovata sono mica ed horneblende.

[10] Vide supra Sect. 2. cap. 3. §. 11. pag. 118. 119. Consule praeterea Nordenium itineris tomo 2. pag. 63, Brucii itinerarium tomo 1. pag. 156. Bellonii observationes lib. 2, cap. 21. *Pigafetta discorso d' intorno all' istoria dell'Aguglia* pag. 1. *Goguet de l' origine des loix et des arts* part. 2. lib. cap. 3. art. 1.

[11] *Bruce's travels* tom. 1. pag. 176. sqq. *Pococke's descr. of the East* tom. 1. pag. 143. sqq.

[12] Fuere tamen olim qui obeliscos Aegyptios et ingentem illam columnam Alexandrinam a Pompeii nomine dictam, non e saxo factos putaverunt, sed e massa aliqua chemica arte praeparata, de qua re vide Goguetium loco modo citato.

gnes [13]. De caeteris qui vulgo dicuntur duri lapides dicere supervacaneum est. Ne marmora quidem facile offenduntur ea continua soliditate praedita, ut magnae trabes commode excidi possent ex iis: quae autem hodie Romae cernitur columna marmorea monolithos omnium maxima, jacens in impluvio curiae Innocentianae, non ultra palmos quinquaginta tres porrigitur.

Marmore igitur albo, flavo, nigro, variegato; granite etiam nigro, et eo qui propius accedit ad porphyriten, forte et aliis quibusvis lapidibus ad parvos obeliscos usi sunt Aegyptii: de grandibus autem obeliscis monolithis ex alio quam syenite lapide factis, nihil constat hactenus. Quod enim narrat Nordenius, conspexisse se inter Thebarum rudera immanium obeliscorum fragmenta e lapide albente, in Aegypto ubique obvio, in quibus scalptae erant notae hieroglyphicae variis coloribus obductae, contra testem oculatum negare quidem non ausim: sed ubi addit obeliscos illos olim constitisse ex uno lapide, nimis tribuisse videtur suae opinioni. Nam in calcareo illo lapide, qui Aegyptii soli partem constituit longe maximam, atque ex quo facta sunt multa Aegyptia opera in Europam transvecta, non ea est tenacitas et partium cohaesio, ut excelsae proceritatis obeliscus subrigi posset sine rupturae periculo. Ut vero ex uno lapide sit, non magis ad obelisci naturam pertinet, quam ad naturam columnae; licet post inventam artem secandi pyrrhopoecili hoc affectaverint reges, ut integras potissimum erigerent trabes: sicut Romani imperatores spretis columnis quas ex multis frustis concinnare consueverat Graeca frugalitas, ad aedificia sua ornanda solis fere usi sunt monolithis.

Exemplum obelisci Aegyptii e pluribus truncis compacti est apud Theophrastum, qui ex Aegyptiorum annalibus prodit, in Thebaei Jovis templo positum fuisse obeliscum e quatuor smaragdis, altum cubitos quadraginta [14]. Qui autem lapis sit quem hoc nomine appellaverunt Aegyptiacarum rerum scriptores non satis constat. Forte intelligendi sunt de saxo siliceo viridi e minutis feldspathis compacto, quem *plasma di smeraldo* vocant nonnulli. Raro hoc quoque invenitur et molis plerumque exiguae: est tamen in museo Borgiano ex eo caput virile operis Aegyptii et nuper ex Aegypto advectum, quod avulsum videtur ab integra statua, alta palmos sex et semissem: nam vultus modulus est unciarum quatuor cum dimidia [15].

---

[13] Nat. hist. lib. 36. cap. 7. „ Invenit Aegyptus in Aethiopia, quem vocant Basalten, „ ferrei coloris et duritiae; unde et nomen ei „ dedit. Nunquam hic major repertus est quam „ in templo Pacis ab imperatore Vespasiano Au „ gusto dicatus; argumento Nili sedecim libe„ ris circa ludentibus, per quos totidem cubita „ summi incrementi augentis se amnis intelli„ guntur. Non absimilis illi narratur Thebis in „ delubro Serapis, ut putant Memnonis statua, „ dicatus: quem quotidiano solis ortu conta„ ctum radiis crepare dicunt. „ Dictus autem videtur lapis iste a ferri similitudine Basalti litterarum transpositione pro Bastali vel ⲡⲥⲧⲁⲗⲓ, χαλυψ. Nam juxta lexicographos Arabes a Kirchero inspectos ⲥⲧⲁⲗⲓ Aegyptiis aeque ac septentrionalis Europae populis chalybem significat.

[14] Vide supra pag. 3. et 8.

[15] Totum fragmentum altum est uncias sex, et circumferentia colligit palmos duos. Vultus est imberbis, effigies ut videtur viri Aegyptii ad senium vergentis; occiput autem contegitur linteolo crispo seu calantica pone cervicem tumente, fere ut reticula sive κεκρυφαλοι quibus domi capillos coërcent Italae mulieres. Exstat ex eodem lapide in suburbano Albaniorum icuncula Aegyptia viri praecinctorio tenus nudi, qui throno insidens hieroglyphicis notis decoro, dextra praefert clavem. Haec capite mulctata alta est uncias tredecim. Vide *Winkelmann storia delle arti* lib. 2. cap. 4. §. 20. tom. I. pag. 138.

Quo credibile fit, inventos aliquando fuisse hujus generis lapides magnitudine conspicuos, magnisque monumentis faciendis idoneos [16].

§. I I.

Haec sunt quae notatu digna inveni circa materiem obeliscorum. Nam nullo pacto subscribere queo recentiorum interpretum sententiae, qui in hac quoque re vana venantes mysteria, solem inter et syeniten lapidem affinitates deprehenderunt; nec contra eos disputare operae pretium duco. Sed ne quae in hanc rem prolata sunt, lector desideret, omnium loco attulisse sufficiet Mercatum et Kircherum, e quibus hauserunt reliqui. Horum prior capite 3. pag. 9 sqq. negat ex alio quam syenite lapide factos fuisse obeliscos, excepto eo quem memoriae prodidit Theophrastus, sed quem circa Aegyptii imperii exitum et vetere disciplina jam neglecta factum opinatur. Dein capite 8. pag. 64 sqq. causam investigat, cur solo syenite usi fuerint Aegyptii, et spreta ea ratione, quam ab architectis in medium afferri scribit, propter duritiem et tenacitatem reliquis lapidibus praelatum fuisse; confutato quoque Bargaeo, qui rubentem ejus saxi colorem solaribus radiis convenire asserit [1], ita pergit: „ Aegyptii sapientissimi homines in obeliscis hoc praesertim consilio exprimere studentes solis radios, ut vim ejus generativam indigitarent, materie etiam eorum materiem generationis, quae vi illi subjecta est, adumbrandam statuerunt. Huic autem rei prae caeteris lapidibus aptus et congruus est syenites, e multis particulis heterogeneis et multicoloribus certa et definita proportione compositus. Nam majores particulae quae et maxime abundant in eo, rubendo similes sunt igni, quod primum est elementum: crystallinae aliae modo plus modo minus pellucidae aëris et aquae naturam denotant: minimae autem particulae et proportione et colore terram repraesentant, quae inter elementa ultimum locum tenet. Cunctae praeterea istae particulae mixtura sua argumentum praebent commixtionis, quae necessario praecedit ante generationem; et multitudine sua et varietate res significant multas variasque quae generantur „. Haec Mercatus, a quo non multum dissentiens Kircherus, in obelisci Pamphilii libro primo, cap. 49 scribit: „ Materiam lapidis primi illi hieroglyphicae litteraturae inventores elegerunt, mysteriis quae continebant obelisci congruam. Fuit haec marmoris quoddam genus variis coloribus guttatim veluti aspersum, duritie prope indomabile et porphyretico minime cedens; quam Graeci πυροποικιλον, Latini petram Thebaicam, Itali *granito rosso* vocant. — Nullus hucusque in mundo obeliscus ab Aegyptiis alio quam hoc marmore confectus, quod non caret mysterio, a quoquam visus est. —— Dico igitur, cum Aegyptii obeliscos in honorem numinis solaris erigerent, non quamvis materiem, sed quae hujus nu-

---

[16] Fieri quoque potest ut Aegyptiorum smaragdus sit Siberget vel Bilur Aethiopum, cujus fodinas nunc quidem desertas se vidisse scribit Brucius in rubri maris littore Aegyptio, sub latitudinis septentrionalis gradu 25, ubi Smaragdum montem collocat Ptolemaeus, atque in insula adjacente. Invenit ipse in iis locis parva fragmina lapidis viridis et pellucidi, sed venati et minore quam crystalli duritie. Vide *Bruce's travels* tom. 1. pag. 204 — 206. Confer etiam de smaragdo veterum *Petrini gabinetto mineralogico del collegio Nozareno* tom. 1. pag. 258. *Dutens des pierres précieuses* part. 1. cap. 7. et Petri Forskal Flora Aegyptio-Arabica, pag. 46.

[1] Comment. de obelisco in Graev. thesaur. tom. 4. pag. 1907.

„ minis proprietates per certam quandam analogiam maxime exprimeret assumsis-
„ se . —— Habet pyrites noster Aegyptius quadruplicem a natura sibi insitae
„ mixturae compositionem : principalis lapidis substantia rubro colore fulget , cui
„ nunc crystallinae seu amethystinae , jam cinereae vel caerulei coloris , modo
„ nigri seu pharii marmoris particulae hinc inde per totam lapidis substantiam
„ commixtae spectantur . —— Sol vero in quatuor mundi elementa suum domi-
„ nium potissimum exercet , dominium hoc solis per obeliscos , quos et supra eos
„ ⲡⲓⲧⲉⲃⲡⲏⲣⲡ h.e. digitos solis appellasse diximus, denotarunt, ita ut per quadru-
„ plicem mixturam haud dubie quatuor elementa , et per pyrei quidem coloris par-
„ ticulas ignem , per crystallinas et amethystinas pellucidas aërem , caeruleam
„ lympham per caeruleas , per nigras denique particulas terram , pulchre et inge-
„ niose indigitarint Aegyptii . — Certe si alicubi obelisci alterius coloris compa-
„ ruerint , tibi certissimum signum sit , eos in Aegypto minime factos , sed ab
„ exteris Aegyptiorum aemulis , aut postremis temporibus , cum hieroglyphica
„ litteratura jam exoleverat . „

CAPUT QUARTUM

De magnitudine obeliscorum .

§. I.

Petrus Bellonius , qui saeculo decimosexto Romam vidit et Constantinopolin et Aegyptum inferiorem , praeter grandes obeliscos inveniri scribit alios tam exiguos ut viro non sint altiores [1] . Mercatus quoque a peregrinatoribus qui totam Aegyptum peragraverant , se accepisse ait exiguos obeliscos infinito fere numero exstare in Aegypti civitatibus [2] . At inter eos peregrinatores , quorum diaria mihi inspicere contigit , nulli memoratam reperio ingentem illam vim parvorum obeliscorum : minimi autem qui feruntur integri longitudinem habent pulmorum viginti duum et palmorum septemdecim . Nec Romae visitur integer obeliscus viginti palmis brevior , nec in reliqua Europa obeliscum comperi ejus quam scribit Bellonius brevitatis , praeter Florentinum illum e granite fusco , altum palmos octo , sed nec eum integrum ; quamquam exigua laterum amplitudo credere faciat , non magnam ejus partem periisse . Itaque vel periere post aetatem Bellonii exigui illi obelisci , vel quod credibilius est Bellonius fragmina quaedam accepit pro integris monumentis .

Sed parvi obelisci palmorum circiter vicenum vel tricenum non ita pauci supersunt hodie, et plures exstitisse arguitur e parvae latitudinis fragmentis passim obviis . Veteres autem scriptores , quod jam supra monui , ignorasse videntur parvos obeliscos , nec aliquem prodidere quadraginta cubitis breviorem . Magnorum vero meminerunt ad altitudinem usque cubitorum centum viginti , a qua mensura pro-

---

[1] Bellonius *de operum antiquorum praestantia* lib. I. cap. 8.

[2] *Mercati degli obelischi di Roma* cap. 2. pag. 13. *Sappiamo per relatione di uomini , che pochi anni fa sono stati per tutto l' Egitto , che infiniti obelischi piccioli , i quali si veggono per le città di quel regno , non sono stati fatti di altra spetie di pietra , che di granito rosso .*

cui abesse videntur maximi qui ad nostrum aevum pervenere ; licet ex Ammiani narratione colligeret aliquis Constantianum obeliscum omnium in ipsa Aegypto fuisse maximum .

§. II.

Ad haec inter se componenda inquirere opus est , an idem fuerit obelisci vocabulo significatus apud veteres ac apud hodiernos , et qui fuerit ille cubitus quo in obeliscis metiendis usi sunt scriptores antiqui . De primo dixi superius in disquisitione de nomine obeliscorum , adstruere conatus , Aegyptios quemcunque lapidem in rei cujusdam memoriam positum ⲟⲩⲭⲏⲣⲓ-ⲛⲥϩⲁⲓ vel stelam appellasse , eos autem quos procera altitudine praeditos speciali munere in templis collocabant , obeliscos : et ad hanc normam a Graecis Romanisque scriptoribus adhibita fuisse ea vocabula . Sequiores autem Graecos Aegyptiae linguae nescios a figura dictos credidisse obeliscos , et quemcunque lapidem in acutum desinentem ita vocavisse : quo factum , ut vulgo eo sensu acciperetur vocabulum , quo usurpatur hodie .

At moduli rationem investigare , quo veteres obeliscorum magnitudines prodidere , res est tot spinis obsita totque circumfusa tenebris , ut praeterire eam satius videretur quam attingere . Primo loco non satis constat utrum Graeco cubito usi sint scriptores an Aegyptio . Herodotus quidem , Theophrastus et Diodorus , qui auctores afferunt sacerdotes annalesque , omnino intellexisse videntur cubitum Aegyptium ; at Plinius , qui ex varii generis scriptoribus librum suum compilavit , modo hoc modo illud mensurae genus secutus credi potest [1] . Dein ubi quaeris de cubito Aegyptio , scriptores qui modum ejus definivere , indiciis usos invenies admodum fallacibus . Majorem eum fuisse Graeco cubito , qui sesquipede Romano aliquanto amplior partes parisienses colligit 2044 $\frac{1}{2}$ vel palmos romanos architectonicos duos et $\frac{64}{990}$, velut de composito statuerunt omnes ; et quanto superet tum ex pyramidum mensionibus colligendum putavere , tum e perticae longitudine , qua Nili incrementa hodie metiuntur Cairenses [2] . Aegyptii , ajunt , omni tempore fluvii sui augmenta eadem mensura definivere , nec circa hanc rem regibus suis aut praefectis aliquid novare permiserunt . Ergo perticae sedecim , quae hodie justa existimatur crescentis aquae altitudo , respondent sedecim cubitis , quos ubi compleret , regionem beare olim credebatur Nilus [3] . Sed qui haec tradunt , non cogitant Arabum Turcarumque tyrannidem , quae ab incolarum inspectione ita seclusit Nilometrium , ut neque constet de altitudine ad quam perveniat singulis annis Nili aestuatio , neque de natura perticae qua metiantur vel potius metiri fingant ejus altitudinem . Consule peregrinatores , qui de industria in hoc inquirentes nil certi rescire potuere , sed conjectura assequi conantur , sitne ea pertica Constantinopolita , vel Cairina vel denique Hendaica seu Aethiopica . Sed fac recte scripsisse Brucium aliosque , Nilometrium hodiernum divisum esse juxta cubitum Cai-

---

[1] De rerum Aegyptiacarum scriptoribus, quibus ad naturalis historiae librum 36 concinnandum usus est Plinius , vide virum clariss. Heynium in *Antiquarische aufsäze* fascic. 2. pag. 110.

[2] Vide Arbuthnotii tabulas antiquorum nummorum , mensurarum &c. interprete Kônigio pag. 39. sqq. : Cl. Bandinii comm.de obelisco Caes. Aug. pag. 62. append. pag. 83. sqq.

[3] Mascrier. pag. 60. 65. Shaw tom. 2.p.177. 178. Pococke tom. 1. pag. 250. Bruce tom. 3. pag. 680. 690. 703.

rinum, satis notum est ab Arabibus id fuisse constructum, postquam a mensura in veteri puteo novanda popularibus turbis deterriti fuerant principes. Quae ergo ejus cubiti antiquitas ultra Omari tempora adstrui potest e Nilometrio ? Porro ex pyramidis mensione a Gravio instituta, veterem cubitum hodierno cubito Cairino aequalem constituere posse sibi visus est Cumberlandus, eo argumento usus quod mensurae a Gravio deprehensae haud incommode dividi possint cubito Cairino, quem Gravius quidem statuit pollicum londinensium 21, $\frac{880}{1000}$, Brucius autem poll. lond. 22. integrorum. Newtonus ex iisdem mensuris Gravianis eademque ratione aliam colligit veteris cubiti longitudinem, pollicum londinensium 20, $\frac{79}{100}$, qui ad Cairinum hodiernum esset ut 19 ad 20, ad palmum romanum architectonicum ut $2\frac{12}{33}$ ad 1 ; et hanc Newtoni conjecturam e Campensis obelisci mensuris firmandam credidit Stuartus in appendice ad commentarium Bandinii de obelisco Caesaris Augusti. Sed neque cum Cumberlandi neque cum Newtoni hypothesi plane consentiunt mensurae Gravianae, neque Stuartus omnes obelisci partes Newtonianis rationibus accommodatas invenit. Quaeso autem, quae necessitas statuendi, Aegyptios architectos ita superstiose sectatos esse cubitum partesque ejus, ut quodvis aedificium, cujusvis molis singulae partes integris responderent cubitis, spithamisve aut palaestis ? Num ita fecere Graeci Romanique ? num ita faciunt nostri architecti ? Si multa in Aegypto aedificia exacte mensi fuissent peregrinatores, si in cunctis eandem invenissent spatiorum harmoniam, tunc quidem probabilis mihi videretur, qui inde colligendus esset cubitus, et crederem in magnis structuris adhibuisse Aegyptios eam minutam mensurarum symmetriam, quam certe in minoribus operibus, quotquot Romae videre mihi licuit, neglexere, quamque et Graecos haud magni fecisse constat. Sed uni obelisco innititur hypothesis, et uni pyramidi, atque ne omnibus quidem eorundem partibus. Obelisci figuram magna ex parte pendere a saxi conditione, res ipsa docet, et ipse fatetur Stuartus. In ea autem immani mole, quam mensus est Gravius, quid efficiunt spithame vel cubitus vel decem adeo cubiti ? Vel quis crediderit architectum cogitasse de palaestes pollicisve minutiis ? Ubi vero ad examen revocaveris pyramidis spatia interiora a Gravio, Pocockio aliisque prodita [4], plura sunt quae Newtono adversentur quam quae eum adjuvent. At nulla ex iis mathematica accuratione notata esse, facile sibi persuadebit, quicunque secum reputaverit loci naturam, tenebras eas et angustias, vel qui experientia noverit quam sit difficile exacte et minute indagare veterum aedificiorum mensuras.

His animo expensis, cum tanquam certum mihi persuaderem, subtili ea argumentatione inveniri non posse Aegyptii cubiti longitudinem, aliam viam tentandam existimavi, et inquirendum utrum hodie exstent Aegyptia opera quorum magnitudinem cubitis descripserint auctores veteres, ex eorum mensione eruendam ratus antiquae mensurae rationem. Sed hac quoque spe decidi : nam unicum tantum exemplum inveni, neque id satis certum, obeliscum Vaticanum. Quae vero hic nobis offert argumenta ad statuendum, minorem quam credi solet fuisse cubitum Aegyptium, ea aliis quoque adjuvantur indiciis. Duos obeliscos a Sesostridis filio post coecitatem visu reddito ex oraculo Soli sacratos scribit Herodotus, centenum cubitorum longitudine, latitudine octonum [5]. Ex his unum Romam delatum

---

[4] Pococke tom. 1. pag. 44.

[5] Herod. 2, 111. Diod. 1, 59. Plin. 36, 11 supra sect. 1. pag. 3. 5. 18. 19.

et in Vaticano circo constitutum narrat Plinius, fractum quidem in molitione; sed quod quin superiori parti acciderit, nemo dubitabit, ubi adverterit ad figuram trabis et ad molitionis modum. Ergo Vaticanus obeliscus infima parte integer censendus est, ejusdemque latitudinis atque excisus fuit a Pherone Nuncoreo. Eum autem mensus Fontana circumferentia efficere prodidit palmos romanos architectonicos quadraginta octo, uncias quatuor; quae in quatuor latera ita videntur distributa, ut latioribus faciebus cedant palmi plus minus duodecim cum dimidio, angustioribus undecim cum dimidio [6]. Ubi vero palmos $12\frac{1}{2}$ in octo cubitos dividis, singuli cubiti continebunt uncias $18\frac{3}{4}$ vel partes parisienses 1547. Quae si est Aegyptii cubiti ratio, credibiliora fiunt quae de obeliscis narrant veteres: neque Lateranensis obeliscus qui hodie omnium maximus est, Ammiano quoque pro miraculo celebratus, magno adeo spatio relinquitur a Sesostrideis obeliscis, de quibus narrat Diodorus [7]. Continet enim ex nostro calculo cubitos Aegyptios fere centum, et sexta tantum parte minor est iis quos erexisse fertur Sesostris. At ex Newtoni calculo Sesostridis obelisci ad Lateranensem fuere circiter ut 280 ad 150; et Pheronis obelisci Lateranensem superabant palmis nostratibus plus quam octoginta: quae cuncta augentur adhuc, si sequeris sententiam Cumberlandi. Ubi vero admiseris Graecum cubitum, Sesostridis obelisci complectentur palmos fere 248, Pheronis $206\frac{1}{2}$. In medium quoque afferri possent obelisci Exquilinus et Quirinalis, quos non sine aliqua veritatis specie pro iis accepere Mercatus et Kircherus [8], quos a Zmarre et Phio sine notis positos tradit Plinius, cubitorum quadraginta octo: nam praeter Vaticanum et Arelatensem nulli alii hodie noscuntur puri obelisci. Isti nunc reciso cacumine alti sunt palmos sexagenos senos, antiquitus autem pares fuisse videntur Arelatensi, palmorum plus minus septuaginta quinque [9]: at 75 ad 48 inversa ratione sunt ut 12 ad $18\frac{3}{4}$. Sed obstant reliquorum obeliscorum mensurae quas legimus apud Plinium, breviores quam ut ad cubitum sesquipalmarem eas revocare ausim; praesertim cum ex iis quos Alexandriae notavit in Caesaris templo altos cubitos quadragenos binos, hodie quoque unus inveniatur super solum assurgens pedes circiter sexaginta. Auctores igitur, quos in Heliopolitis et Alexandrinis obeliscis recensendis secutus est Plinius, usi intelliguntur Graeco cubito, qui Romanum sesquipedem superat pollicis partibus tribus ex quatuor. Quae res firmatur etiam e Campensis obelisci magnitudine, modo is unus sit e quatuor illis quos erexit Sothis. Cum nostris autem rationibus facere quoque videtur maximae pyramidis mensura, qualem habemus apud Herodotum, qui singula ejus latera efficere scribit plethra octo sive pedes octingentos. Quam pyramidem singulari cum diligentia mensus Gravius, latitudinem ejus invenit pedes anglicos sexcentos nonaginta tres, sive partes parisienses 934164: nam pedem adhibuit vero pede londinensi partibus circiter tribus breviorem [10]. Porro partes 934164 divisae per 800 dant $1042\frac{3}{4}$, qui numerus partibus $320\frac{1}{4}$ deficit a pede Graeco, quem statuere solent partium 1363: at satis bene respondet

[6] V. supra sect. 2. cap. 1. §. 2.

[7] Diod. 1, 57. supra sect. 1. pag. 4.

[8] *Mercati degli obeliscbi* cap. 16. pag. 192. Kircherus Oedipi tom. 3. synt. 11. pag. 368.

[9] V. supra sect. 2. cap. 1. §. 6. pag. 75. et §. 6. p. 87.

[10] *Description des Pyramides d'Egypte par Jean Greaves professeur en astronomie à Oxfort, comme il les trouva en 1638. et 1629*: in *Relations de divers voyages par Thevenot*, pag. 7 sqq.

bessi cubiti nostri Aegyptii. Videlicet ubi pes est $1042\frac{3}{4}$, cubitus est $1564\frac{1}{8}$: et partibus tantum $17\frac{1}{8}$ differt ab eo quem invenimus in obelisco Vaticano. Sed forte pyramidem, quam Diodorus latam narrat pedes septingentos, nimis auxit Herodotus: forte et nimis restrinxit Gravius. Nam alii peregrinatores ampliorem prodidere, prae reliquis Niebuhrius, qui eam latitudine colligere scribit pedes danicos septingentos decem, sed ipse sibi in hac re parum fidens [11]. Itaque nihil definiendum; id saltem memoria tenendum e mensura obelisci Vaticani Herodoto et Diodoro memorata Graeco cubito minorem videri cubitum Aegyptium [12].

§. III.

Pergamus ad obeliscos, qui vel leguntur apud antiquos auctores, vel hodie prostantes visuntur, pro magnitudinis ratione una serie proponendos. Veteribus quidem memorantur:

Sesostridis obelisci duo, Thebaeo Jovi sacrati, cubitorum centenum vicenum. Diodor. lib. 1. cap. 57. [1].

Ramisis obeliscus, positus in Mnevidis regia, latitudine cubitorum undecim, longitudine forte centum viginti. Plin. lib. 36. cap. 8. [2].

Pheronis, qui Sesostridis filius, et ipse Sesostris dictus et Nuncoreus, obelisci duo, Heliopoli in Solis templo constituti, longitudine cubitorum centenum, latitudine octonum. Quorum alter Romam devectus fuit a Cajo Caesare et in Vaticano circo positus. Herod. lib. 2. cap. 111. Diodor. lib. 1. cap. 59. Plin. lib. 36. cap. 11. [3].

Semiramidis obeliscus, Babylone positus, altus pedes centum triginta, latus viginti quinque. Diodor. lib. 2. cap. 11. [4].

Nectebis obeliscus, a Ptolemaeo Philadelpho erectus Alexandriae in Arsinoëo, longus cubitos octoginta. Plin. lib. 36. cap. 9. [5].

Semenpsertei obeliscus, Heliopoli positus, dein ab Augusto Romam translatus in Circum maximum, altus pedes octoginta quinque et dodrantem. Plin. lib. 36. cap. 9. Ammian. Marc. lib. 17. cap. 4. [6].

---

[11] *Niebuhr's reisebeschreibung* tom. 1. p. 196.

[12] Celebris est locus Herodoti lib. 2, cap. 168., ubi Aegyptium cubitum Samio parem esse scribit, at cum hodie aeque ignotus sit cubitus Samius atque Aegyptius, nihil inde peti potest praesidii. Γερεα δε τοισι μαχιμοισι ην ταδε εξαραιρημενα μουνοισι αιγυπτιων παρεξ των ἱρεων, αρουραι εξαιρετοι δυωδεκα ἑκαστω ατελεες. ἡ δε αρουρα ἑκατον πηχεων εστι αιγυπτιων παντη. ὁ δε αιγυπτιος πηχυς τυγχανει ισος εων τω σαμιω. *Pugnatoribus solis Aegyptiorum praeter sacerdotes, hoc eximii honoris habebatur, ut singulis duodecim arurae essent exemptae et immunes. Est autem arura centum cubitorum Aegyptiorum quoquoversus. Aegyptius vero cubitus Samio par est.* Neque Aegyptium cubitum assequi datur ex ejusdem auctoris lib. 2, cap. 149., ubi sermonem habens de pyramidibus, centum orgyarum altitudine exstructas in Moeridis lacu, centum orgyas efficere ait stadium pedum sexcentorum, orgya quidem continente pedes sex vel cubitos quatuor, pede autem palmos quatuor et cubito palmos sex. αἱ δ' ἑκατον οργυιαι δικαιαι εισι σταδιον ἑξαπλεθρον, ἑξαποδου μεν της οργυιης μετρεομενης και τετραπηχεος, των ποδων μεν τετραπαλαιστων εοντων, του δε πηχεος ἑξαπαλαιστου. Nam cujus gentis sint eae mensurae non annotavit: si vero stadium intelligit Graecum et orgyas cubitosque Aegyptios, consequitur Aegyptium cubitum parem fuisse cubito Graeco communi. Cur ergo superiori loco comparavit eum cum Samio?

[1] V. sect. 1. pag. 4.

[2] Ibid. pag. 11.

[3] Ibid. pag. 2. 5. 19.

[4] Ibid. pag. 6.

[5] Ibid. pag. 13.

[6] Ibid. pag. 15. 25.

Sothidis obelisci quatuor, Heliopoli positi, longitudine cubitorum quadragenum octonum sive pedum septuagenum senum cum dodrante; ex quibus unus videtur is quem Augustus statuit in Campo Martio. Plin. lib. 36. cap. 8. 9. Ammian. Marc. lib. 17. cap. 4.[7].

Zmarris et Phii obelisci duo, Heliopoli constituti, longi cubitos quadragenos octonos. Plin. lib. 36. cap. 9.[8].

Mestiris obelisci duo, quadragenum binum cubitorum longitudine, stantes Alexandriae in templo Caesaris. Plin. lib. 36. cap. 9.[9].

Ramisis obeliscus, sive obelisci quatuor, Heliopoli positi, quadraginta cubitorum longitudine. Plin. lib. 36. cap. 8.[10].

Mesphris obeliscus, Heliopoli omnium primus erectus, incertae magnitudinis. Plin. lib. 36. cap. 8.[11].

Obeliscus e quatuor smaragdis, longus cubitos quadraginta, latus in parte quatuor, in parte duos, dedicatus in templo Jovis Thebaei. Theophrast. de lapid. pag. 394. Plin. lib. 37. cap. 5.[12].

Obelisci magni sex vel septem, parvi quadraginta duo, Romae exstantes quarto post Christum saeculo. Publ. Victor et alii Urbis topographi[13].

§. IV.

Qui autem hodie exstare comperti sunt, secundum magnitudinem commode distribuuntur in classes quatuor, quarum prima complectitur obeliscos altitudine palmorum octoginta et amplius; secunda eos qui longitudine vincunt palmos quadraginta; tertia parvos qui duorum ut minimum hominum staturas aequant, sed intra quadraginta palmos consistunt; quarta minimos obeliscos.

Ad primam classem pertinent:

Obeliscus Lateranensis, altus olim palmos fere centum quinquaginta, nunc centum quadraginta quatuor, latus palmos tredecim cum quadrante[1].

Obeliscus Vaticanus, altus olim ut videtur palmos circiter centum quinquaginta, nunc centum tredecim cum semisse, latus palmos circiter duodecim et dimidium[2].

Obelisci Luxorenses duo, supra circumfusam humum elati palmos saltem octoginta duo, ut alii retulere centum quatuor; alti ut videtur palmos centum decem vel amplius. Latitudo supra solum ab aliis proditur palmorum decem et quadrantis, ab aliis undecim cum besse[3].

Obeliscus Flaminius, altus olim palmos centum decem, nunc centum septem, latus palmos decem cum dodrante[4].

Obelisci Carnacenses duo, alti palmos fere centenos praeter basin terra obrutam, vel ut aliis placet palmos centenos quinos. Latitudo est palmorum denum et dimidii, secundum alios palmorum undenum[5].

---

[7] Ibid. pag. 11. 16. 25.
[8] Ibid. pag. 13.
[9] Ibid. pag. 14.
[10] Ibid. pag. 11.
[11] Ibid. pag. 10.
[12] Ibid. pag. 4. 8.
[13] Ibid. pag. 28. 29.

[1] Vide supra sect. 2., cap. 1. §. 1. pag. 66.
[2] Ibid. §. 2. pag. 69.
[3] Sect. 2. cap. 3. §. 10. pag. 117. Integram longitudinem esse palmorum centum triginta conicit Savarius, sed qui augere videtur omnia.
[4] Sect. 2. cap. 1. §. 3. pag. 72.
[5] Sect. 2. cap. 3. §. 9. pag. 114. 115.

Obeliscus Campensis, altus palmos nonaginta septem cum dimidio, latus decem cum unciis undecim [6].

Obeliscus Heliopolitanus, altus supra terram palmos ut minimum octoginta quatuor, sive ut scripserunt alii nonaginta duo; latus fere palmos novem [7].

Obelisci Alexandrini duo, alti ut videtur circiter palmos nonaginta, licet aliis dicti palmorum septuaginta trium, comprehensa stantis obelisci ea parte, quae terra obtegitur. Lati sunt palmos denos cum quadrante [8].

Obelisci Carnacenses duo, alti supra solum palmos octoginta sex vel octoginta septem, lati circiter palmos octo [9].

Accedunt tres obelisci Axumae constituti, figura ab Aegyptiis obeliscis multum recedentes, alti ut minimum palmos nonagenos, forte usque ad centum duorum palmorum longitudinem evecti; lati circiter palmos tredecim cum semisse [10].

Ad hanc quoque classem pertinere videntur praegrandium obeliscorum fragmenta ex albo lapide, quae in Thebarum ruinis se vidisse scribit Nordenius [11].

Secundae classis sunt:

Obeliscus Theodosianus, cujus longitudo traditur palmorum septuaginta et octoginta, latus palmos circiter octo et dimidium. Eadem perhibetur latitudo alterius obelisci Constantinopolitani, sed longitudo infra palmos quinquaginta [12].

Obeliscus Pamphilius, Kirchero dictus palmorum septuaginta quatuor, simul computata ut videtur ima trunci parte, qua nunc destituitur [13].

Obeliscus Arelatensis, altus palmos fere septuaginta sex, latus palmos decem [14].

Obelisci Quirinalis et Exquilinus, longitudine palmorum sexagenum senum, latitudine denum [15].

Obeliscus Sallustius, altus palmos fere sexaginta quatuor, adjecto summo vertice, qui recisus fuit antiquitus; latus palmos sex cum besse [16].

Obeliscus Fajumensis, altus supra terram palmos fere sexaginta, latus palmos novem [17].

Obeliscus Barberinus, nunc palmorum quadraginta unius longitudine, latitudine palmorum fere quatuor, sed infimo trunco mutilus [18].

Pyramidion Wanstedii asservatum, latum palmos quatuor, pertinuisse videtur ad obeliscum longum circiter palmos sexaginta vel amplius [19].

Tertiae classi accensendi sunt:

Obelisci Axumenses quatuordecim, sive ut Brucius perhibet quadraginta, palmorum alii tricenum alii quadragenum [20].

Obelisci Philenses duo, latitudine palmorum ternum, longus alter palmos triginta duos, alter viginti tres [21].

---

6 Sect. 2. cap. 1. §. 4. pag. 73.
7 Sect. 2. cap. 3. §. 5. pag. 105. 106.
8 Ibid. §. 2. pag. 95. 96.
9 Ibid. §. 9. pag. 114. 115.
10 Ibid. §. 14. pag. 123. 126.
11 Ibid. §. 9. pag. 113.
12 Sect. 2. cap. 2. §. 8. pag. 90. 91.
13 Sect. 2. cap. 1. §. 5. pag. 74.
14 Sect. 2. cap. 2. §. 6. pag. 87.
15 Sect. 2. cap. 1. §. 6. pag. 75.
16 Ibid. §. 7. pag. 76.
17 Sect. 2. cap. 3. §. 7. pag. 109. 110.
18 Sect. 2. cap. 1. §. 8, pag. 77.
19 Sect. 2. cap. 2. §. 7. pag. 88.
20 Sect. 2. cap. 3. §. 14. pag. 123.
21 Ibid. §. 12. pag. 120.

Obeliscus Mahutaeus, longus palmos viginti septem et dimidium, latus tres cum semisse [22].

Obeliscus Mediceus, palmorum viginti duum longitudine, latitudine trium cum quadrante. Aequalis huic fuisse videtur is, cujus pars superior nunc servatur in hortis Matthaejanis [23].

Obeliscus Minerveus, altus palmos viginti duos cum dimidio, latus tres cum sextante [24].

Obelisci Carnacenses duo, fastigio carentes, alti palmos denos et septenos, lati binos [25].

Obeliscus Beneventanus, cuspide et basi destitutus, longus est palmos fere septemdecim [26].

Obeliscus Veliternus, duorum palmorum latitudine, olim longus fuisse videtur palmos circiter viginti duos [27]. Eademque credi potest Albanii obelisci longitudo [28]. Etiam Catanenses obelisci ad hanc classem spectant [29]: et ea obeliscorum fragmenta, quae Cairi, Rosettae atque Alexandriae offenderunt peregrinatores [30], et ea quae Romae vidit Kircherus [31].

Quartae classis unus hactenus innotuit obeliscus, Florentiae asservatus, longus palmos octo, latitudine fere palmari, infimo trunco mutilus [32].

Ex his primae et secundae classis lapides, quos magnorum obeliscorum nomine comprehenderunt Urbis topographi, ad eos pertinere videntur quos veteres scriptores appellavere obeliscos: reliqui autem stelis potius videntur accensendi. Ejusmodi autem magni obelisci viginti tantum vel ut plurimum viginti duo memorati inveniuntur veteribus, praeter eos quos numero non definito Sai et Thebis extitisse narrant Herodotus, Diodorus et Strabo: nec hodie, exceptis fragminibus illis quae Thebis vidit Nordenius, plus viginti octo exstare comperi, comprehensis quoque Axumitis tribus, iisque quos Abydi invenit Gangerius, et fragmento Wanstediano. Itaque quibus auctoribus ferat Pauwius, exstitisse olim plus quam octoginta obeliscos primae magnitudinis, me ignorare fateor [33].

CAPUT QUINTUM

De situ obeliscorum.

§. I.

Priscos Aegyptios gesta sua scientiasque et inventa stelis inscripsisse, et hosce lapides tum aliis in locis collocasse, tum praesertim in templis, speluncis et sepulcris; grandes vero obeliscos, quod stelarum videtur genus eximium, honoris causa Soli aliisque diis in templis sacrasse, abunde constat ex veterum testimoniis

22 Sect. 2. cap. 1. §. 9. p. 79.
23 Sect. 2. cap. 2. §. 3. pag. 84. et cap. 1. §. 11. pag. 80.
24 Sect. 2, cap. 1. §. 10. pag. 79. 80.
25 Sect. 2. cap. 3. §. 9. pag. 113.
26 Sect. 2. cap. 2. §. 2. pag. 84.
27 Ibid. §. 1. pag. 83.
28 Sect. 2. cap. 1. §. 11. pag. 80.
29 Sect. 2. cap. 2. §. 5. pag. 87.
30 Sect. 2. cap. 3. §. 3. 4. 6. pag. 100. 108. 102.
31 Sect. 2. cap. 1. §. 13. pag. 81.
32 Sect. 2. cap. 2. §. 4. pag. 85.
33 *Recherches philosophiques sur les Egyptiens et les Chinois par M. de Pauw. à Genéve* 1774. tom. 2. p. 67.

in prima sectione allatis [1]. Sed quem in templis situm tenuerint, annotare neglexerunt veteres, nec monumenta supersunt e quibus argui possit, praeter lithostroton Praenestinum, ubi in delubri aditu infra gradus collocati cernuntur duo obelisci [2]. Hanc vero in Aegypto obtinuisse consuetudinem, ut obelisci bini ponerentur ad templorum ingressum, docemur a peregrinatoribus, qui inter Thebarum rudera et apud Carnac et apud Luxor ea ratione statutos invenerunt [3]. Alexandriae quoque in Caesaris templo duo stetere obelisci [4]: et Aegyptios imitati Romani duos posuerunt in Campo Martio ante mausoleum Augusti [5]. Etiam scriptores antiqui pari plerumque numero eos recensuerunt.

At nimis sibi sumsisse videntur recentiorum nonnulli, qui omnes in Aegypto obeliscos hac lege constitutos affirmaverunt [6]. Meminit Plinius obeliscorum singulorum, quorum unum statuit Mesphres, unum ingentem Ramises; et unum instar apicis omnium eminentem in Solis templo speciali munere dicatum narrat Ammianus. Accedit quod in obeliscorum scalpturis inque aliis Aegyptiis monumentis obeliscos expressos videmus modo singulos modo ternos [7].

In Saitidis Minervae templo magnos obelos statutos memorat Herodotus, numero non definito, neque situ expresse indicato: si vero aliquid arguere est ex orationis serie, steterunt inter sepulcrum Osiridis pone aedem collocatum, et lacum orbicularem in quo peragebantur mysteria. Et praegrandis ille obeliscus quem ex Aegypto advexit Constantinus stetisse videtur in templi parte sacratiore: nam in lapidem ante ostium constitutum parum conveniunt verba Ammiani, scriptoris licet turgidi neque satis accurati.

Qui autem in Aegypto hodie supersunt obelisci, magna ex parte deprehenduntur in locis ita vastatis, ut in qua positi fuerint aedificiorum parte, accurate sciri non possit: neque de cunctis satis diligenter retulerunt peregrinatores. Arsinoites obeliscus in agro stat, nullis prope eum aedificiorum vestigiis [8]: et quae rudera adjacent obelisco Heliopolitano adeo sunt deformia, ut quae de ejus positione scribit Pocockius nil aliud sit quam tenuis conjectura [9]: de duobus autem quos inter Abydi reliquias vidit Grangerius locum notare neglexit.

In Philensium obeliscorum descriptione non satis inter se conveniunt Pocockius et Nordenius, sed quantum colligere potui, non januae aedis fuere oppositi; sed in magna area, quae porticibus consepta aedi ad meridiem adjacet, forte Osiridis sepulcro et mysteriis destinata, quatuor erant obelisci ita constituti, ut qui vel ab oriente vel ab occidente intraret in aream juxta porticuum terminum septentrionalem, binos conspiceret, quos excipiebat sphingum seu leonum series eo pacto positorum, ut inter medios eos iter esset ante aedis frontem porrectum. Ex binis igitur obeliscis alter ad aream spectabat et meridiem, alter ad aedem atque septentrionem. Praeterea areae latus australe, quod imminet margini insu-

---

1 Consule in primis Herodot. 2, 111. 170. Theophr. *de lapid.* pag. 394. Diodor. 1, 46. 57. 59. Plin. 36, 8. 9. Amm. Marcel. 17, 4. Supra pagg. 2. 3. 4. 5. 10. 11. 25.

2 Vide sect. 1. cap. 4. §. 1. pag. 56.

3 V. sect. 2. cap. 3. §. 9. 10. pag. 112 sqq.

4 Plin. 36, 9. supra pag. 14.

5 Topographi Urbis supra pag. 28. 29.

6 Vide *Mr. de Pauw recherches sur les Egyptiens* tom. 2. pag. 68 sqq., cujus verba Italice reddidit cl. Del Rosso in libro cui titulus: *Ricerche sull' architettura Egiziana. Firenze* 1784. pag. 39. sqq.

7 V. sect. 1. cap. 4. §. 7. pag. 64.

8 V. sect. 2. cap. 3. §. 7. pag. 109.

9 Ibid. §. 5. pag. 103. 104.

lae; munitum est muro humili nullis foribus pervio, cujus lateri exteriori adhaerent stylobatae quatuor, aequis fere spatiis inter se distantes, eodemque pariter spatio utrinque ad angulos muri relicto. Ex his duo qui extremi sunt, sustinent pilas aliquas quadratas e marmore candido, Nordenio dictas obeliscos; iis autem qui in medio sunt insident obelisci e syenite lapide. Sed omnes qui in Phile insula cernuntur obelisci, parvi sunt, basium latitudine palmos ternos cum dimidio non superantes; potiusque accensendi videntur stelis, quas prisci Aegyptii factorum inventorumque memoriae conservandae, vel morum rituumve praeceptis exponendis designaverant, quam splendidis illis donariis, quae obeliscorum nomine insignivere veteres scriptores [10].

Duo autem ingentes obelisci Thebis sunt ad vestibulum templi prope vicum Luxor, quod Osymandyae sepulcrum appellare placuit Sicardo et Pocockio: licet situm sit a Nilo ad orientem, cum tamen illud sepulcrum Diodorus, qui solus ejus meminit, in occidentali latere collocet [11]. Hi positi sunt ante templi frontem septentrionalem, circiter triginta pedum intervallo ab ea remoti, alter autem ab altero distans pedibus ferme quadraginta: perque id spatium quod relinquitur inter obeliscos recta itur ad templi ostium, quod una cum duabus statuis colossalibus ab utroque januae latere constitutis spatium occupat aequale ei, quo a se invicem distant obelisci. Utrum vero circa eos alia adfuerint aedificia, an sphinges quaedam statuaeve, pro certo definiri nequit: nam solum aggesta humo ruderibusque ad multorum pedum altitudinem excrevit [12].

Est et in ejusdem civitatis ruinis prope vicum Carnac aliud templum e multis aedificiis constans, in quorum fere meditullio sex cernuntur obelisci non magno intervallo dissiti. Nempe ubi ab occidente tendis ad templum, propylaeum habes seu vestibulum, per quod ingrederis in atrium admodum spatiosum, exque eo per secundum vestibulum pergis in porticum, sive basilicam appellare mavis, columnarum silva suffultam, ex quo ostium ducit in septum amplissimum variis aedificiis decoratum; id vero septum excipit area cum vestibulo orienti soli obverso. Jam vero dum ex ea parte templi quam porticum dixi transis in septum, statim obvii sunt obelisci duo, alter ad austrum alter ad boream, a se distantes spatio non multo ampliori quam est latitudo ostii. Mox habes vestigia parvi aedificii fere quadrati, aperti ad ortum et occasum, quod transgressus alios conspicis obeliscos duos, a dextris alterum, alterum a sinistris, prioribus majores et spatio plus duplo majore a se invicem dissitos. Post eos frons est amplioris aedificii statuarum ordine decora, et in media ea patet aditus latitudine aequans dimidiam partem spatii quod est inter ambos obeliscos. In hoc vero aedificio, quod ex variis cellis sive cubiculis constare videtur, medio loco est impluvium oblongum, ad cujus finem duo cernuntur parvi obelisci absque fastigio ante aediculam constituti [13].

Magnos itaque obeliscos in Aegyptiis aedificiis, quae aevum tulerunt, non nisi binos positos videmus ad januarum latera, modo ante vestibulum, ut in templo Luxorensi, modo in intimo delubri recessu, ut apud Carnac: quod licet non

---

[10] Ibid. §. 12. pag. 120. Consule ichnographias Pocockii tab.49. Nordenii tab.139.

[11] Confer Diodorum 1, 46. 47. cum Strabone lib. 17. pag. 1171.

[12] V, sect.2. cap.3. §. 10. pag. 116. 117. et consule Nordenii tabulam 104, et Pocockii tabulam 40.

[13] Ibid. §. 9. pag. 113. 114. Inspice omnino Pocockii tabulam 28.

sufficiat ad elevandam veterum auctorum fidem, qui singulos quoque memoravęrunt obeliscos, tamen credere suadet hunc fuisse solemniorem eorum usum, et inde forsan nomen derivatum [14]. Minores etiam obeliscos in Carnacensibus ruinis eadem ratione statutos offendimus, si quidem stelas fastigio carentes obeliscos appellare mavis quam cum Pocockio pilas.

§. II.

Haec dixisse sufficiat de obeliscis ratione situs quem occupant in aedificiis; Invenio autem scriptores qui Aegyptios de industria ita collocasse autumant obeliscos, ut frontes eorum quatuor mundi cardinibus essent obversae [1], eodem pacto quo positae creduntur pyramides [2]. Sed falli qui ita sentiunt, docemur a Niebuhrio, cujus observationem de positione obelisci Heliopolitani attuli sectione secunda, cap. 3, §.5. pag. 107 et nota 3. Neque Alexandrinos Graecos in obeliscis statuendis mundi cardinum rationem habuisse sollicite, apparet ex iis quae de obelisco vulgo Cleopatrae adscripto retulerunt Niebuhrius et Burattinus [3].

§. III.

Reliquum est ut quaeramus de obeliscorum in Aegypto stylobatis, quae forma iis fuerit et magnitudo. Mercatus nescio qua auctoritate inductus Aegyptios scribit obeliscis subdidisse stylobatas multo altiores quam quibus usi sint Romani veteres, et sic effecisse ut parvi obelisci pares viderentur majoribus in eodem atrio una consecratis [4]. Vanslebius autem in itinere Aegyptio, obeliscos in ea regione superstites nullis omnino insidere ait stylobatis, sed terrae esse infixos [5]. At uterque peccasse videtur; Vanslebius ideo quod non nisi eos viderat obeliscos,

---

[14] V. supra pag. 130.

[1] V. sect. 2, cap. 3, §. 2. pag. 98. et not. 8.

[2] Pyramides ita esse structas ut quatuor facies accurate respondeant quatuor mundi plagis, persuasum sibi habent nostri saeculi scriptores, eoque utuntur argumento ad evincendum, quod terrae poli post exstructas pyramides ne minimam quidem subierint immutationem. (*Fontenelle éloge de M. de Chazelles* in *éloges historiques* tom. 2. pag. 57. *Rollin histoire ancienne* tom. 1. pag. 20. *Pauw recherches sur les Egyptions et sur les Chinois* tom. 2. pag. 66.) Vellem sane Aegyptii tam praeclarae observationi certum parassent documentum, quo et ipsi intelligerentur jam vetustissimo aevo in gnomonica scientia ita versati, ut multo quam Tycho Brahe accuratius meridianam lineam ducere calluerint: nam Tychonis linea Uranioburgi adhuc spectanda minutis octodecim a justa directione discedere comperta est. Sed hactenus res mihi non satis certa videtur, quae vero novis curis in pluribus pyramidibus explorari recognoscique debeat, antequam certi aliquid statui possit de omnibus. Unam tantum ad hanc legem positam invenit Chazellius, qui magnam quam vocant pyramidem, sive eam quae ultima est ad septentrionem, mensus est anno 1693. Quo jure ergo concludere possumus idem obtinere in caeteris? vel quis vetus auctor scriptum reliquit, in pyramidum constructione id sibi propositum habuisse Aegyptios? Nam si ex historia constaret, Aegyptios id egisse ut pyramides mundi polis exacte obverterent, tunc quidem experimentum in una pyramide factum argumento esset pro reliquarum positione: vel si experientia edocti sciremus, omnes pyramides accurate ita esse collocatas, tum nemo sanus dubium moveret quin consilio id esset factum. At uti res nunc se habet, non video cur non fortuito evenire potuerit ut maximae pyramidis facies respondeant iis, qui nunc sunt, orbis cardinibus.

[3] V. sect. 2, cap. 3, §. 2. pag. 98. et not. 2.

[4] *Mercati degli obelischi di Roma* pag. 163. 179. 193. 234.

[5] V. sect. 2, cap. 3. §. 5. not. 17. pag. 106.

qui sunt in inferiori Aegypto, ima parte humi contectos; Mercatus, quod obeliscos Romae effossos minores plerumque deprehenderet quam pro mensuris a Plinio et Diodoro proditis. Quantum enim colligere est e monumentis atque e novissimorum peregrinatorum relationibus, obelisci in Aegypto modo infixi fuere stylobatae humili quadrato, sive plinthum appellare mavis, modo toro alicui subrotundo, cui nonnunquam subdita fuit plinthus parum elevata [6]. Quo autem arctius cum stylobate cohaereret obeliscus, dimensionem imae partis aliquantum imminuebant, rescissa laterum superficie, et hanc coarctatam trunci portionem in stylobaten accurate ad ejusdem mensuras excavatum demittebant. Infixo itaque trunco isto coarctato dilatabantur obelisci facies super planum stylobatae, et obelisco speciem praebebant ac si eidem esset superimpositus, quamquam vere in eum esset defixus. Hujus rei clara indicia servat obeliscus Borgianus: et in Vaticano obelisco suspicor eam baseos partem, quae reliqua trabe paullo angustior olim contecta fuit laminis aeneis, in Aegypto demissam fuisse in cavitatem stylobatae [7]. Idem de Axumitis obeliscis refert Brucius, atque in Alexandrino obelisco a Lemairio observatum tradunt Shawius et Egmont [8]; scribitque Pocockius se idem accepisse ab iis qui humo amota detexerant obeliscorum fundamenta. Advertit idem auctor columnas in Aegypto pari ratione stylobatis suis sive plinthis quibusdam subrotundis infixas deprehendi [9].

De magnitudine autem et figura stylobatae nil satis certi invenio apud peregrinatores: neque e Praenestino lithostroto tutum judicium ferri potest de architectura Aegyptia. Nordenius quidem perhibet, obeliscis pro stylobate esse saxum cubicum, latitudine plerumque pedibus duobus vel tribus excedens latitudinem obelisci. Sed fatetur id saxum una cum trabis parte plerumque terra contegi, nec quo in loco ipse viderit indicat [10]. Suspicor igitur eum respexisse ad Alexandrinum obeliscum a Lemairio ad fundamenta usque denudatum. At Graecos, qui in statuendis obeliscis Alexandrinis ea re imitati videntur Aegyptios, quod pedem obelisci infigerent stylobatae, in ipso saxo eam servasse proportionem, quam adhibere solebant Aegyptii, affirmari nequit. Nam in Aegyptiis scalpturis non saxa sunt cubica, quibus innituntur obelisci, sed duplo saltem vel triplo latiora quam alta. Etiam Pocockius tota Aegypto peragrata de obeliscorum stylobatis eo modo verba facit ac si ipse nullum usquam conspexisset: atque dum Heliopolitanum obeliscum insi-

---

[6] V. sect. 1, cap. 4., §. 7. pag. 64.

[7] V. sect. 2, cap. 2, §. 1. pag. 83. et cap. 1, §. 2. pag. 71.

[8] V. sect. 2, cap. 3. §. 14. pag. 125. et §. 2. pag. 97. nott. 8. 11.

[9] *Pococke's description of the East* tom. I. pag. 215. *The ground of the edifices in Egypt is so much risen, that J could not come to any certainty with regard to the height of their pillars*. pag. 217. *The pillars of Hajar-silsily are the only columns J saw entirely to the bottom*. pag. 114. *At Hajar-silsily are some pillars cut out of the rock, which are entire with their pedestals. J measured them exactly; to see if the Egyptian architecture could be brought to any rule*. pag. 216. *The base or pedestal of the pillar was round, the corners being taken off at the edge; it had a socket in it to let in the pillar. That at Hajar-silsily to a pillar of 2 feet 2 inches diameter at bottom*, was 4. *feet diameter, so that it projected beyond the pillar* 11 *inches, and* was 10. *inches deep. — Jt is very probable that many of their pillars, especially* which *in their temples, were without any base, for the convenience of walking between them. Jt has been also found out that the obelisks were placed on such bases, and let into a socket,*which *made the raising of them much easier than on high pedestals, as they are placed in Rome*. V. etiam sect. 2, cap. 3. §. 2. not. 3. pag. 95. et §. 6. not. 1. pag. 103.

[10] Sect. 2, cap. 3. §. 1. not. 2. pag. 93.

dere conjicit plintho altitudinis tripedalis, argumentum duxisse videtur a columnis in Aegypto hoc pacto statui solitis: quamquam et de columnis scribat, solum inter Aegyptia aedificia ruderibus ita excrevisse, ut praeter eas, quae prope Hajarsilsily rupi eminenti adhaerent ad speluncae januam, sibi nullas usque ad fundamenta persequi licuisset. Perrium autem, qui obelisco Heliopolitano tribuit stylobaten altum pedes septem, aliquo memoriae lapsu ita scripsisse, jam supra animadvertimus [11]. Monuimus quoque non nisi tarde credendum esse Shawio, ubi asserit obeliscorum bases desinere in figuram hemisphaericam [12]: cui rei refragatur etiam obeliscus Borgianus, basi gaudens plana, licet ut modo diximus incisione facta in lateribus coarctata. Itaque omnia eo redeunt, obeliscis stelisque in Aegypto stylobatarum loco fuisse humiles aliquas plinthos ad recipiendam saxi basin sive pedem excavatas. Graeci pro his substituisse videntur saxa cubica mediocris magnitudinis cum coronide rustica, ut videre est in lithostroto Praenestino [13], Romani autem imperatores dum ad novum usum transferrent obeliscos addidere altos illos stylobatas, ab hodiernis architectis denuo auctos, quibus et operis infirmatur stabilitas, et notae saxis incisae amoventur a spectantium oculis.

CAPUT SEXTUM

Quo fine erecti fuerint obelisci.

§. I.

Consilium obeliscorum sive finis ad quem excisi fuere, veteribus non memoratur, nisi quod diis oblatos scribant pro donariis; recentiores autem curiosius hanc rem indagare studuerunt, et varias proposuere circa eam opiniones. In his quae nostra aetate maxime invaluit ea est, obeliscos in Aegypto fuisse pro gnomonibus, sive ad horas demonstrandas, sive ad dierum noctiumque longitudines variis anni tempestatibus indicandas. Opus itaque est ut data opera inquiramus in originem ejus et in argumenta quibus suffulciatur. Augustum Caesarem unum ex obeliscis, quos Aegypto in populi Romani potestatem redacta Romam deportavit, pro gnomone statuisse in Campo Martio, auctor est Plinius: quae vero scripsit de eo, hodie ita obscura sunt, ut magnam litem moverint inter eruditos, utrum styli vice functus sit obeliscus ad horas ostendendas velut in sciathero, vel tantummodo ad instar lineae meridianae umbra quotidie augescente et rursus decrescente dierum notaverit longitudines. Mathematicorum quidem chorus, quos consuluit cl. Bandinius, et quorum epistolas dissertationesque imprimendas curavit in calce commentarii de obelisco gnomonico, unanimi fere consensu pronunciaverunt, non horologium fuisse, sed meridianam lineam, quam strato lapidi includi jussit Augustus. Sed postea Comes de Turre Rezzonici disquisitionibus Plinianis adnexit epistolam ad P. Franciscum Jacquetium, qua veterem opinionem tuitus est de ingenti horologio in pavimento circum obeliscum concinnato; nec hodie desunt qui sen-

[11] Ibid. §. 5. not. 18. pag. 107.
[12] Ibid. §. 2. not. 8. pag. 97.
[13] Sect. 1. cap. 4. §. 1. pag. 57.

tiant cum Rezzonico [1]. Hanc litem dirimere mearum virium non est, neque huc pertinet: nam cum ea esset veterum solariorum conditio ut praeter horas notarent quoque dierum longitudines, in hoc omnes conveniunt quod diebus umbrarum ope metiendis obeliscus inservierit in Campo Martio; et inde nata est occasio inquirendi, utrum Augustus ad hunc usum primus converterit obeliscos, an jam ante eum in Aegypto ad hoc fuerint destinati.

Plinius quidem, cum obeliscos a veteribus regibus Soli sacratos narravisset, postmodum de eo qui in Campo erat scribit: „ Divus Augustus ei addidit „ mirabilem usum, ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium ita „ magnitudines „: quo docere videtur, Augustum ad novum usum transtulisse obeliscum. At ignorare potuit Plinius idem obtinuisse in Aegypto, nec multum tribuendum Plinio, si vel alii auctores adsint vel probabiles rationes ex rei natura petitae, e quibus intelligatur obeliscos in Aegypto fuisse pro gnomonibus. Kircherus Oedipi tomo secundo [2] scribit: „ Triplex lego Aegyptiis usurpatum fuis- „ se horologium, sciathericum, naturale et sympathicum. Primum erat illud, „ quo horaria tempora ex umbris gnomonum ediscebant. Erat autem et hoc mul- „ tiplex. Nonnulli ex umbris obeliscorum et pyramidum, certis in ambientis su- „ perficiei planitie signis fixis, ad quae umbra apicis pertingeret, talem et ta- „ lem horam esse discebant. Hoc pacto obeliscum Heliopoli erectum horas in- „ dicasse alibi ostendimus „. At vadem non sistit, neque invenire potui locum ubi ipse demonstret obeliscum Heliopoli ad hunc finem fuisse erectum [3]. Primi ergo Parisienses Academici inscriptionum et humaniorum litterarum, in consultatione, qua agitur an Manlius Mathematicus omnium primus obelisco pilam ad umbram in semetipsam colligendam addiderit [4], ex Apionis verbis a Josepho descriptis, quae sistimus primae sectionis capite primo pag. 7; arguerunt Aegyptios eadem fere ratione, qua Augustus Campensem obeliscum, suos quoque obeliscos pila vertici addita umbris notandis accommodasse. Quam consuetudinem ad Graecos quoque transiisse, colligendum credidere ex numo Golziano Philippi regis nomine inscripto.

Horum vestigia premens Goguetius in libro de legum artiumque origine scribit [5]: „ Negari nequit Aegyptios primos invenisse usum gnomonis cum arte „ constructi, nam nemo est quin obeliscos intelligat gnomones aliquos magna „ diligentia magnisque impensis factos. Quis enim credet figuram eorum ori- „ ginem traxisse a casu vel ab otiosi hominis arbitrio? Sed reges, qui eos ex- „ cidere, licet gloriam inde captarent et nominis immortalitatem, dubium non „ est, quin in monumentorum forma eligenda ad publica commoda respexerint. Do- „ cemur etiam ex loco Apionis apud Josephum, obeliscos omni tempore ab Aegy- „ ptiis destinatos fuisse ad usus astronomicos: nam gnomonem describit ad- „ modum singularem, quem a Mose inventum dicit ut eidem inserviret usui, „ cui alias obelisci. Qua licet fabulosa narratione hoc saltem evincitur, anti- „ quos homines persuasum sibi habuisse, quod obelisci ab initio erecti essent

---

[1] Disquisitiones Plinianae auctore Antonio Joseph Comite a Turre Rezzonici. 1763.1767 tom. 2. pag. 388. sqq.

[2] Part. 2. class. 7. cap. 8. pag. 229.

[3] Suspicor cogitasse Kircherum de obelisco Campi Martii ab Heliopoli advecto, de cujus erectione pro gnomone fuse egit in Obelisco Pamphilio pag. 76. sqq.

[4] *Histoire de l' acad. des inscript.* tom. 2. pag. 210. et apud Bandin. de obel. Caes. Aug. append. pag. 69.

[5] Part. 2. lib. 3. cap. 2. art. 2.

„ pro gnomonibus : ideoque solis digitos vocavere sacerdotes Aegyptii, quod „ styli instar gradus describerent, quibus sol diversis in locis diversisque tempo- „ ribus supra terram attollitur. Si vero alia non suppeterent argumenta, jam „ ex eo quod Romani, quos in astronomia non multum profecisse constat, „ Campensi obelisco ad dies metiendos usi sunt, colligeremus idem fecisse Aegy- „ ptios. Sed vetusti illi gnomones multo inferiores putandi sunt iis quibus uti- „ mur hodie: nam apex umbrae profectae a vertice obelisci deprehendi non po- „ terat in linea meridiana, cum propter penumbram, tum propterea quod sole „ ad certam altitudinem evecto verticis umbra confundebatur cum umbra trun- „ ci: praeterea acuti apicis umbra non solis centro respondebat sed septentrio- „ nali ejus margini, nec vera colligebatur ejus altitudo. Credibile ergo est, „ Aegyptios perspicacis ingenii homines statim cognovisse ea incommoda, et „ brevi adinvenisse remedium, pilam scilicet vertici additam, pede angusto et „ alto subrectam. Cujus rei licet nulla certa reperiatur memoria, apud Grae- „ cos tamen, qui astronomicam scientiam acceperunt ab Aegyptiis, extitisse obe- „ liscos cum pila super vertice, e numis constat. Augustus autem qui obelisco suo „ pilam addidit, nihil aliud fecisse videtur quam imitatus esse Aegyptios „. Sed haec quam levis sint momenti, intelligere promptum est. Obelisci figura a quadrata trabe in acutum verticem exiens quavis fere alia minus apta est gnomoni, quod et ipse fatetur Goguetius: pilae autem in apice adjecta nullum ne obscurum quidem affert indicium. Philippi numum, nam alii non afferuntur, dubiae fidei esse monui in primae sectionis capite quarto. At genuinus sit: id solum ex eo discimus apud Graecos exstitisse metas aliquas pila in vertice insignes, fere ut eae quae in Romanis circis steterunt, et ejusmodi meta in numi area picta ad ludos spectari probabilius certe est, quam ad gnomones.

Tota igitur res innititur loco Apionis apud Josephum, quem ex libro manuscripto exhibui in prima sectione pag. 7. annotans a viris doctis varie fuisse emendatum et expositum. Parisienses Academici, quos modo nominavi, Apionis verba sic interpretantur [6]. „ Moses, ut didici a veteribus Aegyptiis, erat ex civitate Heliopoli, quae „ Soli sacrata est, et ipse patriis moribus addictus. Is instituit ut precationes fie- „ rent sub divo, et super aggeribus oppidorum: et oratoria omnia convertit „ ad orientem; nam ita obtinet in Solis civitate. Obeliscorum autem loco co- „ lumnas statuit, quarum basis infixa erat scaphio sive labro, et in summa co- „ lumna erat figura sive caput hominis, cujus umbra eundem cursum ac sol ab- „ solveret „. Pauwius autem adversus eos disputans qui obeliscos gnomonum loco erectos arbitrantur, scripsisse ait Apionem, quod Moses columnis imposuisset hemisphaeria concava, cujusmodi pro horologiis utebantur veteres, et eas columnas obeliscorum vice adhibuisset: affirmatque Apionem ita locutum esse de hac re ut suam prodat inscitiam, nec ipsum quae scribebat intellexisse; nam scalis

---

[6] Loco citato: *Moyse comme je l' ai appris des anciens Egyptiens, étoit de la ville d' Heliopolis qui est consacrée au soleil. Il étoit accoutumé aux moeurs de sa patrie. Il introduisit l' usage de faire les prieres en plein air, et sur les remparts des villes. Il tourna tous les oratoires au soleil levant; car c' est ainsi qu' on le pratique à la ville du Soleil. Au lieu d' obélisques il éleva des colomnes, dont le pied étoit dans une espece d'esquif ou de bassin, et il y avoit au sommet une figure ou tête d' homme, dont l'ombre fournissoit le même cours que le soleil.*

ascendere opus fuisset si quis ejusmodi scaphium inspicere voluisset et dies metiri ex umbrarum declinatione [7].

Sed pace dicam clarissimorum virorum, de tota ista re nihil invenio apud Apionem. Nam si recte ego capio sensum dictionis, quam miram vocat Josephus parum ab ejus aetate distans, neque de obelisco hic sermo est pro gnomone posito in scaphio, neque de horologio in alta columna collocato, sed de superstitiosa quadam effigie, qua a Mose solem repraesentatum fabulatur Apion, similemque effigiem me pluries vidisse existimo in gemmis Graeco-Aegyptiis, inque iis quas vulgo appellant Abrasax. Cernitur in his cymbium, in cujus medio assurgit scapus loti, cum flore, et Harpocrate deo flori insidente [8]. Cujusmodi imaginem ubi, imposueris columnae, habes eam rem quam a Mose inventam tradit Apion, et obelorum loco in proseuchis vel ante eas constitutam. Totum enim locum ita interpretandum reor: „ Moses Heliopolites, cum circa cultum divinum novare instituisset, et patriis moribus esset obnoxius, hypaethras proseuchas exstruxit ad „ eam altitudinem quam habebant septa templi Solis; easque ita ordinavit, ut „ qui intraret, facie conversus esset ad solem orientem: ita enim positum est „ ejusdem templi vestibulum [9]. Pro obeliscis autem, quibus solem adumbrare consueverant Heliopolitae, Moses columnas substituit, in quarum summitate fictum est navigium; et umbra viri in eo constituti, utpote in aëre, hunc diurnum cursum cum sole semper absolvit „. Hoc modo Apionis verba intellexisse Josephum inde quoque colligo, quod ipse refellens ejus commentum, rem quam a Mose inventam ait Apion, non alio appellet quam effigiei nomine (εκτυπωμα). Et sic obvius est sensus, res quam facile tibi possis imaginari, et idearum series apprime congrua ei saeculo in quo vixit Apion. In hoc mecum sentit Pauwius, quod σκαφην illam super columna positam arbitratur: sed nollem eo pacto recedere a vulgatorum librorum lectione, ut scriptori obtru-

---

[7] Vide infra notam 10. Winkelmannus in epistola de architectura veterum §. 35. ad calcem historiae artis editore Fea tom.3. pag.166, ex hoc Apionis loco arguendum censet, columnas originem suam traxisse ab obeliscis, recisione facta angulorum, ut columnae fierent aliquae multilaterae atque ab imo ad summum coarctatae, uti sunt Paestanorum aedificiorum columnae. At praeter quod Apioni sermo non sit de columnis vel de obeliscis quibus subrigerentur aedificia, eruditissimus vir non advertit, quod inter Aegyptias columnas a peregrinatoribus proditas nullae inveniantur quae latitudinis diminutione aliquo modo accedant ad Paestanarum columnarum figuram. Gibertus vero in dissertatione de obelisco interpretato ab Hermapione, in *Memoires de l'acad. des inscriptions* tom. 35. pag. 670., columnas quas Mosi tribuit Apion, pro ipsis obeliscis accipit in scaphio gnomonum vice constitutis. *On lisoit aussi dans les histoires d'Egypte, que Moise étoit d'Heliopolis, qu'il y avoit construit le premier des temples fermes, et élevé des colonnes, (ce sont des obélisques) dans des especes de bassin, où l'ombre de ces colonnes tomboit et tournoit avec le soleil.*

[8] Et ne dubitemus quem deum exprimere voluerint ea effigie, in sarda musei Borgiani adscriptum ei legitur vocabulum ΦΡΗ, quod Aegyptiis solem significat.

[9] Lego: ὡδε γαρ και ἡλιου κειται πυλων. Quod enim in libris habetur κειται πολις, qui ferri possit non video. A Nilo quidem in ortum sita erat Heliopolis, sed quae ratio ista ut ad orientem proseuchas converteret Moses? Si ipse profectus esset ad occasum, tunc quidem credere potuisset Apion, voluisse eum ut domus precatoriae patriam suam respicerent, uti Muhammedis asseclae orando respiciunt Caabam. V. cl. Adleri museum Cuficum Borgianum p. 102. cl. P. Paulini a S. Barth. syst. Brahman. ex monum. Indic. musei Borgiani p. 43. At Solis templum ita fuisse constructum, ut qui per propylaeum pergerent ad aedem, salutarent solem orientem, ex rei natura esse videtur; et haec ratio videri potuit Apioni, ut Moses proseuchas ea qua diximus lege ordinaret. De reliquis consule notas nostras ad hunc locum: Sect. I. pag. 7.

derem sensum incongruum, et concluderem, eum quae ipse scripsit non intellexisse [10]. Qui autem columnam in scaphio positam pro gnomone ab Apione descriptam credidere, scaphium istud pro horologio fuisse, non pro sola linea meridiana, fateantur necesse est, cum Apion aperte scribat umbram verticis circumire cum sole: quo consequitur eos non perpendisse magnitudinem scaphii, cui pro stylo esset columna vel tertiae classis obeliscis aequiparanda, nec intellexisse machinae constructionem. Praeterea obeliscorum in Aegypto usum gnomonicum ignorasse Apionem, argui etiam potest e Plinii silentio, quem ex hoc praesertim auctore res Aegyptias, naturalis historiae libro tricesimo sexto traditas, hausisse recte docet Heynius, quem honoris causa nomino [11]. At assentire nequeo cl. Pauwio, qui opinionem de obeliscis gnomonicis in Aegypto eo potissimum argumento refellendam credidit, quod obelisci bini positi inveniantur in Aegyptiarum civitatum ruderibus [12]: modo ne de omnibus id affirment, qui eam tuentur sententiam. Quid enim obstat, quin alii bini ponerentur ante templorum ostia, alii singuli in arearum centro, quas admodum spatiosas adjectas videmus templis nonnullis; vel in foris civitatum? Neque quod duo essent et ante delu-

---

[10] Huetius quoque *demonstr. evang.* propos. 4. pag. 132, post locum a se emendatum concludit, ignorasse Apionem usum columnarum de quibus scribit. Nempe plures columnas in una scaphe stetisse credit Huetius, et hanc machinam idem esse horologium, de quo fabulantur Rabbini, tribus columnis multisque armillis compactilibus et inscriptionibus Hebraicis conspicuo.

[11] *Antiquarische aufsäze*, fascic. 2. pag. 110.

[12] *Recherches philosophiques sur les Egyptiens et les Chinois* tom. 2. p. 68. sqq. *On se trompe generalement aujourd'hui au sujet des obélisques, qu'on dit avoir servi en Egypte de gnomons. Il suffit d' examiner attentivement leur position et leur forme, pour s'appercevoir qu' on n'y a jamais pensé: les Egyptiens élévoient toujours deux de ces aiguilles l'une à côté de l' autre, à l' entrée des temples; et lorsqu'il y avoit trois grandes portes, on y plaçoit jusqu' à six obélisques. Tout cela se voit encore de nos jours dans les ruines du temple de Phylé, dans celui de Thebes, et à l'entrée de ce qu' on prend pour le tombeau d' Osimandué. Par là on peut deja s' appercevoir qu' il n'est point de tout question de gnomons, qu'il seroit absurde de poser si près les uns des autres que leur ombre se confondit. D'ailleur la partie superieure de ces aiguilles, qu'on nomme le pyramidium, ne sauroit donner aucune inclination précise, hormis qu' on n' y ajoute un globe, comme on fit à Rome sous Auguste et sous Constance. Et voilà cependant ce que les Egyptiens n'ont jamais fait; puisqu' aucun auteur de l' antiquité n' en a parlé, et on voit par les tableaux tirés des ruines d' Herculanum, et beaucoup mieux encore par la mosaique de Palestrine, que les obéliques y sont toujours représentés sans globe. Aussi n'a-t-on pas trouvé dans la tète de ces monumens la moindre excavation pour y insérer le style ou la barre. —— Il est manifeste qu'on a abusé d' un passage d' Appion le grammairien, qui prétendoit que Moise avoit placé des hemisphères concaves sur des colomnes au lieu d'employer des obélisques; mais il parloit de ces choses-là d' une maniere qui prouve qu' il ne savoit point ce qu'il vouloit dire; et le Iuif Josephe encore plus mauvais raisonneur et plus ignorant physicien qu' Appion, le réfute par des argumens pitoyables. Vitruve, Cleomede, Macrobe et Martien Capelle decrivent les horloges solaires, équinoxiaux, dont on se servoit en Egypte; et par le moyen desquels Eratosthene mesura ou vérifia la mesure de la terre. Ces horloges étoient réellement des hémisphères concaves du milieu desquels s'élévoit un style perpendiculaire; mais le comble du ridicule seroit de vouloir avec Appion, qu' on eut placé ces cadrans sur les obélisques ou de hautes Colomnes, où il eut fallu ensuite monter avec des échelles pour observer la declinaison de l' ombre.* Locum fere integrum describere operae pretium duxi, cum in re conveniam cum Pauwio, argumenta autem in medium allata mihi non satis valida videantur. De picturis quas citat, vide quae scripsi sectione 1, cap. 4., §. 2: de Philensibus autem obeliscis, quae sectione 2, cap. 3. §. 12: et mecum senties nihil circa hanc rem ex iis argui posse. In summitatibus vero obeliscorum, qui in Aegypto stant, nulla esse foramina stylo vel globi fulcro inserendo parata, quis docuit Pauwium?

brum positi; tuto inde concluditur, eos non potuisse inservire gnomonicis rationibus: sicut nec duae lineae meridianae parallela directione in pavimento exaratae altera alteri sunt impedimento.

Sed neque praetereundus est Brucius peregrinator, qui omnes obeliscos quos ipse vidit in Aegypto superiore, positos ait super strato lapide summa cura complanato, et ita firmiter conjuncto atque fundato, ut hodie quoque inservire possit observationibus gnomonicis. Haec pavimenta ab obeliscis procurrere ad septentrionem, meridianis umbris colligendis aptata; obeliscorum autem vertices non raro ab acuta figura devergere ad hemisphaericam, quo experimento penumbram evitare tentaverint Aegyptii [12]. Speciosa haec quidem, atque si profecta essent a viro de cujus constaret fide et diligentia, magni sane ponderis. At Brucius ex praeconceptis suis opinionibus Aegyptiae vetustatis reliquias existimasse intelligitur, caeteroquin a multis jam notatus tanquam qui in itineris narratione multa scripserit a veritate aliena. Non tamen hac in re fidem ejus impugnarem, nisi scriptum reliquisset Nordenius, obeliscorum in Aegypto stylobatas plerumque terra deprehendi obrutos [13]; ac nisi Pocockius solum circa Aegyptia aedificia cadentium molium ruinis ita exaltatum narravisset, ut de columnarum altitudine nil certi comperire potuerit, nec stylobatas inspicere; de obeliscorum autem basibus disserens ad eos provocasset qui fodiendo detexere [14]. Quod vero Brucius ait stratum lapidem ab obeliscis boream versus porrigi, novimus Carnacenses obeliscos omnes ita positos ut ex binis alter septentrionale latus occupet, alter meridionale; Philenses a templi septorumque parte australi constitutos; Luxorenses autem, qui ad boream spectant, magna sui parte ruderibus contectos [15]. Cacumina obeliscorum non raro laterum convexitate assimilari cono obtuso, notavi in Romanis quoque obeliscis [16], et huc redire suspicor quae de Thebaeensibus narrat Brucius. Sed hoc certo aliquo consilio factum esse ad penumbras separandas vel solis centrum inveniendum, rationes quae evincant desunt. Duo autem obelisci, quos stantes prope Matаream et prope Fajumam delineatos exhibuere Nordenius et Pocockius, suspicionem mihi moverunt, verticibus pilam aliquando additam fuisse vel aliud ornamentum [17]. Arabes quoque auctores, teste Mailletio, perhibent in summitatibus obeliscorum nonnullorum, in quibus is qui Matareae cernitur, adfuisse pilas quasdam aeneas sive scaphas, quibus ad Nili incrementa praenoscenda usi sint Aegyptii [18]. Quae non tacenda existimavi, licet facere videantur pro iis contra quos hoc loco disputationem institui, ab ipsis autem quod sciam non sint adnotata. Non enim id mihi propositum est ut aliquam stabiliam meam sententiam vel reliquorum oppugnem opiniones; sed ut res exponam quales deprehendi, circa ea autem quae inde sint arguenda, arbitrium sit penes lectores. Fieri potest ut obeliscis suis nescio quae ornamenta imponerent Aegyptii, fieri potest ut globo vertici adjecto nonnullis uterentur pro gnomonibus: sed fieri etiam potest ut in ipsa Aegypto, praesertim in regione inferiore, Graeci Romanive hoc novarent circa obeliscos, uti Maximus ille qui Alexandriae rescindi jussit obelisci fastigium quo aliud adderet auratum [19].

---

12 Vide supra sect. 2. cap. 3. §. 9. not. 7.
13 Ibidem §. 1. not. 2.
14 Sect. 2 cap. 3. §. 9. 10. 12.
15 Sect. 3. cap. 2. §. 1.
16 Sect. 3. cap. 5. §. 4. not. 10.
17 Sect. 2. cap. 3. §. 5. 7.
18 Ibid. §. 5. not. 6.
19 V. supra pag. 14.

§. I I.

Dicendum quoque est de Stuarto, qui multo sane cum acumine in laterum inclinatione certum aliquod consilium invenit, ut ita ex obeliscis eorumque umbris colligerent Aegyptii dierum longitudines et vertentis anni cardines, rationemque inde aliquam patere credidit qua nos certi fieri possimus de latitudinis gradu, ad quem primitus erectus fuerit quivis obeliscus [1]. „ Hujusmodi moles, scribit, „ ab Aegyptiis initio erigi coeptas non ex inutili quodam luxu ad inane orna„ mentum, sed in usum aliquem, et commodum facile sane sibi persuadebit, „ qui ejus gentis ea potissimum aetate florentissimae et industriam, et studia per„ penderit: licet id ipsum et inventum initio, et diu etiam adhibitum ad ipsum tan„ tummodo commodum, atque usum, regum deinde potentissimorum superbia, et „ fastus quidam, ad luxum transtulerit, et potentiae ostentamentum. Quoniam au„ tem astronomiam in primis excultam ab iis novimus, et gnomon, qui umbras „ solis denotet, huic scientiae excolendae non aptissimus tantum est, verum „ etiam alia instrumenta si desint, maxime necessarius; quid aliud verosimilius, quam „ ad hunc ipsum usum hujusmodi moles jam ab initio destinatas; nec iccirco tan„ tummodo dicatas Soli ab ipsis Aegyptiis, quod quandam ignis et solarium radio„ rum imaginem referant; verum etiam, quod earum ope ipsum solis cursum de„ terminarent? Ejus quidem rei plurima sane exstant et apud veteres scriptores „ indicia, et in mythologicis arcanis vestigia admodum manifesta, et erudito cui„ libet cognita; praeterquamquod ipsi gentis mores et ipsa loci natura eum usum „ ab Aegyptiis potissimum exposcebat. Id enim instrumenti genus in primis apud „ eos non maximam tantummodo utilitatem habuit, sed et omnino necessarium „ fuit; quod ejusmodi anni mensura uterentur, quae cum solis cursu nequaquam „ congrueret; cum annum 365 diebus sine ulla intercalatione definirent. Jam vero „ ejusmodi anni mensura a solis cursu ita aberrabat, ut civilis hujusce Aegyptiaci „ anni initium, nimirum prima dies primi mensis Thoth, respectu solaris anni qua„ ternis quibusque retrocederet annis per dies singulos; adeoque per omnes nostros „ menses progressu temporis liberrime vagaretur, et modo in aestatem incideret, mo„ do contra in hyemem, nulla statis anni mensibus sede, nec nisi post longam 1460 „ annorum seriem eodem regrederetur. Opus igitur erat fixo aliquo gnomone, cu„ jus umbra ad solis ipsius cursum accommodata rudi etiam vulgo serendi, meten„ dique tempora indicaret. Accedit, quod solemnis illa Nili inundatio eandem sola„ ris anni cognitionem, et hujusmodi potissimum instrumenta, multo etiam magis „ quam alibi, necessaria reddidit in Aegypto. Ea enim, periodo quadam a solari „ cursu pendente constanter omnino solebat fieri. — Quoniam autem Nilus in aesti„ vo solstitio eruptionis suae capiebat exordium, et circa autumnale aequino„ ctium suo se alveo iterum recipiebat; haec ipsa solstitii aestivi et autumnalis ae„ quinoctii tempora, prae caeteris omnibus fuerant ab Aegyptiis diligentius exqui„ renda; et ad ea potissimum determinanda, obeliscorum moles adhibenda fuerat, „ et forma iis ad eam rem omnium aptissima tribuenda. Quod quidem cum mecum „ animo agitarem, viderenque, omnes omnino, quos hic habemus Romae obeli„ scos, eadem forma esse praeditos, cum nimirum longo tractu frontes oppositae

[1] Vide epistolam Jacobi Stuart Angli ad Carolum Wenwort Comitem de Malton, in appendice ad cl. Bandinii comment de Obel. Caes. Aug. pag. 91. sqq.

„ vix quidquam ad sese accedant invicem inclinatione perquam exigua, tum repen-
„ te velut inflexae, atque infractae, brevissimo intervallo in cuspidem desinant; il-
„ lud in mentem venit, fortasse in ipso illo obeliscorum usu ejus potissimum for-
„ mae rationem aliquam contineri. Tum illud subiit, ita fortasse binas illas incli-
„ nationes frontium directas fuisse, ut alteri ex iis septentrionalibus frontibus mi-
„ nus inclinatae solaris radius parallelus esset in ipso aestivo solstitio, alteri vero
„ inclinatae magis in aequinoctio. Videbam enim hoc pacto in aestivo solstitio in
„ ipso meridie obeliscum ipsum futurum sine umbra: toto temporis intervallo inter
„ ipsum illud solstitium, et bina aequinoctia umbrae verticem in meridie in rectam
„ abiturum lineam, reliquis vero anni temporibus, inter eadem nimirum bina ae-
„ quinoctia, et hyemale solstitium, umbram ipsam in cuspidem desituram. ——
„ Hoc sane pacto rudes etiam homines potuissent nosse anni cardines, potissimum
„ solstitium aestivum, et aequinoctia; licet, campis inundatione obrutis, signa
„ meridianae lineae solo insculpta nec exstarent ulla, nec alte demersa transpice-
„ rentur; dummodo quis, cymba circa obeliscum circumvectus in meridie, ejus
„ umbram in ipsa superficie aquae contemplaretur. „ Docet deinde se in Campen-
si obelisco mathematicis rationibus inclinatas invenisse trunci frontes angulo grad. 1, min. 14; pyramidii autem arctiora latera angulo grad. 27, ampliora angulo grad. 26, min. 13. Videri autem in Aegypto obeliscum ita fuisse positum, ut latior frons obverteretur septentrioni. Mox pergit: „ Porro ut hosce angulos cum locis ipsis
„ comparemus; utraque illa facierum pyramidii inclinatio ad Aegypti latitudinem
„ sive poli altitudinem pertinet, et quidem posterior, quae ad majora latera ter-
„ minatur, et quae videtur alteri anteferenda, ipsi celeberrimae Aegypti metro-
„ poli nimirum Thebis tam est proxima, ut ad eam fortasse etiam accurate perti-
„ neat. Ex Ptolemaei geographia Maginus, Mercator, aliique Thebas collocant
„ in latitudine gr. 25, min. 30: Heliopolim autem, ac Memphim ponunt in lati-
„ tudine gr. 29, min 50; ac eaedem esse debent distantiae aequatoris ab earum
„ urbium Zenith. Porro inter hasce ipsas distantias illae inclinationes gr. 27.,
„ min. 0, gr. 26, min. 13. continentur, priori propiores ambae, et secunda adhuc
„ propior. Cur autem secundam hanc ac minorem priori praeferendam esse dixe-
„ rim, illud in causa est, quod ea ad latus illud longius terminetur. Porro ipsum
„ latus longius supra demonstravi respondere accurate sine ulla fractione tribus
„ Aegyptiis cubitis; latus autem alterum brevius ad nullam ex Aegyptiis mensu-
„ ris revocari. Quamobrem illa duo latera initio destinata, in praecipuas mundi
„ plagas meridiem, et septentrionem videntur debuisse obverti potius, quam illa
„ alia quae propter marmoris vitium obvenerant breviora. Jam vero haec declina-
„ tio gr. 26, min. 13. ab illa latitudine Thebana gr. 25, min. 30, vix 43 minutis
„ differt: quod quidem discrimen, si veterum observationes consideremus, quae
„ ad multa minuta semper incertae sunt, ac instrumenta minus sane exacta, mira-
„ bimur consensum potius, quam dissensum. Praeterea urbs ipsa post Cambysis
„ excidium jam pene diruta, et in extrema fere Aegypto sita ad meridiem, minus
„ exacte cognita esse debuit Ptolemaeo. Accedit, quod Thebarum immanis circui-
„ tus, quae nimirum centum portas habuisse dicitur, nonnulla minuta potest eli-
„ dere, cum intra ipsam urbem poli altitudines in diversis locis diversae esse de-
„ buerint. Quod si etiam non urbi ipsi, sed loco destinatus fuerit nonnihil ad bo-
„ ream sito; jam planorum declinatio multo magis congruet cum altitudine poli a
„ Ptolemaeo nobis relicta. Quid vero, quod Sesostris juxta optimorum chronolo-

,, gorum multo probabiliorem sententiam floruit fere 1500 annis ante Christum; ac
,, proinde plusquam mille annis ante vetustissimas, quae nobis supersunt, astro-
,, nomicas observationes? An non igitur in ipso terrae polorum situ mutatio ali-
,, qua potuit contingere, cujus nullum ad nos indicium devenerit. Id quidem in
,, nostri potissimum Newtoni mechanica astronomia facile evenire potuit, vel co-
,, metae alicujus accessu nimio, vel aliqua in internis terrae partibus commutatio-
,, ne. At in eo casu altitudo ipsa poli mutationem aliquam subire potuisset. — Quae
,, vero ad solstitii per longiora illa latera determinationem pertinent, cum Theba-
,, nae urbis positione a Ptolemaeo relicta ad miraculum usque intra unius quoque
,, minuti limitem, si rite omnia perpendantur, consentiunt. Declinationem eclipticae
,, ab aequatore esse nunc proxime graduum 23, min. 28. satis constat. At quis
,, jam ignorat, postremis eam hisce temporibus imminutam nonnihil esse, ac
,, plurima sane haberi indicia, idem ejus decrementum a remotissima antiquitate
,, ad nos perpetuo derivatum; ita, ut plures jam astronomi censeant, singulis
,, saeculis singulorum minutorum decrementum haberi? Si igitur ad Sesostridis
,, tempora ascendendum sit, a quo ad haec nostra tempora intervallum habetur
,, saeculorum duorum et triginta, totidem minuta addenda erunt nostrae huic ecli-
,, pticae declinationi; ac proinde debuit eadem Sesostridis tempore esse graduum
,, 24. Si ii demantur a Thebarum latitudine gr. 25, min. 30. a Ptolemaeo eruta,
,, relinquetur distantia tropici cancri a zenith ejus urbis gr. 1, min. 30. Si prae-
,, terea consideretur illud, umbras gnomonum determinari non a centro solis, sed
,, a supremo ejus disci puncto, cum radii punctorum supra solis centrum extan-
,, tium umbram arctent, demenda erit ab ea distantia semidiameter solis, quae
,, est quam proxime minutorum 16; ac proinde distantia supremi solis puncti a
,, zenith in meridie aestivi solstitii erit gr. 1, min. 14. At ea ipsa, nimirum gra-
,, dus 1, min. 14, est declinatio illa laterum oblongorum obelisci a verticali pla-
,, no, quam calculo supra inito invenimus. Habetur igitur tantus consensus, ut
,, ne unius quidem minuti error supersit. —— Sed nec illud profecto omitten-
,, dum censeo, quod non levis ad rem praesentem momenti esse potest; multo ni-
,, mirum magis curandum fuisse, ut instrumentum solstitii aestivi positioni re-
,, sponderet, quam aequinoctiis. Nam in primis declinatio solis aequinoctiorum
,, tempore in singulos dies mutatur minutis 24; in solstitiis autem vix quidquam
,, ad sensum variatur. Quamobrem totidem minutorum error, qui in primo casu
,, errorem secum trahit diei unius tantummodo; idem in secundo plusquam decem
,, dierum errorem inducit. Erat autem multo magis necessarium, initium inunda-
,, tionis accurate praenoscere, quam finem; tum quia inundatio ipsa, si incau-
,, tum occupet, dum incipit, periculosa esse potest, tum quia notato jam initio,
,, finis sola centenorum dierum computatione cognoscitur. —— At illud supe-
,, rest, ut ostendatur, Thebis potissimum hunc a Sesostride obeliscum fuisse ere-
,, ctum. Mihi vero ille ipse tantus cum Thebana altitudine poli consensus id ipsum
,, ita persuadet, ut licet unus aut alter veterum auctorum locus obstare videatur,
,, ab ea opinione divelli omnino non possim. ,,

Haec Stuartus, cujus disputatio cum praeter novitatem, insignem quoque subtilitatis speciem prae se ferat, reconditisque rebus novam lucem affundere promittat, magno cum applausu recepta fuit [2]. Sed videamus num inter se cohaereant

[2] Jacobum Ferguson mathematicum Anglum obelisci cuspidem, quae Wanstedii servatur, ad mentem Stuarti examinasse, atque invenisse, erectum olim fuisse eum obeliscum

quae scripsit ad eam stabiliendam, quibusve nitatur argumentis vel ex Aegypti historia et regionis indole, vel ex obelisci natura petitis. Jam ex unius obelisci figura, etiam si cuncta concinerent, nihil affirmari posse reor de usu et fine omnium; ne de hujus quidem unius, nisi adsint historica argumenta vel alia indicia, quibus res adjuvetur. At partium concentus, quem in Campensi obelisco invenit Stuartus, ejusmodi est ut distantia ab aequatore, quam deducit e trunci inclinatione, minutis 43, hoc est plus quadraginta tribus millibus passuum distet ab ea quam colligit e pyramidio: atque ubi priorem reperit exacte convenientem Thebarum situi a Ptolemaeo descripto, ut alteram quoque ei convenire asserat, coactus fuit confugere ad Thebes Hecatompylae immanem circuitum, ad Ptolemaei aliquem in definienda latitudine errorem, ad veterum observationes hodiernis minus accuratas; quin et polorum aliquam mutationem imaginari. Sed opus erat admittere angulorum aliquam mutationem in ipso obelisco, ut dicere possis pyramidium antiquitus eidem, cui truncus, Thebarum latitudini accommodatum fuisse. At vero obeliscum non Thebis stetisse, stetisse autem Heliopoli, docent Strabo et Ammianus [3], quorum testimonia claris verbis concepta, sive interpretatione sive supposita textus depravatione in suas partes traducere frustra adlaborat: de qua re infra in obeliscorum historia. Sed demus Campensem obeliscum Thebis statutum fuisse, Thebanae latitudini adaptatum: quae ejus utilitas, vel cui hominum classi inserviebat? Ruricolis, ait, qui ex eo discerent aequinoctia solstitiaque et adventantem Nili inundationem, non exacte quidem, at quantum satis esset pro eorum usibus. Sed non idem nosse poterant ex cujusvis columnae, cujusvis aedificii umbris? Casas suas consuluisse rusticos vel columbaria reor potius, quam agro suo relicto procul profectos esse quotidie ad magnas civitates, ubi obeliscos erectos accepimus. At quos in templis positos scribunt veteres historici, in agro collocatos vult obeliscos, humillimo quovis loco, ut cymbis eos circumvecti umbras in aquae superficie contemplari possint: credo, quod ea esset aestuantis Nili indoles, ut nec faciem ejus turbarent etesiae, nec cymbae motus obstaret quin velut in strato lapide descriptae cernerentur umbrae. Princeps autem molis scopus is erat, ut praenoscerent inundationis initium; nempe quod Nilometria nondum inventa essent, neque ex fluvii inter ripas suas aucta altitudine praevidere callerent appropinquantem inundationem. Ignarus Nili prorsus sit oportet, qui sibi persuadeat ad incrementa ejus computanda opus fuisse gnomone, vel ea incrementa ex gnomone intelligi posse. Quae enim solemnia sunt, ut quadraginta ferme diebus postquam aërem diuturno austro ferventem refrigerare coeperint etesiae, aestuare incipiat fluvius, inde per quinquaginta circiter dies quotidie auctus regionem irriget, die autem centesimo ab incrementorum initio intra ripas suas receptus, duobus postea mensibus sensim decrescat, et reliquo anno fluat modicus, ista quilibet colonus quin sciret fieri non potuit. At quod lentiora modo essent augmenta modo velociora, modo parca modo ad perniciem usque copiosa, nunc amplius in orientale latus se diffunderet fluvius, nunc magis in occidentale, et quae alia provenire possunt a ventorum cursu variabili et ab Aethiopicis imbribus non semper eadem lege distributis, haec nec gnomon

---

latitudinis borealis gr. 29. min. 15: certior factus sum e litteris Hillii, amicissimi viri, ad me datis Londini die 1. april. 1792.

[3] V. supra pag. 6. et 25.

docebat, nec astronomicum aliquod instrumentum [4]. Neque de aestuationis tempore unquam solliciti fuere Aegyptii, dummodo excipias primam illam et obscuram aetatem, quando primi ex Aethiopia coloni descenderunt in Thebaidos angustas planities, multis sane saeculis ante quam de syenite secando cogitarent aut de sublimibus metis erigendis. Sed vulgi superstitiosa anxietas fuit circa praenoscendam annuae inundationis copiam et velocitatem; sapientium cura circa aquas dirigendas, et rite per agros dispertiendas, variasque aestuantis fluvii declinationes in publica commoda convertendas. Hinc inventa Nilometria, canales effossi, aggeres constructi et machinae excogitatae: inde ex Sothidos ortu vana auspicia, et orygis sternutamenta curiose observata, et quae alia commenti sunt ad anni ubertatem praesagiendam [5]. Pro gnomone, pro calendario ipse

---

[4] In Aegypto post medium mensem martium per quinquaginta dies spirare solent notus et euronotus, ardenti afflatu, nec raro pestilentis morbi praecursores. Hos majo mense excipiunt etesiae aquilonares, qui durare solent usque ad novembrem. Tunc amnium in mare effluxu ventorum obstaculo intercepto, sensim crescere incipit Nilus; sed aestuatio tum primo initium capit, ubi circa solstitium aestivum aqua de coelo delapsa impleverit stagna rivulosque Aethiopiae; et Tacazze, Abaji ac Abjad, qui veterum videntur Astabores, Astapus et Siris, Aegyptio Nilo copiam suam infuderint. Inde continuatis in Aethiopia imbribus augetur fluvius quotidie, atque augusto mense, ut plurimum circa nonum ejusdem diem, supra regionem attollitur, quo tempore canales aperire mos est colonisque aquae copiam facere. Post medium autem septembrem in alveum suum se recipere assolet; et novembre exeunte ita decrescere, ut in Canopico amne vix trium cubitorum servet altitudinem. Itaque fluvio in alveum suum collecto octobre mense prima messis fit, oryzae ac dorae et quae alia seruntur ante inundationem; eodemque tempore sparguntur semina pro altera messe, tritici linique et reliquorum generum quae maturari solent circa februarium. Haec annis communibus: at non raro jam ante finem julii canales aperire coguntur Aegyptii; nonnunquam vero non prius quam augusto ad finem vergente ad sedecim cubitorum altitudinem assurgit aqua. Nam pluviae, quas in Aethiopia a majo usque ad medium fere septembrem cadere solemne est, aliis annis julio mense maxime ingruunt, aliis augusto. Etesiae autem, qui nunc magis ad caeciam declinant, nunc ad caurum, in causa sunt quod aliis annis latius ad occasum pertingat inundatio, aliis magis ad ortum. Vide Herod. 2, 19: Plin. 5, 9. Inter recentiores autem consule imprimis Shawium tom.2. pag.177 sqq: Pocockium tom.1. pag.195 sqq. et pag.250: Brucium tom.3. pag.672 sqq: Volney *voyage en Syrie et en Egypte. à Paris* 1787. tom. 1. pag. 51 sqq.

[5] Plurima sunt veterum auctorum loca e quibus discimus, Aegyptios solstitium aestivum annique initium et Nili aestuationem alligasse ortui apparenti Sothidos, quam nos Caniculam appellamus et Sirium; atque ea oriente tum ex ipsius stellae habitu, tum ex coeli dispositione astrorumque secundum astrologiae praecepta constitutione, auguria captasse de ineuntis anni ubertate ac de omnibus rebus quae eo labente essent eventurae. Vide Ptolemaei *tetrabibl.* lib.2. pag. 24 ed. Norimb.: Porphyr. *de antro Nymph.* in fronte Homeri Barnes. pag. 120: Aelian. *de ánim. hist.* 10, 45: Theon. schol. ad Arat. p. 45. ed. Oxon.; Eustath. schol. ad Dionys. Perieg. v. 222: Horap. *hierogl.* 1, 3. Nempe antiquissimi in Aegypto homines, cum circa solstitium aestivum et crescentis fluvii initia mane oriri viderent Sothidem, stellarum motu in consequentia signorum nondum comperto, ortum ejus heliacum solstitio adhaerere putaverunt: secutae autem aetates subscripsere majorum placitis, Sothidemque venerati sunt tanquam aestuantis Nili ducem ac distributricem; licet ignorare amplius non possent, exortum illum jam procul recessisse ab incrementorum initio. Eximia observatio est Godefridi Vendelini astronomi apud Petavium *de doctrina temporum* tom.3. pag.42 ed. Antw., circa annum ante Christi aeram 1263 in Heliopolitano tractu neomeniam Thoth, ortum Sirii, solstitium primo Cancri gradu affixum, ac novilunium, cuncta simul incidisse in diem quintum julii, unde initium sumere potuit periodus Sothiaca, de qua tam obscure scripserunt auctores antiqui. Sed ascendendum videtur ad saecula multo adhuc remotiora, quo Sirii ortus comitari possit solstitium aestivum et prima fluminis incrementa, quae circa Epiphi mensis initium, die junii fere 25, notari solent in Aegypto. Sunt ta-

erat Nilus . Ubi intra ripas crescere incipiebat , ea parabant quae ad inundationis tempus commode et laete peragendum sibi putabant necessaria : ubi cessabant aquae , aratrum commendabant bobus . Anni formam necessitatibus suis

men et haec notatu digna, quod veteres nonnulli caniculae ortum in Aegypto adscribant IV. Non. Jul., qui dies proxime praecedit eum quem invenit Vendelinus : id vero Sothiacae periodi initium quod colligitur ex verbis Censorini, annis tantum *39* antevertat annum ante aeram vulgarem *1263* : quae hoc loco non advertit Petavius . Vide Plin. 18, *9*: Scholiast. Germanici pag. 207. ed. Basil. 1549: Censorin. *de die natali* cap. 18. 21. Quoniam vero Sothis pro ambientis aëris conditione modo maior appareret modo minor, nunc lucentior nunc pallidior, nec semper in promptu esset accurate nosse punctum temporis quo super finitorem circulum emergeret, prisci illi astronomiae parentes idoneis instrumentis nondum instructi, orientis astri nuncio usi feruntur oryge, quem ipso eo temporis momento quod Sothidis ortum praecedit, convulsione aliqua correptum sternuere ac vociferare ajunt, terramque pedibus vellere et torvis oculis defixum contueri stellam orientem . Plin. 2, 40: Plutarch. *de solert. anim.* pag. 58 tom. 10. opp. ed. Reiske : Aelian. *de anim. hist.* 7, 8: Damasc. *vita Isidor.* apud Photium pag. 1048: Theon. schol. in Arat. pag. 22. Narrantur praeterea veteres reges, ubi horoscopus praenuntiasset adventantem stellam , consedisse pone orygem, et inter media cornua ejus velut per dioptram accurate observasse exortum Sothidis . Mox feram immolabant Isidi, cui sacra credebatur canicula, nonnunquam ipsius deae nomine appellata, inque hieroglyphicis eodem quo ipsa charactere significata ; oryx autem inimicus et ἀντιπαθής, eo quod et luna oriente et canicula exortum faciente ea quae diximus pateretur , fontes quoque in deserto a deae beneficio derivandos turbare et inquinare assuetus. Ideoque hoc solum inter quadrupeda ἀσφράγιστον, non ut reliqua curiose exploratum obsignatumque, mactare et comedere consueverant sacerdotes ; in hieroglyphicis autem impuritatem denotabat pictus oryx. Vide Diodor. 1, 27: Plutarch. *de Iside* pag. 418. 419. 444. 479. tom. 7. opp: Eratosth. *cataster.* num. *3*: Hygin. *poet. astr.* cap. *33*: Damasc. apud Phot. pag. 1044: Horapoll. *hieroglyph.* 1, 3. et 1, 49 : ubi pro του ἡλιου legendum censeo του σειριου : τα δε αυτα ποιει και επι του σειριου, θειου αστρου, ανατολης . Universus enim sermo est Horapollini , ut rationes afferat cur Isidi invisus sit oryx, atque cum reliquae petitae sint a rebus huic deae consecratis, hic quoque ad caniculam eum respexisse multo credibilius est quam ad solem . Et sic consentit cum auctoribus supra laudatis, qui orygem in exortu caniculae contra stare et contueri tradunt ; nam soli orienti non oculos obvertere scribit Aelianus *de anim. hist.* 10, 28, sed ventrem contra eum evacuare . Taceo quod epitheton θειου αστρου, si de sole locutus esset Horapollo, prorsus foret otiosum ; verum si de canicula, eam Isidi sacram esse innuat, quod ipse docet *hierogl.* 1, 3. Porro : διοπερ οἱ αρχαιοι βασιλεις, τυ ὡροσκοπου σημαινοντος αυτοις την ανατολην, επικαθισαντες τουτῳ τῳ ζωῳ, δια μεσων των κερατων αυτου, ὡς τινων γνωμονων, την της ανατολης ακριβειαν εγνωριζον . Nam ut nunc legitur δια μεσου αυτου, sensum non capio, neque emendationes quas proposuerunt Salmasius et Pauwius mihi satis videntur probabiles . Verum quae orygi sunt seu gazellae cornua, procera et erecta angustoque spatio separata , apprime comparari possunt gnomonibus, ejus cumprimis generis , quo ad soltitia deprehendenda usos accepimus Peruvianos, dum inter duas columnas aut turriculas observarent solem orientem . Vide Garcil. de la Vega *hist. des Yncas* tom. 1. pag. 199. ed. Amst. 1715. Vox autem των κερατων omissa videtur a librario, qui pro ορυγα scriptum invenerat ορτυγα, uti legebatur olim , videretque cornua convenire non posse coturnici . Neque Salmasii argumenta me movent, quo minus cum Bellonio feram , quae oryx vocatur Aegyptiarum rerum scriptoribus, quam et in Bembina tabula immolatam cernimus, inque variis anaglyphis Aegyptiis in museo Borgiano conspiciendis a juvene deo manu gestatam , eam esse putem quam hodie gazellam nuncupant, Arabibus ab oculorum pulchritudine celebratam , Aegypti Africaeque indigenam , neque abhorrentem ab Italiae aëre, ubi olim inter cervos damasque servabatur in vivariis . Columell. *9*, 1: Salmas. *exercit. Plin.* pag. 157. 335. 462: Bellon. *observat.* pag. *93*. interpr. Clusio : Prosp. Alpin. *rerum Aeg.* 4, *9*: Buffon *hist. naturelle* tom. 12. pag. 201. sqq. edit. in 4.° . Sunt autem gazellarum plures species ; in his reliquas magnitudine viribusque praecellit antilops, Plinio lib. 11, cap. *37*. addax dicta Afrorum idiomate, et strepsiceros a cornibus, erectis quidem, sed rugarum ambitu contortis et in leve fastigium exacutis, quibus et tamquam roboris symbolo simulacrorum capita ornare consueverunt Aegyptii ; atque de hac intelligendus est Agatharchides *de mari rubro* pag. 42. tom. 1. geogr. min. Hudson. et apud Diodorum l. *3*, cap. 28.,

aptam invenire potuissent, etiam si nunquam vidissent solem. Nil igitur ad ruricolas operosa obelorum moles. Videamus an doctioribus hominibus utiles esse poterant, astronomis de vera et exacta anni forma sollicitis, geographis in locorum distantias inquirentibus. Non quaero, cur iis qui tunc temporis passim exstabant in Aegypto, usus non inveniatur Eudoxus, non Eratosthenes, non Ptolemaeus. Multa sunt quae tacuere scriptores, multa invidit tempus. Neque id urgebo quod Heliopolitanus obeliscus non sit obversus mundi cardinibus: nam fortasse Stuartus non affirmare voluit omnes et universos obeliscos ei usui inservisse. Si obeliscus reperiretur unus perfecte respondens gnomonicorum rationibus, gratularer Aegyptiis qui exciderint. Si duo adessent, in quibus pyramidion accommodatum esset ejus latitudinis aequinoctiis, cujus aestivo solstitio truncus, non casu id evenisse pro certo haberem. Quaererem tamen quo pacto evitassent penumbras, qui scire potuissent Aegyptii philosophi aequinoctialibus diebus, in ea quam moles describebat umbra ne minimam quidem partem provenire a pyramidio, brumali autem hora summum apicis punctum umbra exprimi. Illud quoque mirum, quod ad machinas faciendas, in quibus summa requirebatur accuratio, saxum elegerint refractarium, cui perfecta plana addere angulosque ad mathematicas rationes exigere, infiniti pene laboris est. Sed neque hoc vult Stuartus. Ut ostendat magnam ex obeliscis utilitatem perceptam fuisse, rusticis hominibus arbitratur destinatos, ex Aegyptiorum id arguens sapientia et industria, veterumque si dis placet testimoniis, quae ipse indicare supersedit, mihi vero nondum invenire contigit. Nam fateri cogor ignota mihi esse illa plurima apud veteres scriptores indicia et in mythologicis arcanis vestigia, e quibus eliceret aliquis, Aegyptios obeliscorum ope solis cursum determinasse, vel obeliscos in Aegypto magis, quam quae Romae spectantur Aegyptiae magnificentiae aemulae, Trajana et Antonina columnae, ad usum aliquem et civium commodum fuisse erectos.

§. III.

Fuere alii qui obeliscos sepulcralibus monumentis accensuere, vel in eximiorum virorum honorem erectos putaverunt. Joannes Pierius Valerianus, qui primus inter recentiores studium impendit Aegyptiis antiquitatibus, hieroglyphicorum libro 49 scribit [1]; „ In sepulcris neque non monumentis reliquis columnarum ratio „ fuit, ut cujus nomini dicatae essent, gloria super caeteros mortales attollere- „ tur. —— Harum loco Aegyptii suos erexerunt obeliscos, et Graeci ἀξιον

---

ubi narrat orygum cornibus pro telis uti Simos Aethiopes. Nam et hodie ex antilopum cornibus, binis in unum compactis, telum faciunt Aethiopes ancipiti acie vulnificum; cujusmodi pugionem ex orientali Africa advectum videre est in museo Borgiano, similem ei quem in aere expressit Buffon l. c. tab. *36*. Eadem esse videtur ορυς Herodoti l. 4, cap. 192, qui in ea saltem re consentit cum Plinio quod cornua assimilet lyrarum brachiis. Caeterum sub orygis appellatione comprehendisse veteres plura animalium genera, a gazella diversa, credere faciunt quae de oryge monocerote leguntur apud Aristotelem *de anim. hist.* 2, 1. *de part. anim.* *3*, 2. et apud Plinium 11, *46*: de albo autem oryge, rhinoceronti magnitudine fere pari, cornuumque acie leoni et cuivis ferocissimae belluae timendo, apud Oppianum *de re venat.* lib.2, v. 445 sqq. et v. 551; licet fortassis et haec, dum poetae aliquid concesseris, de antilope accipi possint.

[1] Hieroglyphica, sive de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium litteris, commentarii Joannis Pierii Valeriani, inscripti Cosmo duci Florentinorum, a Caelio Augustino Curione duobus libris aucti. Basileae 1567. pag. *365*.

„ οβελισκου dixerunt, cui maximi quique honores deberentur „. Etiam Bellonius qui medio saeculo decimosexto Aegyptum invisit, de obeliscis ait [2]: „ Quod sepul„ turae gratia excisi sint, vel ex hoc probari potest, quod et de pyramidibus di„ ximus. Nam quemadmodum si tres tantum vel quatuor pyramides excelsae super„ essent, causa merito quaereretur, cur perpetuitati dicatae in tantam altitudinem „ assurgerent: sic etiam si perpauci obelisci viderentur, dici quidem posset eos in „ honorem solis vel divi cujusdam excisos esse. Sed ut multae pyramides aliae aliis „ majores supersunt, ut etiam multae non excedant cubitos decem, ita et de obe„ liscis dicendum: nonnulli enim tam exigui reperiuntur ut viro altiores non sint. „ Hinc minime eorum sententiis subscribere censui, qui putant ob id excisos fuis„ se ut soli dicarentur. Nam ego qui studiose singulos quos vidi observavi, jam „ supra triginta animadverti. Desinamus itaque causam inquirere, cur obelisci et „ pyramides factae sint, cum jam satis probaverim sepulturae causa factos fuisse. „ Hos secutus Thomasinus in libro de donariis veterum, capite 5, obeliscos ad tumulorum ornamenta refert [3]: nec defuere alii qui eandem amplexati sint opinionem [4].

Mercatus quoque capite 9, pag. 76 existimat, obeliscos initio inventos ut speciali munere Soli sacrarentur in templis, postea sacerdotum adulatione traductos fuisse ad regum honores et juxta sepulcra eorum constitutos; qua de re auctorem citat Strabonem, loco supra descripto [5]. Quam Mercati sententiam ubi ita acceperis, ut ex iis lapidibus, quos nunc appellamus obeliscos, nonnulli steterint in sepulcris, nempe parvi illi quos stelas dixerunt veteres [6], non habeo quod ei opponam. At grandia illa saxa, quae obelisci audiunt veteribus, pertinere ad monumenta sepulcralia, nullos invenio idoneos auctores. De Strabonis loco jam dixi, θηβαις legendum videri cum Mancinellio pro θηκαις [7]: quotcunque autem in Aegypto hodie reperiuntur magnae molis obelisci locum tenent inter amplissimas ruinas, quas templorum esse vel publicorum saltem aedificiorum dubium non videtur. Circa sepulcra Aegyptia, Europaeis peregrinatoribus quotannis fere frequentata, nullus obeliscus

---

[2] Petri Bellonii de admirabili operum antiquorum et rerum suspiciendarum praestantia libri tres. lib. 1. cap. 8. in Gronovii thesauro tom. 8. pag. 2552.

[3] In Graevii thesauro, tom. 12. pag. 764.

[4] In his Bergierius de publicis et militaribus Romani imperii viis lib. 2. sect. 36. in Graevii thesauro tom. 10. pag. 190.

[5] Sect. 1. pag. 6.

[6] Vide sect. 3. cap. 1. §.2.

[7] Nempe θηκη apud scriptores qui soluta oratione usi sunt, non tumulum significare solet aut mausoleum, in quo poni potuissent obelisci, sed ipsum loculum in quo conditum corpus defuncti: et Strabonem hoc sensu accepisse vocabulum inde quoque liquet, quod θηκας scribat ex ipso lapide excisas intra cavernas, et sic cavernas seu sepulcra distinguat a θηκαις seu sarcophagis. Obeliscos ergo ipsis loculis inclusos fuisse existimandum, quod absurdum: aut credendum auctorem eandem vocem adhibuisse duplici significatione, prima vice pro loculo, secunda pro antro ubi loculus; ut ipse suspicatus sum pag. 6. not. 2, et credidisse videtur Pocockius. (V. supra sect. 2. cap. 3. §.6. not. 2.) Sed neque hoc placet. Ubi vero scripseris εν δε ταις θηβαις, omnia plana fient. Strabo succincta narratione innuit potius quam declarat Thebarum magnificentiam. Antiquae magnitudinis spatiosa exstare scribit vestigia, multa templa a Cambyse mutilata; nunc vicatim habitari veteris civitatis circuitum; partim quidem in Nili littore orientali, ubi urbs ipsa, partim in latere opposito, ubi Memnonium. Hic esse vocalem eam statuam, et super Memnonio regum sepulcra spectatu valde digna: in urbe autem (εν δε ταις θηβαις, scilicet in orientali littore) obeliscis quibusdam inscriptas legi regum divitias, et quae subjungit reliqua, ad verbum fere consona iis, quae de Sesostridis obeliscis habet Diodorus, et de Thebarum molibus Tacitus. (V. supra pag. 4. 5. et pag. 19.). Etiam hodierni peregrinatores circa Thebas non nisi a fluvio in orientem obeliscos offenderunt. (V. sect. 2. cap. 3. §. 9. 10.)

visus est hactenus, neque de obeliscis inde ablatis aliquid inveni memoriae proditum. Primus qui ad mortalium honores transtulit obeliscos, apud Plinium legitur Ptolemaeus Philadelphus [8]. Is obeliscum excisum olim a rege Necthebi posuit in Arsinoëo, munus amoris in conjugem eandemque sororem Arsinoën: ejusque imitatores exstitisse inter Graecos Romanosque docemur exemplo obeliscorum, qui steterunt in Augusti mausoleo, et ejus quem in Asia vidit Pocockius defuncti viri nomine inscriptum [9]. Hac quoque ratione obeliscum scalptum existimo in anaglypho opere quod Titum Antoninum cum Faustina uxore astris receptos exhibet: et inde natum videtur proverbium, *Dignus obelisco*, quod lexico suo inseruit Suidas [10]. Sed nihil hujusmodi proditum invenio de Aegyptiis. Nam licet regum facta regnique potentiam inscripserint obeliscis, quae quidem res dubio non caret, minime tamen inde consequeretur stetisse obeliscos in sepulcris, nec impedimento esset quin in templis positos putemus diisque consecratos. Quis ignorat priscarum gentium consuetudinem, annales in templis asservare, et in sacrorum librorum numerum referre?

Bellonius autem, dum obeliscos omnes ad sepulcra relegat, neglectis veterum testimoniis, eo solo utitur argumento, quod parvi nonnulli inveniantur ejus figurae lapides. Sed quo pacto e brevitate argui potest stetisse eos in sepulcris potius quam in templis, in sacris antris, in domibus, in hortis, vel quolibet alio loco? Vel si unus aut alter pro sepulcrali cippo fuit, quomodo inde consequitur omnes hac vice functos esse, et falli antiquos auctores qui in deorum templis sacratos perhibuere?

§. IV.

Verior ergo sententia, quae et communior, in templis positos fuisse magnos saltem obeliscos. Qui autem ita sentiunt, alii pro idolis seu simulacris fuisse arbitrantur, alii pro donariis. Priorem opinionem Paulus Ernestus Jablonskius in egregio libro, cui titulus est Pantheon Aegyptiorum, his verbis stabilire aggressus est [1]: „ Prima Aegyptiorum templa, sicuti fere gentium omnium antiquissima, simulacris „ plane nullis instructa fuisse scriptores non de trivio memoriae prodiderunt. (Lu- „ cian. de dea Syria pag.1057. ed. Par.1615.) Pro statuis, signis et imaginibus princi- „ pio Aegyptiis erant, nisi admodum fallor, obelisci, in quibus postea res gestas „ regum suorum, aut quae ad cultum deorum spectarent, insculpi curarunt. Ve- „ rum primus, ut dixi, hicce videtur fuisse eorum usus, ut radios solares, tan- „ quam in imagine aliqua imitarentur, ac splendidi istius luminis coelestis essent „ quaedam signa memorialia. Non ignorant eruditi in cultu idolorum antiquissimo „ columnas lapideas ac lapides omnis generis apud gentes plurimas primum tenuis- „ se locum. —— Et huic quidem usui primi etiam quos Aegyptii erexerunt, obe- „ lisci videntur destinati fuisse. *Primus* certe omnium *obeliscorum erectionem instituit* „ *Mitres, qui in solis urbe regnabat, somnio jussus. Postea et alii regum in dicta urbe.* „ (Plin. 36, 8. [2]) Solis urbs, Graece Heliopolis, nomen ex re ipsa sumsit, quod

---

[8] Plinius lib. 36, cap. 9. supra pag. 14.
[9] V. sect. 2. cap. 2. §. 8. pag. 91.
[10] V. supra pag. 32.
[1] Pauli Ernesti Jablonski Pantheon Aegyptiorum. Francof. ad Viadr. 1750. Prolegom. §. 34. pag. 80. sqq.
[2] Vide supra pag. 10.

„ prima in Aegypto, cultus solemnis, decreti solis numini, viderit initia. Et „ eadem illa primos quoque vidit erectos in Aegypto obeliscos, neque etiam dubito, quin utriusque istius rei primordia in idem fere tempus inciderint. Favet „ sententiae nostrae ipsa etiam obeliscorum forma, quae talis est ut imaginem radii solaris referat. Hinc veteres Graeci Romanique pyramides, quas Aegyptii „ ad imitationem obeliscorum postea construxerunt, hunc in modum describere solent, quod sint *regum Aegyptiorum sepulcra, ingenti mole constructa, et in cacumen educta, in modum flammae surgentis, unde et nomen acceperunt* (Amm. Marcell. 22, „ 15.) Graeculi nempe nomen πυραμιδος solent απο του πυρος derivare, non aliter ac si à Graecis nomen hoc Aegyptii mutuati essent. Et in genere Porphyrius observat, *pyramidas atque obeliscos ignis naturae, conum vero*, qui ad speciem „ obelisci accedit, *soli tributum et dedicatum ab antiquis fuisse*. (apud Euseb. praep. „ evang. 3, 7.[3]) Propius ad rem nostram spectat, quod Tertullianus capite 8. de „ spectaculis[4] ex scriptore rerum Aegyptiacarum Hermatele, qui Plinio est Demoteles, (Plin. 36, 13.) nos docet: *Obelisci enormitas, ut Hermateles adfirmat, Soli prostituta: scriptura ejus, unde ejus et census, de Aegypto superstitio est*. Quod „ ex eo illustratur, quod veteres litteris prodiderunt, *Obeliscum deo soli speciali munere dedicatum fuisse*. (Ammian. Marcell. 17, 4.[5]) Verum omnium optime et „ clarissime rem hanc exponit Plinius, ubi de obeliscorum origine et usu disserit. „ *Trabes*, inquit ille, *ex syenite lapide fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, solis numini sacratos. Radiorum ejus argumentum in effigie est, et ita significatur nomine Aegyptio*. „[6]

Magna sane viri auctoritas, qui multifaria eruditione instructus omnia excussit veterum scrinia, et cuncta fere congessit quae de Aegyptiis leguntur apud scriptores vel sacros vel profanos. Sed age consideremus, num aliquid protulerit huic suae opinioni firmandae sufficiens. Veterum quae adducit testimonia eo redeunt, in obelisci figura esse solis effigiem, et obeliscos soli fuisse consecratos. Jam radios ejus, vel ipsum astrum obeliscis adumbrari, recte dixerint Plinius, Ammianus, reliqui: an inde consequitur idolorum instar in Aegypto adoratos fuisse obeliscos? Vel quod Soli dicati essent, ideo supplicationibus et sacrificiis honoravere Aegyptii? Num aras, num candelabra, num clypea votiva, et quae alia divis dedicare solebant, adoraverunt quoque prisci homines? Graeci noctuam sacravere Minervae, et pro dea saepe pinxere noctuam, an ideo noctuam adoravisse dicendi sunt? Vel lyram forte divino cultu prosecuti sunt, quam pro Apolline tam saepe pictam offendimus, aut clavam pro Hercule? Evenit quidem frequenter ut pro diis colerentur deorum symbola et effigies, sed hoc semper factum esse, nullo pacto potest affirmari. Concedo etiam vetutissimos in Aegypto homines, ut reliquae fere incultae gentes, habuisse informia quaedam simulacra, quae venerarentur, lapides quosdam vel stipites columnasve, quibus successere statuae. Sed ejus classis ejusque aevi esse ingentes illos obeliscos tot impensis paratos, tantaque arte elaboratos, quis sibi persuaderi patietur? Pro rudibus autem lapidibus olim divino honore colendis postea suffectos fuisse obeliscos, nemo scriptum reliquit; nec monumenta, quique hodie in Aegypto supersunt obelisci, aliquod praebent ejus rei indi-

[3] V. pag. 22.
[4] V. pag. 21.
[5] V. pag. 25.

[6] Subnectit huic loco Jablonskius quae supra ex eo attulimus de Aegyptio obeliscorum nomine. V. sect. 3. cap. 1. §. 5. not. 14. pag. 131

cium. Nam situs quem tenent in aedificiis, is non est qui praecipuo jure convenire videatur simulacro; neque si ab initio simulacrorum loco fuissent Aegyptiis, credibile videtur, voluisse eos in ipsis perscribere res imperii regumque gesta, quod veteres auctores secutus affirmat ipse Jablonskius. Unum quidem testem neglexit, qui mihi saltem magis facere videtur pro re sua, quam omnia quae ipse in medium attulit; epistolam Iuliani Augusti ad Alexandrinos, quam integram sistimus in sectione prima pag. 22. 23. Ex ea nimirum clarum fit, fuisse homines in Aegypto quarto post Christum natum saeculo, qui divinos existimarent obeliscos et cultu aliquo eos prosequerentur: et veritum esse ipsum Julianum, ne inde quod ad verticem ejus obelisci qui Alexandriae jacebat in loco impuro, noctu conflueret superstiosa plebecula, oracula puto per somnum exposcens, augeretur apud homines divinarum rerum contemptus [7]. Nolim tamen ego ex hoc indicio arguere eandem superstitionem obtinuisse in veteri Aegypto, cum apud antiquos scriptores nullum inveniam vestigium divini honoris collati in obeliscos; licet dubium non sit quin obelisci Aegyptiis fuerint venerabiles inviolabilesque, uti sunt templa, arae et quaecunque ad deorum cultum pertinent [8].

§. V.

Reliqui scriptores in eo fere conveniunt, quod obeliscos in templis dedicatos existiment honoris causa, tanquam donaria aliqua quibus augeretur splendor delubri, et demonstraretur gentis erga deos suos amor et gratus animus. Major pars, Plinii auctoritate nixi, eos speciali munere solis numini sacratos credidere, propter radii effigiem in obelisci figura expressam. In primis hanc opinionem tuitus est Mercatus, et quamquam nonnullos obeliscos temporis progressu regum honori destinatos putet, nonnumquam et juxta sepulcra positos, id tamen non aliter factum retur quam sub specie honoris in solare numen collati. En verba ejus e capite 5, pag. 53 sqq. „ Aegyptii prae reliquis diis colentes Solem et Lunam „ et Nilum et Ignem, quem Vulcanum appellabant veteres, invenerunt opera „ quaedam, et propter subtilem inventionem et propter insignem magnitudinem, „ admiratione sane digna; eaque singulis consecravere inter praefatos deos, obeliscos Soli, lacus sive labra Lunae, pyramides Vulcano, Nilo sphinges. Scilicet in obeliscis expressi sunt solis radii, in labris dominium quod in aquam exercet luna; et sic in pyramidibus repraesentatur ignis figura, per sphinges autem „ adumbratur ea anni tempestas qua sole degente in Leone et Virgine Nilus inundare solet Aegyptum. — Sed etiam hoc notandum est, quod praeter summos „ et coelestes deos, alios terrestres habuerunt Aegyptii. Nam reges suos et principes sacerdotes post mortem inter deos referre solebant, addito honoris titulo, „ quo vel unius, vel alterius dei filii renunciarentur. Itaque eis quoque terestri-

---

[7] *Και το λεγομενον, ὡς τινες εισι ὁι θεραπευοντες και προσκαθευδοντες αυτου τῃ κορυφῃ ——. οἱ γαρ θεωμενοι τους καθευδοντας εκει, πολλου μεν ρυπου, πολλης δ' ασελγειας περι τον τοπον ουσης, ουτε πιστευουσιν αυτον θεον ειναι, και δια την των προσεχοντων αυτῳ δεισιδαιμονιαν απιστοτεροι περι τους θεους καθιστανται.*

[8] Joannes Lydus vocabulo admodum incongruo obeliscum in Circo *βωμον* appellat sive aram, eodemque nomine significare videtur ternas metas ad spinae terminos positas. Nempe ejus aetatis scriptores quamcunque rem diis consecratam poetica licentia aram dicebant. Vide supra pag. 31.

„ bus diis, qui in consecratione dicti fuerunt solis filii, quod plerumque regibus „ evenit, quoniam ut in coelo sol omnia gubernat ita rex in terra, obeliscos de- „ dicare fas fuit: et hac lege Semneserteus rex dedicavit obeliscum Rhamesti regi „ solis filio „. Atque e capite 9, pag.68. sqq. „ Finis quem in obeliscis faciendis „ praecipuum sibi proposuerunt Aegyptii, is fuit ut solem honorarent, mystica „ ratione in iis exprimentes ipsius radios, et accepta ei referentes beneficia per ra- „ dios sibi coelitus concessa. Is autem honor aut immediate tribuebatur so- „ li, dum ex veteri more obeliscos dedicarent in locis ipsi consecratis; aut media- „ te, dum recentiori instituto sive in templis sive juxta sepulcra obeliscos erige- „ rent deo alicui terrestri, solis filio renunciato. „ Idem auctor capite 29. pag.261. adversus eos disputans, qui majores tantum obeliscos soli sacratos putavere, minores lunae [1], ait: „ E mysteriis quae supra declaravimus liquet, nullum obeli- „ scum justo titulo dedicari potuisse lunae, et lapsum esse Cassiodorum [2], „ qui minorem in circo obeliscum lunae sacrum perhibet, cum jam ex baseos in- „ scriptione hodie adhuc superstite clarum fiat, eum soli dono datum fuisse „ [3].

Kircherus autem, quamquam de figurae argumento sentiat cum Mercato, tamen utrique astro sacros putat obeliscos. Ita enim scribit in Minervei obelisci interpretatione, sectione 1, cap. 6. pag. 21. „ Finis itaque principalis, quem Aegyptii in „ obeliscorum erectione praefigebant, erat, representare solis et lunae, quorum „ illum Osirin, hanc Isin vocabant, ob innumera, quae perenni influxu prae- „ stant, beneficia; et per obelisci quidem figuram exprimebant radios, quos solis „ digitos appellabant, eo quod illi veluti ex centro solis et lunae per quadriparti- „ tam mundi partem, quaternis obelisci lateribus indigitatam in quadratam obe- „ lisci basin, qua inferior mundus hylaeus sive elementaris, ex igne, aëre, aqua, „ terra constitutus connotatur, diffusi, veluti foecundo quodam digitorum atta- „ ctu, omnia animare, omnia conservare crederent; allegorica hac significatio- „ ne, beneficiorum quibus orbem implerent, magnitudinem insinuantes. „

Sed qui non multo ante Mercatum brevi commentario docte scripsit de obeliscis, Petrus Angelius Bargaeus, recte arguit e loco Diodori, lib. 1. cap. 57, quem supra exhibuimus pag. 4, non omnes soli lunaeve fuisse dedicatos. „ Cum „ igitur, inquit ille, aperte pateat ex auctoritate Plinii et ex ipsius formae li- „ nearumque aequabili dimensione, tum primum obeliscum, tum eos quos po- „ stea ad eandem rationem caeteri reges fabricati sunt, soli sacratos esse: tamen „ ut hoc universim verum sit, aliis etiam diis separate dicabantur. Legimus „ enim a rege Sesostride duos obeliscos deo qui Thebis praecipue colebatur sta- „ tutos fuisse, qui Jupiter est „ [4]. Adducere etiam potuisset verba Theophrasti

[1] In his Onuphrius Panvinius, qui libro primo de ludis circensibus, cap. 17. ait: „ Obe- „ liscorum porro quum duo genera essent, ma- „ jorum soli et minorum lunae dedicatorum, „ hodie Romae utriusque generis exstant. „ In Graevii thesauro tom. 9. pag.217.

[2] Verba ejus habes supra sect. 1. pag. 30.

[3] Recte quidem Mercatus ex epigrammate, quod Augustus obelisco in circo inscribi jussit, refellit Cassiodorum. Sed non multum proficit Blanchinius, dum eo utitur praecipuo argumento ad obeliscos Soli vindicandos. Augustus duos obeliscos ex Heliopolitano Solis templo ablatos, Romae Soli reddidit: si transtulisset ad Jovem Capitolinum, num inde sequeretur, obeliscos omnes Jovi sacros fuisse? Anne Cajus Caesar obeliscum suum dedicavit Augusto et Tiberio? Vide: *La storia universale provata con monumenti e figurata con simboli degli antichi*, *opera di Monsignor Francesco Bianchini*. *Roma* 1747. pag. 438. Epigrammata sistimus sect. 1. cap. 3. §. 1.2.3.

[4] In Graevii thesauro, tom.4. pag.1913.

de obelisco smaragdino in templo Thebaei Jovis posito, atque Herodoti de obeliscis in Saitidis Minervae delubro [5]. Neque ut universim soli dicatos existimemus, satisfacit Plinius; qui ubi de obeliscis disserit, ad eos praesertim respexisse videtur, qui Heliopoli statuti, ideoque soli sacri fuere. Quos enim hodie invenimus in variis Aegypti civitatibus, probabile est dedicatos fuisse eis diis, qui in singulis urbibus peculiari instituto colebantur. Sed quoniam magno numero positi fuerunt Heliopoli, quae aliquando regum sedes et solaris cultus metropolis in Aegypto, atque in obelisco solis radium expressum docebant interpretes, & Aegyptium vocabulum quod oculum significat ad radium transtulerant, omnes obeliscos soli sacratos putavit. Nil hujusmodi a sacerdotibus acceperat Herodotus, nihil apud Hecataeum reliquosve Graecos, qui primi scripserunt de rebus Aegyptiis, invenerat Diodorus. Remotas quasdam et accidentales similitudines captabant philosophi Graeci, Stoici cumprimis, et qui Pythagoricorum Platonicorumque nomen affectabant, quo antiquissimas consuetudines gentiumque religiones a philosophorum et mathematicorum placitis ortum traxisse adstruerent. Sic Porphyrius, singula schemata corporaque singulis diis propria esse docens, conum soli sacrum dicit, quod orientales populi nonnulli baetylia sua, lapides quosdam modicae magnitudinis figura conoide informi, quos barbara superstitione pro diis colere coeperant, progressu temporis ad nobiliorem solis cultum traduxerant; non certe quod similitudo sit conum inter et solem, nec quod primo instituto baetylia illa inventa essent ad solem repraesentandum [6]. Idemque Porphyrius non soli sed igni sacratos ait obeliscos: nempe quod in hisce rebus explicandis quisquis indulgeret suo genio, nec firma esset de iis aut popularis aliqua persuasio [7].

§. VI.

Sic ad examen revocatis variis, quas circa obeliscos prolatas invenio doctorum virorum sententias, ea nostra relinquitur, quam sequenti sectione fusius exponere aggrediemur, Aegyptios, ut reliqui fere fecerunt populi ad aliquem cultioris vitae statum progressi, passim statuisse memoriales lapides, initio quidem rudes informesque et sine inscriptis characteribus, post certa figura praeditos, cippis, columellis, tabulis, metis pilisve acuminatis accensendos, quibus inscriptae modo res historicae, modo scientificae aut ad gentis religionem spectantes. Hosce lapides stelarum nomine intellexisse Aegyptiacarum rerum scriptores; stetisse autem ejusmodi stelas modo in templorum atriis populari concursu frequentatis, modo in speluncis adytisve, modo et super tumulis, vel in alio quolibet loco quem eventus aliquis posteris reddidisset memorabilem. Deinde aucta gentis opulentia, regumque et sacerdotum ambitione, stelas in templis poni solitas ad mirabilem altitudinem fuisse eductas, et quoniam praecipua censebantur templorum ornamenta, collocarique consueverant in locis maxime conspicuis, plerumque binae ante aedium frontes statutae, dictas fuisse aedium oculos sive obeliscos. Placuisse autem prae reliquis quadratam formam oblongam in fastigium plus minusve acutum exeuntem, quo fa-

---

[5] Herod. 2, 170. et Theophr. de lapidibus, supra pag. 3. 4. 8.

[6] Consule de Baetyliis Marshamum in canone chron. p.56. sqq. ed. Lips., et quae dicturi sumus infra sect. 4, cap. 1.

[7] Porphyrius apud Euseb. praep. evang. 3. 7 supra pag. 22.

ctum ut ea credita sit obeliscis propria, nobisque hodie omnes lapides qui ejusmodi gaudent figura hoc vocabulo nuncupentur. Destinatos quidem esse obeliscos ut res memoriae commendandas frontibus suis inscriptas haberent, sed hoc nonnunquam omissum esse propter festinationem, ideoque puros exstare nonnullos. De iis autem qui inscripti sunt, a priori sciri non posse, utrum gestarum rerum servent memoriam legesve et morum praecepta, an philosophorum placita aut inventas artes scientiasque quibus juvantur publica commoda, an vero preces et sacrificiorum solemnitates et quae alia pertinent ad cultum numinis. Neque id in universum affirmari posse de obeliscis, Soli omnes aliive certo deo fuisse consecratos. Positos enim inveniri in diversorum deorum delubris, singulis diis dono oblatos, eadem ratione qua Graeci in variis templis aras, candelabra, vasa aliaque donaria dedicavere: et fieri posse ut in singulis obeliscis diversae naturae res perscriptae sint, quemadmodum in Graecorum templis columnisque et hymnos inscriptos novimus et res gestas, legesque ac morales sententias et morborum sanationes.

CAPUT SEPTIMUM

De argumento scalpturarum in obeliscis.

§. I.

Arctissime cum obeliscorum scopo cohaerere videtur notarum argumentum, quas iis maxima ex parte incisas videmus. Nolo quidem disceptare cum cl. Pauwio, utrum ad obeliscorum naturam pertineant notae an non: quod ad veriverbium redire videtur. Pari enim ratione disputari potest, pertineatne inscriptio ad sepulcralis cippi vel ad honorariae columnae naturam. Novimus non nisi paucos exstare Aegyptios obeliscos scalptura destitutos: tres ait Pauwius, at quatuor supersunt hodie, et qui legitur apud Plinium Ptolemaei obeliscus hodie non reperitur: sed sic quoque frustra Kircherum reprehendit ille, quod ignorasset scalptas notas nihil facere ab obeliscorum institutum [1]. Certe planae illae ac latae facies inscriptionibus recipiendis apprime videntur paratae, et puri obelisci, ingentes trabes quae nihil sustinent, nullum promovent commodum, inutile videntur terrae pondus. Primos quoque obeliscos, qui erecti feruntur, litteris Aegyptiis inscriptos docet Plinius, et veteres scriptores plerumque eo modo loquuntur de obeliscis, ut majorem habeant scalpturarum rationem quam formae: quid? quod Ammianus ubi obeliscorum descriptionem tradit expressis verbis meminit hieroglyphicorum [2]. Quod unus aut alter existat sine notis, perperam sane saeculi inscitiae tribuit Harduinus, derisus a Pauwio; quam conjecturam Kircherus quoque profert [3]. Nec multi facio alteram causam a Kirchero adductam: „ quod

[1] Lib. cit. tom. 2. pag. 72. *Le P. Kircher a ignorè que ces inseriptions sont des choses très-indifferentes par rapport à ce qui devoit constituer un obélisque proprement dit, puisqu' on en connoit jusqu' à trois de la premiere grandeur, qui etoient purs; c' est à dire sans aucune apparence de caracteres sur les quatre faces*. Et pag. 74: *Sur des monumens ainsi exposés aux yeux de tout le monde, et significatifs per leur figure, les inscriptions n' étoient point essentielles*.

[2] Vide supra pag. 10 et 25.

[3] Harduinus ad Plin. *36*, *9*. tom.2 pag.*735*. Kircherus Oedipi tomo *3*, synt. 11, pag. *368*. Pauw l. c. et Italice apud del Rosso *ricerche sull' architettura Egiziana* pag.*36*.

„ ipsam figuram obeliscorum oppido mysteriosam sufficientem putarent ad arcana „ sub iis latentia intelligentibus et peritis sacerdotibus insinuanda „. Neque ea mihi videtur ratio quam affert Mercatus, reges scientiarum ignaros, verum ab ostentatione gestarum rerum inscribendarum alienos, rasos erexisse obeliscos [4]. Sed hanc existimo probabiliorem sententiam: postquam mos jam obtinuisset diis dedicare grandes eos lapides scalpturis insignes, nonnullos etiam puros positos fuisse compendii gratia, cum ii qui deos hoc honore conciliare sibi decreverant, ad opus solito more terminandum vitae tempus sibi defuturum vererentur.

§. II.

Quid obeliscis inscribi solitum fuerit, varia ratione scrutari et definire aggressi sunt, qui hac de re scripserunt. Veterum loca supra exhibuimus in primae sectionis capite primo. Inter recentiores Polydorus Virgilius libro 3. de rerum inventoribus, cap. 11. ait: „ Notis quae insculptae sunt obeliscis vel regum „ gloriam vel eorum persoluta vota sequentibus aetatibus monstrabant „. Quae sane sententia quam proxime accedit ad ea quae legimus in Diodoro et Strabone, et quae de Mesphre narrat Plinius: eique subscripsere Bargaeus [1] aliique. At aliis, in quibus Goropius Becanus [2], hieroglyphicorum vocabulum indicio fuit, ut omnia quae hujusmodi scripturae genere notata reperiuntur, sacras res existimarent sive religiosas, nec profanarum rerum memoriam iis prodi fas fuisse putarent. Medium inter utrosque iter ingressus Mercatus, cap. 9, pag. 70 sqq. scribit: „ Dubium non est, quin proprius hieroglyphicorum usus fuerit ad res „ sacras, docente ipso nomine, quod sacras scalpturas denotat. Sacrae autem „ fuere apud Aegyptios omnes eae scientiae, quae versabantur circa res crea- „ tas: quoniam dii eorum ordinati erant secundum naturam universi, ideoque „ scientiae quibus argumentum erant corpora simplicia ad ipsos deos specta- „ bant, quibus vero corpora composita ad deorum attributa. Veritati ergo pro- „ pius videtur quod scribit Plinius, obeliscos continere rerum naturae interprae- „ tationem Aegyptiorum philosophia; quam quod legitur apud Diodorum et Stra- „ bonem, inscriptas iis fuisse regum laudes et imperii magnitudinem: vel quae „ ex Hermapione tradit Ammianus, obelisco Semneserteo inscalptam fuisse so- „ lummodo dedicationis formulam. Ubi vero animum advertimus ad temporum „ in Aegypto vicissitudines, cunctas illas opiniones veras inveniemus in diver- „ sis obeliscis. Nam quo aevo coeptum est obeliscos excidere, et multis sae- „ culis postea, duae praesertim in Aegypto viguere artes, astrologia et magia, „ quibus sacerdotes famam suam et aestimationem augere studebant, dum ex astro- „ logia scire viderentur quae latent reliquos mortales, magia autem efficere quae „ a reliquis fieri non possunt. Praeferebatur itaque astrologia reliquis scientiis „ omnibus, quae et teste Clemente Alexandrino stromatum lib. 1 et 6, theolo- „ giae pars credebatur principalis: idque institutum fuit principum in Aegypto „ sacerdotum, ut res futuras praenoscerent, et posteris praedicerent; saxis eas „ incribentes sub obscurarum figurarum involucro, ne intelligerentur nisi ab iis „ qui perfecte callerent scientiam, qua de re testimonium fert Martianus Ca-

---

[4] Mercatus de obelisc. cap. 7. pag. 76.

[1] Comm. de obelisco, in Graevii thes. tom. 4. pag. 1911. 1913.

[2] Hieroglyphicorum lib. 3. pag. 28.

„ pella Satyrici libro 8. Quae autem prognostica pertinebant ad imperium, ea inci-
„ debantur obeliscis Soli dedicatis, utpote quem mundi rectorem optimum maximum
„ venerabantur Aegyptii [3]: quae ad anni qualitatem spectabant aërisque vicissitudi-
„ nes et caniculae influxum et epidemicorum morborum remedia, in pyramidibus scri-
„ pta erant, Vulcano medicinae patrono consecratis: quae ad Nili futuras inun-
„ dationes in sphingibus. Sed omnes istae scientiae ab Aegyptiis sacerdotibus ex-
„ cultae, ubi summam attigere perfectionem, mox neglectae in pejus devergere
„ coeperunt, et sacerdotum magna pars superstitioni et assentationi indulgere,
„ regesque ad vanam gloriae cupiditatem excitare. Itaque hi progenitoribus suis
„ deorum numero adscriptis obeliscos erigendos censuere, quibus sub religionis
„ specie soli dedicatis inscripserunt potentiam imperii sui, tributorum magnitu-
„ dinem, et quaecunque famam eorum augere possent apud posteros. Ex his obe-
„ liscis alii in templis positi fuerunt, alii juxta sepulcra. Fuere et eodem tempo-
„ re, scientiis jam oblitteratis, reges nonnulli qui solem obeliscis honorare vo-
„ lentes, dum aut res a se gestas ambitiose declarare vererentur, aut non habe-
„ rent quae sua facta memoriae mandarent, puros eos statuere.„

§. III.

Kircherus autem, Goropii insistens vestigiis, magisque propensus ad res fidenter asserendas, quam ad diligenter examinandas dijudicandasque, et quae veritati proxima firmis rationibus stabilienda, totus in eo est ut neget hieroglyphicis characteribus committi potuisse res quae ut a populo scirentur interesset; atque ut in obeliscis contineri doceat theosophiam, occultas scientias, ritus religiosos et magicos. Nempe in obelisci Pamphilii interpretatione, lib. 2, cap. 5. pag. 120. scribit: „ Hieroglyphicum proprie derivatum απο του ἱερος και γλυφω, quasi sa-
„ cra scalpendo, nihil est aliud, teste Goropio Becano libro secundo hieroglyphico-
„ rum, quam rei sacrae symbolum materiae cuidam incisae; unde apparet diffe-
„ rentia symboli et hieroglyphici, omnia enim hieroglyphica sunt symbola, non
„ contra. Est enim hieroglyphicum tantum signum rei sacrae alicui materiae in-
„ cisum„. Inque eodem libro, cap. 9. pag. 151, et in Oedipi tomo 3, synt. 3. pag. 253: adversus Hermapionem disputans, ait: „ Argumentum obeliscorum
„ laudes, victorias, triumphos, eximiaque facinora regum, minime continere,
„ in praecedentibus diversis locis fuse dictum est. Nam cum hieroglyphica do-
„ ctrina esset obscura, aenigmatica, mysteriosa, a profanorum intellectu longe
„ remota, quam soli illi, quibus ad regnum spes esset, quibusque rerum sa-
„ crarum cura erat commissa, callerent, quamque sub silentio maximo tenere,
„ et sub poena vitae ulli alteri, praeterquam sui ordinis hominibus propalare ve-
„ tabantur; certe obelisci regum gesta continere non poterant. Temerarius ita-
„ que, ne dicam stolidus omnium opinione foret, qui gesta et magnifica prin-
„ cipis aut regis alicujus facinora ex se, et sua natura lucis appetentia posteri-
„ tati, vel ad ea imitanda, vel ad excitandam virtutum in posteris admirationem
„ memoriamque conservandam proposita traditurus, impenetrabili quodam scri-
„ pturae genere uteretur. Haud absimile de Aegyptiis judicium, si laudes ge-
„ staque regum continerent, formare possumus. Quando itaque Herodotus, Dio-

[3] Praedictiones de statu imperii obeliscis templisque inscriptas memorat Synesius *orat. Aegypt.* I. p. 114, edit. Petav. quem locum quaere in Addendis.

„ dorus Siculus, Plinius, aliique dicunt in Aegyptiorum monumentis regum ge-
„ sta fuisse expressa, expensasque in varias fabricas, et expeditionem per or-
„ bem susceptas, sumptus quoque in allia, caepasque factos contineri; de obe-
„ liscis nequaquam intelligunt, sed vel de pyramidibus, vel columnis, aut tabu-
„ lis, lapidibusque templorum parietibus insertis, intelligebant. Nam in co-
„ lumnis similibusque, res praeclare gestas, historiasque, easque vulgari chara-
„ ctere Aegyptiis usitato, quem nos Coptum appellamus, incidere solebant;
„ cujusmodi complures vides apud Herodotum et Diodorum. In obeliscis vero
„ solas res ideales, intellectualesque, et difficiles captu, easque sub obscurissi-
„ mis figurarum involucris exhibebant. Cum itaque Hermapion in obelisco Fla-
„ minio nihil aliud quam regis Ramestis laudes, et gloriam describat, vel ex
„ hoc capite interpretationem menti Aegyptiorum sacerdotum minime correspon-
„ dere posse, confestim apparet „. Et in diatribe prolusoria de hieroglyphicis in genere Oedipi tomo tertio praemissa, pag. 8: „ Aegyptios, inquit, non, ut
„ multi sibi hucusque falso persuaserunt, historias, non laudes regum et prin-
„ cipum, non artes liberales, non aliud denique hujus generis commentum, sed
„ res sacras, vel ad divinae naturae proprietates, vel ad angelorum geniorumque
„ ordinum, praesidiorumque distributionem, vel ad theurgiae, expiationumque
„ sacrarum rationem spectantes, incidisse, paulo post apparebit „. Ubi vero quaeras unde ista appareant, non auctorum loca affert Kircherus ad comprobandum in obeliscis nihil scriptum fuisse praeter res captu difficiles; non intrinsecas rationes quae evincant non nisi res natura sua obscuras scribi potuisse hieroglyphicis: sed cuncta in eo consistunt, quod Aegyptii hieroglyphicis usi sint ad philosophiae suae placita declaranda; de quo nemo dubitat, nec ullus est qui videat hoc quo obstaculo sit, quo minus et vulgares res eodem scripturae genere tradere potuerint. At Kirchero interpretationes suae probationum loco stant, quae sane si sunt verae, liti dirimendae sufficiunt, nec dubitationi locus relinquitur, quin hieroglyphica illa doctrina, a profanorum intellectu longe remota, antiquis certe auctoribus ne fando quidem audita, exposita reperiatur in obeliscis.

§. IV.

Non defuerunt quidem viri eruditi qui suffragia ferrent Kirchero, et obeliscorum notas ab eo ad veterum Aegyptiorum mentem explicatas crederent. At major pars interpretationes ab eo propositas ad somnia relegarunt, atque dum hieroglyphicas notas iis rebus accenserent de quarum cognitione esset desperandum, obeliscorum argumentum ex veterum scriptorum effatis definiendum statuerunt, quae jam fuit Mercati sententia. Joannes Marshamus in canonis chronici saeculo 16 [1], Pouchardus in brevi tractatu de obeliscis inserto historiae academiae inscriptionum [2], & Vignolius in chronologia sacra [3], Hermapionis fidem tuiti sunt adversus Kircherum: sed Plinio concesserunt in iis obeliscis quos ex Aegypto advexit

[1] Edit. Lips. 1676. pag. 462.

[2] *Histoire de l' academie des inscriptions* tom. I. pag. 197. *Il seroit à souhaiter que le P. Kircher nous eût donné quelque raison ou quelque autorité pour appuyer ce discours. Mais n' en ayant aucune il est plus sûr de s' en tenir à celle d' Ammien Marcellin, qui se trouve conforme aux témoignages des anciens auteurs: Proclus, Tacite, Manéthon.* Vide supra pag. 19. 35--37. 49.

[3] *Chronologie de l'histoire sainte et des histoires étrangeres par Alphonse des-Vignoles. à Berlin* 1738. tom. 2. pag. 724. sqq.

Augustus, scriptam fuisse rerum naturae interpretationem. At Warburtonus[4], qui magna cum laude scripsit de hieroglyphicorum natura et origine, obeliscis nihil incisum putat praeter laudes regum, gestarumque rerum memoriam, nixus auctoritate Diodori, Strabonis, Procli et Hermapionis: eique adstipulatur eruditissimus praesul Blanchinius[5]. Gibertus autem in dissertatione de obelisco ab Hermapione interpretato[6], hunc obeliscum diversum existimans ab eo de quo loquitur Plinius, in variis obeliscis variae naturae res contineri asserit. Demum Pauwius[7] Hermapionis interpretationem ut fabulosam rejecit, res historicas non nisi in stelis vel cippis sive tabulis perscriptas fuisse contendens, in obeliscis vero Plinio docente observationes philosophicas: Manethonem enim ex stelis historiam suam descripsisse, obeliscis non consultatis. Brucius[8] autem, cujus iter in Aegyptum et Aethiopiam nuper lucem adspexit, cuncta quae sculpta fuere in obeliscis et templis Aegyptiorum, ad astronomiam spectare opinatur.

§. V.

In tanta doctorum virorum dissensione praeclare de Campensis obelisci argumento scribit cl. Bandinius commentarii capite 6, pag. 27. sqq: „ Affirmare „ jure optimo me posse arbitror, quidquid in hieroglyphicorum expositione dici „ posset, ingenio licet elaboratum, atque eruditione exornatum, non nisi debi„ lissimas conjecturas ad summum posse producere[1]. Cum itaque symbolis, ut „ ita dicam, enucleandis inscriptionem interpretari minime valeamus, num aliter „ id consequi possimus, breviter videamus. Postquam Diodorus tradidit, Se„ sostridem duos confecisse obeliscos, subdit, in iis imperii sui magnitudinem, „ imposita gentibus tributa, ac devictorum hostium numerum descripsisse. — „ Huc etiam accedit, quod idem auctor est, supra Isidis et Osiridis sepul„ chrum eorum gesta in duabus columnis sacris litteris fuisse incisa, ipsumque „ Sesostridem hisce notis relatas victorias in columnis descripsisse, eaque in di„ versis redactarum gentium locis posuisse. Haec eo mihi probabilior videtur opi-

---

[4] *Essai sur les hieroglyphes des Egyptiens traduit de l'Anglois de M. Warburton, (par M. de Malepeines) à Paris* 1744. pag. 117. §. 21. Et *The divine legation of Moses, in nine books by W. Warburton, 3d. edit. London* 1758. tom. 2, part. 1. pag. 121.

[5] *Istoria universale*, saec. 3. pag. 109. et saec. 29. pag. 411.

[6] *Memoires de l' academie des inscriptions* tom. 35. pag. 669.

[7] *Recherches sur les Epypt. et Chin.* tom. 1. pag. 32. tom. 2. pag. 73.

[8] *Travels to discover the source of the Nile.* tom. 1. pag. 413. *I consider that immense quantity of hieroglyphics, with which the buildings and obelisks of Egypt are covered, as containing so many astronomical observations; and look upon them as ephemerides of some thousand years.*

[1] Idem judicium de hieroglyphicorum interpretatione tulit Mercatus, libro de obeliscis Romanis cap. 9. pag. 69: eademque est Bruckeri celeberrimi viri sententia, qui in historia critica philosophiae lib. 2, cap. 7 §. 2 ait: „ Sole „ meridiano clarius est frustaneum esse labo„ rem, qui in interpretandis solvendisque his „ aenigmatibus consumitur, quum prout quis „ est magis ingenio foecundus, et a cognitione „ veterum rerum non imparatus, eo facilius „ sibi struit explicationem non incommodam, „ sed sui potius ingenii lusibus quam veritate „ nixam „. Idem quoque censuere Scipio Maffejus musei Veronensis pag. 185; Jablonskius in prolegomenis ad Pantheon Aegyptiorum §. 64. pag. 155; aliique viri cordati: nec erit qui attente consideraverit recentiorum interpretum conamina, licet omnifaria doctrina et summa ingenii vi instructorum, quin Bruckerii subscribat sententiae, et satius ducat ignorabilium rerum fateri ignorantiam, quam somniis somnia superstruere, et commenta sua venditare pro veterum sapientia.

„ nio, quod apud Strabonem reperiam, Thebis ad regum tumulos, nonnullos „ fuisse obeliscos, in quibus inscriptiones legebantur, quae regum illorum opes, „ potentiam, imperiumque, nec non tributorum copiam atque exercituum multitu- „ dinem demonstrabant. Tacitus etiam Germanici per Aegyptum iter graphice de- „ scribens, adfirmat, ipsum quam plurima vetustatis rudera Thebis circumspicien- „ tem, atque inscriptos praesertim obeliscos, qui adhuc stabant, pristinam opulen- „ tiam complexos, eos seniorem ex sacerdotibus interpretari jussisse; subjicitque „ expositionem a sacerdote factam, cum ea, quam brevius refert Strabo, mire con- „ gruentem. Quare est, cur credam, utramque ad ejusdem obelisci inscriptio- „ nem pertinuisse [a]. Cum itaque Strabo, atque una Tacitus tradant, plures „ obeliscos ita fuisse insculptos; est profecto, cur dubitemus, an omnes inscri- „ ptiones, quod ab earundem interpretibus ferebatur, revera continerent: an „ eas isti optime callerent: an id, quod ajebant, traditione, an ex sacris libris „ acceperint: an denique una patefacta, ut praeteriti imperii magnificentiorem „ ideam excitarent, hoc idem continere et reliquas, viatoribus ejusmodi scriptu- „ ram ignorantibus suaderent. — Quod vero nostra interest, illud est, singularem „ non esse Diodori narrationem, qua refert, Sesostridem in obeliscis, quos po- „ suit, imperii sui magnitudinem, atque exercitus multitudinem, quasque retu- „ lerat victorias exhibuisse. Primus fortasse hunc usum invexit, aliique postea „ ejus exemplum persequi minori tamen cum laude conati sunt. — Quod si quis ta- „ men adhuc contendat, in obeliscis, utpote qui diis superis sacri erant, nil „ aliud quam eorum laudes exhiberi debuisse: responderi poterit, quod cum „ Aegyptii eos reges a quibus beneficiis affecti fuerant, in deorum numerum post „ mortem referre consuescerent: ideo sacerdotes permisisse, ut in obeliscis, licet „ soli praecipue dicatis, laudes eorum scriberentur. — Et revera, hieroglyphicis, „ qui in nostro adhuc supersunt, hujusmodi maxime nititur conjectura. Hisce ef- „ figiata est cuspis, atque obeliscus ipse. Non paucos ex iis, qui in cuspide sunt, „ in obelisco repetitos videas, et contra nonnullos, qui in obelisco sunt, „ in cuspide non observes. Qui in obelisco non repetuntur, sunt scara- „ baeus, accipiter volans, pedibus globum sustinens, ex quo pendet Theta, „ catenae, serpens orbiculatim nexus, sphinx &c.: quae aenigmata, si consu- „ lantur scriptores hac de re disserentes, divinitati recte convenire comperie- „ mus. Quare est, cur suspicemur, cuspidis hieroglyphicos obelisci consecra- „ tionem soli peractam praeseferre: ac virtutes, proprietates, atque opera ab Ae- „ gyptiis sapientibus huic numini attributa significare: illos vero in obelisco in- „ sculptos, metaphorico, atque allegorico sensu, quemadmodum eos consuevis- „ se perhibet Alexandrinus Clemens, Sesostridis egregia facinora, victorias, „ ac laudes referre. Luculentissimum nobis exemplum Marcellinus suppeditat, qui „ obelisci interpretationis partem ab Hermapione confectam posteritati mandavit: „ in ea igitur regis, cui saxum illud honoris gratia positum fuerat, laudes adeo „ cum illis, quae diis dabantur, commixtae leguntur, ut an de rege ibi sermo „ sit, et ad quem pertineat, vix dignoscere possimus. His positis, nihil Plinii „ textus videtur obstare, dum ait, Sesostridis ac Semnesertei obeliscos rerum „ naturae interpretationem, Aegyptiorum philosophia continuisse; id enim minime „ eo sensu est adcipiendum, ut nonnullis visum fuit, videlicet de rebus ad phy-

---

[a] Veterum loca a Bandinio adducta, habes supra pag. 4. 39. 40. 6. 19.

„ sicen spectantibus in iisdem agi, cum id Hermapionis interpretationi omnino „ adversetur. Plinius vero nihil nobis aliud, quam symbolicae Aegyptiorum „ scripturae ideam praebuit, qui profecto rerum naturam seu substantiam et con- „ stituentia scrutabantur; ut insculptae rei intimis qualitatibus ac proprietatibus, „ aliam, quae cum ista aliquo pacto adsimilari posset, repraesentarent: quod „ philosophorum, atque Aegyptiorum sapientum studium erat praecipuum. „

§. VI.

Haec fere sunt quae de obeliscorum argumento reperi apud hodiernos auctores, quorum libros evolvere licuit: sed cujus accedam sententiae valde haereo, cum nullus ex iis satisfaciat penitus, a singulis autem multa erudita sint concinnata, multa animadversa acute. De Goropio et Kirchero jam dixi. Etiam Brucii opinio omni caret historico fundamento, nec aliud est quam conjectura, quae donec nova emergant monumenta, donec novas acquiramus de Aegyptiis rebus notitias, neque probari potest neque refelli. Viam Brucio monstrasse videtur Pluchius [1], qui a Zodiaco initium statuit scripturae symbolicae, licet is non eo progressus audaciae, ut quaecunque ejusmodi scriptura posteritati mandata fuerunt ad astronomiam referat. Pauwius de obeliscorum argumento leviuscule scripsit, Plinii loco, quem Hermapioni opponit, ad trutinam non revocato, nec ratione habita Diodori aliorumque, qui pro Hermapione stare videntur. Ubi vero ad Manethonem provocat, quem non ex obeliscis Aegypti historiam edoctum dicit, sed e stelis Hermeticis in syringibus occultatis, vellem ex Aegyptiorum vel e Graecorum loquendi usu probasset, obeliscis, nihil commune fuisse cum stelis. Nam quod ex Arabum alchemistarum libris, qui multi sunt circa Hermetis tabulam smaragdinam, adstruere conatur stelas non fuisse praeter parvos cippos, plerumque tabulas tantum, ponderis est perquam exigui. Sed de stelis infra: hoc loco advertere sufficit, Manethonem chronographiam suam non hausisse e stelis hermeticis, quod jam monui in prima sectione pag. 36, nota 3; utrum ex obeliscis, e stelis sesostrideis, aliisve monumentis, id nos latere hactenus. Nimis quoque sibi sumsit Warburtonus, dum neglectis Plinio, Pseudo-hermete et S.Cyrillo, in obeliscis nihil praeter regum gesta scriptum autumet.

Itaque praeferenda videtur moderatior sententia, Mercato, Bandinio, Giberto aliisque probata, in diversis obeliscis scalptas esse res diversae naturae, ideoque nihil affirmari posse generatim de cunctorum obeliscorum argumento. Ipse Plinius in Mesphris obelisco scriptum fuisse ait regis somnium, in duobus quos Romam advexit Augustus, rerum naturae interpretationem; nam ferendam non censeo eam Plinianae dictionis explicationem, qua ipsum Hermapioni conciliare tentavit Bandinius, neque ea opus est, cum adhuc incertum sit utrum de uno eodemque obelisco locuti sint ambo scriptores. Quod vero censet Mercatus, in principio non nisi sacras scientias, in primis astrologiam et praedictiones circa imperii vicissitudines, obeliscis fuisse incisas, post ob scientiarum oblivionem gesta regum, denique propter gestarum rerum inopiam puros erectos fuisse obeliscos, id ad veterum discordiam tollendam minime sufficit. Plinius enim antiquissi-

---

[1] *Pluche histoire du ciel considerée selon les idées des poetes, des philosophes et de Moise. à Paris* 1739. tom.1. pag.19. 25.

mo omnium obelisco inscriptum perhibet regis somnium, et Diodori Sesoosis, qui gesta sua obeliscis incidi jussit, saltem vetustior est Pliniano illo Semneserteo, cujus obeliscus continebat rerum naturae interpretationem.

Sed egregie advertit Bandinius, in Aegyptiis rebus tarde credendum esse Graecis scriptoribus, quippe qui, ut facere solent peregrinatores, linguae gentis morumque nescii in pugillares suos retulerint quaecunque acceperint ab interpretibus, saepe male instructis, saepe male fidis, et nunquam non magis sollicitis circa peregrinantium aures vellicandas quam circa rei veritatem prodendam. Ideoque consulenda esse ipsa monumenta, figurasque in iis propositas, quae licet explicari nequeant, aliquam tamen lucem argumento obfundere polliceantur. Eruditissimi viri monito obsequentes ad examen revocabimus narrationes veterum, notarumque, quas in obeliscis scalptas cernimus, indolem ordinemque expendemus.

Exstitisse in Aegypto ante Trojana tempora reges terra marique potentes qui Asiam Indiamque armis suis subegerint, et imperium ita stabiliverint ut annua tributa imperarent Bactris et Cappadocibus, mytho certe similior est quam historiae. Scimus enim, post Cyri et Xerxis imperium, qui totam fere Asiam cum India et Aegypto in potestatem suam redegere, Graecos quoque Scythasque bello lacesserunt, singulas fere gentes asseruisse sibi ejusmodi κοσμοκράτορας, et gesta eorum antiquissimis monumentis apud se extantibus inscripta ostentasse. Coelestium revolutiones, fictorum heroum facinora et indigenarum regum vicissitudines, in unum conflata fuere et confusa ad gentis gloriam augendam: et quae initio fuerant otiosorum hominum figmenta postea abiere in popularem famam. Osiridis, Sesostridis et Rhamsis gesta incisa ferebantur, ut reliquis in Aegypto molibus, ita et obeliscis: et Graeci peregrinatores edocti a Graecis interpretibus, non multo magis quam ipsi Aegyptiam vetustatem callentibus, in patriam reversi conterraneis suis incertam famam pro historia venditabant. En quae potest esse origo notitiae quae de obeliscorum argumento legitur apud Diodorum et Strabonem: nam Tacitus obeliscos non nominat, neque huc trahenda sunt verba Procli. Ubi vero Plinius, Hermes pseudonymus et S. Cyrillus in obeliscis contineri scribunt scientias, ejus rei hoc forsan solum est fundamentum, quod Aegyptiorum sapientia et artes lapidibus inscriptae noscebantur, non certa aliqua et determinata de obeliscis memoria. Illud quidem rei propius convenire videtur, quod referunt Plinius et Ammianus, reges suscepta solutaque vota, erigendi dedicandique occasionem scripsisse in obeliscis quos diis in religione dedicarunt: neque ab hoc aliena est interpretatio Hermapionis, de qua acute annotavit Bandinius, ita esse conceptam ut de rege an deo sermo sit vix dignoscere possis. At nolo contendere annales imperii vel scientiarum praecepta vel philosophorum placita moralesque sententias, scribi non potuisse in obeliscis numini consecratis; et insimul separate exponi beneficia quae a diis acceperant reges conditores, et quae dona grati illis persolverant.

Inspiciamus porro ipsas obeliscorum scalpturas, et obeliscos comparemus inter se: nam adeo parum est quod scimus de hieroglyphicis ut ex unius obelisci notis nihil arguere detur. In grandibus obeliscis ea est notarum inter se similitudo, sive dispositionem spectes sive figuras principes, ut vix dubitare queas simile in cunctis comprehendi argumentum. In ima parte vir flexis genubus alteri sive stanti, sive sedenti dona offert, eademque res non raro repetitur in trunci capitulo; symbo-

licae autem notae incipiunt ab accipitre, cujus significatum maxime solemnem eum esse tradunt veteres interpretes, ut numen denotet [1]. Haec in omnibus, inque singulorum singulis lateribus. Pyramidion autem in unoquoque fere lapide peculiare quid prae se fert, tamquam obelisco a reliquis distinguendo destinatum. Eadem ratio est notarum in secundae classis obeliscis, modo excipias Barberinum atque Arsinoiten, quibus nihil commune est cum reliquis. Nam quod nonnulli careant grandioribus figuris, quae circa basin adesse solent, id forte tribuendum est temporis injuriae. Parvi denique et minimi obelisci varia ratione scalpti deprehenduntur, quamquam non pauci ex iis notarum ducem praeferant accipitrem uti maximi obelisci. Quae vero ex modo dictis colligenda videntur, haec sunt. In parvis lapidibus, qui nobis contra veterum consuetudinem dicuntur obelisci, varia contineri argumenta, quae nos latebunt usque dum aliquis interpretandorum hieroglyphicorum modum inveniat. At magnis obeliscis speciali munere numini consecratis pro argumento esse invocationem deorum laudesque, et aliquos velut hymnos exhiberi in notis symbolicis iis inscalptis; grandioribus figuris, quibus adstare solent notae quaedam minutae, dedicationis exprimi formulam et occasionem, et quae alia dona diis insimul obtulere reges; in pyramidio autem esse tamquam epigraphen, qua dei illius nomen declaretur et principalia attributa, cui dedicatus esset unusquisque obeliscus. In iis vero quos diximus mediae magnitudinis inveniri nonnullos, qui stelis potius accensendi factorum narrationes comprehendant vel scientiarum theorias: quemadmodum et inter parvos non pauci sint qui argumenti ratione similes maximis obeliscis hymnos contineant, sed quia non magni pretii essent donaria nullam praeferant dedicationis memoriam. Quod vero inscriptiones, quas dixi, hymnos existimem, facit magna quae inter eas est contextus similitudo. Nam si in singulis obeliscis singulorum regum gesta essent perscripta, fore videtur ut uniuscujusque notae toto coelo distarent ab iis quae habentur in reliquis: idemque expectandum esset, si vel philosophiam continerent, vel astronomiam aliasve scientias, vel denique morum praecepta. Si vero hymni sunt, multi obelisci uni eidemque deo dedicati easdem praedicant laudes, sed quae in singulis peculiari aliqua modificatione novitatem prae se ferant. Diversorum quoque deorum hymni in multis rebus convenire solent invicem, invocationis formula et epithetis, quae saepe variis diis communia sunt, aut inversione aliqua ab uno ad alterum transferri possunt. Praeterea rhythmicum quid deprehendere mihi videor in notarum dispositione in singulis ejusdem obelisci frontibus. Bina plerumque latera respondent sibi invicem, ut magna pars seriei quae habetur in uno latere, in altero quoque redeat modo plus modo minus variata. Sunt et notae aliquae notarumque systemata, quae in uno eodemque latere repetita cernuntur post certa atque ut videtur determinata intervalla. Quae cuncta, si de historia quaeris vel de scientia, superflua et incommoda videntur; verum in hymno elegantiam augent et solemnitatem. Cum hac nostra conjectura apprime quoque consentit, ne omnia me fallunt indicia, fragmentum illud quod ex Hermapione servavit nobis Ammianus, quod nisi hymni partem vocaveris, quo nomine appellandum sit, ego quidem nescio. Neque inficias ibo in hymnorum contextu multa occurrere posse ad philosophiam spectantia vel ad gentis historiam, uti fieri assolet in Graecorum aliorumque popu-

---

[1] Herapoll. hierogl. 1, 6: Plutarch. de Isid. pag. 436. 464. 465. opp. tom. 7: Clem. Alex. strom. 5, 7. p. 670.

lorum hymnis : modo ne cum Blanchinio annales quaeras in obeliscis nec cum Kirchero doctrinarum expositiones. Genuflexa figura, quae alteri dona offert, regem repraesentari numini supplicem, sive aliquem Aegypti genium tutelarem, facile mecum senties. Ejusmodi autem effigies ansam praebuisse suspicor venalibus in Aegypto interpretibus, ut in obeliscis expressa crederent tributa victori regi oblata, dum animum non adverterent, quod omnes eae figurae, quae genuflexae dona porrigunt, Aegyptios homines referunt, non Bactrianos, non Scythas Persasve aut Cappadoces, quos certe scalptor e gentilibus attributis noscendos finxisset, si supplices nationes posteritati transmittere voluisset.[1]

CAPUT OCTAVUM

De mechanica obeliscorum.

De Aegyptiorum mechanica erudite scripsit Kircherus in Oedipi tomo secundo, parte 2, class. 8, cap. 2, pag. 311 sqq., ubi licet non cuncta queas probare, multa tamen invenies industrie exposita et cordate animadversa. Consulendi pariter sunt Goguetius de origine legum et artium, partis 2, libro 2, sect. 1, cap. 3, art. 1; partis 3. lib. 3, cap. 3, art. 2.[2], et Pauwius disquisitionum de Aegyptiis et Sinensibus tomo 2, pag. 67. 68., qui hoc argumentum luculenter tractaverunt, nobisque otium fecere. Non enim is sum qui in hac scientia versatus novi quid addere possim, vel novas machinas proponere, quibus usi esse potuerint Aegyptii. Sed pro argumenti necessitate breviter declarabo, quae circa hanc quoque rem mihi videntur veritati propiora.

Ubi vero de iis quaerimus quae in obeliscis spectant ad mechanicen, quatuor res occurrunt considerandae: qua ratione e rupibus eos exciderint; quo modo devexerint ad locum ubi statuendi; quibus machinis sursum attulerint, et subrexerint; denique quibus instrumentis usi poliverint et notas inscalpserint.

---

[1] Mirum quod Blanchinius l. c. perpendiculares lineas, quae in obeliscis summitatem versus novenae plerumque cernuntur exaratae, pro numeralibus notis acceperit, eoque opinionem suam de historico obeliscorum argumento firmandam crediderit. Nolo quidem hoc loco insistere meae conjecturae, quod schemata ea quadrilatera et oblonga, quibus constanter subjectae et tanquam appensae sunt istae lineae, accipitribus, quos super eis collocatos videmus, pro suggestibus sint vel basibus, et lineae illae non aliud repraesentent quam baseos ornamenta. At notas numerales esse non posse eo modo quo contendit Blanchinius, ipse fassus foret si attente contemplatus esset obeliscos. Affirmat enim eo consilio incisas esse novem lineas ut singularum rerum infra eas sculptarum numerus indicaretur notae cujuscunque positione ad perpendiculum primae secundaeve vel usque ad nonae lineae. E. g. apis effigies, quae regem significat, ubi posita esset ad perpendiculum septimae lineae, indicaret quod rex septimo imperii anno expeditionem suscepisset. Qui autem essent numeri novenario majores colligendi essent ex lineis horizontalibus supra verticales illas lineas exaratis, et denos numeros significantibus. At praeter quam quod non constanter sint novem lineae, sed nonnunquam tredecim, nonnunquam quinque, fieri nullo pacto potuit ut notae infra eas incisae ita ponerentur, ut responderent singulis lineis. Nam ea est notarum magnitudo ut modo una, modo duae, nunquam plus quatuor totum id latitudinis spatium occupent quod tributum est novem lineis. Apis e. g. constanter amplitudine sua e novem lineis sex aufert; et semper ita posita est ut caput ejus respondeat quartae lineae.

[2] Versionis Italae tom. 2. pag. 103 sqq. tom. 3. pag. 96. sqq.

§. I.

Fuere quibus immanium illarum molium tractatio ita visa est difficilis, ut non saxa eas crederent, sed materiem arte compactam et velut fusam, pro re difficili substituentes alteram multo difficiliorem, nec ulla arte hodie cognita efficiendam. Qua de re vide Goguetium loco citato, ubi opinionem, non magna sane attentione dignam, fuse refellit. Obeliscos maxima ex parte factos esse e pyrrhopoecilo, supra exposuimus, ejusque lapidis montes in universo fere terrarum orbe occurrere magna frequentia, in Aegypto praesertim circa Nili cataractas Aethiopiam versus atque Troglodyticen. Discimus etiam a peregrinatoribus, latomias Syene adjacentes ejus naturae esse ut cujusvis magnitudinis trabes e rupium lateribus excidi possint, neque cuniculis opus esse nec fodinis in terram actis profunde. Designabant Aegyptii in colle stratum obelisco idoneum, complanabant fossoriis instrumentis superficiem et latus, dein scalpro incidebant sulcos aliquos sive canales ad definienda latera opposita, quibus ad certam profunditatem excavatis cuneorum ope de rupe revellebant obeliscum. Ita fecisse eos ex lapicidinarum vestigiis prope Syenen existentibus collegit Pocockius [3]: similique ratione hodie quoque in Gallia septentrionali excidi graniti frusta, longa pedes quadraginta quinque, latos octodecim, docet Goguetius loco citato.

§. II.

Neque in devehendis obeliscis labor adeo magnus, ubi Aegyptum cogitamus fossis navigationi aptis undique dissectam. Chamulcis impositi ergatarum subsidio trahebantur ad fluvium, dein navigio ad quodvis Aegypti oppidum deferebantur. Vias a montibus Nilum versus complanatas vidit Brucius, modico descensu ut quinquagenum pedum spatio singulis pedibus fierent decliviores [4]. Canales e Nilo perductos fuisse usque ad latomias, e Plinii narratione de obelisco a Ptolemaeo Philadelpho Alexandriam advecto [5], arguendum credidere plerique: at si recte scripserunt Nordenius et Pocockius, totum fluvii littus Syenen versus constare e lapide granitico [6], vereor ne ejusmodi canales fodiendi nimio steterint labore et expensis; nec video quid opus sit iis. Nam rate littori firmiter alligata, et ponte facto e trabibus validis ab extremo littoris margine, vel a gradibus in ripa incisis, usque in ratem pertingentibus, quodlibet pondus cylindris suppositis in ratem transferri poterat. Nec Plinium aliud voluisse censeo, ubi scribit, obeliscum a Satyro rate devectum fuisse: quae vero subdit a Callixeno de fossa e Nilo perducta navibusque obelisco submissis, me quidem judice magis speciem habent problematis in mathematicorum scholis solvendi quam rei usu probatae. Sed haec quomodocunque se habeant, unde scimus Plinium loqui de obelisco jacente in fodinis? nam quod statutum dicat in sex talis ex eodem monte, idem est ac si dixisset ex eodem lapide, nulla loci designatione. Forte Thebis jacebat a Cambyse subversus, vel in alio Aegypti oppido prope Nilum, nec opus erat nisi brevi canali in terreno minime duro.

---

3 V. sect.2, cap.3, §.11. pag.118. not.1.
4 V. sect.2, cap.3, §.8. p.112. not.5.
5 Ibidem §.11. p.118. 119. nott. 1. 2.
6 V. supra pag. 13. 14.

Sed ne doctorum virorum sententiam neglexisse videamur, en quae de obeliscis devehendis scripsit Kircherus, quem secutus etiam est Goguetius [7]. „ Obelisci, quem Ptolemaeus Philadelphus octoginta cubitos longum a rege Nectanabo ex rupe Thebaica excisum Alexandriae statuit, architectus fuit Satyrus, uti refert Plinius. Ratio vero qua eum navi impositum Alexandriam deportaret, haec fuit. Primo fossam profundissimam, quae sub ipso obelisco initium duceret, ad ipsum usque Nilum effecerunt. Quae deinde aquis Nili repleta, non tam fossam quam flumen ingens referebat. In hac fossa, verius flumine, teste Callixeno Phoenice apud Plinium, duas naves amplissimas ordinabant, quas et lapidibus in tantum onerabant, ut pondus lapidum obelisci pondere duplo majus esset. Hoc peracto, naves firmiter connexas sub ipsum obeliscum extremitatibus suis in ripis utrinque pendentem remis subigebant. Subactis vero hoc ingenio infra obeliscum navibus, naves paulatim lapidum exoneratione alleviabant, donec obeliscum pendentem exciperent; exceptum vero hoc pacto per fossam in Nilum, ac deinde Alexandriam deducerent. Simili industria haud dubie a majoribus per traditionem accepta, reliqui ex posteris in magnis molibus transferendis usi sunt. Nonnulli volunt obeliscos translatos esse eo tempore quo maxima esset Nili in Aegypto inundatio; aqua enim terris altius supereminente, nihil facilius erat quam extra alveum Nili in quemcunque Aegypti planioris locum onus deportare. Quod si tamen necessitas ita requirebat, obeliscum chamulcis sive cylindris impositum in locum erectionis devolvebant. „

§. III.

De machinis quibus ad obeliscos subrigendos usi sint Aegyptii, nil memoriae prodiderunt auctores antiqui. Romanos veteres id effecisse iisdem fere machinis, quas adhibere solent architecti hodierni, discimus ex Ammiano Marcellino atque ex anaglyphis in stylobate obelisci Theodosiani [1]: et quamquam ergatarum usus, quod rei caput est, Graecis non nisi tarde innotuisse videatur, ab Aegyptiis tamen jam remotissimo aevo inventas fuisse cum Kirchero arguo ex numero et magnitudine molium quas ab iis erectas novimus. Frustra sane saxorum cumulos a Peruvianis aliisque barbaris gentibus confuse coacervatos cum Aegyptiorum aedificiis comparandos credidere nonnulli [2]. Nam vectium ope aggerumque magna saxa

---

7 Goguetii verba mutuatus est del Rosso, *ricerche sull'architettura Egiziana* pag. 98. 99.

1 Vide supra sect. 1, cap. 1. pag. 26. et cap. 4. §. 3. pag. 58. Nam minime assentire possum Mercato, qui cap. 38. pag. 353. ex Ammiani narratione hyperbolis de more suo referta colligendum censet, multo imperfectiores fuisse veterum machinas quam hodiernae, et majori opus fuisse apparatu, majori operarum multitudine. Vix aliis verbis usus fuisset Ammianus si describendae ipsi fuissent tabulae quibus machinas suas expressit Fontana.

2 Miror Goguetium scripsisse lib. cit. tom. 3. pag. 54. Peruvianos molium structura superasse Aegyptios. Vidit quidem Acosta inter informia illa saxa, quibus oppida sua munire solebant, unum longum pedes triginta, latum octodecim, et alia adhuc majora conspici narrat; sed hujusmodi lapides super solo jacentes invenit, non alterum alteri impositum: nec aliud fecisse videntur Peruviani, quam per declivia eos devolvisse et circum oppida serie aliqua disposuisse. (*Garcilasso de la Vega histoire des Tncas* ed. 1715. tom. 1. pag. 233, tom. 2. pag. 248 sqq.) Ubi enim aedificia construere aggrederentur, templa domusve regias, ne lateritios quidem muros ultra duodecim pedum altitudinem educere callebant. (Robertson historia Americae, lib. 7. versionis Italae tom. 4: pag. 94. 326.)

moveri posse et in altum attolli, nemo est qui dubitet: sed hoc pacto effici posse ut columnae ponantur ad perpendiculum, ut magni aedificii partes apte cohaereant et saeculorum resistant invidiae, ut denique obeliscus erectus stet, id omnem fidem superat. Facile autem nobis persuadebimus, gentem quae per tot saecula molibus cum arte struendis operam navavit, gradatim adinvenisse mechanices compendia, cylindros, rotas, ergatas trochleasque, et alia forte quae in tanta coeli morumque distantia nulla conjectura assequi possumus. Refert quidem Plinius multa hominum millia uni obelisco Ramiseo statuendo inservisse, sed praeter quod vulgarem famam secutus videatur Plinius, non idoneum aliquem auctorem, recte adnotavit Kircherus non ita intelligendum videri, ac si omnes una ei obelisco erigendo se applicuissent, sed quod tot homines partim in eo excidendo atque scalpendo, partim movendo et statuendo occupati fuerint; et sic quoque nimia adhuc videtur multitudo, insulsaque illa fabula de regis filio lapidi adalligato totius rei fidem suspectam reddit.

Dominicus Fontana obelisco Vaticano sublevando adhibuit homines octingentos, equos centum quadraginta[3]: sed ea vi attolli potuisse obeliscum qui ponderis ratione fuisset ut tria ad duo, rationibus subductis docuerunt mathematici. Nempe Fontana qui in eo obelisco primum edidit hujus rei specimen, non ita exacte supputaverat vires machinarum, et prudenti consilio copia peccare maluit quam inopia. At ille obeliscus in altum erat perpendiculariter suspendendus, quo transferretur in stylobaten altum palmos fere quadraginta: Aegyptii vero stylobatarum loco humilibus plinthis contenti opere multo minori statuerunt obeliscos[4]. Opus non erat ut suspensum extolleretur saxum, sed aggere e terra lapidibusve facto trahendo efferebatur, usque dum basis immineret foramini in plintho excavato, dein funibus cacumini circumligatis, trochleis ergatisque rite dispositis, et turre e trabibus constructa e regione, modico operarum numero attollebatur; atque ubi ad perpendiculum esset erectum, pondere suo subsidebat in foramen plinthi[5]. Maximum incommodum e ligni inopia, qua laborat Aegyptus, et quae suspicari facit Aegyptios in aedificando pro pontibus turribusque saepe substituisse aggeres, quemadmodum de pyramidibus scribit Diodorus[6]. At vero ut obeliscos hoc pacto subrigerent, necesse erat montes aggerere, quod ut credamus eo difficilius adducimur, quod nec pinguioris terrae aggeribus aptae in superiori Aegypto magna sit co-

---

[3] *Fontana della trasportazione dell' obelisco Vaticano* fol. 33. *Mercati degli obel.* cap. 38. pag. 360.

[4] Multum in hoc argumento debeo cl. Pauwio, qui in *Recherches sur les Egypt. et les Chin.* tom. 2. pag. 67. haec habet: *L' érection des obélisques n' étoit pas une chose aussi difficile qu' on se l'imagine, chez un peuple, qui à force de transporter de telles aiguilles, avoit acquis beaucoup d' expérience. Fontana qui manquoit d' expérience, puisqu' il opèroit sur de tels blocs pour la premiere fois, y employa beaucoup plus de force qu' il n'en avoit besoin; car il attacha à l'obélisque du Vatican six-cens hommes et cent quarante chevaux: la resistance des cables et des cabestans étant connue, on a évalué que cette puissance eût èlévé l' aiguille, quand même son poids eût excédé de cinq-cens-dix-mille livres son poids réel, y comprise l'armure.* (Epistola de obelisco. Romae 1586.) *Or les Egyptiens n' ayant pas assis ces monumens sur des bases aussi hautes que celles qu' on leur a données à Rome, ils ont pu avec* 400 *hommes et* 80 *chevaux lever quelque obélisque que ce soit; en supposant même qu'ils ne se soient servis que de cabestans. Il ne faut point croire ce que disent quelques auteurs d'un Pharaon qui y employa* 20000 *hommes.* Equidem non video, cur Pauwius in definiendo operarum numero, quo usus est Fontana, sequi maluerit auctorem anonymum epistolæ de obelisco, quam ipsum Fontanam, qui l. c. homines 800 a se adhibitos refert.

[5] Vide Sect. 3, cap. 5. §. 3. p. 155.

[6] Diodor. 1, 63.

pia, sed arenam sacculis colligere et coacervare opus fuisse videatur. Fortasse autem eo saeculo non ita arboribus nudata erat Aegyptus ut nunc est; memorantur enim ab auctoribus silvae acanthi nobilesque luci, ubi nunc non nisi morientes quaedam stirpes offenduntur. Hoc saltem credibile est veteres reges vel arboribus plantandis, vel caudicibus per Nilum devehendis ex interiore Aethiopia nemoribus obsita, vitae usibus consuluisse.

§. IV.

Praecipuum in obeliscis miraculum scalptura est: nam in hac quoque artium luce obstupescimus quantum in durissimis saxis domandis valuerunt Aegyptii, neque perspicimus quibus instrumentis usi innumeras eas figuras tam nitide, tam terse, tam exacte finxerint in lapide, qui ferro durior et partium imparitate refractarius, nonnisi maximo virium temporisque dispendio vel ad rectam lineam incidi potest: atque in universum veritati simile videtur, quod jam advertit Kircherus, habuisse Aegyptios aliquam ferri attemperandi scientiam, hodie deperditam.

Sed quia varia ratione scalptae cernuntur notae obeliscorum, exponamus singularum artificium, atque operam unicuique generi impendendam consideremus. Sunt primo loco nonnullae, quarum extremae tantum lineae rudi incisione expressae sunt, interjacente spatio, quod pro figura est, intacto et reliquae lapidis superficiei pari. Eas in obeliscis non reperi, nisi in illo minimi moduli, qui Florentiae asservatur in museo regio: istiusmodi autem notas scalpro tantum exaratas fuisse, non exquisitiori cura elaboratas, observavit vir cl. Hirt in epistola de hoc obelisco Florentia mihi transmissa [1]. Quod quidem intelligendum non est de scalpro communi, cujus usus est in marmore, sed de eo instrumento e chalybe durissimi temperamenti, quo praesertim in duris lapidibus uti solent hodierni, in jaspide, basalte, porphyrite, ophite et granite. Figuram habet mallei non magni, utrinque mucronati, ictibusque incessanter repetitis in durissima quaeque saxa penetrat [2].

Secundum genus earum est, de quibus dixi in enarratione fragmentorum obelisci Insularis, quae asservantur in museo Borgiano et in villa Albaniorum [3]. Ibi figurarum circuitus non adeo profunde inscalptus est, neque margines sunt recta linea incisi, neque acuti anguli; ipsae autem figurae superficie convexa atque scabrosa ita prostant ut quae partes maxime elatae sunt plano lapidi fere sint aequales. Cujusmodi sculpturis inservire potuit scalprum ex quadrato acutum quo comminuuntur saxa durissima [4], et malleolus ille mucronatus, quem modo descripsi, adhibito praeterea altero malleolo cum ore lato atque acuto, cujus ope aliquatenus complanari solent superficies figurarum [5], quas omnino scabrosas efficit prior malleolus.

Iisdem pariter instrumentis caelatum videtur tertium notarum genus, in parvis praesertim obeliscis obvium, sed addita smyride ad primas lineas exacte ducendas et aliquem in figurarum superficie laevorem obtinendum. Nempe figurae prostant in cavis spatiis non adeo profundis, quorum nec margines sunt valde acuti; ipsae autem figurae partim asperae sunt, partim modice politae.

Etiam ex iis notis quae inscalptae sunt maximis obeliscis pars eadem ratione

---

[1] V. Sect.2. cap.2. §.4. pag.85.

[2] *Picconcella* appellant Romani lapidarii, sive *pungetto*.

[3] Sect.2, cap.1, §.13. pag.82.

[4] *Subbia* vocant.

[5] Aliis *martellino* dicitur, aliis *picchiarello*.

elaboratae sunt atque in parvis , nisi quod cavitates multo sint profundiores ; nonnunquam usque ad uncias duas , margines acutiores multo , et in omni re major accuratio et labor impensior . Sed aliae reperiuntur ita minute atque exacte incisae , et ita eleganter expolitae , ut multi fuerint qui machina factas crediderint ei simili qua hodie utuntur gemmarum scalptores . Ubi vero quis mature eas consideraverit , persuasum sibi habebit in obeliscis locum non dari ejusmodi instrumento , neque si adhiberi posset , ope ejus lucrum fieri vel temporis vel laboris . Nam licet excogitari possit machina rotae subsidio circumagenda , et cochlearum ope sursum deorsum , dextrorsum sinistrorsum movenda , ut in immobili saxo machinae motu efficeretur quod gemmis machinae admovendis efficiunt earum artifices , non nisi admodum lentus foret operis progressus , cum a lapide caelando ad machinam movendam continuo avocaretur scalptor . Sed observantur in iis figuris , de quibus hic sermo est , sulci nonnulli subtilissimi , qui nullo pacto incidi potuerunt versatili instrumento , quippe qui per figurae superficiem decurrentes pertingant usque ad angulos quosdam acutos a margine qui figuram circumdat exporrectos , ut inter sulci caput et assurgentem angulum ne minimum quidem spatium relinquatur rotulae circumagendae . Neque is figurarum laevor est quem efficere solent machinae versatiles , sed dum plana saxi frons politura resplendet , figurae modico tantum fricatu expolitae apparent . Excludendae itaque videntur illae machinae , statuendumque Aegyptios in pyrrhopoecilo caelando eodem fere modo versatos esse , quo hodie fieri solet [6] . Quod vero nostri lapidarii vix et ne vix quidem eam assequi possint elegantiam atque exactam linearum angulorumque rationem , quam deprehendimus in Aegyptiorum operibus , id vel chalybis temperamento tribuendum , vel smyridi quam longo exercitio majori cum arte lapidi applicare didicerint Aegyptii .

Reliquum est dicere de quinto scalpturae genere , quod observavi praesertim in Barberino obelisco . Nempe ad eum scalpendum instrumenta quaedam adhibita videntur , quorum in magnis obeliscis nullum deprehenditur vestigium . Quae enim lineae sunt rectae vel ad circuli segmentum curvatae , non acute incisae sunt , neque profunditatem habent aequalem : sed fundus concavus est , et ipsi sulci in media sua parte profundiores , ad extremitates sensim extenuantur donec paulatim evanescant . Nec desinunt puncto definito in eo loco , qui terminus est rei quam repraesentandam sibi sumpserat scalptor , sed exilior pars procurrit extra limites figurae . Exempli gratia , ad aream quadratam exprimendam , sulci non in quatuor angulis commissi coalescunt , sed uniuscujusque lateris linea eam lineam quae contiguum latus constituit intersecat , post sensim extenuata deficit . Unde clarum fit ejusmodi sulcos non factos esse stylo nec smyride lamina cultriformi subacta , sed serra aliqua lunata , cui subjicebatur smyris , et alterno motu incidebantur sulci . Sic in rectis lineis ; ubi vero curvae essent , serra etiam

---

[6] Nostrates ubi granito figuram aliquam incidere volunt , primo loco exemplar ejus faciunt e ferri lamina subtili , qua super plano saxo applicata et velut agglutinata , assumpta altera lamina brevi cultro simili , ea utuntur ad sulcum ducendum ope smyridis circa exemplar supra dictum . Sulco autem ad certam profunditatem impresso , exemplar auferunt , & spatium sulco definitum acuto scalpro (*subbia*) comminuere incipiunt . Dein malleolo mucronato (*pungetto*) formare aggrediuntur figuram e cavitate exscalpendam , quam postea malleolo latiore (*martellino*) molliorem reddunt et laeviorem . Quo facto smyride plumbo subacta laevigant ; dein exiliora lineamenta partim scalpro caelove adjiciunt , partim lamina cultriformi & smyride ; postremo vero omnia expoliunt smyride minutissima quam *spoltriglia* vocant .

opus erat curva. Quoniam vero in eodem obelisco figurae in cavitate eminentes turgidiores sunt, et singulae earundem partes aliqua deformantur globositate, probabile fit eas teretro vel tubo formatas esse smyridis subsidio, licet ejus instrumenti vestigia non appareant, figurarum superficie fricando expolita. Sunt et notae nonnullae integrae, quarum omnis fundus concavus est et smyride ita laevigatus, ut tanquam in ceram impressae videantur: eademque laevoris species observatur in figuris quibusdam ex cavo prostantibus, ubi in figurae superficie lineamenta occurrant profundius incisa. Universim enim in hujus classis operibus tempus lucrifacere studuerunt artifices, et serris, teretris, atque frictione efficere, quae in magnis obeliscis caelo facta videntur vel smyride laminae subjecta [7]. Sed quod evenire assolet, ut ubi inventa sint operae compendia, ipsa facilitas in causa sit, quod in re facienda negligamus exquisitam rationem, illud Aegyptiis quoque scalptoribus accidisse videtur, ut supra monui in obelisco Barberino [8].

§. V.

Verumenimvero quae hic de obeliscorum fabrica, breviter quidem, disputata sunt, magnam in nobis excitare debent de Aegyptiorum induſtria opinionem, deque artium apud eam gentem antiquitate. Licet enim obeliscorum historia magna ex parte spissis adeo tenebris involuta reperiatur, ut aetatem eorum chronologica ratione definire arduum sit, nec aliqua de hoc sententia ita firmari possit quin multa relinquantur dubitandi argumenta: illud tamen extra dubitationis aleam positum videtur, jam longe ante Trojana tempora coeptum fuisse in Aegypto obeliscos erigere, cum Plinius omnium maximum statutum scribat a Ramise, quo regnante Ilium captum est [1], duodecim fere ante vulgarem aeram saeculis; inque hujus regis aetate prodenda cum Plinio consentiant Herodotus, Manetho atque Diodorus [2]. Hoc autem aevo lapideis monumentis condendis soli inclaruerunt Aegyptii. Nam quae narrantur de Semiramidis obelisco, de rupe caelaturis ornata, aliisque miri moliminis operibus ab ea perfectis, Ctesiae fide nituntur, nugacissimi hominis [3]; reliqua autem illa Babyloniorum decantata aedificia nec antiquitate nec arte prope accedunt ad Aegyptia opera, dum Cyri aetatem parum praecedere videntur, structaque fuere e

---

[7] Invenio apud cl. del Rosso *ricerche sull'architettura Egiziana* pag. 98. in Heliopolitano obelisco deprehendi luculenta vestigia ejus instrumenti, quod *teretron* appellant veteres, hodierni *trapano*, quam rem unde hauserit non indicat, neque ego conjectura assequor. Ubi vero subdit, sine hoc instrumento characteres incidi non potuisse iu saxo granitico, loqui videtur de re sibi non intellecta. Nam communis teretri nullus omnino usus esse potest in eo lapide, cum ferro ipse sit durior: alterum vero teretron, quod tubus est aeneus smyridi circumagendae destinatus, licet commodum instrumentum, tamen minime est necessarium, nec nisi in profundis excavationibus eo uti solent nostrates. Heliopolitanus autem obeliscus, quantum colligere licet ex ectypis, ad vetustiores obeliscos pertinet, eademque ratione scalptus videtur qua magni illi Romae exstantes. Shawius de obeliscis a se inspectis, Alexandrinis nimirum et Heliopolitano, refert nullum cerni in iis scalpri vestigium, neque notas esse laevigatas, sed factas videri eo instrumento quod *poinçon* vocant Galli, quodque hoc loco respondere puto nostrae *subbia*, excisos autem esse ad duorum pollicum profunditatem, et planam superficiem fricando perpolitam. Quae quidem licet non adeo accurate videantur enunciata, tamen satis bene conveniant cum iis quae diximus de magnis obeliscis Romanis. Vide sect. 2, cap. 3, §. 2, not. 8. p. 97. et confer sect. 2, cap. 1 §. 1. pag. 68.

[8] Sect. 2, cap. 1, §. 10. pag. 78.

[1] Plin. 36, 8. 9. supra pag. 11. 12.

[2] Qua de re dicendum erit in obeliscorum hiſtoria.

[3] Diodor. 2, 7 --- 13.

latere coctili, cujus ope cujusvis magnitudinis moles coacervare obvium est[4].

At vero necesse est, Aegyptios pluribus ante saeculis lapidibus secandis, poliendis, scalpendis sublevandisque operam impendisse, quam pyrrhopoecilum tractare discerent, saxum praedurum et refractarium tam scite expolire, molesque tam ingentes e montium venis ad regias urbes devehere et firmiter locare erectas. Nam certo non nisi saeculorum decursu, indefessa investigatione experimentisque saepe repetitis inveniri potuerunt machinae quibus ad hoc efficiendum opus erat, metallorumque fodiendorum, purgandorum et temperandorum scientia; quae sine chemicae artis exquisita cognitione exsistere nequit, uti sine mathematices praesidio nec machinarum efficacia computari nec ipsae machinae rite concinnari potuerunt. Quam lente autem excoli soleant artes, tum aliorum populorum exemplo docemur, tum Graecorum praecipue, qui jam ante Trojae excidium latomiis incumbebant domusque texebant e politis lapidibus[5], etiam Homero scribente ferrum temperare didicerant[6], sed non prius quam septimo ante Christum natum saeculo coeperunt magna aedificia e sectili lapide cum arte construere, statuasque scalpere e marmore[7].

Veruntamen ne nimiam antiquitatem tribuamus Agyptiis, illud quoque occurrit animadvertendum, velociora quam apud caeteros populos videri artium incrementa apud gentem, quae a reliquis separata, et optima reipublicae forma instructa, neque exteris bellis neque turbis civilibus ab iis amplificandis detinebatur. Praeterea regionis natura multum juvit artium progressum apud Aegyptios. Ligni enim inopia qua laborat Aegyptus, ad latomias quaerendas mature eos impulit, montes autem quibus abundat e lapide minime duro, sed compacto et satis durabili, invitarunt eos cum ad antra syringesque excavandas tum ad domus e sectili lapide struendas; eodemque tempore durioris saxi rupes Nilo adsitae materiem praebuere ad aedificia ornanda atque ad monumenta paranda, quae nulla aetas destruere posse videbatur, quam ut ad suum usum converterent, opus erat perfectius excolere artes, quarum principia faciliorem illum lapidem tractando jam deprehenderant. Quo factum est, ut, quod nulli alii e priscis gentibus accidit, Aegyptiorum opera hodie adhuc certius ampliusque tradant antiquae magnitudinis testimonium, quam omnia quae leguntur apud scriptores.

Quaecunque igitur fuerit prisca illa Aegyptiorum sapientia, quam alii laudibus ad astra extulere, alii vanissimis superstionibus accensendam crediderunt; hoc saltem manifestum fit ex immensis illis aedificiis, quorum ruinae hodie longos tractus occupant, imprimis autem ex obeliscis, in quibus fabricandis nulla alia gens Aegyptios aemulari ausa est, jam antiquissimo tempore, dum Asiae Europaeque incolae maximam partem agresti ruditate premebantur, mechanicas artes easque scientias quae his pro fundamento sunt ad magnam perfectionem perductas fuisse ab Aegyptiis. Itaque ut missa faciamus, quae ad gentis gloriam ampliandam disputari solent de obeliscorum scopo scientifico, et de hieroglyphica quam vocant doctrina: hoc jure meritoque nos affirmare posse credimus, obeliscos inter antiqui illius aevi monumenta omnium esse praestantissima, & populum a quo profecti sunt reliquas gentes quae eo saeculo floruere scientia longe superasse. Quam ob rem imperatores qui Romam deportaverunt obeliscos, et Urbis splendorem praeclare auxisse existimandi sunt, et homi-

---

4 Herodot. I, 178.— 185. Berosus apud Syncell. pag. 220. 221.

5 Iliad. Z. v. 242. Odyss. K. v. 210. Z. v. 265. P. v. 30. Aliquam notitiam de hujus aevi mechanica offert Odyss. I. v. 241.

6 Odyss. I. v. 391.

7 V. Goguet vers. Ital. tom. 3. pag. *62. 63*.

nibus, quibus cordi est veterum populorum scrutari historiam, insignia praestitisse documenta. Summis vero laudibus celebrandos esse principes qui ea servanda restituendaque censuere, grato animo fatetur omnis doctorum hominum coetus; qui nisi Sixtus V. obeliscos eruere et denuo subrigere instituisset, nisi Innocentius X. Alexander VII. et Clemens XI. exemplum ejus in minoribus quidem saxis imitati essent, nisi PIVS SEXTVS, pro incredibili quo flagrat Urbis ornandae scientiarumque et bonarum artium augendarum desiderio, magnos obeliscos hactenus neglectos, inque his Campensem illum omnium pulcherrimum, sublevandos curasset, praeclarissimis hisce vetustatis monumentis sub humo sepultis vel abdito loco projectis privati remansissent, atque e solis peregrinatorum relationibus petenda fuisset Aegyptiae magnificentiae notitia.



Obeliscus Borgianus

SECTIO QUARTA

De origine obeliscorum

Jam in praecedentibus indicavi, videri mihi a stelis originem traxisse obeliscos; a parvis cippis ingentes illas moles, quae et veteribus miraculo fuere, et nunc in mirationem rapiunt spectatores. Id qua ratione evenerit, quibusque maxime causis impellentibus ab exiguis lapidibus sensim ad obeliscorum proceritatem processerit Aegyptiorum industria, hac sectione explicare aggredior. Opus itaque est praefari nonnulla de stelarum, et qui alii sunt memoriales lapides, apud diversas gentes origine et instituto; deque variis adminiculis quibus usi sunt homines ad rerum memoriam servandam. Sed quod arctius cohaeret cum nostro argumento, quantum fieri potuit accurate quaeram de Aegyptiis, quibus modis res sibi memorabiles visas posteritati mandare studuerint, quibus characteribus usi sint pro varia temporum conditione, quin et uno eodemque temporis intervallo ad diversae indolis res memoriae commendandas. Stelas quoque Aegyptias tot celebratas antiquis scriptoribus, quae et nostris hominibus disputandi occasionem praebuerunt, definire tentabo, figuram earum, locum atque argumentum exponere, causasque cur Hermeti potissimum adscriptae fuerint, Osiridique et Sesostridi. Ultimo autem loco dicam de famae studio, quod ad magna monumenta erigenda excitavit homines, in primis de Aegyptiae gentis indole, quae in operibus suis molem praesertim et stabilitatem sectata nullo labore pepercit, ut hac in re caeteros totius orbis populos superaret.

CAPUT PRIMUM

De monumentorum instituto.

§. I.

Experientia docti homines perire rerum cognitionem, ubi memoriae soli concredita fuerit, sine externo recordationis praesidio; simulque cogitata sua cum absentibus quoque communicare desiderantes, variis modis memoriae subvenire, absentibusque tamquam praesentes esse adnixi sunt. Quo factum est ut a rebus exorsi rudibus simplicibusque et tenuibus, quae aliquo modo inservire poterant huic necessitati, per gradus pervenerint ad elegantia et magnifica monumenta, atque ad id quod nunc est commodissimum et amplissimum servandarum vulgandarumque idearum vehiculum, picturam vocis, quam scripturam alphabeticam appellamus [1]. Sic Etrusci veteresque Romani ex antiquissimo instituto clavis figendis annos numerabant [2]; et Thraces calculis colore distinctis in urna conditis peracto-

---

[1] Confer Goguet *de l' origine des loix etc.* part. 1. lib. 2. cap. 6. vers. Ital. tom. 1. pag. 135. sqq.

[2] Livius historiarum libro 7. cap. 3. „ Lex „ vetusta est, priscis litteris verbisque scripta, „ ut qui praetor maximus sit, idibus septem„ bribus clavum pangat. Fixus fuit dextro la„ teri aedis Jovis optimi maximi, ea parte, „ qua Minervae templum est. Eum clavum, „ quia rarae per ea tempora litterae erant, no-

rum dierum et numerum et qualitatem notare solebant[3]. Ex hodiernis vero populis, qui litterarum ministerio destituuntur, Caraibes granulis in cucumerem injectis dierum rationem colligunt, aut nodis in fune aut incisionibus factis in assero[4]; Tahitenses, qui nuper innotuerunt, minutis lignis certo ordine compactis memoriae auxilium quaerunt[5]; variaeque in Africa et America nationes funiculis nodisque, et taeniis vel monilibus e conchyliis consertis rerum notitiam, foederum praesertim et contractuum, annectere solent[6]; quo in genere imprimis inclaruerunt Peruvianorum Quipu, quae fila colorum nodorumque varietate multifariam distincta litterarum vice fungebantur[7].

§. I I.

In iis vero subsidiis, quae primaevis hominibus sese obtulerunt, unum ex antiquissimis et maxime solemnibus hoc fuit, ut rudibus saxis ligneisve truncis erigendis vel factae vel faciendae rei notitiam certis locis affigerent, eo consilio ut quotiescunque illuc redirent, aut alii quibus rei institutum commonstratum fuerat eo venirent, quid factum quidve faciendum esset compertum haberent. Si quis hostem devicerat, lapidem vel truncum statuebat in eo loco; si periculum effugerat, aut voti compos factus erat; si agri terminum aut publicam viam definiverat; si defuncto homini sanguine vel sodalitate sibi conjuncto justa persolverat; et quae alia sunt hujusmodi. Foederis signum rudis lapis erat, latae legis, cultus numini offerendi, pietatis erga parentes virosque bene meritos de republica: quem morem post inventas etiam litteras plurimae gentes solemnitatis gratia servaverunt.

Obvia sunt hujus rei apud dissitissimos populos exempla, et sacris et profanis scriptoribus memorata. Jacobus patriarcha, cum fratrem fugiens noctu vidisset Dominum, „ surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et „ erexit in titulum, fundens oleum desuper; appellavitque nomen urbis Bethel, „ quae prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum dicens: si fuerit deus mecum, „ —— erit mihi Dominus in deum, et lapis iste quem erexi in titulum, vocabi„ tur domus dei „[1]. Josue Jordanem transgressus duodecim lapides e medio fluvio elatos poni jussit juxta numerum filiorum Israel, dicens: „ quando interroga„ verint vos filii vestri cras, dicentes, quid sibi volunt isti lapides? respondebi-

„ tam numeri annorum fuisse ferunt: eoque „ Minervae templo dicatam legem, quia nu„ merus Minervae inventum sit. Vulsiniis quo„ que clavos, indices numeri annorum, fixos „ in templo Nortiae Etruscae deae comparere, „ diligens talium monimentorum auctor Cincius „ affirmat „. Cf. Pompeium Festum de verborum significatione, voce *Clavus Annalis*.

[3] Plinius nat. hist. lib. 7. cap. 40. „ Thracia „ gens calculos colore distinctos pro experi„ mento cujusque diei in urnam condit, ac su„ premo die separatos dinumerat, atque ita de „ quoque pronuntiat „.

[4] Rochefort *histoire des Antilles* pag. 412.

[5] Forster *reise um die welt* lib. 1. cap. 13. in itinerum collectione edita Troppaviae, tom. 12. pag. 317. 416.

[6] Lafitau *moeurs des sauvages* tom. 1. pag. 502. 503. tom. 1. pag. 233. *Histoire générale des voyages* part. 1. lib. 10. cap. 8. tom. 4. pag. 373. 394. edit. Paris. in 4. Mexicani quoque et Sinenses olim hujusmodi funiculos nodis interstinctos adhibuisse feruntur. Clavigero *storia antica del Messico* tom. 2. pag. 193. Martini *histoire de la Chine* pag. 21.

[7] Acosta occidentalis Indiae historia naturalis et moralis lib. 6. cap. 8., in Theodori de Bry *America* tom. 3. pag. 280. Garcilasso de la Vega *histoire des Yncas* tom. 1. pag. 168. 439. tom. 2. pag. 30. —— 35.

[1] Genesis cap. 28. vers. 18.

„ tis eis, defecerunt aquae Jordanis ante arcam foederis Domini, cum transiret „ eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in „ aeternum „ [2]. Atque cum proposuisset populo praecepta et judicia in Sichem, „ scripsit omnia verba haec in volumine legis Domini, et tulit lapidem pergrandem, „ posuitque eum subter quercum quae erat in sanctuario Domini: et dixit ad om- „ nem populum: en lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia „ verba Domini quae locutus est vobis, ne forte postea negare velitis et mentiri „ Domino deo vestro „ [3]. Samuel pariter fugatis Philistaeis „ tulit lapidem unum „ et posuit eum inter Masphath et inter Sen: et vocavit nomen loci illius Lapis- „ adjutorii; dixitque, hucusque auxiliatus est nobis Dominus „ [4].

Sic veteres quoque Scandinavi ac Celtae rudi saxo loca designare consueverunt, ubi vel hostes debellatus fuisset, vel strenuus miles sepultus, aut quo conveniendum esset ad leges ferendas ducesve eligendos: cuiusmodi informium monumentorum ingens numerus hodie adhuc occurrit in Dania et reliqua Scandinavia, inque Britannorum insulis et in Galliis [5]. In America Illinenses hoste pulso stipitem erectum statuunt, cujusmodi etiam apud Graecos fuere antiquissima tropaea [6]; Virginienses autem indigenae proelio confecto acervum congerunt, tot lapidum quot milites eo loco occubuerunt [7]: atque in ultima India insularum reguli narrantur singuli in regni sui memoriam ponere lapidem praegrandem, circa quem rege defuncto universus populus epulum celebrare consuevit [8].

Jam vero Graecorum mos, quem cum multis populis habuere communem, agrorum praediorumque limites, vias quoque et compita, lapide denotare vel stipite defosso, res est qua nulla notior [9]. Apud Homerum Minerva Martem percussura,

λιθον ειλετο χειρι παχειη
κειμενον εν πεδιῳ, μελανα, τρηχυν τε μεγαν τε,
τον ρ᾽ ανδρες προτεροι θεσαν εμμεναι ουρον αρουρης:

„ saxum prehendit manu robusta, jacens in campo, nigrum, asperumque magnum- „ que, quod homines prisci posuerant, ut esset terminus arvi „ [10]. Alioque loco Nestor dicit vetustissimos homines stipitem inter duo saxa in sepulcris ponere consuevisse, eodemque modo circensis cursus metam designasse:

---

[2] Josue cap. 4. vers. 4.

[3] Josue cap. 24. vers. 25.

[4] Regum lib. 1. cap. 7. vers. 12.

[5] Olai Wormii monumenta Danica pag. 62. sqq. Bartholini antiqu. Dan. lib. 1. cap. 9. pag. 138. Alex. Gordon itinerar. septentr. part. 2. pag. 157. Caylus *recueil d' antiquités* tom. 4. tab. 111. tom. 6. tab. 115.

[6] *Histoire générale des voyages* part. 3. lib. 6. cap. 13. tom. 14. pag. 734. Graecorum Romanorumque tropaea satis nota sunt e monumentis, stipites quidem non dolati armorum congeriem sustinentes.

[7] *Journal des savans*, 1681. mens. mart. n. 6. pag. 76. Hujusmodi acervos lapidum in honorem fortium virorum, qui in bello occubuerant, congestas vidit Pausanias in Arcadia prope Orchomenum. Descr. Graec. lib. 8. cap. 13.

[8] Cook *premier voyage autour du monde* lib. 3. cap. 9. in Hawkesworth *relation des voyages entrepris par ordre de Sa Maj. Britannique: traduite de l' Anglois: edit. en* 8. tom. 8. pag. 34.

[9] Ovidius fastorum lib. 2. vers. 641.

[10] Ilias Φ vers. 403.

σημα δε τοι ερεω μαλ᾽ αριφραδες, ουδε σε λησει·
ἑστηκε ξυλον αυον, ὁσον τ᾽ οργυι᾽ υπερ αιης,
η δρυος η πευκης, το μεν ου καταπυθεται ομβρῳ·
λαε δε του ἑκατερθεν ερηρεδαται δυο λευκω,
εν ξυνοχῃσιν ὁδου· λειος δ᾽ ἱπποδρομος αμφις·
η τευ σημα βροτοιο παλαι κατατεθνειωτος,
η το γε νυσσα τετυκτο επι προτερων ανθρωπων.

„ Metam tibi indicabo admodum cognitu facilem, neque te latebit: stat lignum „ aridum, quantum orgya supra terram, vel quercus vel laricis, quod quidem „ non putrescit imbre: lapides vero ejus ex utraque parte positi sunt duo albi, „ in angustiis viae; planum autem curriculum equorum hinc inde: seu alicujus „ monumentum hominis jam pridem defuncti, sive hoc meta fuit tempore prisco- „ rum hominum „ [11].

Sed foederum quoque testes pro inscriptis stelis, quas postea in usu habuerunt Graeci, antiquitus eis fuisse rudes lapides, indicio est saxum illud in Aulide positum sub platano, in quod serpentem conversum fabulatur Homerus, signum confoederationis Graecorum ad Ilium expugnandum [12]: quemadmodum et lapidem in Pytho, Graeciae meditullio, quem a Saturno devoratum atque ejectum ferebant, Amphictyonici foederis vetustissimum monumentum fuisse opinor [13]. Quo tempore enim Pausanias Graeciam descripsit, multi adhuc in variis locis visebantur rudes lapides, antiquorum eventuum indices, maximam partem ad fabulas traducti. Apud Troezenios ante templum Dianae Lyceae lapis positus erat, ubi novem cives Orestem a matris caede purgaverant [14]; quem ab insania liberatum testabatur alter prope Gytheum Laconiae [15]. In Athenarum pariter acropoli lapis ostendebatur non magnus, cui

---

[11] Ilias Ψ vers. 326.

[12] Ilias B vers. 303.

χθιζα τε και πρωιζ᾽, ὁτ᾽ ες αυλιδα νηες αχαιων
ηγερεθοντο κακα πριαμῳ και τρωσι φερουσαι,
ἡμεις δ᾽ αμφι περι κρηνην ἱερους κατα βωμους
ἑρδομεν αθανατοισι τελήεσσας ἑκατομβας,
καλῃ υπο πλατανιστῳ, ὁθεν ρεεν αγλαον υδωρ.
ενθ᾽ εφανη μεγα σημα· δρακων επι νωτα δαφοινος,
σμερδαλεος, τον ρ᾽ αυτος ολυμπιος ἡκε φοωςδε,
βωμου υπαΐξας προς ρα πλατανιστον ορουσεν.—
τον μεν αριζηλον θηκεν θεος, ὁσπερ εφηνε·
λααν γαρ μιν εθηκε κρονου παις αγκυλομητεω.—
ὡς ὁυτος κατα τεκν᾽ εφαγε στρουθοιο, και αυτην,
οκτω, ατερ μητηρ ενατη ην, ἡ τεκε τεκνα·
ὡς ἡμεις τοσσαυτ᾽ ετεα πτολεμιξομεν αυθι,
τῳ δεκατῳ δε πολιν ἁιρησομεν ευρυαγυιαν.

„ Herique et nudius tertius, quando in Aulidem „ naves Achivorum congregabantur, mala Priamo et Troianis ferentes: nos autem circum „ circa fontem, sacris in altaribus faciebamus im- „ mortalibus perfectas hecatombas, pulcra sub „ platano; unde fluebat limpida aqua; illic ap- „ paruit magnum signum: draco rubris maculis „ dorso distinctus, horribilis, quem ipse Olym- „ pius misit in lucem, ex imo altari prolapsus, „ ad platanum concitatus perrexit. —— Hunc „ quidem mirabilem fecit deus: qui ostenderat: „ lapidem enim ipsum fecit Saturni filius versu- „ ti. —— Ut hic, inquit Calchas, natos de- „ voravit passeris et ipsam, octo, ac mater „ nona erat, quae pepererat natos: sic nos tot „ annos bellabimus ibi; decimo autem urbem „ capiemus latas vias habentem „.

[13] Pausanias in descriptione Graeciae lib. 10. cap. 24. pag. 859. Vide inferius §. 4.

[14] Pausan. descr. Gr. lib. 2. c. 31. p. 184. τον εμπροσθεν τουναου της λυκειας αρτεμιδος λιθον, καλουμενον δε ἱερον, ειναι λεγουσιν, εφ᾽ ὁυ ποτε ανδρες τροιζηνιων εννεα ορεστην εκαθηραν επι τῳ φονῳ της μητρος. „ Lapidem, qui ante aedem Dianae Ly- „ ceae jacet, et sacer vocatur, illum esse di- „ cunt, super quo viri novem de Troezeniorum „ civitate Orestem a matris caede purgaverunt „.

[15] Ibid. lib. 3. c. 22. p. 265. γυθειου τρεις μαλιστα απεχει σταδιους αργος λιθος. ορεστην λεγουσι καθεσθεντα επ᾽ αυτου παυσασθαι της μανιας. δια του-

Silenus insedisse ferebatur, quando in Atticam venit Dionysus [16]: apud Megarenses autem in arce Alcathoi alter, in quo Apollo lyram dicebatur deposuisse, opem laturus Alcathoo in arce muro cingenda [17]. Inque eadem civitate prope prytaneum saxum erat, Anaclethra dictum, ubi Cererem narrabant filiam ab inferis evocasse [18]; quemadmodum Eleusinii monstrabant petram Agelaston, ubi post longos errores consederat dea [19].

§. III.

Sacri autem habiti sunt istiusmodi lapides; eo quod omnium interesset, ne frangerentur neve loco moverentur. Inde cipporum religio, repetitae leges de monumentis non violandis; et Jovis Horii lex, *immota ne moveto*; Terminique ara ne Capitolino quidem Jovi loco cedens. Plato legum libro octavo hanc primam sancit agriculturae legem, sine qua nulla gens certam sedem conservare potest, et quodvis grande saxum movendum censet potius quam parvum lapidem limitis indicem: *πρωτον δη νομοι εστωσαν λεγομενοι τὸυνομα γεωργικοι. διος ὁριου μεν πρωτος ὁδε νομος ειρησθω· μη κινειτω γης ὁρια μηδεις, μητε οικειου πολιτου γειτονος, μητε ὁμοτερμονος, επ᾽ εσχατιας κεκτημενος αλλῳ ξενῳ γειτονων· νομισας το τἀκινητα κινειν, αληθως τουτο ειναι· βουλεσθω δε πας πετρον επιχειρησαι κινειν τον μεγιστον αλλον, πλην ὁρον μαλλον, η σμικρον λιθον ὁριζοντα φιλιαν και εχθραν, ενορκον παρα θεων. του μεν γαρ ὁμοφυλος ζευς μαρτυς, του δε ξενιος· ὁι μετα πολεμων των εχθιστων εγειρονται.* „ Primae igitur sunto agriculturae leges: et Jovis quidem Terminalis prima „ haec lex sanciatur, nemo limites terminosve agri moveto cujusvis domini, sive „ civis, sive peregrini finitimi, si in extrema regionis parte habeat agros: ratus „ nefas esse haec movere, in quae quadret illud dictum, *immobilia movere*: ma„ litque quilibet ingens saxum movere quam parvum lapidem jurejurando a diis „ firmatum, quo amicitiae et inimicitiae terminentur. Alterius enim Jupiter Con„ tribulis, alterius Hospitalis est testis: qui cum infestissimis bellis excitantur „ [1]. Popularis persuasio apud septentrionales Europae populos etiam nunc viget, quietem ne post mortem quidem concedi ei qui terminum in agris vel minimum dimo-

---

το ὁ λιθος ωνομασθη λευς καππωτας κατα γλωσσαν την δωριδα. „ A Gytheo stadiis circiter „ tribus distat lapis rudis, in quo cum sedisset „ Orestes insania liberatum ajunt: ideoque ap„ pellant purum lapidem „. Scripsi *λευς* pro *ζευς* juxta conjecturam Sylburgii.

[16] Ibid. lib. 1. cap. 23. pag.54.

[17] Ibid. lib. 1. cap. 42. pag.101.

[18] Ibid. lib. 1. cap. 43. pag.103.

[19] Apollodorus bibliothecae lib. 1. cap.5. n.2. *δημητηρ εικασθεισα γυναικι ἡκεν εις ελευσινα. και πρωτον μεν επι την απ᾽ εκεινης κληθεισαν αγελαστον εκαθισε πετραν, παρα το καλλιχορον φρεαρ καλουμενον.* „ Ceres mulieri assimilata Eleusinem „ contendit, ac primo quidem lapidem de suo „ moerore Agelastum sive *risus expertem* di„ ctum insedit, prope puteum Callichorum vo„ catum „. Hunc lapidem non memorat Pausanias lib. 1. cap.38., forte sua aetate non amplius superstitem; puteum autem Callichorum eum esse ait, ubi primas choreas instituerunt matronae Eleusiniae, et hymnos cecinere in deam, quam lib. 1. cap. 39. secundum Pamphum vetustissimum poetam ad puteum Anthinum, in via ab Eleusine ad Megara tendente, consedisse narrat: *ἑτερα δε ὁδος εξ ελευσινος προς μεγαρα αγει. ταυτην ερχομενοις την ὁδον, φρεαρ εστιν ανθινον καλουμενον. εποιησε δε παμφως, επι τουτῳ τῳ φρεατι καθησθαι δημητρα μετα την ἁρπαγην της παιδος, γραϊ εικασμενην.*

[1] Platonis opera edit. Henr. Stephano, tom. 2. pag.842. cf. ibid. pag.684. Vide etiam Deuteronomion cap. 27. vers. 17. Seneca in Hippolyto act. 2. vers.528. primaevam hominum simplicitatem describens ait:

nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.

visset : fuitque apud Romanos lex vetustissima, quod si quis terminum sustulisset, sacrilegus esset atque impune interficeretur [2]. Ideoque cum Tarquinius Priscus aedem aedificaret Jovi in Capitolio, ac veteres deorum aras ex eo loco removeret, Termini ara moveri se non sivisse fertur [3]. Terminus inde Virgilio dictus Capitoli immobile saxum [4]; & quae ακινητα appellat Hesiodus [5] recte reddi videntur *termini*, quamquam nec immerito de sepulcralibus cippis acceperunt alii interpretes. Nam et Athenis et Romae sepulcra movere, publica lege vetitum fuit [6].

Ritus autem, quos in ponendis terminis, quo sanctiores putarentur, observare solebant antiqui homines, enarrat Siculus Flaccus libro de conditionibus agrorum [7], advertens caerimonias illas suo tempore jam in desuetum abiisse : „ Antiqui cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conlocabant, proxime ea loca quibus fossis factis defixuri eos erant, et unguento velaminibusque et coronis eos coronabant. In fossis autem, in quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata caesa, facibus ardentibus injectis fossa cooperati sanguinem instillabant, eoque thura et fruges jactabant ; favos quoque et vinum aliaque, quibus consuetudo est terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant ; adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent. Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant „.

§. IV.

A prisca itaque consuetudine monumenta affusis unguentis, sertisque et vittis impositis, ac solemni sacrificio facto consecrare, repetendi videntur lapides illi qui vocantur uncti, qui tam frequenter exstitere in agris et triviis apud Graecos Romanosque, a superstiosis hominibus, quotiescunque transirent, oleo per-

---

2 Dionysius Halicarn. antiquitatum Romanarum lib. 2. cap. 74.

3 Idem lib. 3. cap. 69. Livius histor. lib. 1. cap. 56. qui sub Tarquinio Superbo evenisse narrat. Lactantius divinarum institutionum lib. 1. cap. 20. 23. Ovidius fastorum lib. 2. vers. 667. sqq.

4 Aeneidos lib. 9. vers. 448.

Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit:

ubi vide Servium. De Termino deo Romanorum consule praeterea Ovidium fastorum lib. 2. vers. 639. —— 684. Plinium natur. hist. lib. 18. c. 1. Plutarchum in quaest. Rom. opp. ex edit. Duval. tom. 2. pag. 267. Varronem de lingua Latina lib. 4. cap. 14. S. Augustinum de civit. dei lib. 2. cap. 29. lib. 4. cap. 23. lib. 7. cap. 7., e quorum dictis patet, Termini cultum vetustissimum fuisse apud Italos, Graecisque diis quos adoptarunt antiquiorem.

5 Opera et dies vers. 750.

μηδ᾽ επ᾽ ακινητοισι καθιζειν · ου γαρ αμεινον,
παιδα δυωδεκαταιον· ὁτ᾽ ανερ᾽ ανηνορα ποιει·
μηδε δυωδεκαμηνον · ισον και τουτο τετυκται.

„ Neque enim super immobilibus locato, non „ enim bonum est, puerum duodecennem : quia „ virum inertem facit : neque duodecim mensium : aequale et hoc est. „ Praecepti hujus ratio, ni fallor ea est, quod si puer termino imponeretur, vires ejus cohiberi crederentur et auctus earum impediri ; praesertim si hoc fieret aetatis mense aut anno duodecimo, qui numerus rotundus est et completus. Ubi vero cum Heinsio, cujus sententia valde mihi arridet, ordinem mutamus, et versu 750. a sequentibus separato in universum immobilibus insidere a poeta vetitum credimus : tunc eam rationem subesse puto, quod qui termino insederit, fines confundere, ac rem quae nullius domini est, sibi tanquam rem privatam vindicare visus foret.

6 Cicero de legibus lib. 2. cap. 22. 26. Tzetzes ad Hesiodi versum citatum.

7 Inter Goesii auctores rei agrariae pag. 5.

fundi soliti ; et velut quidam tutelares locorum genii honorari . De his Theophrastus moralium characterum capite decimoseptimo : *ὁ δεισιδαιμων τοιουτος τις, ὁιος — των λιπαρων λιθων των εν ταις τριοδοις παριων, εκ της ληκυθου ελαιον καταχειν, και επι γονατα πεσων και προσκυνησας απαλλαττεσθαι* . „ Superstitiosus is est , qui — lapides unctos , qui sunt in triviis , solet oleo ex ampulla perfundere ; nec prius discedere quam posito genu eos fuerit veneratus . „ Quam superstionem apud Romanos pariter viguisse , discimus e Luciano in Pseudomante [1], ubi de iis qui Romae favebant Alexandro impostori ait : *ὧν πρωτος και κορυφαιος εγενετο ρουτιλλιανος, ανηρ τα μεν αλλα καλος και αγαθος, και εν πολλαις πραξεσι ρωμαϊκαις εξητασμενος, τα δε περι τους θεους πανυ νοσων, και αλλοκοτα περι αυτων πεπιστευκως, και ει μονον αληλιμμενον που λιθον η εστεφανωμενον θεασαιτο, προσπιπτων αει και προσκυνων, και επιπολυ παρεστως και ευχομενος, και τἀγαθα παρ᾽ αυτου αιτων* . „ Primus horum et caput quasi Rutilianus fuit , vir caetera bonus et honestus , et in multis magistratibus Romanis probatus , sed circa deos religioso quodam morbo laborans , et absurdas de iis persuasiones habens , qui si unctum lapidem aut coronatum videret , accideret statim adorandi causa , multumque adstans vota faceret , bonaque ab illis peteret „ .

Inclaruit ex hac prosapia lapis Saturnius Delphis prope templum Apollinis , quem Saturnus aliquando pro Jove deglutivisse dicitur : ei enim oleum affundebant quotidie , festis vero diebus lana cruda coronabant . Meminit ejus jam Hesiodus in Theogonia , ubi narrat Rheam obtulisse Crono magnum lapidem fasciis involutum ,

τῳ δε σπαργανισασα μεγαν λιθον εγγυαλιξεν ,

quo devorato filios quos jam antea deglutiverat evomuit , mox ipsum lapidem :

τον μεν ζευς στηριξε κατα χθονος ευρυοδειης ,
πυθοι εν ηγαθεη γυαλοις υπο παρνησσοιο ,
σημ᾽ εμεν εξοπισω , θαυμα θνητοισι βροτοισι .

„ Illum Jupiter firmiter defixit in terram spaciosam , Pytho in divina , jugis sub Parnassi, monumentum ut sit in posterum , miraculum mortalibus hominibus „ [2] . Pau-

[1] §. 30.opp.tom.2.pag. 237. cf. eundem deorum concil. §. 12. tom. 3. pag. 534. Cum unctis lapidibus ut plurimum conjunctam reperimus venerationem arborum coronatarum , quae non raro pictae occurrunt in antiquis monumentis , additis nonnunquam cippo atque ampulla . Utraque enim superstitio ad pervetustas illas pertinet, in agris maxime servatas . Apuleius in apologia opp. tom. 1. pag. 497. de accusatore suo ait : „ Negant vidisse se , qui fuere , unum saltem in finibus ejus , aut lapidem unctum aut ramum coronatum „ . Idem floridorum lib. 1. num. 1. tom. 2. pag. 758. „ Ubi religiosam moram viatori objecerit aut ara floribus redimita , aut spelunca frondibus inumbrata , aut quercus cornibus onerata , aut fagus pellibus coronata ; vel enim colliculus sepimine consecratus , vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus , vel lapis unguine delibutus „ . Arnobius lib. 1. adversus gentes, pag. 11. „ Venerabar nuper picturatas veternosis in arboribus taenias , lubricatum lapidem et ex ulivi unguine sordidatum ; adulabar , affabar et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco „ . Clemens Alexandrinus strom. lib.7. c.4. pag. 843. *ὁι αυτοι δε ὁυτοι παν ξυλον και παντα λιθον, το λεγομενον, λιπαρον προσκυνουντες* . „ Iidem quodvis lignum et quemvis lapidem , ut ajunt , unctum adorant „ . V. *Pitture d'Ercolano* tom.4. tab.17. et 45. Winkelm. *monum. inediti* fig. 208. Caeterum *λιπαρους λιθους* repraesentari conjicio brevibus illis cippis , quos cernimus in vasculorum picturis praesertim ubi in agris sunt collocatis. V. *Collection of engravings from ancient vases in the possession of Sir William Hamilton* tom. 1. tab. 41.

[2] Theogoniae vers.485. —— 499.

sanias autem in Phocicis [3] suo adhuc tempore in honore habitum fuisse docet: εξελθοντι του ναου του απολλωνος και τραπεντι ες αριστερα, περιβολος εστι, και νεοπτολεμου του αχιλλεως εν αυτῳ ταφος, και ὁι κατα ετος εναγιζουσιν οἱ δελφοι. επαναβαντι δε απο του μνηματος, λιθος εστιν ου μεγας. τουτου και ελαιον ὁσημεραι καταχεουσι, και κατα ἑορτην ἑκαστην ερια επιτιθεασι τα αργα. εστι δε και δοξα ες αυτον, δοθηναι κρονῳ τον λιθον αντι του παιδος, και ὡς αυθις ημεσεν αυτον ὁ κρονος. „ Ἀ Neoptolemi sepulcro, quod est ad latus templi Apollinis, „ cum rursus ascendere coeperis, lapidem vides modice magnum. Hunc singulis „ diebus oleo perfundunt, festis autem rudem lanam ei imponunt: estque opinio „ hunc lapidem Saturno filii loco datum fuisse, et vomitu ab ipso iterum ejectum„. Eum initio statutum fuisse pro signo Amphictyonici conventus, cujus prima origo refertur ad tempora Deucalione parum recentiora, posteaque ob summam antiquitatem Saturniis fabulis implicatum esse, supra suspicatus sum. Nullum sane politicum institutum illo foedere antiquius novit Graeca historia, sed ab eo initium coepere res Graecorum, dum variae illae tribus, errantes olim et dispersae, in unum colligerentur populum, cui communia sacra et jura communia; unde sensim a primaeva feritate ad mitiores mores transiverunt [4]. Quin forte a monumentorum instituto nata est omnis illa fabula de saxo a Saturno devorato, quo denuo ejecto finis impositus fuit Saturnio regno et obscurissimo illi aevo, clariusque successit Jovis imperium. Devorabat olim tempus quaecumque procrearet, et velut in proprio sinu ab hominum cognitione occultabat: sed ubi memoriae adminiculum invenerunt homines, rudes cippos statuendo, aliquod coepit historiae diluculum, quod mythicum aevum appellare consuevimus, fabularum involucris obtectum; donec effigierum et characterum ministerio clarior dies illuxit annalibus gentium, et tertia aetas successit, artibus a Mercurio Jovis filio inventis decora. Haec qualiscunque sit fabulae illius interpretatio, aptior alia nondum mihi obvenit.

---

[3] Descriptio Graeciae lib. 10. cap. 24.

[4] Amphictyonici consessus initia ignorari, fatetur Strabo geographiae libro 9. pag. 643., neque ante Acrisium patrem Danaes, qui denuo instaurasse ac melius ordinasse dicitur, aliquam ejus inveniri memoriam. Idem colligitur e fabulis quae hac de re feruntur: siquidem ab Amphictyonum nomine, quod circumhabitantes significat, finxerunt Amphictyonem aliquem Deucalionis filium, qui primus instituerit apud Thermopylas, juxta chronicon marmoreum annis ante aeram vulgarem 1522.: quem imitatus Acrisius post annos fere 170. alios Amphictyones constituerit Delphis. Conveniebant enim bis in anno, verna tempestate Thermopylis, autumno Delphis, e variis civitatibus convocati, quae initio duodecim fuisse dicuntur, postea creverunt numero. Delphici templi curam agebant et certaminis Pythii: consultabantque praeterea de rebus universae Graeciae communibus. Vide Chronici Marmorei epocham 5. Scholiasten Euripidis ad Orest. vers. 1094. Scholiast. Pindari ad Pythic. od. 4. vers. 117. Pausaniam lib. 10. cap. 6. 8. Harpocrationem voce αμφικτυονες. Aeschinis orationes in Ctesiphontem, pag. 69. sqq. et de falsa legatione pag. 40. Demosthenis orationem de falsa legatione pag. 498. et prae omnibus Strabonem pag. 643. sqq. Caeterum Delphicum templum in media Graecia conditum, priscis Graecis extera parum callentibus, creditum fuisse totius terrae umbilicum, abunde notum est e Pindaro et Tragicis. Transiit postea ομφαλου vocabulum ad rotundum lapidem ibi positum, in quo sculptae aquilae duae, quoniam volucria duo a Jove terram circumvolare jussa, cum ad orientem atque ad occidentem evolassent, Delphis sibi occurrisse ferebantur. Pindarus Pythic. od. 4. vers. 6. 130. et Schol. Aeschylus in Septem contra Thebas, vers. 753. et in Eumenid. vers. 40. Sophocles in Oedipo tyranno vers. 488. 916. Euripides in Oreste vers. 331. 590. et in Medea vers. 668. Strabo et Pausanias ll. cc. Sic Aegyptii Aegyptum mundi cor appellaverunt; (Horapoll. hierogl. lib. 1. cap. 22.) Sinenses Sinam in mundi centro collocant; et singuli fere populi; quid quod singularum civitatum incolae se in terrae meditullio positos opinati sunt.

Cum enim Cronus sit tempus indefinitum, non alia re quam monumentorum instituto coërcitus et certis legibus adstrictus dici posse videtur: quod vetustos vates rudi mytho innuisse et in theogonias suas transtulisse ab illius aevi ingenio alienum non existimo. Eodem collimat altera traditio a Lactantio [5] memorata, juxta quam Terminus deus is lapis erat quem Saturno tradiderat Rhea. „ Lapidem, inquit, colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus. Hic est quem pro Jove „ Saturnus dicitur devorasse. Nec immerito illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, atque in eo loco multorum deorum sacella essent; „ consuluit eos per auguria, utrum Jovi cederent, et cedentibus caeteris solus „ Terminus mansit „. Nempe Terminus deus ut avitam sedem ita nec primaevam formam deseruit; unde Ovidianum illud [6]:

Termine, sive lapis sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis sic quoque numen habes.

§. V.

Nec multum abest eorum opinio, qui lapidem pro Jove oblatum, Baetylum appellant vel Abaddir. Priscianus inquit [1]: „ Abaddir deus est; dicitur et hoc no„ mine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci βαιτυ„ λον vocant „. Baetylos enim sive Baetylia originem traxisse a lapide Bethel seu *Domus-dei*, a Jacobo in voti memoriam consecrato, quem juxta Judaeorum traditionem ad idololatriae ritum traduxerunt Chananaei, docte observavit Josephus Scaliger in animadversionibus ad chronicon Eusebii [2], cui accedens Bochartus in Chanaan [3], merito rejicit frigidam illam peregrinae vocis derivationem a Graeco vocabulo, quam affert auctor Etymologici [4]. Totam rem ad Syros Phoenicesque pertinere, a quibus nonnisi tarde ad Graecos penetravit, jam hoc indicio est, quod apud Graecos scriptores, praeter Sotacum inter ceraunias gemmas recensentem betulos ma-

---

[5] Divinar. institut. l.1. c.20. opp. t.1. pag.91.

[6] Fastorum lib. 2. vers. 641.

[1] Artis grammaticae lib. 5. pag. 647. in Putschii gramm. veter. Adde lib. 1. pag. 564. lib. 6. pag. 698. lib. 7. pag. 747. Hesychius voce *βαιτυλος· ὁυτως εκαλειτο ὁ δοθεις χρονῳ λιθος αντι διος.* „ Baetylus vocabatur lapis Saturno datus pro „ Jove „.

[2] Ad annum 2150. pag. 216.

[3] Lib. 2. cap. 2. pag. 785. 786. edit. 1646. In eadem sententia versatur Marshamus Canonis chronici saec. 4. pag. 56. Traditio Rabbinorum ita sonat: „ Quamquam ille cippus „ amatus fuit a deo temporibus patriarcharum, „ postea tamen odit eum, propterea quod Cha„ nanaei deduxerunt eum in ritum idololatriae „. Aliter quidem sentit Fourmont in *reflexions critiques sur les histoires des anciens peuples*, to. 1. lib. 2. sect. 3. cap. 2. pag. 65. et cap. 21. pag. 162. sqq., existimans Baetyli nomen derivandum esse a Batuele patre Labanis, ac Baetylia idem esse quod Theraphim: sed quae sententia, cum tota illa Fourmontii hypothesi de gentium diis ad Hebraeorum patriarchas referendis, nobis non multum arridet. Falconetus autem, qui in dissertatione de Baetylis, *memoires de l' acad. des inscript.* tom. 6. pag. 513, eo nomine solos intelligi vult echinitas, ut reliqua nunc praeteream, jam inde refellitur, quod *μεγαν λιθον* illum a Saturno devoratum Baetylum dixerunt veteres, quodque Baetylion Eusebii apud Damascium exacte sphaericum erat. Nam echinitae nunquam figuram habent vere sphaericam, neque ejus molis visi sunt unquam ut magni lapides dici possint.

[4] Etymologicum magnum, voce *βαιτυλος· βαιτυλος εκληθη ὁ λιθος, ὁν αντι διος ὁ χρονος κατεπιεν. ειρηται δε ὁτι ἡ ρεα βαιτῃ αιγος σπαργανωσασα, τῳ χρονῳ δεδωκε· βαιτη δε σημαινει την διφθεραν.* „ Baete pellem significat, ideoque „ lapis quem in pelle caprina involutum Saturno „ Rhea deglutiendum obtulit, dictus est Baety„ lus „.

gica virtute praeditos [5], id nomen non legatur ante Philonem Byblium, qui ex Phoenicum traditione Baetylum quendam memoriae prodidit Urani filium, atque ab Urano excogitata scribit Baetylia sive lapides animatos [6]: *παραλαβων ὁ ουρανος ὁ του υψιστου υιος, την του πατρος αρχην, αγεται προς γαμον την αδελφην γην, και ποιειται εξ αυτης παιδας τεσσαρας, ιλον τον και κρονον, και βετυλον, και δαγων ὁς εστι σιτων, και ατλαντα. — ετι δε επενοησε θεος ουρανος βαιτυλια, λιθους εμψυχους μηχανησαμενος.* „ Coelus Altissimi filius ubi paternum in imperium successisset, Terram sororem matrimonio secum junxit, ex eaque liberos quatuor suscepit, Ilum qui Saturnus dictus est, Betylum, Dagonem qui Sito h. e. frumenti praeses nominatur, et Atlantem. —— Praeterea Coelus deus Baetylia reperit, animatos lapides insolenti arte molitus „.

Distinguit hoc loco Sanchuniathon, sive quem alium auctorem secutus est Philo, inter Baetylum lapidem, antiquissimum numen Phoenicum, Coeli Terraeque filium creditum; et Baetylia, minorum gentium deos in lapidibus quibusdam non magnae molis residentes, quorum adjutorio praestigiatores se et futura praescire et miras res efficere posse gloriabantur. Hos Syri imprimis Libani montis accolae impensa superstitione coluerunt, singulis hominibus velut custodes genii praesentes eodemque pacto quo Graecorum Daemones singulis diis coelestibus subjectos. Diserte de iis scripsit Damascius in vita Isidori [7], narrans Eusebium quendam co-

---

[5] Plinius nat. hist. lib. 37. cap. 9. „ Sotacus et alia duo genera facit cerauniae (gemmae), nigrae rubentisque, ac similes eas esse securibus: iis, quae nigrae sunt et rotundae, urbes expugnari et classes, easque betulos vocari: quae vero longae sunt, ceraunias „.

[6] Apud Eusebium in praeparatione evangelica lib. 1. cap. 9. pag. 36. 37.

[7] Apud Photium in bibliotheca, cod. 242, pag. 1048. *ὁτι κατα την ἡλιουπολιν συριας, εις ορος το του λιβανου, τον ασκληπιαδην ανελθειν φησι, και ιδειν πολλα των λεγομενων βαιτυλιων η βαιτυλων, περι ὡν μυρια τερατολογει, αξια γλωσσης ασεβουσης. λεγει δε και ἑαυτον και τον ισιδωρον ταυτα χρονῳ υστερον θεασασθαι.* „ Juxta Heliopolim Syriae ait Asclepiadem in montem Libani ascendisse, et vidisse multa Baetulia vel Baetylos, de quibus multa prodigiose dignaque impio ore prosequitur, dicitque se et Isidorum haec postea vidisse „. Et pag. 1061. *ειδον φησι τον βαιτυλον δια του αερος κινουμενον, ποτε δ' εν τοις ἱματιοις κρυπτομενον, ηδη δε ποτε και εν χερσι βασταζομενον του θεραπευοντος. ονομα δ' ην τῳ θεραπευοντι τον βαιτυλον ευσεβιος. ὁς και ελεγεν επελθειν αυτῳ ποτε αδοκητον εξαιφνης προθυμιας, αποπλανηθηναι του αστεος εμιτης εν νυκτι μεσουσῃ σχεδον, ὡς πορρωτατω προς το ορος αυτο, εν ᾧ της αθηνας ἱδρυται νεως αρχαιοπρεπης. αφικεσθαι δε την ταχιστην εις την υπωρειαν του ορους, και αυτοθι καθιζησαντα αναπαυεσθαι, ὡσπερ εξ ὁδου. σφαιραν δε πυρος υψοθεν καταθορουσαν εξαιφνης ιδειν, και λεοντα μεγαν τῃ σφαιρᾳ παριστaμενον. τον μεν δη παραχρημα αφανη γενεσθαι, αυτον δε επι την σφαιραν δραμειν, ηδη του πυρος αποσβεννυμενου· και καταλαβειν αυτην ουσαν τον βαιτυλον. και αναλαβειν αυτον, και διερωτησαι, ὁτου θεων αν ειη. φαναι δ' εκεινον ειναι του γενναιου. τον δε γενναιον ἡλιουπολιται τιμωσιν, εν διος ἱδρυσαμενοι μορφην τινα λεοντος. — ουκ ην δε κυριος ὁ ευσεβιος της του βαιτυλου κινησεως, ὡσπερ αλλοι αλλων. αλλ' ὁ μεν εδειτο και ηυχετο· ὁ δε υπηκουσε προς τας χρησμῳδιας. — σφαιρα ακριβης ετυγχανεν ων, υπολευκος δε το χρωμα, σπιθαμιαια δε την διαμετρον κατα μεγεθος· αλλ' ενιοτε μειζων εγινετο και ελαττων, και πορφυροειδης αλλοτε. και γραμματα ανεδειξεν ἡμιν εν τῳ λιθῳ γεγραμμενα, χρωματι τῳ καλουμενῳ τιγγαβαρινῳ (l. κινναβαρινῳ) καταπεχρωσμενα, και εν τοιχῳ δε εγκρουσας ** δι' ὡν απεδιδου τον ζητουμενον τῳ πυνθανομενῳ χρησμον, και φωνην αφιει λεπτου συρισματος, ἡν ἑρμηνευσεν ὁ ευσεβιος. — εγω μεν ῳμην θειοτερον ειναι το χρισμα* (mallem *χρημα*) *του βαιτυλου, ὁ δε ισιδωρος δαιμονιον μαλλον ελεγεν. ειναι γαρ τινα δαιμονα τον κινουντα αυτον, ουτε των βλαβερων, ουτε των αγαν προσυλων, ου μεν τοι των ανηνεγμενων εις το αϋλον ειδος, ουδε των καθαρων παντaπασι. των δε βαιτυλων αλλον αλλῳ ανακεισθαι θεῳ, κρονῳ, διι, ἡλιῳ, και τοις αλλοις.* „ Vidi, inquit, Baetylum in aëre motum, vestibus interdum tectum, aliquando vero etiam manibus famuli portatum. Nomen illius qui Baetylo famulabatur erat Eusebius, qui etiam dixit accidisse sibi aliquando

luisse et secum gestasse Baetylum, Gennaeo Heliopolitarum in Syria deo addictum, figurae sphaericae, diametro dodrantali, coloris subalbidi, rubris litteris inscriptum, ex quarum apparitione, atque e sibilo quod subinde edebat lapis, motuque quo spontaneo ferebatur, futurorum cognitionem capiebat Eusebius. Sunt quidem qui Baetyliorum vocabulum idem prorsus significare rentur ac Theraphim, atque extendunt ad gemmas Abraxeas et amuleta in genere. Quibus licet calculum adjicere nequeam, tamen ea amuleta, quae specie sua globum aut conum cylindrumve aut hujusmodi figuram referunt, quamvis exiguae molis sint, huc pertinere existimo. Horum major pars icunculas nonnullas barbare scalptas praeferunt cum Persicorum rituum imitatione, adjectis nonnunquam characteribus Persepolitanis: atque aut conica forma et chalcedonicae gemmae albedine ad solem, aut magnetis indole ferruginea et forma sua cylindrica ad terrae elementum referri videntur. Eximium autem hujus generis monumentum, et quantum memini unicum, servatur in museo Borgiano, magnes lapis figura pyriformi, altus uncias fere duas, inscalptam habens imagunculam viri hieracocephali, totusque refertus Graecis litteris, sed quae, uti in Abraxeis gemmis fieri assolet, nullum certum sensum efficiunt. Hoc fuisse baetylion Osiriacum Aegyptii cujusdam sive Alexandrini hominis, qui ejus praesidio tum quae magnetis magicae virtuti adscribit auctor *λιθικων* num. 10., tum quae Osiridis Solisve potestati tribuuntur, se assecuturum putaret, conjectura non improbabili colligere mihi videor.

Majores Baetylos sub variis nominibus a variis per Asiam gentibus adoratos invenio. Abaddir seu *pater magnificus*, cujus meminit Priscianus, jam nomine suo Phoeniciam originem fatetur; et D. Augustinus Abaddires a Poenis in Africa in numinibus habitos ait [8]. Emisenus Elagabalus, cujus nomen explicari potest *deus terminus* [9], nonnullis Jovis, vulgo Solis imago creditus, vesani Antonini superstitione inclaruit. De eo Herodianus: *θεον ἥλιον ὁι επιχωριοι σεβουσι, τῃ φοινι-*

,, nec opinanti subitum impetum erandi ab Emisa urbe, pene media nocte, quam longissime ad montem illum, in quo Palladis templum veteri magnificentia conditum est, et ivisse celerrime ad pedem montis, et ibidem tamquam e via fessum desedisse. Et vidisse globum ignis celeriter decidentem, et leonem ingentem globo adstantem. Hunc quidem statim evanuisse, se vero, igne jam exstincto ad globum cucurrisse, qui Baetylus erat, eumque sumsisse, et rogasse cujus dei esset; et respondisse Baetylum, se esse Gennaei. Gennaeum colunt Heliopolitae, erecta quadam leonis forma in templo Jovis. —— Eusebius non erat dominus motuum Baetyli, ut alii aliorum: sed hic petebat et orabat, ille vero exaudiebat et responsa dabat. — Globus erat perfectus, colore subcandido, diametro longus palmo: sed interdum major apparebat, interdum minor, nonnunquam purpureus. Ostendit quoque nobis litteras in lapide descriptas, colore quem vocant tingabarino: et in muro figens * * Unde sciscitanti oraculum dedit, ac vocem emisit tenui sibilo, quam interpretatus est Eusebius. — Equidem putaram divinius esse oraculum Baetyli, Isidorus autem daemonium potius esse dixit. Esse enim aliquem daemonem moventem illum, non unum ex malis, neque ex iis qui materiae prorsus adhaerent, sed neque ex immaterialibus, neve omnino puris. Baetylorum enim alium alii deo addictum esse, Saturno, Jovi, Soli et reliquis ,,. Huc pertinent quae ex Sotaco habet Plinius. Etiam ex his recte constituerunt viri docti verba Etymologici: *βαιτυλος λιθος γενομενος κατα τον λιβανον το ορος της ἡλιουπολεως*. ,, Baetylus lapis est qui invenitur in Libano monte prope Heliopolin ,,.

[8] Epistola ad maximum Madaurensem, quae juxta recensionem Maurinorum est 17., alias 44. ,, Miror quod nominum absurditate commoto in mentem tibi non venerit, habere tuos et in sacerdotibus Eucaddires, et in numinibus Abaddires ,,. אב *pater* אריר *magnificus*.

[9] אל *deus*. גבל *terminus*. Casaubonus et Salmasius in notis ad Lampridium interpretantur *deum montis* ex dialecto Arabum.

κων φωνῃ ελαιαγαβαλον καλουντες· νεως δε αυτῳ μεγιστος κατεσκευαστο αυτου. — αγαλμα μεν, ὡσπερ παρ᾽ ἑλλησιν η ρωμαιοις, ουδεν ἑστηκε χειροποιητον θεου φερον εικονα· λιθος δε τις εστι μεγιστος, κατωθεν περιφερης, ληγων εις οξυτητα· κωνοειδες αυτῳ σχημα, μελαινα τε ἡ χροια· διοπετη τε αυτον ειναι σεμνολογουσιν, εξοχας τε τινας βραχειας και τυπους δεικνυουσιν· εικονα τε ἡλιου ανεργαστον ειναι θελουσιν, ὁυτω βλεποντες. „ Deum Solem maxime indigenae colunt, Phoe„ nicum lingua Elaeagabalum vocitantes: templumque illi maximum constructum „ habent. — Simulacrum vero nullum Graeco aut Romano more factum ad dei si„ militudinem: sed lapis est maximus, ab imo rotundus et sensim fastigiatus, „ propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant coelo „ decidisse. Eminent in lapide quaedam, formaeque visuntur nonnullae: ac So„ lis imaginem illam esse affirmant, minime humano artificio fabrefactam„ [10]. Figura expressa cernitur tum in Romanis numis Elagabali, lapis conoidicus, quadrigis lentis vectus; tum in Emisena pecunia sub Caracalla, Sulpicio Severo et Elagabalo percussa, idem lapis basi quadratae intra templum impositus [11]. Eum a Caracalla jam in honore habitum docent scriptores historiae Augustae, et templum quod ad Tauri montis radices Marcus Antoninus uxori dedicaverat, eo imperante ad Elagabalum deum translatum. Romam vero ex Emiseno sacrario deportavit temploque in Urbe honoravit Syrus ille imperator ipsi deo cognominis, quo interempto Emisam remissus fuit. Eundem de Laodicenorum in Syria Baetylis Romam devehendis cogitasse, notat in vita ejus Lampridius [12]: „ Lapides qui Divi dicuntur, ex proprio „ templo Dianae Laodiceae ex adyto, in quo id Orestes posuerat, efferre voluit „. Unum ex quibus in numo Laodiceno cum capite Elagabali, currui impositum trahit quadriga equorum: nisi potius pro ipso Elagabalo deo accipere placet, quem ab Emisa Romam translatum hoc typo significare voluerint Laodiceni. Seleucienses quoque in Pieria Syriae Jovem Casium suum, quem et ab Antiochenis Pelusiotisque ac Corcyraeis cultum invenimus, in numis repraesentarunt tanquam lapidem truncato cono similem intra templum collocatum, adscripto nomine *ζευς κασιος*: quemadmodum et in numismate Coloniae Aeliae Capitolinae cum Severi capite templum est intra quod lapis conoidicus scabrosus, lunula in vertice insignis: pariterque in pecunia Neapolitarum Samaritidos, cui inde a Titi Augusti aetate constanter fere pro typo est mons Garizim cum templo Jovis Altissimi, sae-

---

[10] Historiar. lib. 5. c. 5. sqq. Adde Lampridium in *Heliogabalo* cap. 1. „ Fuit Heliogabalus vel „ Jovis vel Solis sacerdos, dictus a sacerdo„ tio dei Heliogabali, cui templum Romae in „ eo loco constituit, in quo prius aedes Horci „ fuit, quem e Syria secum advexit „. Vide ibidem cap. 17. Herodian. lib. 6. cap. 1. et epitomen Dionis Cassii lib. 79. cap. 11. 12. 21. E Capitolino in *Antonino Philosopho* c. 26. atque ex Spartiano in *Caracallo* cap. 11. arguendum credidere viri docti non Emesae fuisse templum Elagabali, sed in vico Halala. At vero vetustum Elagabali sacrarium apud Emisenos fuisse, vix dubitare sinunt verba Herodiani; atque ab hoc diversum reor templum illud, quod Halalae ad radices Tauri montis satis longo intervallo ab Emisa, Faustinae condidit Marcus, ad Elagabalum vero transtulit Caracalla.

[11] Consule numos Coloniae Emisae in Gesneri numism. imperat. Roman. tab. 145. num. 47. tab. 158. num. 3. Haymi thes. Britann. interprete Khellio tom. 1. tabul. 37. Mus. Theupoli tom. 1. pag. 707. Atque numisma argenteum Elagabali Augusti apud Begerum thes. Brandenb. tom. 2. pag. 712. SANCTO DEO SOLI ELAGABAL. *Lapis conoidicus, quem circumstant perticae quatuor umbracula sustinentes, vehitur curru ab equorum quadriga tracto.*

[12] In *Heliogabalo* cap. 7. Mallem legere: *in quod Orestes posuerat, afferre voluit*. Confer Pausan. lib. 3. cap. 16.

pe in altero montis vertice simulacri loco stat lapis conicus cui imminet stella [13]. Ejusdem classis numen repraesentatum reor cono astrifero in area numi Borgiani, cujus ectypon sistitur in calce hujus sectionis, jam de eo mentione facta in primae sectionis capite quarto [14]: atque ex eo signo argui posse videtur numum signatum fuisse Emisae, aut saltem in aliqua Syriae parte, ubi maxime obtinuit conoidica sacrorum lapidum forma.

Arabum numina quadrata figura praedita fuisse, advertit Maximus Turius [15]: *αραβιοι ὀν σεβουσιν ουκ οιδα, το δ' αγαλμα ειδον, λιθος ην τετραγωνος.* „ Arabes quem „ colant non novi, at simulacrum vidi, lapis erat quadrangulis „. Quod de Dusare sive Theusare Nabataeorum, quem Graeci modo Bacchum vocant, modo Martem, modo Thesaurum, peculiariter notat Suidas: *θευσαρης, τουτ' εστι θεος αρης, εν πετρᾳ της αραβιας· τονδε γαρ μαλιστα τιμωσι. το δ' αγαλμα λιθος εστι μελας, τετραγωνος, ατυπωτος, υψος ποδων τεσσαρων, ευρος δυο· ανακειται δε επι βασεως χρυσηλατου. τουτῳ θυουσι, και το ἁιμα των ἱερειων προχεουσι· και τουτο εστιν αυτοις ἡ σπονδη. ὁ δε οικος ἁπας εστι πολυχρυσος, και αναθηματα πολλα.* „ Theusares id est deus Mars, qui Petrae in Arabia maxime colitur. Simula„ crum ejus est lapis niger, quadratus, informis, altus pedes sex, latus duo, et „ aureae basi impositus. Hunc sarificiis, victimarum sanguine et libationibus „ colunt. Tota vero aedes ejus multo auro ornata donariisque referta est „ [16].

Huic informi deo, cujus cultum usque in Italiam propagatum testantur arae tres Neapoli prostantes in museo Regio cum epigraphe DVSARI SACRVM [17],

---

[13] Inspice numos Laodicenorum apud Pellerinium *mélange de médailles* tom. 1. tab. 19. n. 8: Seleuciensium apud eundem *recueil de médailles de villes* tom. 2. tab. 80. num. 70: Coloniae Neapoleos ibid. tom. 3. pag. LIV.: Aeliae Capitolinae ibid. tom. 3. tab. 135. num. 9. ubi frustra de Venere Paphia cogitat editor, quasi illa sola informi simulacro fingi consuevisset.

[14] Vide supra pag. 61.

[15] Dissert. 8. cap. 8. Adde Clementem Alexandrinum cohortationis cap. 4. pag. 40. et Arnobium adversus gentes lib. 6. pag. 86.

[16] Confer Codinum in excerptis de originibus Constantinopoleos num. 66. *θησαυρος θεος σεβεται, αραβες δε μαλιστα τιμωσι. το δε αγαλμα αυτου εστι μεγας λιθος τετραγωνος, ατυπωτος, υψος ποδων 'δ, ευρος 'β, βαθος ἑνος.* „ Thesaurus „ deus colitur, Arabes autem sunt qui maxime „ venerantur; simulacrum ejus est lapis ma„ gnus, quadratus, sine forma, altus pedes „ IV., latus II., crassus I. „. Reliqua fere ut Suidas. Hesychius: *δουσαρην τον διονυσον ναβαταιοι, ως φησιν ισιδωρος* „. Nabataei Bacchum „ vocant Dusaren, ut ait Isidorus. „ Stephanus Byzantinus, voce *δουσαρη: σκοπελος και κορυφη υψηλοτατη αραβιας. ειρηται δε απο του δουσαρου. θεος δε ὁυτος παρ' αραψι και δαχαρηνοις τιμωμενος.* „ Dusare scopulus et jugum altis„ simum Arabiae, dictum a Dusare, qui deus „ apud Arabes et Dacharenos „. Egregie Maximus Tyrius, *quem venerantur*, ait, *non novi*: nam nullis ex Graecorum diis respondebant Asiatica numina, nec dii quos coluerunt ipsi primaevi Graii, recte comparantur iis quos post Hesiodum et Homerum venerati sunt Hellenes. Pro Urania et Baccho sive pro Venere et Sole, Herodotus caeterique plurimi Graeci scriptores acceperunt ignota sibi numina ab Arabibus culta. Herodotus l. 3. c. 8. Theophrastus hist. plant. l. 9. c. 4. Plinius nat. hist. lib. 10. cap. 2. Arrianus de expedit. Alex. lib. 7. pag. 486. Origenes contra Celsum lib. 5. cap. 34. S. Hieronymus comment. in Amos cap. 5. vers. 25. Philostorgius hist. eccles. l. 3. c. 4. Unde et Dusarem Bacchum interpretati sunt, atque in numis Romanorum imperatorum auctoritate percussis cum nomine ejus excuderunt typum vindemiae; licet vitis sator certe non fuit Arabs ille Bacchus.

[17] Vidi in oppido Portici in loco quem appellant *la Fonderia*. Confer Donati supplementum ad Muratorii thes. inscript. pag. 54. num. 6. Eundem deum in Asiae quaque provinciis pro Baccho cultum fuisse, discimus ex numismate Germenorum in Galatia, cum capite Etruscillae Augustae et typo ludorum atque torcularis, addita epigraphe DVSARIA; qui adservatur Venetiis in numophylacio Ecc. Gradenigo, publici juris factus a Taninio V. C. in locupletissimo supplementeto ad Bandurii numism. imperat. Roman. pag. 441.

humano cruore usque fere ad Muhammedis tempora litatum fuisse ab Arabibus ; argui posse videtur ex Evagrio , qui in historia ecclesiastica [18] imperante Mauricio ad fidem conversum narrat Naamanen Scenitarum phylarchum , qui deorum suorum cultui ita fuerat obstrictus , ut propria manu humanas victimas iis mactaret : collato cum Porphyrio libro secundo de abstinentia [19] : δουματηνοι της αραβιας κατ' ετος ἑκαστον εθυον παιδα , ὁν υπο βωμον εθαπτον , ᾡ χρωνται ὡς ξοανῳ . „ Dumateni in Arabia quotannis puerum sacrificare consueverant , et sub ara , quae „ ipsis pro simulacro est , sepelire „ . Nempe quod reliqui appellant λιθον τετραγωνον , Porphyrio est βωμος : Scenitae autem et Dumateni sive Thamudeni contermini fuere Nabataeis , eosdemque deos coluisse credi possunt . Sed et in australi Arabia pro diis fuisse quadratos lapides , testis prostat niger ille lapis in Caabae angulo Islamitis hodie quoque venerabilis [20] , licet quo nomine olim appellati fuerint , non constat ; monumentis et scriptoribus Dusaris vocabulum apud Petraeae tantum Arabiae incolas prodentibus , Petrenses , Adraënos , Bostrenos , Nabataeos , Dacharenos [21] . Significationem ex Arabum idiomate *dominum domus* egre-

---

[18] Lib.6. cap. 22. *ναaμανης των σκηνιτων φυλαρχος , παμμιαρος ἑλλην , ὡς και ανθρωπους αυτοχειρι σφαγιαζειν τοις αυτου δαιμονιοις*. Merito itaque Nonnus Dionysiacorum lib. 21. vers. 154. exagitat inhumana Arabum sacrificia :

αραβες δε πολυκνισσων επι βωμων
ὡς θεον υια δρυαντος εμειλιξαντο θυηλαις ,
αντι διωνυσοιο μελιρραθαμιγγος οπωρης
λυθρον επισπενδοντες αβακχευτῳ λυκοοργῳ .

„ Arabes autam nidorosis in aris ut deum pla„ cabant filium Dryantis, pro Dionysi meliflua „ uva cruorem fundentes, bacchici ritus exper„ ti Lycurgo „ .

Dusares vero , quem alii Bacchum appellant , Nonno Lycurgus est infensissimus hostis Bacchi : eodem plane modo quo Thracicum Lycurgum cum Dionyso confusum annotat Strabo lib. 10. pag. 722. Scilicet Graeci prisca illa gentium numina cum variis recentioris mythologiae diis heroibusve varia ratione conjunxerunt, ac nonnunquam ad significatus e regione oppositos traduxerunt . Lycurgus Thrax , ut paucis attingam nobilissimam fabulam jam Homero memoratam , mihi pastoritiae vitae deus est , luporum domitor , patre genitus Dryante , cujus nomen tempus illud in memoriam revocat quo glandibus vescebantur mortales . Hunc cum Dionyso proelio congressum esse , ideo fabulati videntur veteres , quod mansuetiorem vitam , agrorum hortorumque culturam , initio respuerint ejus saeculi homines , sub Thracum nomine adumbrati , quae vetustissima est Graecorum stirps , et qui primaevam morum feritatem nunquam prorsus exuere . Qui autem in antiquiore Dionysi fabula , e Phrygia in Graeciam pergentis , Thraces sunt ; in recentiore quae ab Indo fluvio deum arcessit , Arabes appellantur: siquidem et in Thracia , et in Arabia , quo tempore Graecorum deorum cultus adoptaverat mitiores ritus , in diis colendis prisca adhuc servabatur immanitas : quare et Lycurgus cum Dryante in Arabiam migrare jussi . Ista fusius exsequi hujus loci non est : interea advertere juvat , Lycurgi fabulam , ex artis monumentis hactenus quod sciam nondum illustratam , repraesentari eleganti anaglypho in horto aedium Burghesiarum , in numismate Aegyptio musei Borgiani percusso anno VIII. Antonini Pii , atque in gemma aeri incisa in Musei Florentini tomo 1. gemmarum tab.92. num.9.

[19] Pag.225. Fere gemina leguntur apud Eusebium praeparat.evang. lib.4. c.16. et oratione ad Constantinum cap.13. Caeterum qui a Porphyrio et Eusebio appellantur *δουματιοι* vel *δουματηνοι* vel *διματηνοι* , nam libri dissentiunt , iidem esse videntur quos *θαμουδηνους* vocat Diodorus biblioth. lib. 3. cap. 44. iu quorum finibns erat *λοφος τραπεζωδης , εφ' ὁυ τρεις ναοι θαυμαστοι τοις υψεσιν ᾠκοδομηνται θεων , αγνωουμενων μεν υφ' ἑλληνων , τιμωμενων δε υπο των εγχωριων διαφεροντως* . „ Collis in quo exstructa sunt „ tria fana mirabilis altitudinis , diis dedicata , „ quos Graeci quidem ignorant , indigenae au„ tem colunt eximie . „

[20] *Saggio sull' origine , culto , letteratura e costume degli Arabi , avanti il pseudoprofeta Maometto . dell'abate Simone Assemani . Padova* 1787. pag. 21. sqq.

[21] Vide praeter auctores jam citatos , numos Bostrenorum sub Philippis et Deciis cusos apud Eckhelium V. C. in catalogo musei Caesarei tom.1. p.252. apud Pellerinium *recueil de médailles de villes* tom. 3. p. XXXVIII. et 155. apud cl. Taninium in supplemento ad Bandu-

gie interpretatus est Assemanus V.C.[21] : non quidem me judice, quod Meccanae Caabae dominus esset Dusares, sed quod quaevis gens deum suum tutelarem herum appellavit, *οικοδεσποτην*, cui etiam respondet Graecum *ζευς*, cum Barthelemio summo viro a ϭⲱⲓⲥ vel ϫⲟⲉⲓⲥ *dominus* derivandum [23]. Initio autem quadratus lapis in unaquaque civitate indicasse videtur centrum reipublicae, *την κοινην ἑστιαν*, uti in Graecis urbibus Vesta illa sive focus prytanum, uno eodemque tempore et ara et simulacrum numinis quod oppido praeerat; singulisque in Arabia oppidis suus fuit Dusares seu *πολιουχος*, cum daemone seu ministro Oboda, cujus nomen servum denotat [24].

In minori Asia hujusmodi dii occurrunt, Pergensium quam Dianam appellant, in numis imperatoriis sub conici lapidis specie, adscripto nomine *περγαιας αρτεμιδος*, frequenter obvia [25]: et Mars Amazonum in Aretiade Euxini Ponti insula, cui Apollonius Rhodius ab Argonautis quoque sacra peracta tradit:

πασσυδιη δ' ηπειτα κιον μετα νηον αρηος,
μηλ' ἱερευσομενοι· περι δ' εσχαρη εστησαντο
εσσυμενως, ἡτ' εκτος ανηρεφεος πελε νηου,
στιαων. εισω δε μελας λιθος ηρηρειστο
ἱερος, ῳ ποτε πασαι αμαζονες ευχετοωντο.
ουδε σφιν θεμις ηεν, ὀτ' αντιπερηθεν ἱκοιντο,
μηλων τ' ηδε βοων τηδ' εσχαρη ἱερα καιειν·
αλλ' ἱππους δαιτρευον, επηετανον κομεουσαι.

„ Tum uno omnes incitu concesserunt ad fanum Martis oblatum pecudes; ubi „ certantes circumstiterunt aram, quae extra alte tectum fuit templum, e lapil- „ lis. Erat autem intus defixus lapis sacer, ad quem omnes aliquando Amazo-

rii numismata imp. Rom. pag. 4. Adraënorum numus est in museo cl. Bondacca ICti Romani: ΑΔΡΑΗΝΩΝ ΔΟΥϹΑΡ. *Sacellum, in quo, ut videtur, lapis rudis.*

[22] Lib. cit. pag. 17. sqq.

[23] *Reflexions générales sur les rapports des langues Egyptienne, Phénicienne, Grecque*, in *Memoires des l'acad. des inscript. et des bell. lettr.* tom. 32. pag. 232. Neque aliunde petendum videtur Latinorum *Jovis*, unde *Jovis Pater*, contracte *Jupiter*.

[24] עבד *servus*, unde composita tot celebrium Arabum nomina. Tertullianus ad nationes lib. 2. cap. 7. „ Quanti sunt qui norunt visu vel au- „ ditu Obodan et Dusaren Arabum? „ Eusebius de laudibus Constantini c. 13. *φοινικες μελκαθαρον, και ουσωρον, και τινας αλλους ατιμοτερους, θνητους ανδρας, θεους ανηγορευσαν, ὡς και παιδες αραβων δουσαριν τινα και οβδον.* „ Phoenices Mel- „ catharum et Usorum, et alios quosdam igno- „ biliores, qui olim homines fuere, deos vo- „ caverunt. Arabes similiter Dusarin quendam „ et Obdum „. Stephanus Byzantinus, voce *οβοδα: χωριον ναβαταιων· ουρανιος αραβικων δ'· ὁπου οβοδης βασιλευς, ὁν θεοποιουνται, τεθαπται.* „ Obo- „ da oppidum Nabataeorum, ut narrat Uranius, „ ubi Obodes rex, quem pro deo colunt, sepul- „ tus est „. E Dusare sive Theusare corruptum suspicor Theandriten, vel Thyandriten, cujus meminit Marinus in vita Procli cap. 19., narrans Proclum praeter Graecorum deos hymnis celebrasse *μαρναν γαζαιον, και ασκληπιον λεοντουχον ασκαλωνιτην, και θυανδριτην αλλον αραβιοις πολυτιμητον θεον.* „ Marnam Gazaeum, et „ Aesculapium leoniferum Ascalonitarum, et „ Thyandriten alium deum ab Arabibus egre- „ gie honoratum „. De eo etiam Damascius in vita Isidori apud Photium pag. 1061. *εγνω ὁ ισιδωρος εν τοις βοστροις της αραβιας τον θεανδριτην αρρενωπον οντα θεον, και τον αθηλυν βιον εμπνεοντα ταις ψυχαις.* „ Cognovit Isidorus in Bostris Ara- „ biae Theandriten deum aspectu austero, ani- „ mis inspirantem vitam a mollitie alienam „.

[25] Eckhell catal. mus. Caesarei tom. 1. pag. 182. Bianchini *storia universale* tab. ad pag. 536. num. 1. 2.

„ nes vota nuncupabant. Nec vero mos eis erat, cum ex adversa venissent regio„ ne, pecudum boumve sacra in illa adolere ara: sed prosecabant equos curate „ saginatos „ [26]. Niger lapis pro simulacro, rustica cella tectus, in deserta insula ab ominosis avibus habitata; et ante cellam focus e lapidibus ex agro lectis, nec dolatis constructus, ubi mortis victoriaeque numini equos, comites suos, mactare consueverant bellicosae illae foeminae; antiquissimae barbaraeque religionis verissimam imaginem offerunt. Etiam Pessinuntiam deam antiquitus fuisse silicem atrum atque informem, affirmat Arnobius in disputationibus adversus gentes [27]: „ Ridetis temporibus priscis Pessinuntios silicem pro deûm matre coluisse. —— „ Magna mater ex Phrygia Pessinunte Romam accita. Si verum loquuntur histo„ riae, allatum ex Phrygia est nihil aliud missum a rege Attalo, nisi lapis qui„ dam non magnus, ferri hominis manu sine ulla impressione qui posset, coloris „ furvi atque atri, angellis prominentibus inaequalis; et quem omnes hodie ipso „ illo videmus in signo oris loco positum, indolatum et asprum, et simulacro fa„ ciem minus expressam simulatione praebentem „.

§. V I.

Ubi vero ad Graecos Romanosque revertimur, non paucos invenimus vetustos deos, quos a nulla alia origine aptius quam a monumentis derivari posse arbitror. A foederum cippis dictus videtur Jupiter Lapis [1], quem Graeci Horcum appellant [2], dum ipse lapis ad quem conventum erat, datae fidei et signum esset et testis, et jurisjurandi loco staret: uti ille quem in Sichem statuit Josue. Scio equidem quod Polybius [3], qui in foederibus Romanos inter atque Carthaginenses a

---

[26] Argonauticorum libro 2. vers. 1173.

[27] Lib. 6. pag. 86. et lib. 7. pag. 108. Adde Prudentium de supplic. Romani martyris v. 155.

Matris Idaeae sacris
Lapis nigellus evehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet.

[1] Apulejus de deo Socratis opp. tom. 2. pag. 673. „ Jurabo per Jovem Lapidem Romano ve„ tustissimo ritu „. Cicero familiarium lib. 7. „ epistola 12. ad Trebatium Epicuream: „ „ Quomodo tibi placebit Jovem Lapidem jura„ re, cum scias Jovem iratum esse nemini pos„ se. Gellius noct. Attic. lib. 1. cap. 21. „ Jo„ vem Lapidem, quod sanctissimum jusjuran„ dum est habitum, paratus sum ego jurare „.

[2] Horcum sive Jusjurandum deorum maximum appellat Pseudo-hermes quem dedimus supra pag. 20. Verum jam Hesiodus theogoniae versu 231. inter Eridis filios recenset

ὁρκον θ᾽, ὁς δη πλειστον επιχθονιους ανθρωπους
πημαινει, ὁτε κεν τις ἑκων επιορκον ομοσσῃ·

„ Horcum, qui plurimum terrestres homines „ laedit, quando quis volens pejeraverit „; atque in operibus, versu 223. citato quoque ab Herodoto lib. 6. cap. 86., introducit Horci filium ultorem, nomine carentem, manibusque et pedibus destitutum. Etiam Pindarus Nemeorum od. 11. vers. 31. per ipsum Jusjurandum jurat: *ναι μα γαρ ὁρκον*: ubi vide scholiasten. Eundem deum appellarunt Jovem Horcium: Euripides in Hippolyto vers. 1025.

νυν δ᾽ ὁρκιον σοι ζηνα και πεδον χθονος
ομνυμι.

„ Nunc vero Jovem tibi Horcium et hoc so„ lum terrae juro „. Quem duplici fulmine vultusque austeritate terribilem finxerunt. Pausan. lib. 5. cap. 24. Est et Orphica quaedam theologia, quae omnis perfectionis initium statuit Horcum, id est, rerum modum certum atque immutabiliter tanquam juramento definitum. Vide Syrianum in Aristotelem ex interpretatione Bagolini pag. 33.

[3] Historiarum lib. 3. cap. 25. *τον δε ὁρκον ομνυειν εδει τοιουτον· επι μεν των πρωτων συνθηκων, καρχηδονιους μεν τους θεους τους πατρῳους, ρωμαιους δε δια λιθον κατα τι παλαιον εθος, επι δε*

Romanis invocatum perhibet Jovem Lapidem, vocabulum derivet a prisco Romanorum ritu, cujus meminit etiam Festus [4], ut „ juraturi manu tenerent lapidem „ silicem dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque bonis eji„ ciat: uti ego hunc lapidem „: sed deum a lapide pro teste adhibito appellatum fuisse multo mihi videtur credibilius, quam a lapillo manu ejecto, qui sane Jovem non repraesentabat. Annotat enim Servius ad Aeneidis librum octavum [5], antiquum signum Jovis qui foederum vindex credebatur, fuisse lapidem silicem: atque Athenienses pariter consuevisse coram lapide stantes jusjurandum pronunciare, e Demosthene, Aristotele et Philochoro memorat Harpocration in lexico [6]: δημοσθενης εν τῳ κατα κονωνος· " των τε παροντων καθ' ἑνα ἡμιν ὁυτωσι και προς τον λιθον αγοντες και εξορκουντες." εοικασι δε αθηναιοι προς τινι λιθῳ τους ὁρκους ποιεισθαι, ὡς αριστοτελης εν τῃ αθηναιων πολιτειᾳ, και φιλοχορος εν τῳ τριτῳ υποσημαινουσι. „ Demosthenes oratione adversus Cononem: *Atque eos qui nobis ade„ rant singulos sic ad lapidem adduxerunt et jurare jusserunt*. Athenienses enim àd „ quendam lapidem jurasse videntur, ut Aristoteles in republica Atheniensium et „ Philochorus libro tertio indicant „. Sic docente Herodoto [7], veteres quoque Arabes, foedera pangentes septem lapides coram adstitutos sanguine suo tingere consueverant.

A stipitibus autem saxisque, quae ad confinia designanda [1], aut furibus poenam denunciandam, in agris hortisque defigere solebant agrestes homines; sive in

---

τουτῳ τον αρην και τον ενυαλιον. εστι δε το δια λιθον τοιουτον· λαβων εις την χειρα λιθον ὁ ποιουμενος τα ὁρκια περι των συνθηκων, επειδαν ομοσῃ δημοσιᾳ πιστει, λεγει ταδε· ευορκουντι μεν ποιειν ταγαθα· ει δ' αλλως διανοηθειην τι η πραξαιμι, παντων των αλλων σωζομενων εν ταις ιδιαις πατρισιν, εν τοις ιδιοις νομοις, επι των ιδιων βιων, ἱερων, ταφων, εγω μονος εκπεσοιμι ὁυτως, ὡς ὁδε λιθος νυν. και ταυτ' ειπων, ριπτει τον λιθον εκ της χειρος. Vertit Casaubonus: „ Porro jusjurandum „ ejusmodi dandum erat: primo foedere Car„ thaginienses quidem per deos patrios jurarunt, „ Romani vero Jovem Lapidem ex veteri quo„ dam ritu: deinde Martem et Gradivum pa„ trem. Mos autem jurandi Jovem lapidem est „ hic. Fecialis qui jurejurando foedus firmat, „ postquam fide publica juravit, lapidem in ma„ nus sumit atque haec dicit: *Si fidem servasse, „ tum me dii adjuvent. Sin sciens fefellero, „ tum ego salvis caeteris omnibus in suis patriis, „ suis legibus, suis penatibus, sacris, sepul„ cris, solus exterminer, ut hic nunc lapis*: „ et simul lapidem manu ejicit. Graecum textum dedi juxta editionem Ernestianum; olim utrinque legebatur διὰ λιθου.

4 De verborum significatione, voce *lapidem silicem*.

5 Vers. 641.

6 Voce λιθος. Meminerunt hujus lapidis Pollux onomastici lib. 8. cap. 9. segm. 86. ωμνυον δε θεσμοθεται προς τῃ βασιλειῳ στοᾳ, η επι του λιθου· εφ' ᾧ τε συμφυλαξειν τους νομους κ. τ. λ. „ Juraverunt thesmothetae ad porticum regiam „ vel ad lapidem, se leges esse unanime cu„ stodituros „ *rel.* et Plutarchus in *Solone* opp. tom. I. pag. 92. ωμνυεν ἑκαστος των θεσμοθετων εν αγορᾳ προς τῳ λιθῳ κ. τ. λ. „ Juraverunt thes„ mothetae singuli in foro ad lapidem „ *rel.* Cf. Hesychium, voce λιθομαται, et scholiasten Aristophanis ad Acharn. vers. 683. Apud Demosthenem adversus Cononem pag. 1112. nunc quidem legitur: των τε παροντων ἡμιν καθ' ἑνα ὁυτοσι προς τον βωμον αγοντες και εξορκιζοντες.

7 Lib. 3. cap. 8. σεβονται δε αραβιοι πιστις ανθρωπων ὁμοια τοισι μαλιστα. ποιευνται δε αυτας τροπῳ τοιῳδε· των βουλομενων τα πιστα ποιεεσθαι αλλος ανηρ αμφοτερων αυτων εν μεσῳ ἑστεως, λιθῳ οξεϊ το εσω των χειρων παρα τους δακτυλους τους μεγαλους επιταμνει των ποιευμενων τας πιστις, και επειτα λαβων εκ του ἱματιου ἑκατερου κροκυδα, αλειφει τῳ ἁιματι εν μεσῳ κειμενους λιθους ἑπτα· τουτο δε ποιεων, επικαλεει τον τε διονυσον και την ουρανιαν. „ Servant fidem Arabes inter homines „ ut qui maxime, quam hunc in modum paci„ scuntur. Quoties foedus inire volunt, alius „ vir medius inter utrosque stans, acuto lapide „ secat volam juxta majores digitos eorum qui „ foedus ineunt. Deinde sumpto flocco ex utrius„ que vestimento, inungit eo sanguine septem „ lapides in medio adjacentes, inter inungen„ dum invocans Bacchum et Uraniam „.

compitis ad vias commonstrandas, sive in foro ad populum convocandum; ortum traxerunt Terminus et Pales, hortorumque Tutelae, atque viales Lares cum Hermis Atticis et Cylleniorum Phalete. Hos disticho comprehendit Tibullus elegia prima libri primi [8]:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

A foco ad quem congregari solebat quaevis familia, nata est Vesta [9]; atque a lapidibus modo sedilium loco [10], modo ad curruum impetus avertendos, poni solitis ad ostia domuum, initium habuere Agyeus et daemones Antelii.

Constat e grammaticis veteribus, *αγυιεας* fuisse cippos plerumque acuminatos, nonnunquam arae similes, ab *αγυια* quod viam vel vicum significat denominatos [11], qui tanquam averrunca numina steterunt ante januas et in angiportis. Totum fere hoc argumentum explicat scholiastes Aristophanis, ad comici versum in Vespis [12]:

---

[8] Vers. 15.

[9] *ἑστια, ἱστιη*, Fεστα, *Vesta*, locus est ubi consistimus, ubi sedes figimus, silvestribus hominibus focus vel humo complanatus vel lapide paratus, sub cava rupe aut sub tegmine arboris, ubi a diurna venatione reduces coenam parent et noctem circa eum transigant; centrum domus, atque ipsa domo vetustior, res omnibus gentibus sacratissima, cujus jura qui infregerit, aut *συνεστιον* hominem supplicemve hostem focum attingentem violarit, diis pariter hominibusque invisus habitus est. Hinc ipsa illa *εσχαρα* sanctissima dea credita fuit, quae postquam recessum est a primaeva simplicitate, ad duplicem potissimum significatum traduci coepit, modo pro igni habita, modo pro terra universi mundi centro. Quemadmodum vero ab initio quaevis familia suam habebat Vestam; ita postquam plures familiae in unam tribum collectae fuerunt, universa tribus communem Vestam instituit, focum ad quem statis temporibus epulatum convenirent patres familias. Hunc morem servaverunt civitates Graeciae, in quibus fere singulis Vestae aram invenimus cum Prytaneo, sive coenaculo *πρυτανων*, quorum vocabulum a *πρωτος* derivatum mihi non aliud significare videtur quam primores civitatis. Veterum loca congessit Spanhemius in eruditissima diatriba de Vesta et Prytanibus, qua huic argumento praeclaram lucem affudit, licet circa rei originem in sententia versatus a nostra prorsus aliena.

[10] Odyss. vers. 404.

ημος δ' ηριγενεια φανη ροδοδακτυλος ηως,
ωρνυτ' αρ' εξ ευνηφι γερηνιος ἱπποτα νεστωρ.
εκ δ' ελθων κατ' αρ' ἑζετ' επι ξεστοισι λιθοισιν,
ὁι οἱ εσαν προπαροιθε θυραων υψηλαων,
λευκοι, αποστιλβοντες αλειφατος· οἱς επι μεν πριν
νηλευς ἵζεσκεν, θεοφιν μηστωρ αταλαντος.
αλλ' ὁ μεν ηδη κηρι δαμεις αϊδοσδε βεβηκει·
νεστωρ αυ τοτ' εφιζε γερηνιος, ουρος αχαιων.

„ Quando autem mane genita apparuit rosea di-
„ gitos aurora, surrexit utique ex lecto Gere-
„ nius eques Nestor; egressusque sedit super
„ politos lapides, qui illi erant ante fores ex-
„ celsas, albi, resplendentes unguento; qui-
„ bus quidem antea Neleus insidebat, diis consi-
„ liarius par. At ille quidem jamjam fato domi-
„ tus ad inferos descenderat: Nestor autem
„ tum insidebat Gerenius, custos Achivorum „.
Quem morem religiose servari ab Indis in Savu insula, auctor est Cook in primi itineris lib. 3. cap. 9. nullamque rem tanti fieri ab illis, ac lapides quibus avi atavique per longam annorum seriem insederint. Vide Hawkesworth *recueil* tom. 8. pag. 34.

[11] Vers. Perperam Ulpianus ad Demosthenem in Midiam pag. 652. *αγυιας τους ἑρμας εκαλουν κατα στερησιν δια το μη χειρας εχειν μηδε ποδας. γυια γαρ τα μελη.* Quamquam et Orphici *αγυιεως* vocabulo lusisse videntur. Nam Johannes Lydus libro de mensibus ms. inquit: *ορφευς τον ἑνα αριθμον αγυιεα καλει, τουτ' εστιν αμερη.* „ Orpheus unitatem *αγυιεα* appellat, i. e. sine „ partibus vel membris „. Nicomacho Geraseno in arithmet. theolog. apud Photium cod. 187. pag. 465. enneas inter alia dicitur *αγυιευς*.

[12] Vers. 870. Vide etiam Aristophanem in Thesmophor. vers. 496. scholiasten ejus ad Equites vers. 1317. Suidam, voce *αγυιαι*. Hesychium et Etymologicum magnum, voce *αγυιευς*.

ω δεσποτ' αναξ, γειτον αγυιευ, του 'μου προθυρου προς πυλας·

„ O here rex, vicine Agyeu, pro foribus vestibuli mei „: προ των θυρων εθος ειχον κιονας εις οξυ ληγοντας, ώς οβελισκους, ίδρυειν εις τιμην απολλωνος αγυιεως. αλλως· αγυιευς, κιων εις οξυ ληγων, όν ίστασι προ των θυρων. ιδιους δε φασιν αυτους ειναι απολλωνος, όι δε διονυσου, οί δε αμφοιν. εστι δε ιδιον δωριεων, (ώς δηλον ποιει διευχιδας εν τη τριτη των μεγαρικων)[13]. ειεν δ' αν και οί παρ' αττικοις λεγομενοι αγυιεις, οί προ των οικιων βωμοι· ώς (φασι κρατινος και μενανδρος· και) σοφοκλης (εν τῳ λαοκοωντι) μεταγων τα αθηναιων εθη εις τροιαν φησι:

λαμπει δ' αγυιευς βωμος ατμιζων πυρι
σμυρνης σταλαγμοις βαρβαρους ευοσμιας.

αλλως· αγυιευς ό προ των αυλειων θυρων κωνοειδης κιων, ίερος απολλωνος, και αυτος θεος: φερεκρατης κραπαταλλοις·

ω δεσποτ' αγυιευ, ταυτα συ μεμνησο μοι:

„ Moris fuit columnas in apicem desinentes, velut obeliscos; ante januas sta-
„ tuere in honorem Apollinis Agyei. Alii interpretantur, αγυιευς columna in api-
„ cem desinens, quam collocant ante fores. Has dedicatas ajunt Apollini, alii
„ Baccho, alii utrique deo. Est autem institutum Doriensibus proprium, se-
„ cundum Dieuchidam in tertio Megaricorum. Videntur vero etiam qui αγυιεις di-
„ cuntur apud Atticos, arae esse ante domus: uti ajunt Cratinus et Menander. So-
„ phocles etiam in Laocoonte Atheniensium mores ad Trojam transferens dicit:
„ *Lucet Agyeus focus vaporans igne e myrrhae guttis barbaras fragrantias.* Aliter: αγυιευς
„ columella coniformis ante fores atriorum, sacra Apollini, et ipsa deus. Sic
„ Pherecrates in Crapatallis ait: *O here Agyeu, horum tu recordare mihi* „. Itaque ipse cippus deus creditus est, ac quoniam in aprico constitutus esset, et mala quaevis ab introitu in domum abigere putaretur, inter daemones Apollini sive Soli addictos relatus est, cujus numen sub divo maxime venerari, atque in publicis privatisque calamitatibus placare solebant veteres. Inde Apollo Agyeus, quem pro averrunco cultum fuisse annotat Eustathius ad Iliadem[14]: εφη δε τις και αγυιατιδας

[13] Haec et quae reliqua uncis inclusa sunt, supplevi ex Harpocratione, voce αγυιᾶς. Ex eodem pro άλμιζων reposui ατμιζων. Caeterum cum Harpocratione, qui mihi quidem hoc loco Demosthenem non satis recte videtur interpretatus, confer Demosthenis orationem in Midiam pag.611. et orat. in Macartatum pag.1038.

[14] Pag.166. Nonnunquam sequiore saltem aevo, etiam statuam Apollinis una cum ara positam fuisse ante fores aedium, discimus e chrestomathia Helladii Besantinoëi apud Photium cod. 279. pag. 1596.: τον λοξιαν προσεκυνουν, όν προ των θυρων έκαστος ίδρυοντο· και παλιν βωμον παρ' αυτῳ στρογγυλον ποιουντες, και μυρριναις στεφουντες, ίσταντο όι παριοντες. „ Apollinem „ adorabant Loxiam, quem pro foribus singuli „ ponebant. Praeterea aram ibi rotundam col- „ locabant, et myrteis coronabant, cui prae- „ tereuntes adstabant. „ Quae vero subdit: τον δε βωμον εκεινον, αγυιαν λοξιαν εκαλουν, την του παρ' αυτοις θεου προσηγοριαν νεμοντες τῳ βωμῳ: aut corrupta sunt aut insulsa. Caeterum Apollinem Agyeum dictum quoque invenimus Thyraeum, atque daemones ei conjunctos Antelios. Tertullianus de idololatria cap.15., Apud Grae- „ cos Apollinem Thyraeum et Antelios daemo- „ nes ostiorum praesides legimus „. Hesychius, voce αντηλιοι: θεοι όι προ των πυλων ίδρυμενοι.

θεραπαινας τους προ των θυρων βωμους , οἱ προς χαριν αγυιεως αππολλωνος ἱδρυντο , τιμωμενου προ πυλων ὡς αλεξικακου . „ Dixit et quidam compitales ancillas , aras „ pro foribus collocari consuetas in honorem Agyei Apollinis , quem ante ostia „ tanquam malorum propulsorem venerabantur „ . Huic annuam celebritatem instituisse Tegeatas , atque pro singulis domibus familiisve , e quibus conflata eorum respublica , singulas statuas dedicasse , auctor est Pausanias in Arcadicis [15] : *τεγεαταις του απολλωνος του αγυιεως τα αγαλματα τεσσαρα εισιν αριθμον, υπο φυλης ἑκαστης ἱδρυμενα* . „ Apollini Agyeo apud Tegeatas signa sunt quatuor , sin„ gula a singulis tribubus posita „ . Idem vero in Phocicis [16] distichon affert ex

---

Idem , voce *προστατηριος : τον απολλωνα ὁυτω λεγουσι , παρ' ὁσον προ των θυρων αυτον αφιδρυντο* . „ Apollinem appellant Prostaterium , quo„ niam ante fores simulacrum ejus ponere so„ lent „ . Minus recte , ut videtur : nam in oraculo Delphico allato a Demosthene oratione in Midiam pag. 611 , separate nominantur Apollo Prostaterius et Apollo Agyeus : *απολλωνι προστατηριω , περι τυχας αγαθας · αππολλωνι αγυιει, λατοι , αρτεμιδι* . Macrobius saturnal. lib. 1. c. 9. „ Janus est *απολλων θυραιος αγυιευς* , cujus aras „ Graeci ante fores celebrant, ipsum exitus et in„ troitus demonstrantes potentem „ . Vide etiam Horatium lib. 4. od. 6. v. 28. et Phurnutum cap. 32. Cum Apolline sive Sole honoraverunt ante fores etiam Lunam sive Hecaten , inde dictam *προθυραιαν* , et in atriis habuerunt sacella , *ἑκαταια* nuncupata . Aristophanes in Vespis vers. 798. et scholiastes Theocriti ad idyllium 2. vers. 36. Inde est quod poeta in hymno apud Iriarte Reg. bibl. Matrit. cod. Gr. pag. 88. (qui etiam habetur ms. in codd. Vatic. 36. 80. Laurent. 45. Marcian. 48. et Augustin. Neap. una cum Orphicis , sine auctoris nomine , subjectus iis qui Proclo tribui solent) Hecaten conjungat cum Jano :

χαιρ' ἑκατη προθυραια μεγασθενες, αλλα και αυτος
χαιρ' ιανε προπατωρ .

„ Salve Hecate Prothyraea magnipotens , et tu „ quoque ipse salve , Jane Pater „ .

15 Descript. Graec. lib. 8. cap. 53. pag. 707. Meminit quoque Apollinis Agyei lib. 2. cap. 19. pag. 154. et lib. 8. cap. 32. pag. 667. , ubi advertit Apollinem Agyeum et Minervam Erganen a Megalopolitis dictos fuisse deos sedulos , atque quadratis simulacris honoratos : *εισι δε υποκαταβαντι ολιγον θεοι · παρεχονται δε και ὁυτοι σχημα τετραγωνον · εργαται δε εστιν αυτοις επικλησις , αθηνα τε εργανη και απολλων αγυιευς* . „ Paullum infra sunt dii cognomento Ergatae , „ figurae quadratae ; Minerva Ergane et Apollo „ Agyeus „ .

16 Lib. 10. cap. 5. pag. 809. Simulacrum Agyei, quem Delphi venerabantur, sive genium sive heroa , modo cum Apolline confusum , modo ab eo disjunctum, cernere mihi videor in tribus anaglyphis priscae artis , quae prostant in Villa Albania , alterum ab altero exiguo discrimine diversa . In iis enim exhiberi reor templum Pythicum cum diis ibi maxime colendis , et Iride dea , Jovis ministra ac internuncia. Templum est perpulcrum ordinis Corinthii , siquidem et architectus fuit Spintharus Corinthius. Pausan. lib. 10. cap. 5. pag. 811. In zoophoro ejus ficta est bigarum series citato cursu sese insequentium, Pythici certaminis argumentum ; nec multum ab aede distat platanus , qua sacer lucus indicari videtur cum fatidico fonte Cassotidis . Ibid. cap. 24. pag. 859. Memorat et Delphicam platanum, Agamemnonis manu satam , Plinius hist. natur. lib. 16. cap. 44. Praetenditur autem templo murus sive septum , quo major ejus pars absconditur ; et ante sunt columnae duae quadratae , quarum altera , quae procerior est , tripodem sustinet cum cortina , altera aliquanto humilior icunculam viri chlamydio tenus nudi dextraque tenentis pateram, quem Agyeum esse puto, utpote in via ante templi septum constitutum . Prope hanc columnam ara est rotunda , trium Horarum anaglypho decora : ex ea classe quas *αγυιεις βωμους* appellat Sophocles . In eo autem spatio, quod patet inter duas columnas ante septum , quatuor conspiciuntur figurae grandiores ad priscum artis modum exscalptae. Nempe Dianam atque Latonam praecedit Apollo habitu citharoedico , altera manu lyram pulsans , altera porrigens pateram , quam Iris alata dea , fere ut pingi solet Victoria , sinistra manu prehendit et una sustinet, dextera autem elata liquorem e vasculo desuper effundit in ipsam . Quo significari conjicio Delphica sacra ex coelestium decreto concessa Apollini cum sorore et matre ; atque totum typum referri ad templi illius consecrationem , et cultum eximium Apollinis apud Delphos . Est praeterea in eadem villa aliud anaglyphum tribus illis quae descripsi in omnibus simile , nisi quod platanus absit , et columna prope aram posita simulacro destituta ipsa sit Agyei genii symbolum. Caeterum quatuor ista anaglypha, quae et pulcritudine et argumenti novitate praecipuis vetustae artis reliquiis accenseri merentur, hactenus quod sciam non sunt edita : tres vero deos eodem fere habitu fictos sistit anaglyphum singularis ele-

hymno Boeus poetriae, quo traditur Pagasum et Agyea Hyperboreos condidisse oraculum Delphicum:

> ενθα τοι ευμνηστον χρηστηριον εκτελεσαντο
> παιδες υπερβορεων παγασος και διος αγυιευς.

„ Hic tibi clarum fama oraculum posuere filii Hyperboreorum, Pagasus et inclytus Agyeus „. Ut Graecis quidem solemne fuit ex quavis re et genios fingere et heroes.

Ratio autem cur columellas illas Dionyso deo adscripserint alii, ex figurae specie patet, quae in causa fuit, ut fastigiati quicunque stipites generationis crederentur symbola, et Dionyso ut plurimum Priapove consecrarentur. In foro autem si statuti erant, tribuebantur Mercurio sermonis deo, et omnis mutui intercursus praesidi: unde natus est Cylleniorum Mercurius, ac miro commento phallus in sermonis symbolum conversus. Nimirum ubi Graeci temporis decursu theologiam suam ordinaverunt, deosque sibi adsciverunt intellectuales, fastidire coeperunt vetera illa et inculta numina, saxa stipitesque: verum ne novare quid viderentur in religione, non censuerunt abolenda, sed nobiliorum deorum simulacra appellaverunt, arasve aut symbola: in singulis autem ad singulos deos referendis multum dissenserunt interpretes. Praeclarus hac de re exstat locus Herodoti, libri secundi caput quinquagesimum secundum et sequens, cujus sensum mutatis verbis brevius expressisse mihi videor. Quamquam vero anonymi fuerunt et informes primaevae Graeciae dii, in quorum locum adoptaverunt Aegyptia maxime numina, certis distinctisque appellationibus destituti, attributisque et characteribus, quibus alter ab altero dignoscerentur: tamen et informia simulacra quae colebantur, et inculta vagaque vocabula quibus appellabantur, multum valuere in subsequentis aevi superstitione.

Phales aut Phallus, cujus radix etiam nunc superest in Aegyptia lingua ac in Hebraica [17], quamcunque rem significat in altum porrectam; nec aliud fuit apud priscos Graecos deus ille quam procerus stipes sive cippus oblongus ad agrum tuendum aut forum designandum statutus. Sed ubi longe post inventa fuere Bacchi

---

gantiae quod publici juris fecit Winkelmannus in monum. inedit. tom. 1. pag. 1., adstituta quoque columna cum incuncula Agyei, qui, et hic non arcum manu tenet, sed pateram: deam autem quam Iridem existimo, exhibet anaglyphum ibidem tomo 2. fig. 23, ac celebris illa tabula in eadem villa quae quiescentis Herculis titulum inscriptum praefert.

[17] עלה *elatio. ascensus. quivis motus sursum directus*. Coptis ⲁⲗⲏⲓ *ascendere*. Inde φαλης, φαλος, φαλλος, et latinorum *palus*. Aegyptii enim antiquitus tres hasce litteras Π. Τ. Ν. tanquam pronunciationis adminiculum quibuscunque vocabulis singulas praefigere consueverunt: quae postea a grammaticis ita fuere ordinatae; ut Π esset nota nominis masculini, Τ nominis foeminini, Ν nominis pluralis et cujusvis vocis ab altera rectae. Eae autem litterae singulae saepe tanquam radicales occurrunt in initio vocum Graecarum Latinarumque ab Aegyptia lingua derivatarum, uti nos in vocibus ab Arabibus mutuo acceptis articulum *al* velut vocabuli partem retinere solemus; iisque ablatis vera radix agnoscitur. Graecis ἅλλειν, usitate ἅλλεσθαι significat saltu sese efferre, φαλος conus sive apex est, φαλαγξ lignum teres oblongum, φαλης deus Cylleniorum, *Pales* Etruscorum, *fala* turris, *falando* coelum, φαλληνον in oraculo apud Eusebium praepar. evang. lib. 5. cap. 36. pag. 233. *e teretri ligno factum*, ut recte vertit Vigerus. Lucianum ubi praealtas illas columnas ante Syriae deae fanum positas, phallos vocat et Dionysiacis phallis comparat, deceptum suspicor voce Syriaca, quae excelsas metas denotabat. Vide tractatum ejus de dea Syria §. 16. 28. opp. tom. 3. pag. 463. 474.

mysteria, et anceps illa fabula, quae, dum rite intellecta, transitum explicabat ab agresti primaevorum hominum victu ad mitiores cultarum gentium mores, insimulque rerum progressum a simplici principio ad variatas formas mystica ratione adumbrabat; dum prave, flagitia et obscoenitatem et effoeminatam mollitiem publica quadam ac religiosa auctoritate firmabat: tunc pro suo quilibet ingenio quaecunque aut figura aut nomine aliquam habere videbantur cum generandi organis affinitatem, eo trahebat. Tunc Phallum mystice coluerunt ac Trigonon, instituta sunt phallagogia et hymni ithyphallici, pectenque et conus ac pyramis venerationi fuerunt, atque in phylacteriis primas partes tenuit Fascinus [18]. Cuncta ista, secus ac hodie plerisque visum invenio, recentiora esse, suadent mihi incultarum gentium ritus, in quibus nil hujusmodi notatum reperio a peregrinatoribus [19]. Consentit Herodotus, qui post anonymosdeos Pelasgis adoratos, post deorum nomina ex Aegypto advecta, longo intervallo Dionysum et Phallum a Melampode Graeciae illatos docet [20]: *ἑλλησι γαρ δη μελαμπους εστι ὁ αμυθεωνος ὁ εξηγησαμενος του διονυσου το τε ουνομα και την θυσιην, και την πομπην του φαλλου. — εγω μεν νυν φημι μελαμποδα γενομενον ανδρα σοφον, μαντικην τε ἑωυτῳ συστησαι, και πυθομενον απ᾽ αιγυπτου, αλλα τε πολλα εσηγησασθαι ἑλλησι, και τα περι τον διονυσον, ολιγα αυτων παραλλαξαντα. — σχεδον δε και παντα τα ουνοματα των θεων εξ αιγυπτου εληλυθε ες την ἑλλαδα. — εθυον δε παντα προτερον ὁι πελασγοι θεοισι επευχομενοι, ὡς εγω εν δωδωνῃ οιδα ακουσας· επωνυμιην δ᾽ ουδ᾽ ουνομα εποιευντο ουδενι αυτεων· ου γαρ ακήκοεσαν κω. — επειτεν δε χρονου πολλου διεξελθοντος, επυθοντο εκ της αιγυπτου απικομενα τα ουνοματα των θεων των αλλων, διονυσου δε υστερον πολλῳ επυθοντο. — παρα δε πελασγων ἑλληνες εξεδεξαντο υστερον.* „ Melampus fuit, Amythaonis filius, qui Graecis Bacchi et nomen et „ sacrificium et pompam phalli interpretatus est. —— Ego quidem igitur Melam- „ podem virum fuisse sapientem ajo, artemque divinandi sibi comparasse: eun- „ dem ab Aegypto accepta cum alia multa Graecis enarrasse, tum vero illa de Bac- „ cho, pauca in iis mutantem. —— Ac omnia fere deorum nomina ex Aegypto in „ Graeciam venerunt. — Pelasgi a primo tempore sacrificabant diis vota facien- „ tes, quemadmodum ego apud Dodonam audiendo cognovi; nulli autem eorum „ cognomen neque nomen imponebant, quippe non audiverant uspiam. — Multo „ deinde progressu temporis aliorum deorum nomina resciverunt ex Aegypto adla- „ ta, multo autem postea nomen Bacchi intellexerunt. — Ea deinceps a Pelasgis „ Graeci exceperunt „. Haec si recte scripsit Herodotus, apud Aegyptios pariter Osiridis Phallique cultus multo quam reliquorum deorum recentior putandus est.

---

[18] Consule inter alios Diodorum bibl. lib. 1. cap. 22. 88. Aristophanem in Acharn. vers. 240. sqq. et schol. Porphyrium apud Euseb. praep. evang. lib. 3. c. 7. pag. 98. Clem. Alex. cohort. c. 2. pag. 19. Theodoret. Gr. affect. cur. lib. 3. pag. 521. lib. 7. pag. 583. S. Augustin. de civ. dei lib. 7. c. 21. 24. Suidam voce *φαλλοι*. Plinius nat. hist. lib. 28. cap. 4. „ Fascinus, inquit, impe- „ ratorum quoque, non solum infantium custos, „ qui deus inter sacra Romana a Vestalibus co- „ litur, et currus triumphantium sub his pen- „ dens defendit, medicus invidiae, jubetque „ eosdem respicere „.

[19] Consule auctores qui scripserunt de America et de australibus terris nuper detectis. Nam qui in Africa sunt barbari populi maxima ex parte advenis jam antiquitus ita permixti deprehenduntur, ut quae consuetudines ipsis sint propriae, haud facili negotio dignosci possit. Attamen qui apud eos vigent flagitiosi ritus, maxime apud Guidenses, a Graecorum orgiis toto coelo distant, ac quaedam tantum Bacchicorum mysteriorum prima germina continere videntur.

[20] Lib. 2. cap. 49. 50. 52.

Nam si tunc temporis exstitisset, quando deorum nomina in Graeciam translata fuerunt, non video qui fieri potuerit ut taceretur Osiris, quem Dionysum vocat Herodotus, suaque aetate prae reliquis diis in Aegypto cultum docet. Caeterum Bacchicam religionem lentos initio progressus fecisse in Graecia, inde arguitur, quod apud Homerum atque Hesiodum, quos Graecae theogoniae post Melampodem primos conditores agnoscit Herodotus, exigua tantum ejus leguntur indicia, phallicae autem superstitionis ne vestigium quidem.

Cylleniorum quoque Phales, quem cum Scytharum acinace et columba Assyriorum, diis a Graeco ritu alienis accenset Lucianus, ab origine non aliud fuisse videtur quam fori indicium, meta cum capitulo ad instar pineae nucis fastigiato, uti fuere circi metae et Etruscorum sepulcrorum cippi [21]. Sed postea, cum ex

---

[21] Inveniuntur et passim hujusmodi columnae marmoreae, in strobilum exeuntes, eleganter expolitae, striisque et foliis per scapum distinctae, quae a Romanis sepulcris videntur avulsae. Quinque autem columellae lapideae, in Etruscis sepulcretis agri Perusini repertae, et Thuscis litteris inscriptae, spectantur Velitris in museo Borgiano, ut eas nunc taceam quas luce donaverunt Bonarrotius, Gorius, et nuper cl. Lanzius. Maxima altitudo earum quas vidi est palmorum quatuor cum dimidio, minima palmorum duum et semissis; in his qua parte crassiores sunt diameter dodrantem efficit, in illis palmum circiter. Artificium rude est, ac litterae in poroso saxo lectu difficiles: caeterum teretes sunt columnae, in ima parte latiores quam infra capitulum, quod glandi assimilari possis vel pineae nuci glabrae, interdum foliis nonnullis nuci circumpositis. Eandem formam in Graecorum stelis sepulcralibus frequenter occurrisse, atque affinitatem illam quae est eam inter atque fascinum, jam a veteribus ad mysticas rationes fuisse traductam, tanquam vitae post mortem renovandae symbolum, Polymni seu Prosymni fabula mihi est indicio. Inter varias enim quae feruntur phallicae superstitionis origines una haec est: Dionysus, ajunt, cum inferos invisere vellet, sive ut matrem inde reduceret, sive ut cognosceret quae ibi sunt, viam autem ignoraret, Polymno pro descensu per Lernam sibi commostrato sui fruitionem pollicitus est, mercedem soluturus ubi reversus foret ab inferis. Descendit itaque Dionysus, Polymnus autem, utpote mortalis homo, aut in descensu periit, aut dei reditum in Lernaei lacus littore praestolaturus morte correptus est; quem cum Dionysus ab inferis rediens amplius non reperiret, ut defuncto etiam satisfaceret in tumulo fascinum collocavit, eique insedit. Inde Phallorum initia, quos vel de collo suspensos gestabant, vel manu circumferrent pro baculo, vel in oppidis agrisque subrigerent. Haec rei summa est, licet in fabula narranda non parum discrepent Clemens cohort. ad gent. n. 2. pag. 29. Arnobius adv. gent. lib. 5. pag. 77. S. Gregorius Nazianz. carmine 61. vers. 276. et orat. steliteutica secunda pag. 127. commentator hujus Nonnus num. 37. Hyginus astron. poet. cap. 5. Eudocia violar. pag. 412. Tzetzes ad Lycophr. vers. 212. Praesertim in herois nomine magna dissensio, quem alii Prosymnum dicunt, alii Polysymnum, nonnulli Polyhypnum vel Hypolipnum. Neque habetur apud auctorem Clemente Alexandrino antiquiorem: nam Arnobius qui iisdem fere ac ille verbis recitat, atque hic ut alibi eum exscripsit, dum vadem sistit Heraclitum, ac mythum in Alimontiis Atticorum mysteriis traditum ait, tria a Clemente distincte prolata in unum conflavit. Polymnus, aeolice Polysymnus, quod idem est ac Polyhypnus, minus recte Prosymnus dictus a Prosymna Argivorum oppido, ad Argolicas fabulas spectat et mysteria Lernaea: quod ex Hygino patet, atque e Pausania. Hic lib. 2. c. 37. pag. 200. Argivos narrare ait, quod Dionysus Semelem ex Hade reducturus per Alcyonium lacum, qui in Lernae regione est, immensae profunditatis, pervenerit ad Haden, Polymnus autem descensum ei ostenderit: *ειδον δε και πηγην αμφιαραου καλουμενην, και την αλκυωνιαν λιμνην, δι' ἧς φασιν αργειοι διονυσον εις τον ᾅδην ελθειν, σεμελην αναξοντα· την δε ταυτῃ καθοδον δειξαι οἱ πολυμνον. τῃ δε αλκυωνιᾳ περας του βαθους ουκ εστιν*. Reliqua aut ignoravit aut tacenda ratus est. Subjungit enim: *τα δε ες αυτην διονυσῳ δρωμενα εν νυκτι κατ' ετος ἑκαστον ουχ ὁσιον ες ἁπαντας ην μοι γραψαι.* „ Quae vero ad illum lacum quotannis Dionyso fiunt nocturna sacra, ea mihi nefas putavi scribendo in vulgus efferre „. Suspicor equidem in Lernaeis sacris repraesentatam fuisse caedem Dionysi, a Perseo occisi, juxta vetustam Argivorum traditionem, quam e Dinarcho poeta prodiderunt Eusebius in chronico ad ann. 713. S. Athanasius orat. contra gent. num. 12. S. Cyrillus adv. Julian. lib. 1. pag. 11. Syncellus

communi Graecorum persuasione fori tutela Mercurio esset commendata, Phaletem quoque retulerunt ad Mercurium, atque argute disputarunt, cur deus sermonis praeses sub phalli figura coleretur a Cylleniis. Lucianus in Jove Tragoedo [22]: πολλη γαρ ἡ ταραχη, και αλλοι αλλα νομιζουσι, σκυθαι μεν ακινακη θυοντες, και θρακες ζαμολξιδι δραπετη ανθρωπῳ εκ σαμου ὡς αυτους ἡκοντι, φρυγες δε μηνῃ, και αιθιοπες ἡμερᾳ, και κυλληνιοι φαλητι, και ασσυριοι περιστερᾳ, και περσαι πυρι, και αιγυπτιοι υδατι. „ Multa enim confusio est, et alii alia sanxerunt: Scy- „ thae sacrificantes acinaci, et Zamolxidi Thraces, qui fugitivus e Samo ad illos „ venit; Phryges autem Menae, et Diei Aethiopes; et Cyllenii Phaleti, et As- „ syrii columbae; et Persae igni, et aquae Aegyptii „. Quem hic Lucianus proprio suo nomine Phaletem appellat, Mercurium creditum fuisse docet Pausanias Eliacorum secundo [23]: εν κυλληνῃ του ἑρμου το αγαλμα, ὁν. οἱ ταυτῃ περισσως σεβουσιν, ορθον εστιν αιδοιον επι του βαθρου. „ In Cyllene Mercurii signum, „ qem impense venerantur eorum finium incolae, arrectus est super basi fascinus„. Artemidorus autem onirocritici libro primo [24] rationem simulacri explicat: εοικε το αιδοιον λογῳ και παιδειᾳ, ὡς το ἡγεμονικωτατον παντων· γονιμον δε εστιν ὡσπερ και ο λογος. ειδον δε και εν κυλληνῃ γενομενος ἑρμου αγαλμα, ουδεν αλλο η αιδοιον δεδημιουργημενον λογῳ τινι φυσικῳ. „ Pudendum simile est orationi et disci- „ plinae, velut principalissimum omnium membrorum. Est autem foecundum velut „ item oratio et sermo. Et sane cum aliquando in Cyllene essem Mercurii statuam „ vidi nihil aliud quam pudendum naturali quadam ratione fabrefactum „. Phaleti cognatus videtur Etruscorum Pales, unus ex Penatibus et Jovis minister, quem postea pascuorum deam vocaverunt Romani, insimulque Ves tam putarunt, et Urbem die ei consecrato conditam crediderunt. Arnobius adversus gentes libro tertio [25]: „ Caesius disciplinas Etruscas sequens Penates Fortunam arbitratur et „ Cererem, Genium Jovialem ac Palem, sed non illam foeminam, quam vulga- „ ritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis ac villicum „.

---

chronogr. pag. 162. Hanc ante oculos habuisse videtur Herodotus, cui Bacchus Osiris est; ac Melampodem, qui primus Dionysiaca sacra ex Aegypto allata ordinavit, in Alcyonio lacu easdem caerimonias instituisse opinor, quae Sai noctu celebrabantur in lacu orbiculari prope sepulcrum Osiridis. Herod. lib.2. cap. 170. supra pag. 3. Belli quoque Perseum inter ac Dionysum, victoriaeque qua potitus erat Perseus, passim ostendebantur vestigia in Argolide. Vide Pausaniam lib.2. cap.20. 22. 23. et confer Nonnum Dionysiacorum lib. 47. vers. 475. sqq. At dei caedem extra mysteria pronunciare veriti videntur Graeci, remque ita explicavere, quod ad matrem reducendam in orcum descenderit, viae duce usus Polymno, cujus nomen ab ὑμνῶ derivatum, mortis genium subinnuit. Postea, quod a Graecis sexcenties factum reperio, e genio finxerunt heroem, qui in Lernea palude periit: ac phallorum originem a sepulcro ejus repetierunt, quoniam moris fuit in sepulcris ponere cippos coniformes.

[22] §. 42. opp. tom. 2. pag. 690. Miror Gesnerum, virum doctissimum, a quo reliquam versionem mutuatus sum, φαλητος vocabulum reddidisse *Phanetem*, atque in notis scribere: „ Quid sit Phales, cui sacra faciant Cyllenii, „ equidem non dixerim, et gratiam habebo, „ qui docuerit. Interim dedi Phanetem notum „ ex Orphicis „. Quemadmodum et Soulius eodem loco adnotat: „ Phales quis sit nescio„. Mihi sane Pausanias et Artemidorus satis clare indicare videntur, quem deum coluerint Cyllenii.

[23] Lib. 6, cap. 26. pag. 519.

[24] Cap. 47.

[25] Pag. 54. Consentit Servius ad Aen. lib. 2. vers. 326. „ Tusci Penates Cererem, Palem, „ Fortunam dicunt „: et ad Georg. lib. 3. vers. 1. „ Pales est dea pabuli, quam alii Vestam, alii „ Matrem deûm volunt. Hanc autem Virgilius „ genere foeminino appellat; alii, inter quos „ Varro, masculino „. De reliquo vide Ovidium fastorum lib. 4. vers. 721. sqq.

Pharensibus autem in Achaia Phaletis loco in foro positus fuit lapis quadratus cum humano capite barbato, quem et ipsi Mercurium appellabant. Pausanias in Achaicis [26]: περιβολος δε αγορας μεγας κατα τροπον τον αρχαιοτερον εστιν εν φαραις· ἑρμης τε εν μεση τη αγορᾳ, λιθου πεποιημενον αγαλμα, εχων και γενεια· ἑστηκως δε προς αυτη γῃ, παρεχεται μεν το τετραγωνον σχημα, μεγεθει δε εστιν ου μεγας. — καλειται μεν δη αγοραιος. παρα δε αυτῳ και χρηστηριον καθεστηκε. κειται δε προ του αγαλματος ἑστια, λιθου και αυτη· μολιβδῳ δε προς την ἑστιαν προσεχοντες λυχνοι χαλκοι. — ἑστηκασι δε εγγυτατα του αγαλματος τετραγωνοι λιθοι τριακοντα μαλιστα αριθμον. τουτους σεβουσιν οἱ φαρεις ἑκαστῳ θεου τινος ονομα επιλεγοντες. τα δε ετι παλαιοτερα, και τοις πασιν ἑλλησι τιμας θεων αντι αγαλματων ειχον αργοι λιθοι. „ Pharis forum est magno septo „ prisco more aedificato circumdatum; inque medio foro barbatus Mercurius est „ e lapide factus, qui nudo solo impositus quadratam speciem prae se fert, modica magnitudine. —— Cognomen ei est Agoraeo sive Forensi, estque ipsi „ oraculum conditum. Adjacet simulacro focus, pariter e lapide, cui impositae „ sunt lucernae aeneae plumbo ferruminatae. —— Prope etiam adstituti sunt la„ pides quadrati, triginta fere numero, quos venerantur Pharenses, singulos „ dei alicujus nomine appellantes. Sed vetustiore adhuc tempore apud omnes „ quoque Graecos, deorum honores pro simulacris tribuebantur rudibus lapidi„ bus „.

Scilicet saxis nulla omnino arte dolatis, quae apud Graecos fuerunt inter vetustissima numina, successerunt quadrati trunci, addito mox humano capite et sexus indicio; quem morem in simulacris prae reliquis Graecis servaverunt Arcades, veterum consuetudinum studiosi. Pausanias in Arcadicis [27]: πεποιηται εν τῃ τεγεατων αγορᾳ διος τελειου βωμος και αγαλμα τετραγωνον. περισσως γαρ δη τι τῳ σχηματι τουτῳ φαινονται μοι χαιρειν οἱ αρκαδες. „ Est apud Tegeatas in foro ara „ Jovis Adulti cum signo quadrangulo. Praecipue enim hac forma delectari mihi „ videntur Arcades „. Apud Atticos autem celebratos invenimus ακωλους ερμας, *truncos Mercurios*, quos ipsi primi instituisse gloriabantur, atriorum, viarum, gymnasii, fori, portarum sepulcrorumque et templorum custodes. Idem auctor in Atticis [28]; αθηναιοις περισσοτερον τι η τοις αλλοις ες τα θεια εστι σπουδης. πρωτοι μεν γαρ αθηναν επωνομασαν εργανην, πρωτοι δ' ακωλους ἑρμας. „ Athenienses deorum colendorum studio caeteros longe antecellunt: primi enim Minervam opificem appellare instituerunt, primi truncos Mercurios „. Atque in Messenicis [29]: ιοντι

---

26 Lib. 7. cap. 22. pag. 579.

27 Lib. 8. cap. 48. pag. 698. Ibidem cap. 35. pag. 671. apud Tricolonenses notat simulacrum Neptuni quadratum: et cap. 31. 32. pag. 665. 666. recenset Megalopoli exstantia simulacra Mercurii, Apollinis, Minervae, Neptuni, Solis Soteris, Herculis, Minervae Erganes, Apollinis Agyei et Ammonis, quadratis Hermis similia, κατα τους ἑρμας τους τετραγωνους τεχνην. Sed et extra Arcadiam vidit hujusmodi signa, aut toto trunco quadrato uti Athenis celebre illud Uraniae Veneris in Hortis, opus Alcamenis, lib. 1. cap. 19. pag. 44. aut a lumbis in quadratam formam desinentia, ut Venus Deliaca, quam Daedali opus dicebant, lib. 9. cap. 40. p. 793. et Mercurius apud Phigalenses, lib. 8. cap. 39. pag. 681. Diana quoque et Hercules apud Sicyonios lib. 2. cap. 10. pag 135.

28 Lib. 1. cap. 24. pag. 56.

29 Lib. 4. cap. 33. p. 361. Sic quoque Thucydides histor. lib. 6. cap. 27. de Hermis sub initium expeditionis Siculae mutilatis ait: ὁσοι ἑρμαι ησαν λιθινοι εν τῃ πολει τῃ αθηναιων, εισι δε κατα το επιχωριον, ἡ τετραγωνος εργασια, πολλοι και εν ιδιοις προθυροις και εν ἱεροις, μιᾳ νυκτι οἱ πλειστοι περιεκοπησαν τα προσωπα. „ Lapideis Hermis, quotquot Athenis erant, ritu autem patrio multi erant in atriis cum privatarum tum

δε εξ ιθωμης την απ' αρκαδιας ες μεγαλην πολιν, εστιν εν ταις πυλαις ἑρμης τεχνης της αττικης. αθηναιων γαρ το σχημα το τετραγωνον εστιν επι τοις ἑρμαις, και παρα τουτων μεμαθηκασιν οἱ αλλοι. „ Qua ex Ithome, via Arcadica, Megalopolin „ itur, in ipsa porta Mercurii signum est, Attici operis. Primi enim Athenien„ ses quadrata figura fecerunt Mercurios, et ab iis didicerunt reliqui „.

Quoscumque enim lapides, locorum signa et custodes, in confinibus, viis atriisve positos, Mercurio tanquam communi omnium locorum custodi, deoque omnibus communi et praesenti, sacros putaverunt: ideoque postquam lapidem in statuam convertere placuit, Mercurium ea repraesentandum credidere. At prisci homines in illa artium infantia quandam humani vultus pectorisque similitudinem et sexus notam expressisse contenti, reliquum truncum siverunt informem: quemadmodum et barbaras gentes in America inque australibus terris, quae nuper innotuerunt, in statuis fingendis a capite humerisque incipere videmus, reliqua negligere [30]. Quod et de Graecis jam advertit Themistius oratione vicesima sexta [31]: *και προ μεν δαιδαλου τετραγωνος ην ου μονον ἡ των ἑρμων εργασια, αλλα και των λοιπων ανδριαντων.* „ Et ante Daedalum quidem, quadrata figura non modo Mer„ curii, sed reliqua etiam simulacra fingebantur „. Sed post excultas quoque artes compendii gratia et simplicitatis aliquo vetustatisque amore, in platearibus maxime Mercuriis antiquam formam retinuere, ac Hermarum nomen specialiter tribuerunt quadratis Mercurii statuis. Atque ut eorum comparatum erat ingenium, quae a primaeva ruditate derivata fuerant, ad majorum sapientiam retulerunt, quo factum ut quadrati trunci, veretrique et capitis membris destituti interpretationes satis lepidae occurrant apud veteres scriptores [32].

„ sacrarum aedium, quadrati operis, una ea„ demque nocte plerisque vultus recisus fuit „. Ubi notat scholiastes Hermacopidas illos recidisse statuis collum et genitalia. Alios vero auctores si quaeris qui Hermas apud Athenienses ante fores positos memorent, adi Plutarchum in *Alcibiade* cap. 21. opp. tom. 1. pag. 200. Diog. Laertium lib. 4. segm. 8. et quos citat Everardus Otto libro de tutela viarum pag. *165. 166.* Nimirum quod apud Dorienses erant Agyei, apud Atticos fuerunt Hermae. Unde Clemens cohortat. cap. 4. pag. 42. *ἑρμην προσεκυνουν ὡς θεον, και τον αγυιεα, θυρωρους ἱσταντες.* „ Adorabant Mer„ curium quasi deum, sicut et Agyea, et simul ja„ nitorum loco collocabant „. (legendum enim esse *θυρωρους*, non *θυρωρον*, ex sequentibus patet.) Fuit et Athenis porticus ab Hermis dicta *ἡ των ἑρμων στοα*, Aeschines orat. in Ctesiphont. pag. 80. Harpocrat. v. *ἑρμαι*: atque ab Hermarum sculpendorum frequentia statuariorum officinae Athenis dictae videntur *ἑρμογλυφεια*, Plato in *convivio* opp. tom. 3. pag. 215.; quemadmodum et Lucianus in *somnio* §. 2. 7. opp. tom. 1. p. 4. 9. indiscriminatim utitur vocabulis *ἑρμογλυφος* et *λιθογλυφος*. Inde forsan illud Tzetzis chil. 12. v. 593: *ἑρμης συμπας ανδριας.* „ Hermes est om„ nis statua „. De Hermis ab Hipparcho statutis in viis, quae ab Athenarum oppido ad pagos ducebant, cum brevi lemmate singulis inscripto, vide Platonem in *Hipparcho* opp. tom. 2. pag. 228. sqq.

[30] Consule de Virginiensibus Joannis With *ritus incolarum Virginiae* num. 18. 20. in Theod. de Bry *America* tom. 1. De Nutkensibus in California Jacobi Cook iter tertium lib. 4. cap. 3. vers. Gall. in 4. tom. 3. pag. 81. De australium insularum indigenis idem iter lib. 2. cap. 8. tom. 1. pag. 390. et Forsterum itineris lib. 1. cap. 14. lib. 2. cap. 7. in *Troppauische samlung von reisebeschr.* tom. 12. pag. 560. tom. 14. pag. 258. Idem de Lapponibus et Ostiacis tradunt Schefferus *Lapponiae* cap. 10. pag. 104. — 108. et Muller *moeurs des Ostiakes* in *recueil de voyages au Nord* tom. 8. pag. 410. 418.

[31] Pag. 316. edit. Harduin.

[32] Phurnutus de natura deorum cap. 16.: *πλαττεται ὁ ἑρμης και αχειρ και απους και τετραγωνος τῳ σχηματι· τετραγωνος μεν τῳ το ἑδραιον τε και ασφαλες εχειν, ὡστε και τας πτωσεις αυτου βασιν ειναι· αχειρ δε και απους, επει ουτε ποδων ουτε χειρων δειται προς το ανυειν το προκειμενον αυτῳ. οἱ δε αρχαιοι τους μεν πρεσβυτερους και γενειωντας των ἑρμων ορθα εποιουν τα αιδοια εχοντας, τους δε νεωτερους και αγενειους ανειμενα· παριστωντες, ὁτι*

Saepe et bifrontes finxerunt Hermas, eos reor maxime, qui in agrorum terminis positi aeque ad unum spectabant atque ad alterum. Nam Terminorum vice

---

εν τοις προβεβηκοσι τη ἡλικιᾳ γονιμος ὁ λογος και τελειος εστι, ὁς δη και τυχων τῳ οντι εστι, τυγχανων ὡν αν προσθηται· εν δε τοις αωροις αγονος και ατελης. „ Fingitur Mercurius sine manibus et sine pedibus et quadrata specie. Quadratus quidem propterea quod natura ejus stabilis est et solida, quo fit ut cadendo etiam basin habeat. Sine manibus autem pedibusque, quoniam ad ea quae sui officii sunt, nec manuum nec pedum ope indiget. Veteres praeterea senibus et barbatis Mercuriis arrectum fecerunt veretrum, junioribus vero imberbibusque demissum, innuentes quod apud aetate provectos sermo est foecundus et perfectus, utpote qui vere dicitur *τυχων* (epithetum Mercurio et Priapo commune. V. Hesychium) quasi *τυγχανων* (attingens) quaecumque sibi proposuerit; apud immaturos autem sterilis et imperfectus „. Confer Suidam voce *ἑρμων*, et Plutarchum in tractatu *an seni sit gerenda resp.* opp. t. *9*. p. 184. Prorsus insulsa sunt quae de Mercurii dei mutilatione affert Servius ad Aen. lib. *8*. vers. 138. Macrobius autem, cui Sol omnia est, Saturn. lib. 1. cap. 19. inquit: „ Pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita et virilibus erectis. Quae figura significat, Solem mundi esse caput et rerum satorem, omnemque vim ejus non in quodam divisorum ministerio membrorum sed in sola mente consistere, cujus sedes in capite est. Quatuor latera — vel totidem plagas mundi significant, vel quatuor vices temporum quibus annus includitur, *rel.* „ Sunt et hodie viri docti qui Macrobii sententiam ex parte saltem amplexantur, in quibus Guasco in libro perutili *de l' usage des statues* pag. 30. 32. sed longo plures esse puto qui nobiscum secuti Winkelmannum in artis historia lib. 1. cap. 1. §. 11. 12. Hermarum institutum a primaevae artis inscitia repetant, quos initio deformes et rudes, ut sunt ferarum gentium opera, postea ad certam normam sculpere coeperunt Athenienses. Inde et antae illae quadratae, quae, fere ut manus in Ephesiae Dianae statuis, recta porriguntur a lateribus, quasque Hermarum manus, *χειρας ἑρμου τετραγωνου* appellat Pollux, onomast. lib. 7. cap. 16. segm. 73. Neque aliunde quam a primaevorum simulacrorum deformitate profectum reor, quod truncos Mercurios erectis virilibus fingere coeperint Graeci, quae obscoenitas in integris hujus dei signis, etiam ubi barbatus occurrit, nunquam conspicitur; in truncis autem una cum barba omissa fuit, postquam in diis fingendis elegantiae studere coeptum est, et singulis suum tribuere characterem atque habitum. Attamen Mercurios ithyphallicos jam mature ad mysticas rationes traductos fuisse, patet ex Herodoto lib. 2. cap. 51.: *του δε ἑρμεω τα αγαλματα ορθα εχειν τα αιδοια ποιευντες, ουκ απ' αιγυπτιων μεμαθηκασι, αλλ' απο πελασγων, πρωτοι μεν ἑλληνων ἁπαντων αθηναιοι παραλαβοντες, παρα δε τουτων ὡλλοι. αθηναιοισι γαρ ηδη τηνικαυτα ες ἑλληνας τελεουσι πελασγοι συνοικοι εγενοντο εν τη χωρῃ, ὁθεν περ και ἑλληνες ηρξαντο νομισθηναι. ὁστις δε τα καβειρων οργια μεμυηται, τα σαμοθρηικες επιτελεουσι παραλαβοντες παρα πελασγων, ὁυτος ὡνηρ οιδε το λεγω. — ὁι δε πελασγοι ἱρον τινα λογον περι αυτου ελεξαν, τα εν τοισι εν σαμοθρηικῃ μυστηριοισι δεδηλωται.* „ Sed ut Mercurii statuas facerent erectis cum veretris, non ab Aegyptiis, sed a Pelasgis didicerunt, primi ex omnibus Graecis Athenienses, et ab his alii. Nam cum Atheniensibus jam tunc inter Graecos descriptis regionem incoluerunt Pelasgi, unde etiam pro Graecis haberi coeperunt. Quicunque autem Cabirorum sacris initiatus est, quae Samothraces peragunt a Pelasgis accepta, novit quae dico. —— Pelasgi enim hac de re sacrum quendam sermonem tradiderunt, qui in Samothraciae mysteriis declaratur „. Cui sententiae licet nullus, quod sciam, vetus auctor subscripserit, Herodotus autem non Atheniensium traditionem expresserit, sed suam tantum conjecturam: tamen ad Graecorum theologiam, et quae arctissime cum ea cohaeret, Aegyptiorum pernoscendam, non parvi momenti reor inquirere, qui fuerit sacer ille mythus quem de Mercurio tradiderunt Pelasgi. Eum autem invenisse mihi videor apud Ciceronem lib. 2. de natura deorum, cap. 22. qui varios recensens hujus nominis deos „ Mercurius, ait, unus Coelo patre, die matre natus; cujus obscoenius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinae commotus sit „. Eodem collimant quae ad Lycophronis Alexandram vers. *698*.: *οβριμους τ' αλσος ουδαιας κορας*, annotat Tzetzes *βριμω και οβριμω ἡ περσεφονη, ὁτι τῳ ἑρμῃ βιαζοντι αυτην εν κυνηγεσιῳ ενεβριμησατο, και ὁυτως εκεινος επαυθη του εγχειρηματος.* „ Brimo et Obrimo Proserpina est, inde dicta, quod Mercurio, qui in venatu eam comprimere aggressus est, *ενεβριμησατο* i. e. cum ira infremuit, quo factum ut ille coepto destiterit „. Quibus consona leguntur in Etymologico magno voce *βριμω*: *ἡ φερσεφονη ἡ και ἑκατη. κ. τ. λ.* Re-

functos esse Hermas discimus a Pausania in Corinthiacis : *ανατεινει δε υπερ τας κωμας ορος παρνων , και λακεδαιμονιων επ᾽ αυτου προς αργειους ὁροι και τεγεατας εισιν . ἑστηκασι δε επι τοις ὁροις ἑρμαι λιθου , και του χωριου το ονομα (ἑρμαι)* . „ Supra pagos illos Parno mons est , in quo sunt termini finium inter Lacedaemo- „ nios , Argivos et Tegeatas . Erecti autem sunt in confinibus Hermae lapidei , a „ quibus loco nomen „ [33] . Tricipites autem eos fecerunt qui in compitis tres

---

cte advertit Etymologus Proserpinam eandem esse ac Hecaten , quemadmodum et Brimus vocabulum de Hecate usurpat Apollonius Argonaut. lib. 3. vers. 860. et vers. 1210. *βριμω κικλησκων ἑκατην* : ipsi quoque Lycophroni vers. 1175. *βριμω τριμορφος* est *παρθενος περσεως* sive Hecate. Priori autem loco omnino de Proserpina erat interpretandum : sermo enim est de luco Proserpinae , noto ex Odyss. K. vers. 509. Scilicet apud veteres scriptores Proserpina , Hecate , Diana modo pro eadem dea accipiuntur , modo distinguuntur , siquidem ista nomina ab initio non aliud quam Lunam denotarunt , sub vario aspectu cogitatam . Ideoque et fabulam illam Mercurii et Proserpinae de lunae defectione interpretandam reor , et Mercurium accipiendum pro Sirio , qui Aegyptiis Lunae comes dicitur . Hic cum virginis deae amore incensus , quae ut venatrix aliqua aëreos campos oberrat , violare eam tentasset , ipsa candidum vultum convertit in atrum , donec ille terrore perculsus desisteret . Neque me turbat , quod Hermas Atticorum Aegyptiae originis esse neget Herodotus : qui sane inter Aegyptia simulacra nec quadratos Hermas viderat , nec Mercurium Priapeum ; obscuriores autem illos mythos qui apud eos ferebantur , ignoraſſe ex multis indiciis intelligitur . At vero Pelasgos a quibus Samothracia mysteria instituta docet , ipse lib. 2. cap. 52. Aegyptiorum discipulos asserit ; et lib. 3. c. 37. docet , Cabirorum , quos Samothraciae religionis argumentum fuisse omnes consentiunt , sanctissimum adytum Memphi exstitisse . Idemque colligitur e Samothracum deorum nominibus , quae servavit nobis scholiastes Apollonii ad Argon. lib. 1. vers. 915. , originis plane Aegyptiae . Sunt enim magni illi dii et potentes , de quibus prae reliquis consulendus Varro de ling. lat. lib. 4. cap. 10. , *αξιερος* , *αξιοκερσος* , *αξιοκερσα* , Aegyptiis ⲁϣⲁⲓ-ⲓⲣⲓ magnipotens , ⲁϣⲁⲓ-ϫⲣⲟϫ magnus foecundator , ⲁϣⲁⲓ-ϫⲣⲟϫⲓ magna genitrix ; sive demiurgus , coelum et terra , quorum progenies elementa , e quibus porro astra nata . Inter reliquos Uranus e filia Hemera suscepit Sirium , quem magnis dis ministrum adjunxerunt Samothraces , *κασμιλον* appellantes , ab Aegyptio ⲕⲁϯ-ⲙⲏⲓ , quod perfecte sapientem significat , consiliarium , ministrum deorum . Quo nomine eam ab causam Sirium vocaverunt , quod ipsis esset crescentis Nili praecursor et administer , a cujus ortu praesagia capiebant de instantis anni ubertate . Confer quae superius annotavimus pag. 166. not. 5. Eundem Anubidem etiam dixere , et finxerunt cum capite canino , tum propter animantis sagacitatem , tum propter sympathiam , quam cum luna ei tribuere solent homines ; postea confuderunt cum Thoth , sapientiae genio , quo factum ut canes et cebi ad Thothum quoque referrentur , atque in Graeco Mercurio alia a Thotho derivata reperiantur , alia ab Anubide . Inde nexus ille Dianam inter ac Mercurium , quem hoc loco pluribus exsequi longius foret quam pro notae instituto. Adi Plutarchum de Iside p. 449. opp. tom. 2. p. 367. eundem de facie in orbe lunae opp. to. 2. p. 710. Tzetzen ad Lycophr. vers. 680. Quo et trahendum videtur , quod Pausan. lib. 1. c. 38. pag. 93. Eleusin genitum ait e Mercurio et Daira .

[33] Lib. 2. cap. 38. pag. 202. Sylburgium secutus scripsi *παρνων* pro *παρ᾽ ὁ* . Hermulas inter limitum signa recenset Julius Frontinus libro de coloniis , apud Goesium inter rei agrar. script. pag. 142. Ins epulcris poni consuevisse Hermas constat e Cicerone de legibus lib. 2. c. 26. ubi advertit Athenis lege prohibitum fuisse „ Hermas hos , quos vocant , imponi sepulcro „ . Exemplum habes apud Pausaniam lib. 10. cap. 12. pag. 827. In foris stare consuevisse praeter alios , auctores sunt Mnesicharmus apud Athenaeum lib. 9. cap. 15. pag. 402. et Philostratus in vita Apollonii , supra adductus pag. 47. Ad portam positum memorat Harpocration , v. *ἑρμης* et v. *προς τη πυλιδι* . In gymnasiis autem , palaestris , et circis stetisse Hermas , nonnunquam ad instar Caryatidum arcus sustinentes , tum e scriptoribus tum e monumentis abunde notum est . Lapidei fuerunt ut plurimum , saltem Attici illi Hermae sub divo statuti ; nec satis accurate scripsisse videtur Ulpianus ad orat. Demosthenis contra Leptinen pag. 590. : *ὁι ἑρμαι ξυλα η λιθοι τετραγωνοι ησαν , εχοντες οψιν ἑρμου επανω , κατω δε εν τω πλατει τα επιγραμματα* . „ Hermae erant ligna vel lapides quadra- „ ti , quibus summo loco erat vultus Mercurii , „ inferius in plano corpore inscriptiones „ . Thucydides loc. cit. non nisi lapideos memorat ;

vias prospiciebant, quae et triformis Hecates prima videtur origo. De his Harpocration voce τρικεφαλος: ὁ ἑρμης, ὡσπερ διδασκων τας ὁδους, και εχων υπογραφην, που μεν ἀυτη φερει ἡ ὁδος, που δε εκεινη. ισως δε προς ἑκαστην ὁδον κεφαλην ειχεν. εστι δε ὁ αναθεις τον τρικεφαλον ἑρμην, ὡς φιλοχορος φησιν εν τριτη, πατροκλειδης ἱππαρχου εραστης. ισαιος εν τῳ προς ευκλειδην· " μικρον δ' ανω του τρικεφαλου παρα την ἑστιαν ὁδον". το πληρες εστι του τρικεφαλου ἑρμου. „ Triceps intelligitur Hermes, utpote vias monstrans, et infra scriptum habens, „ quonam haec via et quonam illa ducat. Scilicet ad unamquamque viam faciem „ conversam habuisse videtur. Qui autem dedicavit Hermen illum tricipitem in „ via Vesta, cujus meminit Isaeus, Patroclides est amator Hipparchi, ut Philo- „ chorus refert libro tertio „ [34]. Bicipites autem Hermas memorat Lucianus in Jove Tragoedo [35], oraculum deridens quod a Pythio Apollini datum fuerat Croeso: ακριβως αμφηκης ην και διπροσωπος, ὁιοι εισι των ἑρμων ενιοι, διττοι, και αμφοτερωθεν ὁμοιοι, και προς ὁποτερον αν αυτων μερος επιστραφησῃ. „ Exacte anceps „ erat et bifrons: quales sunt Hermae quidam, duplices et utrinque similes, ad „ utramlibet eorum partem te convertas „. Tres hujusmodi statuae quadratae, exacte ancipites, vultu senili coma barbaque prolixis ac prisco more compositis, quas

---

lignei autem si adfuissent, non video cur eis pepercerint Hermacopidae. E ligno factos Mercurios, ἑρμας ξυλου affert Pausanias lib. 1.cap.27. pag. 63. lib. 8. cap. 31. pag. 665. Sed hi intra templa positi erant. De Hermis penthelicis cum capitibus aeneis notissimus locus est apud Ciceronem ad Atticum lib. 1. epist. 8.

[34] Suspicor nonnulla transposita esse in libris Harpocrationis: atque illa ισαιος — ἑρμου collocanda post που δε εκεινη. Caeterum confer Etymol. magn. voce τρικεφαλος, Hesych. voce ἑρμης τρικεφαλος, Eudocia.n pag. 157. Aliter Tzetzes ad Lycophronis versum 680.

ιωνακριτης τρικεφαλος φαιδρος θεος·

„ Nonacrites triceps pulcher deus „ τρικεφαλος ὁτι ουρανιος και θαλασσιος και επιγειος η δια το φυσικον και ηθικον και λογικον· και ὁτι εκ της ἑκατης εσχεν τρεις θυγατερας. „ Triceps dicitur „ Mercurius quia caelestis est, et marinus ac „ terrestris; vel propter physicam doctrinam, „ ethicam et logicam; et quoniam ex Hecate „ tres filias suscepit „.

[35] §. 43. opp. tom. 2. pag. 691.; ubi de bifrontium Hermarum significatione pro more nugatur scholiastes. Adde S. Gregor. Nazianzenum carmine 61, quod est ad Nemesium, vers. 134., sed qui inter duplices Hermas eos respexisse videtur, quorum duae facies duos deos referrent ab invicem distinctos, dum iis comparat gentilium poetarum carmina, quae sub fabularum cortice saniores doctrinas tradere credebantur:

αυτοις δ' αυ νοος εστιν υφειμενος ειδεϊ μαχλῳ
σεμνοτερος, πινυτοισιν ὁρωμενος, αμφιπροσωπος,
ἑρμας διγλυφος ὁια προσω το μεν αλλο δ' οπισθεν.

„ At vero ipsis sub forma petulanti mens subest „ honestior, sapientibus perspicienda, bifrons „ velut Hermes, duplici sculptura aliud ante „ monstrans aliud a tergo „. A geminis enim Hermis eodem vultu utrinque insculptis initium cepisse videntur Hermathenae, Hermeraclae et Hermerotes, quorum vocabula adhibita a Cicerone ad Atticum lib. 1. epist.4. et 10., atque a Plinio lib. 36. cap. 5., licet Graeca, apud Graecos scriptores non legi, docte advertit cl. Viscontius Musei Pio-Clementini tom. 6. pag. 21. Iis enim intelligi bicipites truncos probabile mihi fit e verbis Ciceronis, qui in Hermathena et Hermen et Minervam praesentes sibi fingit. Etiam epigramma Leonidae Tarentini apud Brunckium analect. tom. 1. pag. 227. num. 29.

ω πανδε στειχοντες αταρπιτον, αιτε ποτ' αγρους
δαμοθεν, αιτ' απ' αγρων νεισθε ποτ' ακροπολιν·
αμμες ὁρων φυλακες, διστοι θεοι, ὡν ὁ μεν ἑρμας,
ὁιον ὁρῃς μ', ὁυτος δ' ἁτερος ἡρακλεης.

„ Viatores qui via hac vel ex urbe in agrum pergitis, vel ex agro in urbem reditis: nos bini „ dii sumus terminorum custodes, ego quidem „ qualem cernis, Mercurius, hic alter vero „ Hercules „: non aptius intelligi posse videtur, quam de Herme, cujus altera facies Herculem referebat. Quibus vero magis arridet Mazochii opinio, hermae vocabulum ad truncum spectare, praemissum dei nomen ad caput, Hermerotem habent, unicum quem memini, in sigillo aeneo musei Borgiani, quadrata specie, cum capite Cupidinis humerisque alatis.

Terminalis Mercurii simulacra esse puto[56], servantur hodie in Museo Pio-Clementino, quod PII SEXTI liberalitas evexit super omnes quae in Europa sunt antiquo-

---

[56] Non me fugit, aliter sentire de hisce statuis virum doctissimum atque humanissimum, cujus eruditioni multum ego debeo, Ennium Quirinum Viscontium, qui in Musei tomo 6. tabula 8. pag. 12. sqq. Phanetis nomine eas insignivit. Lubenter quoque subscriberem eleganti conjecturae, quae numen nobis ante oculos sistere pollicetur marmorea effigie expressum, de quo admodum obscure locuti inveniuntur veteres scriptores. At nullum in iis video Phanetis, mystici dei, indicium, quem a Graecis bicipitem fictum fuisse, vel a Romanis sub Jani nomine cultum, nullum novi documentum. Verum ipsius Mercurii imagines fuisse bicipites illos Hermas, de quibus loquitur Lucianus, inde arguo, quod ἑρμων vocabulum a bonae Graecitatis scriptoribus de aliorum deorum simulacris usurpatum non inveniam; quemadmodum neque hoc reperio, bicipites truncos quoscunque Janos dici a Latinis. Vultus autem et comae habitus in praefatis illis Hermis non magis distant ab eo quod proprium est imberbi Mercurio, quam in barbatis Mercuriis, fictis in vetusto anaglypho villae Albaniae, inque altero musei Capitolini, quod publici juris fecit Winkelmannus in monumentis ineditis fig.38; ac in iis qui habentur apud Passerium pict. Etrusc. in vascul. tom. 2. tab. 170. tom.3. tab. 251. Cernitur quoque truncus Mercurius in vasculo pictus apud cl. D' Hancarville *antiquités Etrusques, Grecques et Romaines tirées du cabinet de M. Hamilton* tom. 2. tab. 97., quem Bacchum barbatum diceres, nisi lateri applicatus esset caduceus. Neque de alterius vasculi pictura, apud Mazochium comment. in aen. tab. Heracl. pag. 138., dubium aliquod mihi relinquitur, quin verum Mercurium repraesentet quadratum signum, quod adpicto licet caduceo Bacchum putat Mazochius; tertiumque video in anaglypho Musei Pio-Clementini in palaestra positum prope duos ephebos luctantes. Nam quae priscae artis simulacra sunt, aut sequiore tempore ad vetustorum signorum imitationem facta, nullum certum habent vultus characterem, nec comae barbaeve cultu ab invicem distinguntur, sed loco atque attributis. Atvero barbam illam quadrato cuneo similem Mercurio prae reliquis propriam esse ac solemnem, notum est ex Arthemidoro, onirocrit. l.2.cap. 42. ἑρμης τετραγωνος ο σφηνοπωγων φιλολογοις μονοις συμφερει. Quare et maximam partem statuarum quadrati operis, quas olim Platones appellabant interpretes, post Joves Terminales, nunc Bacchos barbatos dicunt, veteribus Mercurios fuisse reor. Cum enim ex auctoribus constet truncos Mercurios innumeros fere exstitisse, et Bacchus quadrati operis vix aliquis inveniatur memoriae proditus: mirum sane si hodie tot Bacchi supersint, Mercurius nullus. Quin ne hedera quidem, qua coronati cernuntur σφηνοπωγωνες nonnulli, prostantes in villa Albania, certum mihi est Bacchi indicium; siquidem in Hermis, qui in privatis atriis ponebantur, cujusvis domini arbitrio multum tributum fuisse suspicor. Neque absonum videtur hedera cinxisse caput dei, quem deorum pocillatorem dixit Sappho, et a cujus nomine appellatum fuit ultimum in convivio poculum, coronaeque convivales in caput statuarum ejus poni consuetae. Athen.lib.5. c.4. p.192.lib.1.c.1.p.32.l.10.c.10.p.437. Aelian.var. hist.lib.2. c. 41. Pollux lib.6.c.16.segm.100. Bacchus Silenique et qui hujus sunt familiae, a rusticis hominibus ligneis simulacris honorari assueti, tunc maxime ad lapideorum Hermarum similitudinem scalpti videntur, ubi Romae coeperunt optimates villas suas hortosque statuis decorare. Tamen et Lesbios Dionysum Phalleum a prisca deformitate ad Hermarum formam traduxisse, discimus e numis Mytilenaeorum, de quibus infra §. 7. not.15. Apud Siculos autem moris fuisse Bacchi statuas Hermarum loco ponere ante fores, nullo modo probari posse e Suida v. μωροτερος μορυχου, manifestum fit e Zenobio adag.cent. 5. n.13., quem descripsit Suidas, omissis ultimis verbis: κατεσκευασται δε απο ψελλα καλουμενου λιθου υπο σιμμιου του ευπαλαμου.,, factus ,, autem est e lapide dicto psella a Simmia Eu- ,, palami filio,,. Recenset et Clemens cohortat. cap.4. pag. 41. post varias alias statuas Morychum Dionysum, eundem quem Zenobius auctorem citans Polemonem, sed memoria lapsus ut videtur, Athenis positum ait, et factum a Simone Eupalami filio εκ του φελλατα καλουμενου λιθου. Ergo de unico simulacro sermo est, in quodam Siciliae oppido ante Bacchi aedem collocato, quod qui a vineis revertebantur pro vindemiarum licentia musto tingere solebant; quemadmodum complura aliorum deorum signa sub divo constituta memorat Pausanias. Id non advertit Bergierius qui in tractatu *de publicis et militaribus Rom. imp. viis*, thesauri Graeviani tomo 10. inserto, praeter Mercurium Baccho praesertim, Apollinique et Herculi, tamquam viarum praesidibus, hermas vindicare aggressus est, caeterum totum hoc de hermis argumentum, magna eruditione usus, turbavit potius quam explicuit; et quem sequuntur ho-

rum operum collectiones. Fluxit inde consuetudo aliis quoque quadratis simulacris binos vultus addere, modo similes, modo alterum ab altero diversum, cujusmodi non pauca exstant in eodem museo atque in villa Albania; nec raro in Graecarum urbium numismatis occurrunt capita bifrontia, incerto ut plurimum significatu. Hermes vero quadratus, imberbis ac utrinque similis, uno pileo ambas frontes tegente, conspicitur in numo Antiocheno apud Pellerinium, adstituto hinc caduceo, inde ramo, palaestrae symbolo [37].

Suspicor quoque bicipitem Hermen fuisse opus illud sive Scopae, sive Praxitelis, quod ex Aegypto advectum Augustus Jano Patri dedicavit. Plinius naturalis historiae libro tricesimo sexto: „ Par haesitatio est in templo Apollinis So- „ siani, Nioben cum liberis morientem, Scopas an Praxiteles fecerit. Item Ja- „ nus Pater in suo templo dicatus ab Augusto, ex Aegypto advectus, utrius ma- „ nus sit, jam quidem et auro occultatus„ [38]. Nam ostiorum pariter viarumque deos bifrontes finxerunt prisci homines, velut exitus et introitus, itus reditusque potentes: quae mihi quidem significatio videtur Jani gemini, Itali numinis, cui e Graecis diis nullus quam Mercurius similior. Uterque enim deorum hominumque janitor est et internuncius, fori, viarumque praeses, artiumque et rituum institutor [39]. At profecto Janus ille, quem in foro posuisse fertur Numa Pompilius, non

---

die fere omnes. Is enim quaslibet quadratas statuas hermas audire ait veteribus, teste non adducto, praeter Tzetzen, chil. 12. vers. 593., qui dum quamvis statuam hermam dici inquit, ἑρμης δε συμπας ανδριας, de sui saeculi dialecto recte scripsisse credi potest, at sane non facit contra Pausaniam, non statuas tantum, sed quadrata quoque simulacra accurate distinguentem ab Hermis, quos του ἑρμεω τα αγαλματα appellat Herodotus. Viris quoque virtute excellentibus hermas erectos docet Bergierius, argumento usus Herme Andocidis apud Plutarchum in Alcib. c. 21. opp. tom. 1. pag. 200. et apud Nepotem in Alcib. cap. 3., qui tamen ex ipsis eis locis intelligitur non Andocidem repraesentasse, sed uti reliqui Mercurium. Vide quoque Lysiam in orat. adversus Andocidem pag. 104. et ipsum Andocidem in orat. de mysteriis pag. 9. Id quidem invenio apud Strabonem l. 15. p. 1048. hominem brachiis carentem, a Poro rege Indiae Augusto dono missum, per ludibrium ἑρμαν dictum fuisse. Cf. Dion. Cassium lib. 54. cap. 9. Caeterum apud nos hermae nomen in technicum significatum transiit pro quolibet quadrato simulacro, quod quia commodum est ac usu receptum, ut mutetur, nequaquam suasor ero.

[37] *Recueil de médailles de villes et de peuples* tom. 2. tab. 76. num. 13. Sunt alii quadrati Mercurii, altero vultu prolixe barbato, altero imberbi: ad quos trahi potest quod de Aegyptio Mercurio scribit Synesius in oratione de regno pag. 7. et lib. 1. de providentia pag. 101. ηγασω παντως, ω παι, την εν ταις ἱεραις εικοσι των πατερων επινοιαν, τον ἑρμην. αιγυπτιοι διπλην ποιουσι την ιδεαν του δαιμονος, νεον ἱσταντες παρα πρεσβυτη· αξιουντες, ειπερ τις ἡμων μελλει καλως εφορευσειν, εννουν τε ειναι και αλκιμον, ὡς απελες εις ωφελειαν θατερον παρα θατερον. „ Omnino, o fili, mirari tibi aliquando subiit „ patrium in sacris imaginibus commentum, „ Mercurium intelligo, quem duplici specie „ fingunt Aegyptii, juvenem juxta senem col- „ locantes, et idipsum praecipientes, si quis „ nostrum rite sacra sit inspecturus, et sagacem „ et fortem esse oportere; quando alterum si- „ ne altero parum adjumenti conferre potest„.

[38] Cap. 5. Quadratum fuisse simulacrum, licet taceat Plinius, inde arguo quod nullam uspiam reperi integram statuam bifrontem, arte apud Graecos florente scalptam; siquidem nec Graeca religio aliquem agnovit bifrontem deum. Ne vero quis Scopa vel Praxitele indignum putet truncas finxisse statuas, auctorem habeo Pausaniam lib. 1. c. 19. pag. 44. et ipsum Plinium lib. 36. cap. 5., quadratum simulacrum Veneris εν κηποις opus fuisse Alcamenis, qui primum locum tenuit inter discipulos Phidiae, et ipsum Phidiam creditum fuisse simulacro manum imposuisse: ut nunc taceam Periclis illam imaginem in Museo Pio-Clementino ita affabre scalptam ut praestantissimis Graecae artis operibus merito accenseatur. Vide de eo Viscontium Musei tom. 6. tab. 29. pag. 43.

[39] Meum quidem non est vetusta gentium numina eo consilio inter se comparare, ut quae apud unam culta inveniuntur ab altera pariter sub aliis nominibus adorata affirmem; quin potius in ea versor opinione, quemque populum, quamque civitatem, imo quamque fere domum antiquissimo tempore religionem habuisse sibi peculiarem,

aliud fuit quam truncus lapideus, si verum est quod apud S. Augustinum libro quarto de civitate Dei [40], affirmat Varro Romanorum doctissimus: „ antiquos Ro- „ manos plus annos centum septuaginta deos sine simulacro coluisse „.

---

quae ut casus ferebat reliquarum tribuum superstitionibus plus minusve consona esset. Postea pro vicinitate vel commercio plurium tribuum superstitiones in unum coaluerunt, denique plurium quoque populorum: ita tamen ut in cujusvis populi ritibus multa servarentur ei propria, neque recepta ab aliis, neque cum aliis communicata. Graeci ab Aegyptiis et Phoenicibus multa receperunt, sed suam habuerunt religionem antequam commercium ipsis esset cum Aegyptiis, ac Graeca religio omni tempore toto coelo diversa fuit ab Aegyptia. Sic Itala superstitio semper dissensit a Graeca, quamvis jam antiquitus multi dii e Graecia in Italiam allati fuerint, Romani autem data opera quaecunque Graeca essent, sibi adsciscere, suas origines ad Graecos referre, et prisca Latina numina Graecae mythologiae accommodare studerent. Itaque tempus ludere me putarem, si Janum, quem metamorphoseon fastorumque poeta Graecis ignotum asserit, ἑρμην esse contenderem; cum neque Saturnum κρονον esse putem, neque Junonem ἡραν. Sed quoniam jucundum est inter se conferre ritus populorum atque opiniones, dico Janum Mercurio quam cuilibet alii Graeco deo similiorem esse, cum nulli eorum sit similis. Certe non Phanes fuit neque Chaos, qui apud nullam uspiam gentem inter populares deos adlecti fuerunt; nec Thessalus quidam advena, quem bifrontem finxerunt Itali. Sedes ei in foro fuit apud Romanos, uti apud Graecos Mercurio: Varro de ling. Lat. lib.4. cap.32.; imo si fides Acroni ad Horat. lib. 2. sat. 3. v. 18. tres Jani statuae steterunt in foro. Cultiorem victum ab eo institutum, artesque inventas, imprimis pecuniam, quam manu gestare solet Mercurius, docent Plutarch. in *Numa* c.19. opp. t.1.p.72 Athenaeus l.15. c.13. pag.692. aliique: quemadmodum et ratis una cum Jani capite signata in numis, haud incommode pro mercaturae symbolo acciperet aliquis. Nec multum refert nomen utrum ab eundo petatur an ab hiando, nam proxima ei cognatio est cum janua, quid quod omne discrimen in eo constitutum videtur, quod *janua* diminutivum sit *jani*. Cicero de nat. deor. lib. 2. cap. 27. „ Principem „ in sacrificando Janum esse voluerunt; quod „ ab eundo nomen est dictum, ex quo transitio- „ nes perviae *jani*, foresque in liminibus pro- „ fanarum aedium *januae* nominantur „: ubi et janitorem video et internuncium sive μεσιτην. Quare et cardinis dea, Grane, Jani pellex fingitur, et spina averruncalis foribus fenestrisque apponi solita Janalis virgo dicebatur. Ovid. fast. lib. 6. vers. 127. 165. Nam ut Mercurio sic Jano virga tribuebatur; ex qua viarum rectorem agnoscit Macrobius, sat. lib. 1. cap. 9; uti ex clavi, quam altera manu tenebat, custodem portarum. Modo juvenis pingitur, modo barbatus, nec raro pileum gestat ei similem, qui Mercurii caput obtegere consuevit. Bifrontes quoque vidimus Mercurios; atque in Anubide, qui et ipse est superum commeator et inferum, duplicem vultus speciem, atram aureamque agnoscit Apulejus metamorph. lib. 1. pag. 373. opp. tom. 1. Denique et Coeli filium Janum fabulantur nonnulli, quemadmodum Mercurium illum Samothracem: Arnob. adv. gent lib. 3. pag. 52. Sed haec omnia in Jano aliter sunt quam in Mercurio, quamquam primo obtutu convenire videantur. Mercurius enim, numen aboriginibus in Italia ignotum, non alius est quam Hermes, deus ex Aegypto oriundus. ⲉⲣ-ⲉⲙⲓ, *pater scientiae*: reliqua quae in eo occurrunt accessoria sunt. At Janus, Italus deus, ab initio janitor eſt, et quoniam janua est aedium principium, omnia quae principii notionem involvunt, ad eum relata fuerunt. S. Augustinus de civ. dei, lib.7.; cap. 9. Ideo matutinum patrem invocat Horatius lib.2. sat.6. v.20.; chaos appellat Ovidius fast. lib.1. v.103; solem facit Macrobius l. c.; mundum Varro apud S. Augustin. lib. cit. cap. 7.; cultioris vitae auctorem Plutarchus l. c. Ideoque deorum caput dicebatur, ac omne in sacrificando et precando ab eo fiebat initium, primusque in anno mensis ab ejus nomine appellatus fuit. S. Augustin. lib. citat. c.28. Cato de re rust. c.134.141. aliique. Quoniam vero fores spectant in plateam, vialis deus factus est et forensis; e foro autem in monetam migrasse videtur; et quia in foro stabat, belli pacisque signum fuit. Bifrontem fictum fuisse ab eundo et redeundo, aperiendo et claudendo, Ovidii sententia est, fast. lib.1. vers.135, quae mihi reliquis videtur probabilior. Sed fieri etiam potuit ut princeps illud simulacrum in foro biceps factum sit, quia inter duo fora stabat, utrunque prospiciens: Ovid. lib. cit. v. 258: vel a duplice gente, Latina et Sabina, e quibus coaluisse fertur genus Romanum: Servius ad Aen. lib. 1. v. 291. Quae autem cernuntur in Graecis numis nonnullis capita bifrontia Janum repraesentare, nullo certo argumento probari potest, quamquam ita sentiant Draco Corcyraeus apud Athenaeum lib.15. c.13, et Eustath. ad Odyss. E. pag 1533.

40 Capite 31. Confer Plutarchum in *Numa* cap. 8. operum tomo 1. pag. 65.: ὁ νου-

§. VII.

Multi praeterea per universam Graeciam obviam fiunt informes dii, in Achaia maxime et Boeotia, saxa stipitesque ac metae, ut quaeque civitas tutelas suas obscura cultus origine venerari coeperat, quibus cultius aevum intellectualium numinum, nonnunquam et heroum appellationes attribuit. Non quod ab initio agrestia illa signa iis essent dicata, sed quoniam in singulis ratio quaedam sese obtulerit qua ad unum deum potius referrentur quam ad alterum. Docana, vetustiora certe quam Tyndarus et bellum Iliacum, postea credita sunt simulacra Castorum, quos indigenas heroes eximio cultu prosequebantur Spartani. Plutarchus initio tractatus de amore fraterno [1]: τα παλαια των διοσκουρων αφιδρυματα οἱ σπαρτιαται δοκανα καλουσι· εστι δε δυο ξυλα παραλληλα δυσι πλαγιοις επεζευγμενα. „ Vetusta Castorum simulacra Spartani Docana, quasi trabalia appellant; sunt autem duo „ ligna aequaliter distantia, duobus aliis transversis conjuncta „. Sic Hyettium saxum in Boeotia Hercules appellatum est, et obsoleto deo qui Aesculapii munere fungebatur, successit heros Boeotiae incolis carus. Pausanias in Boeticis [2]: εν υηττῳ ναος εστιν ἡρακλεους, και ιαματα ἑυρασθαι παρ' αυτου τοις καμνουσιν εστιν· οντος ουχι αγαλματος συν τεχνῃ, λιθου δε αργου κατα το αρχαιον. „ Hyetti Her„ culis templum visitur, et ex eo morborum remedia expetuntur: signum vero

μας διεκωλυεν ανθρωποειδη και ζωομορφον ει κονα θεου ρωμαιοις νομιζειν. ουδ' ην παρ' αυτοις ουτε γραπτον ουτε πλαστον ειδος θεου προτερον. αλλ' ἑκατον ἑβδομηκοντα τοις πρωτοις ετεσι ναους μεν οικοδημουμενοι διετελουν και καλιαδας ἱερας ιστωντες, αγαλμα δε ουδεν εμμορφον ποιουμενοι. ὡς ουτε ὁσιον αφομοιουν τα βελτιονα τοις χειροσιν, ουτε εφαπτεσθαι θεου δυνατον αλλως η νοησει. „ Vetuit Numa Romanis hominis vel „ bestiae formam tribuere deo, neque fuit ulla „ apud eos ante vel picta, vel ficta imago dei. „ Sed primos centum septuaginta annos tem„ pla exstruxerunt et cellas diis, simulacrum „ vero per id tempus nullum habuerunt, nefas „ putantes augustiora exprimere humilioribus, „ neque aspirari ad deum aliter quam mente „ posse „. Quibus consona leguntur apud Clementem Alex. strom. lib. 1. cap. 15. pag. 358. Credibile sane est, Romanos usque ad aetatem Tarquinii Prisci, qui obiit anno Urbis conditae 176., ac primos ex Hetruria artifices Romam evocasse videtur, deos coluisse sine expolitis simulacris. Quod utrum eam ob causam factum quam affert Plutarchus, vel quod vero videtur propius, propter artium defectum in rudi gente, ut tunc quidem erant Romani, nostra hic non interest. Quam obscura autem sint statuariae artis apud Romanos initia colligere est e Plinio, lib. 34. cap. 4. — 7., qui nil certi rescivisse intelligitur, quemadmodum et reliqua quae ad primam spectant Romanae urbis aetatem densa caligine premuntur. Itaque quod Plinius, qui cap. 4. primum simulacrum ex aere Romae factum ait post caesum Sp. Cassium, annis ab U. C. plus 250., capite 7. Janum geminum in foro, pariter ex aere, digitis ita figuratis ut 365. dierum nota annum significaret, a Numa rege positum putet: id minime obstat quominus cum Varrone, Romanos usque ad Tarquinii aetatem simulacris fabrefactis caruisse credamus; neque nos inducit, ut contra expressa verba Plutarchi, illud 170. annorum spatium a Numae obitu coepisse credamus, quae Winkelmanni sententia est *storia delle arti* lib. 3. cap. 4. §. 12. tom. 12. pag. 150.

[1] Opp. tom. 2. pag. 478. Castorem et Pollucem post Trojana tempora inter deos esse relatos, constat ex Iliad. Γ. vers. 236. et Pausan. lib. 3. cap. 13. p. 238. cui aevo minime convenire illam signorum ruditatem, facile mecum sentient eruditi. Quae de Docanis habet auctor Etymologici non satis intelligo: δοκανα ταφοι τινες εν λακεδαιμονι· παρα το δεξασθαι τας τυνδαριδας, φαντασιαν εχουσας ταφων ανεῳγμενων. Phavorinus correxit τους τυνδαριδας: quae sequuntur omisit. Forsan legendum εχοντα: ut dicat docana similia fuisse sepulcris apertis, propter spatium illud quod remanebat inter quatuor trabes.

[2] Lib. 9. cap. 24. pag. 757.

„ non est arte elaboratum , sed rudis prisco more lapis „ . Eroti , qui nec ipse ante Iliaca tempora receptus est inter populares deos , adscripserunt rudem lapidem Thespiensibus olim adoratum , forte quia oppidum illud Herculeo amore inclaruerat . Ibidem [3] : θεων οἱ θεσπιεις τιμωσιν ερωτα μαλιστα εξ αρχης , και σφισιν αγαλμα παλαιοτατον εστιν αργος λιθος . „ Venerantur Thespienses jam tum ab „ initio maxime deorum omnium Cupidinem , cujus est signum vetustissimum rudis de saxum „ . Quin ipsis Gratiis , si Pausaniae [4] credimus, pro simulacris fuere saxa : ορχομενιοις το αρχαιοτατον χαριτων εστιν ἱερον . τας μεν δη πετρας σεβουσι τε μαλιστα , και ετεοκλει τῳ ανδρεως φασιν αυτας πεσειν εκ του ουρανου · τα δε αγαλματα συν κοσμῳ πεποιημενα , ανετεθη μεν επ᾽ εμου , λιθου δε εστι και ταυτα „ Apud Orchomenios antiquissimum templum Gratiarum est . Saxa vero quaedam „ praecipua colunt veneratione , quae excepisse ferunt Eteoclem Andrei filium e „ coelo delapsa : nam quae expolitius fabricata sunt signa , et ipsa e lapide , aeta„ te mea dedicata fuere „ . Nempe tres magnos lapides in amoeno illo Orchomeniorum luco positos , trium Gratiarum nomine insigniverunt posteri : eadem ratione qua septem columellis ad Taygetum montem septem planetarum nomina indiderunt . Idem in Laconicis [5] : κιονες ἑπτα , κατα τροπον οιμαι τον αρχαιον , οὑς αστερων των πλανητων φασιν αγαλματα . „ Stant pilae septem , prisco„ rum opinor hominum ritu erectae , quas errantium septem stellarum signa „ esse ajunt „ . Quidquod Pharenses triginta quadratos lapides in foro circa focum , fortassis pro principum civium numero , collocatos , vetustatis reverentia triginta deorum vocabulis decoraverunt , quae recensere piguit Pausaniam [6] . Sicyoniis Jupiter Milichius et Diana Patroa saxa erant , ille pyramidi similis , haec columnae : atque in Megarensium gymnasio lapis visebatur pyramidalis modica magnitudine , Apollo Carinus dictus . Pausanias in Atticis [7] : εστιν εν τῳ μεγαρεων γυμνασιῳ τῳ αρχαιῳ λιθος παρεχομενος πυραμιδος σχημα ου μεγαλης · τουτον απολλωνα ονομαζουσι καρινον . „ In veteri Megarensium gymnasio lapis est , qui „ non magnae pyramidis formam prae se fert : eum Apollinem Carinum nominant„ . Idem in Corinthiacis [8] : εν σικυωνι εν τῃ αγορᾳ εστι ζευς μειλιχιος , και αρτεμις ονομαζομενη πατρῳα , συν τεχνῃ πεποιημενα ουδεμιᾳ · πυραμιδι δε ὁ μειλιχιος , ἡ δε κιονι εστιν εικασμενη . „ Sunt apud Sicyonios in foro Jupiter Milichius et Dia„ na cognominata Patroa ; rudia et sine arte facta signa . Milichius enim pyra„ midis , Patroa columnae figuram habet „ . Hos esse anonymos illos Pelasgorum deos Herodoto memoratos pro certo affirmari posse existimo , quibus postea imposita fuerunt nomina ex Aegypto et Phoenicia maximam partem advecta . In Cypriorum numis cernimus Paphiam Venerem cono sive pyramidi assimilatam , qualem jam descripsit Tacitus [9] : „ Templum Paphiae Veneris inclytum per indigenas „ advenasque . — Simulacrum deae non effigie humana , continuus orbis latiore „ initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens : et ratio in obscuro „ . Thebis Cadmei Bacchi signum palus erat , quem una cum fulmine quod Semelen occidit e coelo demissum fabulabantur , postea a Polydoro Cadmi filio aere obductum -

[3] Lib. 9. cap. 27. pag. 761.
[4] Lib. 9. cap. 38. pag. 786.
[5] Lib. 3. cap. 20. pag. 262.
[6] Lib. 7. cap. 22. pag. 579.
[7] Lib. 1. cap. 44. pag. 106.
[8] Lib. 2. cap. 9. pag. 132.
[9] Historiarum lib. 2. cap. 2. 3. Adde Maximum Tyrium dissertat. 8. cap. 8. et Servium ad Aen. lib. 1. v. 720.

Pausanias in Boeoticis [10]: λεγεται δε και τοδε, ώς όμου τῳ κεραυνῳ βληθεντι ες τον σεμελης θαλαμον, πεσοι ξυλον εξ ουρανου. πολυδωρον δε το ξυλον τουτο χαλκῳ λεγουσιν επικοσμησαντα, διονυσον καλεσαι καδμειον. „ Dicunt etiam, simul „ cum fulmine in Semeles thalamum conjecto cecidisse lignum de coelo, Polydorum „ autem, cum id lignum aere exornasset, Bacchum Cadmeum appellasse „. Apud Athenienses vero Minervam illam in acropoli, quam diu ante Thesei aevum de coelo lapsam ferebant [11], Cereremque Eleusiniam, ligneos stipites fuisse, auctor est Tertullianus in apologetico [12]: „ Quantum distinguitur a crucis stipite Pallas At„ tica? et Ceres Rharia, quae sine effigie rudi palo et informi ligno prostat „? Et his similia fuisse Junonis signa apud Samios et Thespienses, Dianaeque in Icaro, docet Clemens Alexandrinus in cohortatione ad gentes [13]: ὁι ετι παλαιοτεροι

---

[10] Lib. 9. cap. 12. pag. 734.

[11] Pausan. lib. 1. c.26. p.63: το δε άγιωτατον εν κοινῳ πολλοις προτερον νομισθεν ετεσι η συνηλθον απο των δημων, εστιν αθηνας αγαλμα εν τη νυν ακροπολει, τοτε δε ονομαζομενη πολει. φημη δε ες αυτο εχει πεσειν εκ του ουρανου. „ Omnium san„ ctissimum apud Athenienses Minervae si„ gnum, quod communi consilio colere insti„ tuerunt longe antequam e pagis convenirent, „ situm est in acropoli, quae nunc dicitur, olim „ vero oppidum appellabatur. Delapsum hoc de „ coelo fama vulgavit „.

[12] Cap. 16. et ad nationes lib. 1. cap. 12. Alii legunt *Ceres Farrea*, alii *Pharia*: utrumque, ut mihi quidem videtur, incommodum. Scripsi Rharia a campo Rhario, qui apud Eleusinios erat templo adjacens, ubi accepto a Cerere semine primas fruges sevisse et primam messem fecisse dicebatur Triptolemus, Celei sive ut aliis placuit Rhari filius; cujus et area primo frumento terendo parata monstrabatur in eo loco, frugibusque ibi natis tum ad molam salsam in sacrificiis Cereris, tum ad sacra liba uti consueverant Eleusinii. Pausan. l. 1. cap. 38. pag. 93. Chron. marm. epoch. 23.24. Cererem autem Graecis dictam fuisse Rhariada, testantur Stephanus v. ραριον, et Suidas v. ραριας.

[13] Cap. 4. pag. 40. Eadem fere habet Arnobius disputat. adv. gentes lib. 6. pag. 86. Alio loco Clemens, strom. lib. 1. cap. 24. pag. 418., affirmans veteres antequam excoleretur ars statuaria, columnas statuarum loco posuisse, quatuor affert poetarum dicta, e quibus sententiam comprobet, sed in quorum nullo hac de re sermo esse videtur. Unum est Euripidis ex Antiope:

ενδον δε θαλαμοις βουκολον
κομωντα κισσῳ, στυλον ευιου θεου·

„ bubulcum hic in cubilibus, hedera coman„ tem, columnam Evii dei „; ubi profecto poeta aliud non facit quam describere Satyrum, sive ut nunc loquuntur Faunum, cujus humeris innixus Bacchus. Bubulcus qui Dionyso fulcri loco est, στυλος ευιου θεου, repraesentatur in eleganti symplegmate in museo Pio-Clementino, edito tom. 1. tab. 42.; in multis anaglyphis et gemmis antiquis, inque numo Coloniae Beryti cum capite Gordiani Pii in numophylacio Borgiano. Similiter in oraculo:

στυλος θηβαιοισι διωνυσσος πολυγηθης·

„ columna Thebanis Dionysus jucundus „: στυλος fulcrum est sive praesidium. Quare est quod valere jubeamus διονυσον illum στυλον, quem finxerunt sibi recentiores nonnulli. Porro e Phoronide sistit versus:

καλλιθοη κλειδουχος ολυμπιαδος βασιλειης,
ἡρης αργειης, ἡ στεμμασι και θυσανοισι
πρωτη εκοσμησεν περι κιονα μακρον ανασσης·

„ Callithoe aeditua reginae Olympi, Junonis „ Argivae, quae infulis coronisque prima exor„ navit magnam columnam dominae „: atque ex Europia de Apolline Pythio:

οφρα θεῳ δεκατην ακροθινια τε κρεμασαιμεν
σταθμων εκ ζαθεων και κιονος υψηλοιο·

„ ut deo decimam primitiasque suspendamus „ de postibus sacris et de columna excelsa „: inde arguens columnas fuisse statuas Junonis Argivae et Apollinis Delphici, quod a nuperis quoque scriptoribus repetitum invenio. Verum nisi fallor uterque poeta loquitur de columnis, quas in picturis antiquis saepe solas videmus, saepe aris vel ipsis simulacris adstitutas, sertisque et taeniis ac ramis decoratas, quasque eo fine positas reor ut donaria ab iis suspenderentur. *Pitture d' Ercolano* tom. 3. pag. 9. tab. 52. tom. 2. pag. 147. tom. 4. tab. 17. D'

ξυλα ἱδρυοντο περιφανη και κιονας εστων εκ λιθων, ἁ δη και ξοανα προσηγορευετο δια το αποξεσθαι της υλης. αμελει εν ικαρῳ της αρτεμιδος το αγαλμα ξυλον ην ουκ ειργασμενον· και της κιθαιρωνιας ἡρας εν θεσπιᾳ πρεμνιον εκκεκομμενον· και το της σαμιας ἡρας, ὡς φησιν αεθλιος, προτερον μεν ην σανις, υστερον δε επι προκλεους αρχοντος ανδριαντοειδες εγενετο. „ Prisci homines ligna conspicua aut lapideas columnas statuebant; quemadmodum illud Dianae simulacrum, quod in Icaro colebatur, lignum erat illaboratum; alterum vero Junonis Cithaeroniae apud Thespienses, truncus excisus. Et Samiae quidem Junonis alterum, ut refert Aëthlius, primo stipes erat, ex quo Procle demum archonte statua efficta est „. In agris autem hortisque et vineis antiquum morem servaverunt rustici homines, ut pro simulacro sive tutela statuerent aut rudem omnino stipitem, quod de Bacchi signis notat Maximus Tyrius [14]: *γεωργοι διονυσον τιμωσι πη-*

Hancarville *antiquités tirées du cabinet de M. Hamilton* tom.2. tab. 72. *Collection of engravings from ancient vases, in the possession of Sir William Hamilton* tom.1. tab. 27. Gorii museum Etruscum, tab. 174. Nam ne pro ipsis deorum signis accipiam, illud obstat, quod elegantis formae sunt, ad architecturae regulas factae, saepe etiam striatae. Columnae autem illae quae simulacrorum vice functae leguntur, ut Patroa Diana Sicyoniorum apud Pausaniam, rudes fuere, *συν τεχνῃ πεποιημεναι ουδεμια, κιοσιν εικασμεναι*, postea autem pro iis non substituerunt pulcras columnas, sed humanae figurae similitudinem pro temporum conditione plus vel minus exactam. Quare nec e columnarum forma in vetustarum statuarum habitum aliquid transiisse puto, quod inter recentiores multis placuit: sed Samiam Junonem quae in numis expressa est, Ephesiamque Dianam cujus tot occurrunt imagines, et Amyclaeum Apollinem a Pausania lib.3.cap.19.p.257.descriptum, ideo tantum quandam habuisse cum columna similitudinem, quod ipse homo, ubi membra non conspiciantur, ei sit similis. Columnis autem, quas in sacris locis ponebant, praeter serta vittasque saepe quoque deorum attributa symbolave imponere consueverunt; vel minoris moduli statuas. Satis notae sunt columnae in Circo deorum signa sustinentes: inque numis gemmisque frequenter occurrunt statuae columnis impositae. Olympiae prope Pelopium in Alti vidit Pausanias (lib.5.c.24.p.440.) columnam non adeo altam, in qua stabat parvum simulacrum Jovis: estque in pictura vasculi in bibliotheca Vaticana, editi a Passerio in pictur. Etrusc. in vasc. tom. 3. tab. 282. — 289. simulacrum Jovis super columna, quod idem illud esse conjicio. Ait enim Pausanias simulacrum alteram manum protendere, *παρα τῳ πελοπιῳ κιων τε ουχ υψηλος, και αγαλμα διος εστιν επ' αυτῳ μικρον, την ἑτεραν των χειρων προτεινον*: puto, ut in numis Atheniensium et Cauloniatarum Jovem videmus dextra fulmen vibrantem, sinistram vero rectà protendentem. Signum autem quod in vasculo pictum exstare diximus, habitu refert illud quod in numis excusum cernitur, caetera nudum est et barbatum, ac porrecta sinistra tenere videtur rotundum quid non satis accurate expressum, forte parmulam, statque super columna modicae altitudinis, ad cujus pedem conspicitur ara. Circumstant sacrificantes, forsan Oenomaus ante certamen Jovi arietem immolans, cum filia Hippodamia sinistra manu tenente lupum fraeni, et Myrtilo quem Mercurii filium designant alae prope aures adstitutae. Quod vero maxime suadet ut picturae argumentum Olympiae quaerendum censeam, figurae sunt in imo vase ac circum collum ejus pictae. Infra enim conspicitur juvenis qui comite Victoria donat equorum ferocium quadrigam; superius autem Pelopem repraesentari autumo, qui curru victor potitur nuptiis Hippodamiae. Idem Pausanias auctor est, lib. 8.cap. 38.p.679. in Lycaeo monte Arcadiae ad aram Jovis, quae terrae tumulus erat, stetisse columnas duas singulas aquilas deauratas sustinentes: et sic in Agrigentinorum numismate videmus Jovis aquilam columnae insidentem. Vide quoque inter alia Winkelmanni monum. ined. fig. 120. *Collection of engr. from anc. vases in the possess. of S. W. Hamilton* tom.1. tab. 17. Tripodem altae columnae impositum indicavimus supra nota 16.. Alterum habes in vasculo pulcherrimo modo citatae collectionis tab. 33. super breviori columna, quam circumstant figurae tres, quae ex adscriptis vocabulis *νους, αλκος, μολγος*: *mens, robur, voluptas*, alludere intelliguntur ad tres illas animas homini tributas a Platone, quas pictor junctim assimilare voluit tripodi Pythio, singulas vero luciferae Dianae, Apollini atque Sileno.

[14] Dissertat. 8. cap. 1.

ξαντες εν ορχατῳ αυτοφυες πρεμνον, αγροικικον αγαλμα · „ agricolae Bacchum „ honorant figentes in horto nativum caudicem, rusticum simulacrum „ : aut palum humano capite ruditer scalpto insignem, cujusmodi fuit Lesbiorum Bacchus Phallenus [15]: aut lignum bifurcum ad obscoenam humanae formae similitudinem inscite dolatum, qualis in antiquis anaglyphis non raro conspicitur custos hortorum [16].

§. VIII.

Apud barbaros quoque in veteri Europa populos informes trunci exstitere pro diis adorati. Fama celebratur Ermensul sive Irminsula Saxonum, in Vestphaliae oppido Eresberg usque ad Caroli Magni tempora insigniter culta, de cujus figura ac significatu variae feruntur opiniones. Sed qui majori quam reliqui fide dignus videtur, siquidem primus distinctam notitiam de ea ex scriptis Eginhardi prodi-

---

[15] Non video quo pacto conciliari queant Pausanias l.10.c.19. p.842.et Oenomaus apud Eusebium praep.evang.l.5. c.36.p.233.quorum uterque Methymnaeum Bacchum originem trahere refert a simulacro oleagineo a piscatoribus fortuito casu retibus e mari extracto: in eo vero dissentiunt, quod Pausanias, qui Delphis in thesauro Apollinis vidit exemplar ejus ex aere, προσωπον appellet, vultum sive larvam, atque Cephallenis Bacchi nomen a Pythia ei inditum perhibeat; Oenomaus autem caudicem inventum narret superne in humani capitis speciem desinentem, κορμον εξ ακρου κεφαλοειδη, oraculumque afferat Methymnaeis datum, e quo nomen illud prorsus exulat:

αλλα και μηθυμνης ναιεταις πολυ λωιον εσται·
φαλληνον τιμωσι διωνυσοιο καρηνον·

„ at quidem Methymnae incolis multo melius „ erit, Phallenum colentibus Dionysi caput „. De nomine ambigi potest, sitne mendum in libris Pausaniae, nam κεφαλλην non satis commode derivatur a κεφαλη, alterum autem φαλληνον optime interpretatur Vigerus *e tereti ligno factum*. Ut vero de simulacro etiam rectius scripsisse putem Oenomaum, faciunt nummi Mytilenaeorum, in quibus ni fallor Bacchus ille Lesbius expressus conspicitur. Nempe super prora navis, qua dei originem e mari indicatam reor, stat signum quadrati operis ad Hermarum instar conformatum, cum capite barbato hedera vittisque decoro; atque per aream sparsi cernuntur racemi cum botris. Exemplar habes apud Pellerinium *recueil de médailles de villes* tom. 3. tab. 103. num.19. ab altero quod est in museo Borgiano hac praesertim in re diversum, quod in illo humeri tantum statuae palliolo obtegantur; in hoc vero totus truncus tunica et peplo involutus sit, quemadmodum esse solent barbati Bacchi simulacra. Unde colligo Lesbios Bacchum suum non sub vultus capitisve specie adorasse, ut placet viris doctis qui Herculanenses picturas explicavere, tom.4. tab.17., sed initio dei signum fuisse caudicem, pro quo elegantiae causa postea substituerunt quadratam statuam.

[16] Inspice inter alia anaglyphon Rondaninianum apud Winkelmannum monum. inedit. fig. 67. Bifurcam figuram describit Arnobius lib.6. adv. gentes pag. 91. „ Genitalibus propriis inferior Priapus „. Quare et signum ejus τρισκελες appellat Theocritus epigramm. 4.:

τηναν ταν λαυραν, τως αι δρυες, αιπολε, καμψας
συκινον ευρησεις αρτιγλυφες ξοανον,
τρισκελες, αυτοφλοιον, ανουατον· αλλα φαλητι
παιδογονῳ δυνατον κυπριδος εργα τελειν.

„ Per viam illam deflectens, ubi quercus sunt, „ o caprarie, ficulneum invenies recens sculptum signum, adhaerente adhuc cortice, „ trimembre, sine auribus, at phallo generatore potens perficere opera Cypridis „. Ex ligno autem, maxime ficulneo, fieri solitos Priapos et Ithyphallos, quam notissimum est ex Horatio serm. lib. 1. sat. 8. vers. 1. Columella de hortor. cult. vers. 31. et Martiali lib. 8. epigr. 40. Nam quia in hortis agrisque maxime colebantur, materiem iis quaesiverunt rusticorum facultatibus accommodatam, quae et praeterea affinitatem haberet cum agrorum proventibus. Quare in Bacchi quoque simulacris religio quaedam intercessit, ut e domesticarum maxime arborum lignis scalperentur. Vide Athenaeum lib. 3. cap.5. pag. 78.

dit, Adamus Bremensis historiae ecclesiasticae libro primo [1] scribit, „ fuisse „ truncum ligni non parvae magnitudinis erectum in altum sub divo „; atque nomen ejus patrio sermone significare columnam publicam [2]. Sane ad eam conveniebant eorum finium incolae de rebus agendis consultaturi, atque oracula ab ea petituri: et qui sacerdotio ejus fungebantur, eodem tempore rei publicae administrandae praeerant. Forte et columnae illae in Frisiis, quas ab Herculis nomine appellaverunt Romani [3], lapides quidam fuerunt indigenis in honore habiti: praesertim cum hodie quoque in ea regione ingentes lapides erecti cernantur [4]. Lappones vero nostro adhuc saeculo et ligneos truncos et rudes lapides pro diis habuere [5].

Neque incultae nationes, quae nostrorum hominum navigationibus innotuerunt, ejusmodi carent simulacris. Guineenses Afri, ejus tractus cui ab auri abundantia nomen imposuerunt Europaei, inter deos suos sive Bossumos, a nostratibus vulgo dictos Fetissos, lapides habent terminis qui in campis ponuntur similes: in primis apud Fridericsburgum ingens lapis ostenditur in ampla planitie erectus, quem pro tutelari ejus viciniae numine venerantur, minoraque sua amuleta, quae iis sunt ad instar Larium familiarium, super eo terra contecta ad certum tempus reponere solent, ut inde divinam virtutem et malorum abigendorum potestatem contrahant [6]. De Narsingensibus in Indiae peninsula citeriori referunt Lusitani, quod statis temporibus transfretare consueverant in unam ex Ausandivis insulis nunc desertis, et tres lapides nigros ibi in sacello positos adorare [7]. Pariterque in Atui, quae una est ex insulis Sandwich, in sacro septo rudis lapis stat duorum pedum altitudine, peplis obtectus, Tongoroae ejus insulae tutelari deo consecratus [8].

§. IX.

Credibile sane est habuisse et Aegyptios vetustissimo tempore rudia hujus generis monumenta, deorumque simulacra omni prorsus forma arteque destituta: sed ita a nobis remota sunt Aegyptiae gentis religionisque primordia, ut ea de re nulla ad nos pervenerit memoria, nec aliquod exstet indicium, unde tuto arguere possis. Quae enim vetustissima noscuntur simulacra Aegyptia, aliquam saltem habent sive humanae formae sive brutorum animalium similitudinem: neque certam inve-

---

[1] Cap. 6. Vixit Adamus Bremensis annis ferme trecentis, post idolum a Carolo Magno destructum anno aerae vulgaris 772: Eginhardus autem, quem vadem sistit, Caroli rebus interfuit. Quare mirandum, quod Cranzius aliique recentiores Irminsulam descripserint tanquam statuam fabrefactam et variis attributis instructam.

[2] *Sul* sive *säule* Germanis columnam significat: *hvermand* sive *iedermann* denotat cunctos. Hinc Bremensis *Irminsul* interpretatur columnam universalem. Forsan melius deduxisset ab *herman*, quod virum armatum, militem, nobilem significat: unde Irminsul vel Hermensul, nam et ita nuncupatur, columna virorum militarium, utpote qui soli de rebus agendis consilium inibant. Certe frustra sunt qui hic de Hermete cogitant aut de Arminio, qui Varum superavit. De reliquo consule Henrici Meibomii *Irminsulam Saxonicam*, in Henr. Meibomii Junioris rerum Germanicarum tomo 3. a pag. 1.

[3] Tacitus de moribus Germanorum cap. 34.

[4] Ubbo Emmius hist. rerum Frisic. lib. 1. pag. 21.

[5] Schefferi Lapponia cap. 7. pag. 93. cap. 9. pag. 104. sqq. Haegstraem in *hist. gener. des voyages* tom. 19. pag. 529.

[6] *Histoire générale des voyages* part. 1. lib. 9. cap. 7. §. 7. tom. 4. pag. 161.

[7] Ibid. lib. 1. cap. 4. §. 4. tom. 1. pag. 49.

[8] *Troisieme voyage de Cook* lib. 3. cap. 11. tom. 2. pag. 350.

nio rationem ; cur credam Canopos, quos vocant, ortum traxisse a baetyliis potius quam ab hydriis vel a globo, terrae cum aqua commixtae symbolo; aut statuas illas cadaveribus fasciis involutis similes, nata esse a stelis potius quam ab ipso cadaverum condiendorum ritu. Obeliscos vero priscis Aegyptiis ad instar simulacrorum adoratos fuisse, quae Jablonskii est opinio, nullo certo argumento affirmari, supra ostendere conatus sum, sectionis tertiae, capite sexto, paragrapho quarto [1]: unde est quod eos sacris quidem accenseam monumentis, non ita deorum simulacris. Antiquissima in Aegypto templa fuisse sine fictis simulacris, recte scripsisse reor Lucianum in tractatu de dea Syria [2]; ac suo adhuc tempore Aegyptia templa maximam saltem partem statuis deorum instar adorandis caruisse, Strabo auctor est [3]: quamquam Herodotus [4] in pervetusto illo Vulcani Memphitae adyto sacras imagines memoret, ut reliquos scriptores taceam qui deorum simulacra in Aegypto prodidere. Sed nullum inde capio indicium, exstitisse in templis illis ἀξοάνοις signorum loco saxa vel stelas vel stipites. Fieri enim potuit, nec a vero videtur alienum, fuisse inter sacerdotes Aegyptios viros sapientes, qui aeternum deum absque ullo signo sive rudi sive expolito adorarent: in reliquis vero eorum templis modo simulacra cum arte facta invenimus, modo simulacrorum loco animantia varii generis. Qui autem extat in museo Borgiano numus Aegyptius, signatus anno Hadriani Augusti vicesimo primo, et templum exhibens hexastylon, in quo medio tanquam pro simulacro stat columna superne desinens in conum obtusum, sive metam appellare mavis; is utrum ad veterem spectet religionem Aegyptiam, an ad novam superstitionem Hadrianeo aevo propriam, forsan ex Asia advectam, libris silentibus nemo facile assecutus fuerit [5].

Itaque de Aegyptiis hic non habeo quae in medium afferam. De Bybliis autem in Phoenicia Aegypto contermina narrat Plutarchus in tractatu de Iside atque Osiride [6], adhuc se scribente venerari eos ericae arboris truncum, positum apud eos in

---

1 Vide supra pag. 170. Miror Potterum archaeologiae Graecae lib. 2. cap. 2. in Gronov. thes. tom. 12. pag. 202. atque Everardum Ottonem libro de tutela viarum, part. 1. cap. 2. p. 33., Strabonis narratione de hermaeis prope Syenen, lib. 17. pag. 1173., quam sistimus supra pag. 42., uti ad probandum, quod rudes lapides pro simulacris olim habuerint Aegyptii. Neque id confutatione indigere videtur, quod Guascus asserit *de l'usage des statues* pag. 32. hermas ortum trahere ab obeliscis.

2 §. 3. Opp. tom. 3. pag. 452.

3 Lib. 17. pag. 1159.

4 Lib. 3. cap. 37.

5 Vide *Numos Aeg. imperat. in mus. Borgiano Velitris* tab. 8. et pag. 152. num. 462. Caeterum locus quem in numo occupat columna sive meta credere facit, ea non repraesentari princeps ejus templi simulacrum, dum in aliis numis Alexandrinis deorum signa constanter collocata cernantur in sacello distylo, quo cellam sive intimam templi partem indicari reor; sed dei aliquod symbolum in portico ante cellae aditum constitutum. Scimus autem conum ab ejus saeculi hominibus inter praecipua Solis symbola referri: scimus pariter Alexandriae exstitisse templum Mithrae, quem Solem putaverunt plerique, magicis mysteriis ibi celebratis infame. Quare nunc conjectura subvenit cono illo adumbrari Solis potestatem, in numo autem sisti templum Mithriacum, quod multis columnis decorum fuisse, inde quoque argui posse videtur, quod basilicam appellat Ruffinus. Vide scriptores historiae ecclesiasticae, Ruffinum lib. 2. cap. 22. Socratem lib. 3. c. 2. lib. 5. cap. 16. Sozomenum lib. 5. cap. 8. vitam S. Athanasii apud Photium cod. 258. pag. 1446. Forte istud aedificium, quod nobis ruina tantum sua innotuit, conditum fuit sub Hadriani imperio, quo tempore mysteriis maxime inhiabant homines, et peregrini ritus per omnes Romani imperii provincias expetebantur.

6 Opp. tom. 2. pag. 357. Edit. Reisk. tom. 7. pag. 409. In posterum ubi in hoc tractatu adducendo sola indicatur pagina, intelligenda erit editio Reiskiana; ubi vero praemittitur tomi numerus, editio Parisiensis 1624.

templo Isidis, quem olim pro columna Melcandri regis tecto subrigendo inservisse ferebant, insimulque tanquam in ventre suo inclusisse corpus Osiridis, usque dum Isis inde extractum reportaret in Aegyptum: *την μεν ερικην οθονῃ περικαλυψασαν και μυρον καταχεαμενην εγχειρισαι τοις βασιλευσι, και νυν ετι σεβεσθαι βυβλιους το ξυλον εν ἱερῳ κειμενον ισιδος*. „ Ericam linteo velatam affuso unguento regi uxorique „ ejus deam tradidisse ferunt ; colique etiamnum a Bybliis lignum istud in fano „ Isidis situm „. Huc etiam pertinent quae apud Eusebium praeparationis evangelicae libro primo fabulatur Philo Byblius [7], Sanchuniathonem ut ipse ait secutus. Nempe Osoum duas stelas consecrasse avis suis, Igni et Spiritui, atque adorasse et sacrificia obtulisse ; pariterque ipsi et fratri Hypsuranio, et qui una cum iis exstiterunt, post obitum stipites consecratos fuisse a posteris ac venerationi habitos : *τον ουσωον ανιερωσαι δυο στηλας πυρι τε και πνευματι, και προσκυνησαι, ἁμα τε σπενδειν αυτοις εξ ὡν ηγρευε θηριων. τουτων δε τελευτησαντων τους υπολειφθεντας αφιερωσαι αυτοις ραβδους, και τας στηλας προσκυνειν, και τουτοις ἑορτας αγειν κατ' ετος*. „ Usous cum geminos cippos Igni Ventoque dedicasset, mox „ utrique adorationis cultum exhibuit, quasque venando ceperat ferarum sangui„ne libavit. Posteaquam autem supremum isti omnes diem obiissent, qui su„perstites remansere, virgas et cippos in eorum honorem consecratos adorarunt, „ festosque dies solemni ritu quotannis peregerunt „.

§. X.

Sed neque saxis tantum ligneisque truncis hic honor tributus est : arbor quoque plantata in loco memorabili, et terrae monticulus vel e lapidibus congestus tumulus, servandae memoriae inservierunt, et inviolabiles habiti sunt ac venerandi [1]. Apud varias gentes moris fuit statis temporibus velut ad comitia convenire sub umbra arboris, cujus consuetudinis in Germania inter rusticos homines hodie quoque supersunt vestigia. Hinc sacrae apud veteres Germanos quercus tiliaeque quas pro diis adoraverunt, rei memoria in oppidorum vocabulis hinc inde adhuc superstite [2]. Scandinavi in deorum curia praegrandem finxere fraxinum, cui nomen Ygdrasil, ad quam quotidie conventum habitum pergerent Odinus et Asi [3] ; quem-

---

[7] Cap. 10. pag. 35. Idem pag. 32. asserit deorum cultum inde potissimum provenisse, quod quaevis gens, Phoenices maxime et Aegyptii, benefactores suos atque utilium rerum inventores post mortem venerari coeperint, stelasque et stipites eorum nomini consecrare : *στηλας τε και ραβδους αφιερουν εξ ονοματος αυτων*. Qua de re mox infra.

[1] De arboribus tumulisque terminorum vice fungentibus, consule Siculum Flaccum et Julium Frontinum inter Goesii auctores rei agrariae pag. 4. 6. 126. 127. Apud Tahitenses hodie quoque obtinet ut praefecturarum limites arbore coronata definiantur. Cookii iter tertium lib. 3. cap. 4. tom. 2. pag. 185.

[2] Adamus Bremensis hist. eccles. lib. 1. cap. 6. Everardus Otto de tutela viarum pag. 82. Scheidius de dis German. pag. 346. De Gallis idem asserit Maximus Tyrius dissertatione 8. cap. 8. Vide etiam Plinium nat. hist. lib. 15. cap. 44.

[3] Snorre Sturleson in Edda Islandica editore Petro Resenio fab. 14. *Ad ygdrasils eigu gudenn dôma sina huorn dag. askurenn er allra triâ mestur og bestur, limar hanns dreiffast umm heim allann, og standa yffer himne. thriar eru rætur triesins, og standa æffa breitt, ein er med asum, ónnur med hrymthussum, thar sem fordum var ginnungagap, enn thridia stendur yffer nifflheime.* „ Sub fraxino Ygdrasil dii quotidie „ sua exercent judicia. Fraxinus haec omnium „ arborum est maxima et optima, cujus rami „ per totum mundum diffunduntur, etiam coe„lo imminent. Tres radices arborem detinent

admodum et Tibetani ad sacrum montem Righiel-lunbo immanem sibi imaginantur arborem., Zampuh dictam, sub qua congregentur daemones [4]. Gallanorum quoque tribus in Aethiopia sub wanzey arbore conventus celebrant, reges suos eligunt et bella finitimis populis indicanda decernunt: eademque arbor iis pro curia et pro deo est [5]. Forte et Thesprotiae superstitionis ea origo fuit,

ενθα γε δωδωνη τις επ' εσχατιη πεπολισται ·
την δε ζευς εφιλησε, και όν χρηστηριον ειναι
τιμιον ανθρωποις · ναιεν δ' ενι πυθμενι φηγου ·

„ ubi Dodona procul condita, quam Jupiter dilexit, suumque decrevit oraculum „ hominibus venerandum, habitavitque in stipite quercus „ [6]; atque sub palma in Delo Latonam peperisse fabulati sunt,

αμφι δε φοινικι βαλε πηχεε, γουνα δ' ερεισε
λειμωνι μαλακω · μειδησε δε γαι' υπενερθεν ·
εκ δ' εθορε προφοωσδε, θεαι δ' ολολυξαν 'απασαι ·

„ circa palmam jecit brachia, genuaque fulcivit prato molli; subrisit autem terra „ subtus, prosiliitque in lucem Phoebus, ac deae acclamarunt omnes [7] „: quod ad

---

„ sustentantque, valde late patentes; una in„ ter Asos (sive deos) est, altera cum Hrym„ thussis (sive geniis frigoris), ubi olim erat „ Ginnungagap (sive abyssus), tertia super „ Niflheimum (sive orcum) extenditur „. Cf. *Valuspá epter Sæmundar Eddu*, stroph. 19. sqq. ed. Resen. ad calcem Eddae Snorronis, et *Grimnismál* stroph. 29. sqq. in *Edda Sæmundar hinns Fróda* edit. Hafniens. pag. 54. sqq., ubi inter alia;

theim rida æsir jóm
dag hvern, er their dóma fara
at asci yggdrasils.

„ Illis vectantur Asi equis die quolibet, cum con„ ventum habitum eunt ad fraxinum Yggdrasil „.

4 Vide Cl. P. Aug. Ant. Georgii alphabetum Tibetanum pag. 185. 186.

5 De arborum honore apud Gallanos, Shangallanos et Nubas in orientali Africa, vide Bruce *travels to discover the source of the Nile* tom. 2. pag. 217. 438. 554. tom. 4. pag. 420. tom. 5. pag. 54.

6 Fragmentum Hesiodi apud scholiasten Sophoclis ad Trachin. vers. 1181. Scripsi *ναιεν* pro *ναιον*.

7 Hymnus Homericus in Apollinem vers. 117. Cf. Theognidis sentent. vers. 5. Callimachi hymn. in Apoll. vers. 4. Cicer. de leg. lib. 1. cap. 1. Plin. nat. hist. lib. 16. c. 44. Euripides in Hecuba vers. 458. pro Tragicorum licentia palmae adjungit laurum:

ενθα πρωτογονος τε φοινιξ
δαφνα θ' ἱερους ανεσχε
πτορθους Λατοι φιλα,
ωδινος αγαλμα διας ·

„ Ubi primitiva palma laurusque sacros porre„ xit ramos Latonae amicae, partus divini de„ corationem „. Atque in Iphigenia Taurica vers. 1099. oleam praeterea addit;

φοινικα θ' ἁβροκομαν,
δαφναν τ' ευερνεα, και
γλαυκας θαλλον ἱερον ελαιας,
Λατους ωδινα φιλαν,
λιμναν θ' εἱλισσουσαν υδωρ
κυκνειον, ενθα κυκνος μελωδος
μουσας θεραπευει.

„ Et palmam habentem egregias comas, et „ laurum ramosam, et sacrum germen caeru„ leae oleae, Latonae partum charum, et palu„ dem volventem aquam cygneam, ubi cano„ rus cygnus colit Musas „. Vetus autem traditio palmam solam agnoscit, ad quam Theseus e Creta redux gymnicum certamen instituisse fertur, unde palmae ramus in victoriae symbolum abiit (Plutarch. quaest. conviv. lib. 8. n. 4.

eas arbores tum rerum tractandarum tum sacrorum peragendorum causa congregari solerent accolae. Id enim apud omnes fere invenimus antiquos populos, ut quo loco princeps erat sacrorum sedes, ibi quoque esset centrum reipublicae; sicuti et moris fuit ut iidem viri publicis sacris fungerentur rebusque gerendis praeessent. Delus in Cycladum medio loco sita, quae juxta Callimachum velut choream circum eam ducebant:

> αστεριη θυοεσσα, σε μεν περι τ' αμφι τε νησοι
> κυκλον εποιησαντο, και ὡς χορον αμφεβαλοντο [8].

quare eidem poetae dicitur insularum focus sive meditullium:

> ἱστιη ω νησων, ευεστιε, χαιρε μεν αυτη,
> χαιροι δ' απολλων τε, και ἡν ελοχευσατο λητω [9].

earum insularum habitatoribus a primis inde temporibus tanquam forum et prytaneum fuisse videtur. Dodona autem,

> ἱνα
> μαντεια θωκος τ' εστι θεσπρωτου διος,
> τερας τ' απιστον, ἁι προσηγοροι δρυες [10].

---

opp. tom, 2. p. 724.) donavitqué Ariadne Deliis simulacrum Veneris, Daedali opus, inferius in quadratam trabem desinens. Pausan. lib. 9. cap. 40. Callimach. hymn. in Delum vers. 307. Palmae illius pulchritudinem celebratam invenimus ab Ulysse, Odyss. Z. vers. 162. 166.

> δηλω δη ποτε τοιον απολλωνος παρα βωμω
> φοινικος νεον ερνος ανερχομενον ενοησα. —
> ὡς δ' αυτως και κεινο ιδων, ετεθηπεα θυμω
> δην· επει ουπω τοιον ανηλυθεν εκ δορυ γαιης·
> ὡς σε, γυναι, αγαμαι τε τεθηπα τε.

„ In Delo equidem aliquando tale, Apollinis „ juxta aram, palmae recens germen succrescens vidi: utque similiter et illud conspicatus obstupui animo diu, quandoquidem nunquam tale succrevit lignum e terra; ita te, „ o mulier, admiror obstupeoque „. Ubi recte advertit Eustathius pag. 1557. vetustam illam Apollinis aram non stetisse in templo, sed sub divo ad palmae arborem; quemadmodum ara illa in Aulide ad pulchram platanum et limpidum fontem. At templi septis jam Ulyssis tempore inclusa esse debebat, si verum est quod refert Syncellus chronogr. pag. 153. templum istud conditum fuisse ab Erysichthone Cecropis filio circa aetatem Deucalionis: nisi quod templum condere apud veteres saepe idem est ac aram struere aut arborem consecrare. Vide infra notam 18. Caeterum pervetustum institutum fuit apud Cycladum incolas singulis annis ad Delum convenire, quod initio a duodecim insulis coeptum, uti duodecim fuere civitates Amphictyonici synhedrii participes, postea ad plures dimanavit; dein ob secutas calamitates omissum, ab Atheniensibus tempore belli Peloponnesiaci instauratum fuit. Hymn. Homer. in Apoll. vers. 147. Thucyd. histor. lib. 3. cap. 104. Strab. lib. 10. pag. 742. Diodor. bibl. lib. 12. cap. 58.

[8] „ Asterie odora, te quidem circum insulae „ cinxerunt, et tanquam choro stiparunt „. Hymn. in Delum vers. 300.

[9] „ O lar insularum, tranquilla domus, salva sis et ipsa, salvus sit et Apollo, et quam „ peperit Latona „. Ibid. vers. 325.

[10] Aeschylus in Prometheo vincto vers. 829. Dodona ad Tomari montis radices sita, in confiniis Epiri et Thessaliae, nulli ex Pelasgorum tribubus adscripta fuisse videtur, sed communis omnibus: quod in causa est ut modo Molossidi accenseant scriptores, modo Ellopiae, Thesprotiae, Perrhaebiae, Thessaliae, Chaoniae. Qui autem eo convenire solebant tribuum principes, decreta sua firmanda censuerunt avitae quercus auctoritate, quare vetustissima traditio ea est ipsam arborem oracula fudisse. Mox quercui sacerdotes instituerunt, Pelasgicos quos-

„ ubi oraculum est sedesque Thesproti Jovis, ac incredibile portentum, affabiles „ quercus„ apud Pelasgos Epirum Thessaliamque tenentes idem erat, quod Hellenibus Pytho, iis vero Pelasgis qui Arcadiam habitabant, Lycosura cum Lycaei Jovis ara, terrae tumulo in summo montis vertice, non procul ab antro ubi deorum regem natum educatumque ferebant [11]. Etiam ficus illa Ruminalis, sub qua Urbis conditores

---

dam Druidas, Hellos dictos sive Sellos, quod vocabulum a veteribus varie explicatum idem significare suspicor, ac Saliorum Gallorumque et Corybantum nomina; atque famigeratos illos lebetes ipsis pro tympanis fuisse conjicio. Hi vita austeritate celebres oraculi fama universam Graeciam impleverunt, quo factum ut quae alia fuere per eam continentem Pelasgica sacraria obscurarentur, hoc vero solum ab Hellenibus barbarisque coleretur; atque licet honor ejus Delphorum claritate sensim imminutus fuerit, (Lucian. in Icaromenippo §.24. tom.2. p.780.) et ipsa Dodona annis circiter 220. ante aeram vulgarem ab Aetolis vastata (Polyb. lib. 5. cap. 10. 11.), tamen adhuc Pausania scribente Jovis templum et sacra quercus visu digna haberentur. Paus. l. 1. c.13. p.31. lib.8. c.23. p.643. Iidem, quo praestigiis suis majorem fidem conciliarent, uti coeperunt columbarum augurio, mulieresque fatidicas sibi associaverunt, ad quas postea transiit oraculi administratio. Hinc est quod Homerus quercus tantum novit et Sellos. Odyss. ξ vers. 327.:

τον δ' ες δωδωνην φατο βημεναι, οφρα θεοιο
εκ δρυος υψικομοιο διος βουλην επακουση·

„ Ulyssem in Dodonem dicebat ivisse, ut dei „ ex quercu excelsa Jovis consilium audiret„. Et Iliad. π. vers. 233.:

ζευ ανα, δωδωναιε, πελασγικε, τηλοθι ναιων,
δωδωνης μεδεων δυσχειμερου· αμφι δε σελλοι
σοι ναιουσ' υποφηται, ανιπτοποδες, χαμαιευναι.

„ Jupiter rex, Dodonaee, Pelasgice, procul „ habitans, Dodonae praesidens hyberno-frigo- „ re-infestae, circum autem Selli tui habitant „ vates, pedibus illotis, humi-cubantes „. Herodotus autem, qui ipse Dodonam adiit, columbas tantum memorat et anus fatidicas, Promeneam, Timareten et Nicandram, quarum colloquio usus fuerat; Sellos vero, si tunc temporis aliqui supererant, comprehendit sub Dodonaeorum nomine templo inservientium: ἁι προμαντιες, δωδωναιων ἁι ἱρηιαι· ὁι αλλοι δωδωναιοι ὁι περι το ἱρον. Lib. 2. cap. 54. 55. Cf. Strabonem lib. 7. pag. 504. lib. 9. pag. 617. Ex Herodoto praeterea discimus, Dodonaeae quercus oraculum ipso Jove fuisse antiquius. Refert enim lib. 2. cap. 52. 53. Pelasgos, qui olim deos colebant anonymos, hoc est ipsas arbores, ipsos lapides, et quae alia sunt agrestium gentium amuleta, jubente oraculo Dodonaeo deorum nomina, ex Aegypto potissimum allata, recepisse. τοις μεν ουν τοτε, ἁτε ουκ ουσι σοφοις, ὡσπερ υμεις οἱ νεοι, απεχρη δρυος και πετρας ακουειν υπ' ευηθειας, ει μονον αληθη λεγοιεν. „ Priscis itaque illis qui non ita ut vos juniores, „ sapientes erant, satis erat ob illam eorum „ simplicitatem petras et quercus audire, mo- „ do vera dicerent „. Verba sunt Platonis in Phaedro pag. 275. opp. tom. 3. Ab eo inde tempore quercus Jovis nomine insigniri coepit, et pro arbore venerari coeptum est Jovem in ea habitantem, cum sorore et conjuge Dione. Etiam apud Delphos, quod antiquissimum fuit inter Hellenes oraculum, in tota autem Graecia secundum a Dodonaeo, initio non tripus fuisse videtur neque Pythia, sed lauri arbor et vates, quos e Creta arcessitos docet auctor hymni Homerici in Apollinem vers. 393.:

κρητες απο κνωσσου μινωιου, ὁι ρα τ' ανακτι
ἱρα τε ρεζουσι, και αγγελλουσι θεμιστας
φοιβου απολλωνος χρυσαορου, ὁττι κεν ειπῃ
χρειων εκ δαφνης, γυαλων υπο παρνησοιο.

„ Cretes ex Cnosso Minoia; qui nempe regi „ sacra faciunt, et enuntiant leges Phoebi Apol- „ linis aureo-celebris-ense, quodcunque dixerit „ oracula edens e lauro, cavitatibus sub Par- „ nassi „. Columbis Dodonaeis comparat Dionysius ant. Rom. lib. 1. cap. 14. oraculum quod olim fuit in Tiora Italiae, ubi sacer picus in ligneam columnam subsidere et responsa reddere solebat. De reliquis consule fragmentum Stephani Byzantini de Dodona in Gronovii thes. ant. Graec. tom. 7. pag. 274., et loca veterum, quae ibi in exercitationibus congessit Jacobus Gronovius; atque in conjectaneis de Dodona Jac. Triglandus ibid. pag. 321.

[11] Pausanias, quo scribente Lycosurae tantum moenia supererant, et pauci habitatores urbis olim regiae, poetae cujusdam verba mutuatus inquit, lib.8. cap.38. pag.678., hanc omnium civitatum quas terra ostenderit solque adspexerit in continenti ac in insulis esse antiquissimam,

a lupa nutritos narrabant, primis Tiberis accolis fori locum designasse videtur; saltem ad eam postea exstructa fuerunt comitia et senaculum [12]; vetusque mos fuit in Latio ut sub caprifico matronae sacrificarent Junoni [13]. Apud Megarenses in foro oleaster stetit, urbis excidio fatalis [14]: et moriam olivam in Athenarum arce hanc ob causam praecipuum locum obtinuisse coniicio, quod signum esset foederis inter Atticas tribus in unam civitatem collectas [16]. Sic Josue sub quercu in sanctuario

---

et ab ea didicisse reliquos homines oppida condere: *ανωτερω δε ολιγον τειχους τε περιβολος της λυκοσουρας εστι, και οικητορες ενεισιν ου πολλοι. πολεων δε όποσας επι τη ηπειρω εδειξε γη και εν νησοις, λυκοσουρα εστι πρεσβυτατη, και ταυτην ειδεν ὁ ἡλιος πρωτην· απο ταυτης δε όι λοιποι ποιεισθαι πολεις μεμαθηκασιν ανθρωποι.* Prope ab ea ponit montem Lycaeum, a quo descendisse videntur Lycosurae conditores, juxta quod jam advertit Plato in Timaeo et legum lib. 3. veteres homines alluvionum formidine primum incoluisse juga, post descendisse ad radices montium. Hunc alios appellare Olympum, alios sacrum verticem Arcadum, atque hic Jovem educatum dici a Nymphis Thisoa, Neda et Hagnone: *το ορος το λυκαιον, καλουσι δε αυτο και ολυμπον, και ἱεραν γε ἑτεροι των αρκαδων κορυφην. τραφηναι δε τον δια φασιν εν τω ορει τουτω·— ταις νυμφαις δε ονοματα, υφ᾽ ὡν τον δια τραφηναι λεγουσι, τιθενται θεισοαν και νεδαν και ἁγνω.* Adnotat etiam cap. 36. p. 673. convenire inter Arcades Jovem natum esse in monte Lycaeo. Porro cap. 38. p. 679. inquit: *εστι δε επι τη ακρα τη ανωτατω του ορους γης χωμα, διος του λυκαιου βωμος· και ἡ πελοποννησος τα πολλα εστιν απ᾽ αυτου συνοπτος. προ δε του βωμου κιονες δυο, ὡς επι ανισχοντα ἑστηκασιν ἡλιον. αετοι δε επ᾽ αυτοις επιχρυσοι τα γε ετι παλαιοτερα επεποιηντο. επι τουτου του βωμου τω λυκαιω διι θυουσιν εν απορρητω. πολυπραγμονησαι δε ου μοι τα ες την θυσιαν ἡδυ ην, εχετω δε ὡς εχει και ὡς εσχεν εξ αρχης.* „ In supremo montis jugo est terrae tumulus, „ Lycaei Jovis ara: unde omnis fere Peloponnesus prospici potest. Ante aram stant columnae duae ad solis fere exortum, quibus „ olim impositae fuerunt aquilae deauratae. Ad „ hanc aram Lycaeo Jovi in operto faciunt: sed „ ejus sacri ritus curiose exquirere mihi non fuit „ collibitum; quare ita se habeant ut praesenti „ et prisci temporis religione sanciti sunt „.

[12] Tacitus annal. lib. 13. cap. 58. „ Ruminalem arborem in comitio, quae super octingentos quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos foetus reviresceret „. Conon narrat. 48. notat, in memoriam geminorum a lupa educatorum ostendi Romae in foro ante senaculum caprificum sacram aeneis cancellis cinctam: *επι της αγορας ερινεος ἱερα προ του βουλευτηριου, κιγκλισι χαλκαις περιειργομενη.* Advertit quoque Dionysius ant. Rom. lib. 3. cap. 71. Navii statuam in Foro stetisse ante senaculum, prope sacram ficum: *προ του βουλευτηριου, πλησιον της ἱερας συκης.*

[13] Varro de ling. Lat. lib. 4. cap. 47. „ Nonae Caprotinae, quod eo die in Latio Junoni Caprotinae mulieres sacrificant, et sub „ caprifico faciunt, et e caprifico adhibent virgam „. Varro de re rust. lib. 2. cap. 9. „ Propter lac de ramo fici ad coagulum, apud Divae Rumiae sacellum a pastoribus sata ficus. „ Ibi enim solent sacrificare lacte pro vino pro „ lactentibus „.

[14] Plinius nat. hist. lib. 16. cap. 39. „ Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quae cortice ambiente „ aetas longa occultaverat. Fuitque arbor illa „ fatalis excidio urbis, praemonitae oraculo, „ cum arbor arma peperisset: quod succisae „ accidit, ocreis galeisque intus repertis „. Cf. Theophrast. de hist. plant. lib. 5. c. 3.

[15] Herodotus lib. 8. cap. 55. *εστι εν τη ακροπολι ταυτη ερεχθηος του γηγενεος λεγομενου ειναι νηος, εν τω ελαιη τε και θαλασσα ενι· τα λογος παρ᾽ αθηναιων ποσειδεωνα τε και αθηναιην, ερισαντας περι της χωρης, μαρτυρια θεσθαι.* „ Est in „ arce hac Erechthei, qui fertur fuisse terrigena, templum, in quo olea est et mare, ut „ apud Athenienses praedicatur, Neptuno et „ Minervae in testimonium posita, quod de regione decertassent „. De hac contentione et de sacris oleis in acropoli et in Academia, vide inter alios Apollodorum biblioth. lib. 3. cap. 13. num. 1. Pausaniam lib. 1. cap. 26. 27. p. 62. sqq. Euripidem in Jone vers. 1454. scholiasten Aristophanis ad Nubes vers. 1001. et schol. Sophoclis ad Oedipum Colon. vers. 730. ubi poeta:

φυτευμ᾽ αχειρωτον, αυτοποιον.
εγχεων φοβημα δαϊων,
ὁ ταδε θαλλει μεγιστα χωρα·
γλαυκας παιδοτροφου φυλλον ελαιας·
την μεν τις ουτε νεος ουτε γηρα
συναιμων ἁλιωσει χειρι περσας.
ὁ γαρ εισαιεν ὁρων κυκλος

Domini statuit lapidem foederis ; sic sub platano in Aulide Graeci ad Iliacum bellum congregati et diis sacrificarunt et expeditionis signum posuerunt . Antiquissimum quoque Ephesiae Dianae templum ulmus fuit , ab Amazonibus consecrata , cujus truncus ad instar sacelli excavatus simulacro , de coelo ut ferebant demisso, pro aede erat . Celebrat Dionysius in orbis descriptione [16]

παρραλιην εφεσον , μεγαλην πολιν ιοχεαιρης ·
ενθα θεῃ ποτε νηον αμαζονιδες τετυχοντο
πρεμνῳ ενι πτελεης , περιωσιον ανδρασι θαυμα ·

„ maritimam Ephesum , magnam urbem Dianae , ubi deae quondam aedem Amazones condiderunt in stipite ulmi , immensum hominibus miraculum „ . Et Callimachus in hymno Dianam alloquitur [17] :

σοι και αμαζονιδες , πολεμου επιθυμητειραι ,
εν κοτε παρραλιῃ εφεσου βρετας ἱδρυσαντο
φηγῳ υπο πρεμνῳ : τελεσεν δε τοι ἱερον ἱππω .

„ Tibi etiam Amazones , belli affectatrices , olim in littore Ephesi statuam „ posuerunt , fagino sub trunco ; peregitque tibi sacrum Hippo „ . Quod unicum forte exemplum simulacri intra arborem constituti occurrit apud veteres , quare nec commentatores rem probe videntur assecuti [18] . At eundem morem offendimus apud occidentales Afros in Bissao insula , sacra sua facientes sub umbra spatiosae arboris , cujus truncus in complures excisus loculos deorum icunculas conti-

---

λευσσει νιν μοριου διος ,
χα γλαυκωπις αθανα .

„ Germen intactum , spontaneum , hastarum „ hostilium terror , quod in hac maxime floret „ terra , glaucae liberûm nutricis folium oleae. „ Quam quidem neque juvenis aliquis neque senex imperans perdet manu exscindens . Nam „ semper videns oculus Morii Jovis eam tuetur, „ et caesiis oculis praedita Minerva „ . Frequens est in Atheniensium pecunia oleae arbor, nonnunquam serpente obvoluta , qui Erichthonium denotat Minervae genium ; nonnumquam ramis insidente noctua , aut Minerva prope adsidente . V. Gesneri numism. urb. tab. 3. num.5. 6. 13. Haymi thes. Britann. tom. 1. tab. 15.n.3. 4. Pellerin *recueil* tom. 1. tab.23. num. 16. Eamdem arborem serpente cinctam , cum noctua ramis insidente , adstantibus hinc Minerva , inde Neptuno habes apud Gesnerum tab. 2. num.36. In alio autem numismate ibid. tab. 3. num.8. Neptuni loco adest Jupiter fulmen vibrans , forsan ille quem *μοριον* cognominabant et *καταιβατην* , sive fatalem et prodigialem , cujus ara fuit in Academia , cujusque effigies cernitur in numis Atticis apud Haymum tom. 1. tab. 16. num. 2. 6 apud Gesnerum tab. 2. num.10. —— 16.

[16] Vers. 827.

[17] Hymni in Dianam vers. 237.

[18] Falluntur admodum interpretes, qui e Dionysii loco modo citato , ipsum Dianae simulacrum ulmeum stipitem fuisse arguunt ; sed neque magnus Spanhemius in notis ad Callimachum pag. 290. rem acu tetigisse videtur , ubi *φηγω υπο πρεμνῳ* reddit Virgiliana phrase *sub tegmine fagi* , et Dionysii *πρεμνῳ ενι πτελεης* vertit *sub trunco ulmi* : quasi prope stipitem arboris templum conditum aut simulacrum positum fuisset . Secundum Dionysium in ipso trunco templum fuit , hoc est loculus statuae , atque ex hoc interpretandus Callimachus , cujus verba licet minus clara , sponte eodem redeunt . Quod vero Fabro et Spanhemio arridet *φηγω* , mihi a consueta epicorum dialecto recedere videtur , quae Doricas terminationes non ita temere admittere solet : *φηγῳ* idem esse puto ac *φηγεῳ* , vertendum autem non *fagino* sed *arboreo* . Nam *φηγος* significat arborem glandiferam , poetis vero pro quacunque arbore stat . Hic accipiendum esse de ulmo , constat ex Stephano Byzantino , voce *εφεσος* .

tinet. Eademque ipsis pro oraculo est, uti Pelasgis olim quercus apud Dodonam; neque rem gerendam suscipit rex insulae, antequam hostia caesa, arboreque vino palmeo et victimae sanguine aspersa deorum mentem percunctatus sit [19]. Forsan simili modo in Samo insula, quae Epheso e regione sita est, cava vitex Junoni pro templo fuit; eamque ob causam et deam sub vitice natam celebraverunt et templum conditum dixerunt a Nymphis [20], quae arborum sunt tutelares genii [21]. Sed multae praeterea occurrunt apud Graecos Romanosque sacrae arbores, ad quas consuetudo fuit deos hostiis placare, quaeque postea templorum septis fuerunt inclusae. „ Arbores, inquit *Plinius*, [22] fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia „ ra etiam nunc deo praecellentem arborem dicant „.

§. X I.

Lectorum pariter lapidum acervos, antiquissimo ritu foederum testes exstitisse, jurejurando caesisque victimis consecratos, docemur exemplo Labanis et Jacobi, qui cum post fugam e Mesopotamia amicitiam instaurare vellent, inquit Laban: „ Veni ergo et ineamus foedus, ut sit in testimonium inter me et te. „ Tulit itaque Jacob lapidem et erexit in titulum, dixitque fratribus suis: afferte „ lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum: quem „ vocavit Laban tumulum testis, et Jacob acervum testimonii, uterque juxta pro-

---

[19] Ita quidem refert Rue, qui Gallorum rebus agendis in ea regione praefuit, et sub ipsa arbore foedus pepigit cum rege Bissaensium. V. *Hist. génér. des voyages* part. 1. lib. 6. c. 9. §. 1. tom. 2. pag. 561.

[20] Pausanias lib. 7. cap. 4. pag. 530.: *σαμιοι τεχθηναι νομιζουσι την ἡραν εν τῃ νησῳ παρα τῳ ιμβρατῳ ποταμῳ, και υπο τῃ λυγῳ, τῃ εν τῳ ἡραιῳ κατ' εμε ετι πεφυκυιῃ.* „ Samii Junonem „ apud se natam ferunt ad flumen Imbrasum, „ ac sub vitice, quae hac nostra aetate adhuc „ viret in Heraeo „. Athenaeus dipnos. lib. 15. cap. 4. p. 672.: *του και νυν υπαρχοντος εν σαμῳ της ἡρας νεω, προτερον δε υπο λελεγων και νυμφων καθιδρυμενου.* „ Templum Junonis quod in Samo „ est, olim conditum a Lelegibus et Nymphis „. Pausanias lib. 8. cap. 23. pag. 643. recensens vetustissimas in Graecia arbores suo tempore superstites, primum locum tribuit vitici in Samo, secundum quercui Dodonaeae, oleae in acropoli Athenarum, et (palmae) in Delo; tertium lauro in Syro insula: post quas ponit platanum in Caphyis Arcadiae, Menelaida dictam. His adde e Plinio, nat. hist. lib. 12. cap. 1., platanum in Creta ad fontem prope Gortynam, sub qua Jovem cum Europa concubuisse ferebant, in Gortyniorum numismatis obviam. Vide Gesneri num. urb. et pop. tab. 18. num. 1. Spanhem. observ. in hymn. Callimachi pag. 480. Porro ex eodem, lib. 16. cap. 44., oleam Argis, ad quam Jo in vaccam mutatam Argus alligaverat; oleastrum religiose custoditum Olympiae, ex quo primus Hercules coronatus dicebatur; et Delphicam platanum Agamemnonis manu satam. Ostendebatur quoque in regione Aulocrene prope Apameam Phrygiae platanus, ex qua pependerat Marsyas victus ab Apolline; (Plin. loc. cit.) et apud Troezenios oleaster, in quam conversam dicebant clavam Herculis. Pausan. lib. 2, cap. 31. pag. 186. Adeo solemne fuit apud Graecos pro monumentis uti arboribus, factarum rerum memoriam iis affigendo.

[21] Callimachus hymno in Delum vers. 82.

εμαι θεαι ειπατε μουσαι,
η ρ' ετεον εγενοντο τοτε δρυες ἡνικα νυμφαι,
νυμφαι μεν χαιρουσιν, ὁτε δρυας ομβρος αεξει;
νυμφαι δ' αυ κλαιουσιν, ὁτε δρυσιν ουκ ετι φυλλα.

„ Meae deae dicite Musae, an vere natae sint „ tunc quercus cum Nymphae. Nymphae quidem gaudent, ubi quercus imber irrigat, „ Nymphae rursus flent, ubi quercubus non „ amplius folia sunt „.

[22] Nat. hist. lib. 12. cap. 1. De sacris arboribus in Urbe prope templa vide eundem lib. 15. cap. 29. lib. 16. cap. 44. ac confer Victorem et Rufum descript. Urbis, reg. 4. Sed mos ille apud omnes fere populos obvius, ut vel singulae arbores vel tota plantarum genera diis consecrentur, ad hanc nostram rem non pertinet.

„ prietatem linguae suae. Dixitque Laban: tumulus iste erit testis inter me et te „ hodie; et idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, idest *tumulus testis*. —— En „ tumulus hic et lapis, quem erexi inter me et te, testis erit: tumulus inquam „ iste et lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut „ tu praeterieris malum mihi cogitans. Deus Abraham et deus Nachor judicet in- „ ter nos, deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac: „ immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem „ [1]. Etiam Israelitae qui possessionem acceperant trans Jordanem, aedificaverunt ad fluvium altàre infinitae magnitudinis, in testimonium inter se et reliquas tribus, quod et ipsi essent filii Israel et sacra sibi cum reliquis communia [2].

Quos autem Hermaeos tumulos appellabant Graeci veteres, limitum viarumque indices, apud gentes quam longissimo intervallo semotas in hònore habitos legimus, atque a viatoribus, quo viales Lares sibi demulcerent, quotidiana lapidum additione auctos. Vetusta enim Graecorum consuetudo acervis lapidum, quos ex agro legebant, viarum directionem locorumque distantias denotare, quam notissima est e scholiastis Homeri, cui in via ducente ad oppidum Ithacensium mememoratur ἑρμαιος λοφος [3]. Hermaea quoque, regionum terminos, annotat Pausanias in Arcadicis [4], quae a Messeniis dirimebant fines Megalopolitarum, ac Arcadum limites a Lacedaemoniis; eodemque sensu Strabo libro decimoseptimo syenitae lapidis scopulos in Aegypti et Aethiopiae confinibus Hermaeis similes ait [5]. Serius in medio tumulo Hermen collocare instituerunt, quod de Hermaeo inter agros Messeniorum et Megalopolitarum advertit Pausanias [6]: *το ἑρμαιον, ες ὁ μεσσηνιοις και μεγαλοπολιταις εισιν ὁροι · πεποιηται δε αυτοθι και ἑρμης επι στηλῃ ·* „ Hermaeum quod limitem facit inter Messenios et Megalopolitas: est et ibi Hermes „ pilae impositus „: ac lapides, quos viae purgandae tumulique augendi gratia in eum jacere solebant transeuntes, tanquam dona offerre coeperunt Mercurio. Hinc epigramma *εις ἑρμαιον λοφον* apud Brunckium in analectis [7]:

ἱερον ἑρμειῃ με παραστειχοντες εχευαν
ανθρωποι λιθινον σωρον · ὁ δ' αντ' ολιγης
ου μεγαλην αυτοις εγνω χαριν · αλλ' ὁτι λοιπα
αιγος επι κρηνης ἑπτα λεγω σταδια.

„ Sacrum Mercurio me homines transeuntes jecerunt, lapidum acervum: is autem „ pro parvo non magnum munus illis retribuit; sed quod ad Aegoscrenen reliqua

---

[1] Genes. cap. 31. vers. 44.

[2] Josue cap. 22. vers. 10.26.

[3] Odyss. Π vers. 471.
ηδη υπερ πολιος, ὁθι ἑρμαιος λοφος εστιν ηα κιων.
„ Jam super urbe, ubi Mercurialis collis est, „ eram profectus „. Vide Eustathium pag. 1809. scholiasten veterem ad hunc locum, et Hesychium, voce ἑρμαιος λοφος.

[4] Lib. 8. cap. 34. 35.

[5] Vide supra pag. 52. Sed haereo utrum ἑρμαια scribam cum Casaubono, an ἑρματα quod olim legebatur. Apprime enim saxa per magnam planitiem sparsa, scopulis marinis comparare potuit Strabo. Caeterum ἑρμαιων vocabulum satis apte derivari videtur a nomine ἑρμου, qui viarum, finium et cujusvis instituti ad publica commoda spectantis praeses credebatur: si vero aliam quaeris originem, Aegyptia lingua, offert vocem ⲉⲣ-ⲙⲁ, quae loci signum denotat, unde τερμα et *terminus*.

[6] Lib. 8. cap. 34. pag. 670.

[7] Tom. 3. pag. 197. num. 234.

„ sunt septem stadia , hoc ego indico „ . Phurnutus autem libro de diis [8] , et Eudocia in violario [9] : *προσσωρευουσι τους λιθους τοις ἑρμαις , ἑκαστος των παριοντων ἑνα τινα προστιθεις , ὡς χρησιμον τι και κοινωνικον το παρ᾽ αυτου ἑκαστος ποιων , δια του καθαιρειν την ὁδον · ειτε μαρτυροποιουμενος τον ἑρμην , ειτε ὡς επισημαινομενος την εις αυτον τιμην , ει μηδεν αλλο εχῃ προσενεγκειν αυτῳ* . „ Coacervantur lapides circum Hermas , dum quicunque transit , adjicit unum la„ pidem , tanquam pro viribus suis aliquid facturus ad publicam utilitatem ; si„ quidem ea ratione viae purgabantur ; insimul Mercurium testem invocans , si„ ve pietatem suam in deum manifestans, si quando aliud non haberet ei offerendum „. His adeo sunt similia quae ex autoptarum relatione de Tibetanis narrat Rev. P. Georgius [10] , quem honoris causa nomino , ut facile in mentem sibi inducere posset aliquis , vel Tibetanos a Graecis ea didicisse vel a Tibetanis Graecos . Verum sunt consuetudines quaedam ritusque utilitate dictante , superstione autem augente , populis etiam nullo usquam pacto junctis communes ; ac frustra in gentium originibus illustrandis illos desudare reor , qui ex hujusmodi rebus vel affinitatem vel commercium comprobare sibi videntur . Solebant etiam Peruviani in biviis lapides ponere instar sacrificii , juxtaque de itineris felicitate vota concipere [11] .

§. XII.

Innumerae sunt quae occurrunt hujus generis superstitiones ; quae magna ex parte ortae videntur a monumentis ; licet nequaquam affirmare velim , omnes ab hoc fonte effluxisse . Procul enim a veritate abesse puto eos , qui falsas hominum de deo persuasiones omnes ab una origine derivandas censent ; et quaecunque circa hanc rem sive ab antiquis sive ab hodiernis scriptoribus adornatae fuerunt hypotheses , praeconceptis opinionibus nec maturo examine dijudicatis superstructas existimo . Cum enim a natura ita comparati simus , ut cuivis rei facile tribuamus easdem quibus ipsi instructi sumus qualitates , atque in rebus sensu carentibus doloris et gaudii , iraeque ac benevolentiae affectus quaeramus , ideoque demulcendo colendoque nobis eas conciliare speremus , nulla certa ratio afferri potest , cur omnes populos , qui vera dei cognitione inveniuntur destituti , ab uno potius rerum genere colendo incepisse putemus quam a reliquis : sed existimandum est apud singulos homines tribusque et populos exstitisse causas peculiares , in coeli natura

---

[8] Cap. 16.

[9] Pag. 155. Scholiastes ad Odyss. Π. vers. 471. lepidam affert Mercurialium tumulorum originem . „ Dii , ait , Mercurium caesi Atgi ac„ cusatum iudicantes , cum Jovem vererentur „ cujus jussu caedem perpetraverat , at insimul „ crimen abhorrerent atque inviti eum absol„ verent , indignabundi projecerunt calculos ad „ pedes ejus ; unde ortus mos lapillorum colli„ gendorum ante statuas Mercurii „ .

[10] Alphabeti Tibetani pag. 508. „ Strues sunt „ lapidum et saxorum in confiniis regni et pro„ vinciarum Tibeti ; inter haec saxa haerent „ in altum erecti trunci arundinum palustrium „ cum linteolis ad eorum summitatem adligatis. „ In his vexillis impressa est magica illa ora„ tio , *hom mani peme hum* : unde Mani usita„ tissimo vocabulo nuncupantur , quae vox alias „ summum deum significat . Viatores vix dum „ in conspectu habent acervum , salutant cu„ stodem Larem , et collecta saxa in acervum „ jaciunt , et votiva munera suspendunt „ . Similem consuetudinem obtinuisse apud Germanos veteres , auctor est Schildius lib. 2. de Chaucis , cap. 3.

[11] Acosta hist. nat. et mor. Indiae occidentalis l. 5. c. 5. pag. 215.

quaerendas, inque vitae ratione, vel in variis casibus et vicissitudinibus, quae effecere ut initium facerent sive ab uno sive ab altero superstitionis genere. Inter antiquissimas vero erroris origines et latissime patentes hoc refero, quod inopinato eventu perculsi rudes homines uni aliive rei divinam et plus quam naturalem virtutem inesse crederent, ad bona procuranda vel ad mala abigenda. Nempe casus tulit ut ejus ope imminens periculum effugeret aliquis, aut desiderio satisfaceret; quo factum ut vel grati animi impulsu vel futuri beneficii spe amare eam inciperet et venerari, frequenter invisere, aut si moles sinebat indivulsam secum circumferre. Inde a patre ad filium propagata persuasione, accidit interdum ut integrae tribus, totae nonnunquam nationes sub talium rerum specie numen adorarent. Cujus rei vestigia in Aegyptiorum praesertim religionibus deprehendisse sibi visi sunt veteres scriptores, dum tradunt Arsinoitas ideo crocodilum esse veneratos, quod Moeris ejus provinciae conditor crocodili ope salvus evaserat e fluvio; Lycopolitas autem lupum, quod irruentium Aethiopum manum luporum agmen olim terruerat [1]. Verum plerumque non beneficium revera perceptum in causa fuit: sed falsa opinio et causarum quaedam permutatio, omen captum ab occursu vel a similitudine, seduxere hominum mentes, ut vilium quoque et prorsus inutilium rerum praesidio se quae in votis essent obtenturos existimarent. Hinc amuleta illa, quae sub varia appellatione apud omnes fere inveniuntur incultas nationes [2]; hinc Aegyptiorum

---

[1] Diodorus bibl. lib. 1. cap. 88. 89. ubi pro μηναν scribendum esse μοιριν, manifestum fit ex cap. 45. collato cum cap. 51. Nolo equidem affirmare, veras historias hic referre Diodorum, aut cultus crocodilo lupoque ab Aegyptiis exhibiti has fuisse veras rationes: modo ne quis putet absona esse quae ille hoc loco narrat. Constat enim crocodilum laedere non posse hominem qui dorso ejus insiluerit, sed ipsi esse pro navigio: et id quoque fieri potuit, ut latrones per deserta Aegyptum inter atque Aethiopiam delapsi a feris obtererentur. De Graecis exemplum superstitionis hoc pacto natae suppeditat Plutarchus in Theseo cap.8. opp. tom.1. pag.4., narrans Joxides in Caria asparagum et stoeben herbas venerari, eo quod Joxi mater Periguna in tali virgulto latens salvata fuerat, quo tempore Sinnin patrem ejus occidit Theseus.

[2] Infinita paene occurrunt hujus generis deliria, cum nulla sit res ita vilis et abjecta, quin aut singulis hominibus aut integris tribubus populisque aliquando dei loco stetisse reperiatur: et quod mirum est in nulla alia re adeo inter se convenire videntur mortales quam in eo, quod a rebus prorsus nihili maxima sibi commoda polliceantur. Occidentales Afri, quod de Indis notat Curtius de reb. Alex. M. lib.8. c.9. „ deos „ putant quidquid colere coeperunt „ et praeter publica numina, quae plerumque rupes sunt vel arbores, aves colubrique, privata amuleta omnis generis immani multitudine consecrata venerantur, ut plurimum bacillos aliquos unciformes, aut armillas e cortice palmae, ossicula ustulata, plumas, cornua, lateres, doliola omnifariis περιττωματι referta, et quae alia sunt hujusmodi, quorum nonnulla domi servant, alia secum circumferunt. Praeterea ubi ad rem aliquam majoris momenti suscipiendam se accingunt, primum quodcunque in oculos incurrit, sive animal sit sive herba sive adeo lapillus coloratus, hoc amplexantur et velut ejusce diei fortunam sibi associant; atque ubi prosperos successus consequantur, ascitum amuletum maximo in honore habent, si vero infelix sit exitus, statim repudiant et projiciunt. Vide Bosman *voyage de Guinée* epist. 19. pag. 393. et in *hist. génér. des voyages* part. 1. l. 10. c. 5. §. 1. tom. 4. p. 304. caeterosque peregrinatores ibidem l. 6. c. 8. l. 8. c.2. c. 3. §.4. c. 6. §. 1. l. 9. c. 7. §. 7. l. 10. c. 5. §. 1. c. 8. l.13. c. 1. §. 4. tom. 2. pag. 551. tom. 3. pag. 388. 436. 480. tom. 4. pag. 155. 376. 374. 604. Ista amuleta Lusitanico vocabulo plerumque Fetissa nuncupantur ab Europaeis, Guineenses eodem nomine quo reliquos suos deos Bossuma appellant, Congenses et Loangenses Mokissa. Occurrit eadem superstitio apud orientales Indos, in insulis maxime. V. *Recueil des voyages qui ont servi à l' établissement de la compagnie des Indes* tom. 1. p. 417. *Hist. génér. des voyages* tom. 8. pag. 119. Anton. Pigafetta in *Purchas his pilgrimes* lib. 2. cap. 2. pag. 44. Pariter apud Irokenses aliosque Americae populos, ubi quisque deum sibi designat, plantam,

Graecorumque phylacteria, et varia quae in Graecia atque Italia occurrunt oppidorum erymata[3]; Syrorum pariter familiares baetyli, Arabumque talismana per to-

---

aut animal, aut utensile, cultrum, pellem ursinam, alia hujusmodi. V. Lafitau *moeurs des sauvages* tom. 1. pag. 145. 264. 370. Eademque obtinuisse videtur apud Peruvianos, saltem antequam ab Yncis Solem pro principe deo venerari docerentur. Garcil. de la Vega *hist. des Yncas* tom. 1. pag. 38. 42. 380. tom. 2. p. 38, 49. 64. 268. 276.sqq. Acosta hist. Indiae occid. l.5. c.5.pag.214. In his gens Huamachucu lapillos varii coloris in fluminum ripis quotidie reperiendos divino honore prosecuta fertur, Chincae et reliquae gentes maritimae piscium varia genera. Quae vero tribus degebant in Huancapampa provincia, singulae habebant suum deum, modo herbam aut arborem, modo avem, belluam, fontem, fluvium montemve: atque quod narratur de Aegyptiis, una gens alteram ad bellum provocare consueverat, quo suum deum reliquos antecellere probaret. Natsiensibus porro in America septentrionali pro Palladio fuit lapis conicus centum pellibus involutus. Lafitau l. cit. t.1. p.147. Brasilienses vero singuli pro amuleto gestant crepitaculum, quod Maraka appellant, praestigiatoris afflatu sacratum. Stade historia Brasiliae pag. 117. in Bry *America* tom. 1. In Madagascar quoque insula unusquisque secum fert capsulam, in qua condita est tutela, quam quo frequentius adipe inficiant, eo feliciores sibi pollicentur eventus, nec nisi explorato ejus oraculo rem gerendam suscipiunt. Flacourt *hist. de l' isle de Madagascar* pag. 181. Neque australis terrae autochthones nuper detecti suis carent amuletis et felicis augurii avibus; quamquam de eorum religione parum comperisse videntur Europaei. Vide Cookii periplum novissimum l. 3, c. 2. l. 5. c. 8. tom. 2. p. 142. 144. t.4. p.94. 95.et Forsteri iter l. 1. c. 6. 10. 12. l. 2. c. 3. tom. 11. pag. 384. tom. 12. p. 89. 112. 300. tom. 13. p. 246. Etiam primitivi Scandinaviae incolae, Jotuni, Dvergi, Finnique et Lappones hujusmodi superstitionibus dediti inveniuntur, ac vilissimarum rerum ope bona sibi exquirere inimicos autem infortunio devovere se posse crediderunt: cujus rei innumera exempla offerunt traditiones septentrionalium, nec hodie e vulgi mente plane deleta sunt hujus magiae terriculamenta, licet qui postea a Maeotidis finibus illuc penetravere advenae, Asorum nomine vulgo appellati, aliam pro ea substituerint, scilicet magiam e runis sive litteris, de qua vide *Runa Capitula* in calce Eddae Sturlesonianae editore Resenio. Consule quoque de vetustae superstitionis reliquiis apud Lappones et Ostiakos, Schefferi Lapponiam p. 92. 119. sqq. et Mullerum in *recueil des voyages au Nord* tom. 8. p. 410 413. 416.

[3] Quae apud veteres fuere singulorum hominum, infantium praesertim et muliercularum phylacteria, per quam similia barbarorum de quibus dixi ritibus, scarabaei, bullae lunulaeque et fascini, magicae anulorum scalpturae, atque icunculae de collo suspendendae in antiquorum operum collectionibus frequenter obviae, plerumque aut informes aut obscoenae; varia praeterea lapidum lignorumque et herbarum genera superstitiose consecrata, nimis nota sunt quam ut iis immorarer. Etiam Theraphim quae in sacris paginis omnium prima memoratur superstitio, parvae res fuisse intelliguntur, quae portari et abscondi possent facile, de collo forte ac de auribus suspendendae. Geneseos c.31. vers. 19. 34. c.35. ver.4. De phylacteriis consule in primis Euripidem in Jone vers. 1018. Aristot. mirab. auscult. append. t.2. p.738. opp. ed. Duval. Theophr. de hist. plant. l. 7. c. 12. Plinium nat. hist. l. 11. cap. 28. lib. 20. cap. 9. lib. 30. cap. 11. 15. lib. 34. cap. 15. lib. 37. cap. 3. 9. Plutarchum de Iside pag. 399. 484. 487. opp. tom. 2. pag. 355 377. 378. de anim. solert. tom. 2. p. 964. Dionem Cassium lib. 79. cap. 10. Abydenum apud S. Cyrill. orat. 1. adv. Julian. pag. 9. et apud Syncell. pag. 31. Porphyr. epist. ad Anebonem p. 5. Marin. in vita Procli cap. 28. Macrob. saturn. lib. 1. cap. 6. Malalam lib. 8. pag. 86. Hesych. v. σεληνις, Suidam v. ιαχην et ιυλιαιος χαλδαιος, Tzetz. chil. 2. vers. 920. et Orphei λιθικα passim. Valde notabile est atque ad superstitionis naturam deprehendendam opportunum, quod de Nerone narrat Suetonius cap. 26., eum spretis coelicolis icunculam puellarem, quam quasi remedium insidiarum ab ignoto homine muneri acceperat, detecta confestim conjuratione, pro summo numine trinisque in die sacrificiis colere perseverasse, et monitione ejus futura praenoscere affectasse. Ab eodem fonte manaverunt vetusta illa civitatum ερυματα sive tutelae, exiguae quaedam res atque obscurae, quarum postquam pudere coepit cordatiores homines, mysterii velo obtegere studuerunt ac fabulose connectere cum diis postea receptis, abolere non ausi, quoniam ab iis pendere prosperitatem populi in vulgus creditum esset. Sic docente Servio ad Aen. lib. 7. vers. 188. septem res erant, quae tenebant Romanum imperium: acus Matris deûm, quadriga fictilis Vejorum, cineres Orestis, sceptrum Priami, ve-

tum Orientem hodie quoque diffusa. Vetustissima enim haec, eademque pervicacissima est superstitio. Saepe etiam reverentia et stupor quidam, quibus afficimur ex grandium rerum contemplatione, sive ipsa rei vetustas aut amoenitas, suasores exstitere, ut astra et meteora adorarent populi [4], ut divinae crederentur rupes arboresque excelsae, ut fluvii fontesque pro diis essent, utque opaci luci putarentur diversoria numinum, et antra colerentur deorum incunabula [5]. Acce-

---

lum Ilioneae, Palladium, ancilia. His adde Lanuvina sacra Romam delata, caduceos ferreos aeneosque et doliola duo, vacuum alterum, alterum refertum et obsignatum: de quibus Dionysius antiqu. Rom. lib. I. cap. *66.* et Plutarchus in Camillo cap. 20. opp. tom. I. pag. *139.* Atheniensibus vero praesidio erant cadaver Oedipodis et cultor Thesei: Sophocles in Oed. Colon. vers. 1592. Euripides in Supplic. vers. 1203. Tegeatis in Arcadia cincinnus a Medusae capite avulsus, donum Minervae, in hydria asservatum in templo inde dicto το του ερυματος ἱερον: Apollodor. bibl. lib. 2. cap. 7. num. *3.* Pausan. lib. 8. c. 47. p. *696.* cf. Eckhel. num. vet. anecdot. pag. 142. Chaeronensibus in Boeotia baculus, quem Jovis Atridarumque sceptrum appellabant, ac prae omnibus diis colere instituerant: Pausan. lib. *9.* cap. 40. pag. *795.* His perquam similia sunt quae de Mokissis Loangensium in singulis ejus regni oppidis religiose custoditis, narrant peregrinatores in *hist. gén. des voyages* par. I. l. *13.* c. I. §. 4. tom. 4. pag. *609.* Neque alio loco stare videtur famigeratum illud Palladion de coelo lapsum, quod se possidere tot urbes gloriabantur, nulla in publicum efferebat. Videsis de eo Pherecydem apud scholiasten Lycophronis vers. *361.* Apollod. bibl. lib. *3.* c. II. n. *3.* Eustath. pag. *627.* et reliquos scholiastas ad Iliad. Z. vers. *92.* Pausan. lib. 2. cap. 23. pag. *164.* Callimach. hymn. in lavacr. Pall. vers. *35.* et schol. Plutarchum quaest. Graec. opp. tom. 2. pag. *302.* Dionys. ant. Rom. lib. I. cap. *68. 69.* Clem. Alex. cohort. cap. 4. pag. 41. Serv. ad Aen. lib. 2. vers. *166.* Procop. de bell. Goth. lib. I. cap. 15. Herodian. hist. lib. 4. cap. 15. Chron. Pasch. pag. 227. Confer Euripid. Iphig. Taur. vers. 85. Pausan. lib. I. cap. *26.* lib. *9.* cap. 12. Herodian. lib. I. cap. *35.* Etiam quae veteres coluerunt sacra animalia, aves praesertim, serpentesque et pisces, magna ex parte huc referenda videntur.

[4] Astrorum cultum, Lunae potissimum ac Solis, late inter gentes diffusum, nemo est qui ignoret: fuere et qui omnibus populis communem crederent ac omnem idololatriam inde derivandam arbitrarentur. At dubito omnino ut primitivis ritibus sit accensendus, dum quae corpora quotidie conspiciuntur, nec nisi sensim atque ordinate in res humanas influunt, rudium hominum mentes non ita videantur afficere ut ad ea placanda sibique conciliandа excitentur. Ideoque et inter barbaras gentes, quae maxime ferae sunt et incultae, Solis Lunaeque numina ignorare deprehenduntur, amuletorum venerationi unice deditae. Ipsi veteres Persae, qui Solis adoratores dicuntur, primitus non solem videntur coluisse, sed Vestam, focum domesticum, postea solem, focum universi mundi: eandemque originem habuisse religionem Natsiensium in America et Cuzcoensium, suspicari facit consuetudo, regum cadavera velut penates aliquos custodire in communi gentis templo, quod Soli sacratum dicebatur. Verum luna, quae cursu variabili phasibusque dissonis, vultu jam placido jam terribili ad sui contemplationem commovet homines, maturius quam sol videtur adorata: quandoquidem in Africa et America etiam nunc gentes sunt, quae inter astra eam solam venerantur. Merolla *relaz. del Congo* p. 190. Bosman *voyage de Guinée* epist. 12. p. 213. Kolben in *Hist. génér. de voyages* part. I. l. 14. c. 4. §. 2. tom. 5. p. 173. Bruce *travels* t. 2. p. 221. 553. Garcil. de la Vega *hist. des Yncas* t. 2. p. 276. Fernandez *relaz. dei Cichiti* pag. 20. Reliquae autem gentes majori ex parte, quin et ipsi veteres Graeci de ea multo magis, quam de sole aut reliquis astris colendis solliciti fuisse comperiuntur. Quare est ut ab ea coeptum esse existimem coelestia corpora inter numina referre, serius autem apud varios populos exstitisse viros prudentes, qui, ut fecisse dicuntur Yncae illi Peruvianorum, vulgi animum a vilibus amuletis ad coelestium adorationem convertere allaborarunt. Sic ad sublimiora erecti, astris meteorisque ut deos adjunxerunt rerum elementa, quae quoniam nullam habent suam figuram sub sensus cadentem, ansam praebuerunt ad ideales deos cogitatione concipiendos, quos postea non elementis tantummodo, sed astris quoque; terrestribusque corporibus quibuscunque, amuletis praesertim et quae alia colere jam coeperant, inesse aut praeesse finxerunt: unde originem traxere Aegyptiorum Graecorumque theogoniae.

[5] De montium antrorumque et fluviorum ac arborum honore apud barbaros populos consule

dit quod ex publica utilitate visum sit, ut loci quidam essent inviolabiles, animalium pariter plantarumque genera non temere vastarentur: quod ut plebi persuaderent legum latores sanctitatem iis tribuerunt numenque inesse docuerunt; quae

---

Lafitau *moeurs des Sauvages* tom. 1. pag. 149. 179. 211. Acosta hist. Ind. occid. l. 5. c. 5. pag. 214. Garc. de la Vega *hist. des Ync.* tom. 1. p. 371. 497. tom. 2. pag. 268. 276. 285. Cook *troisieme voyage* l. 2. c. 4. tom. 1. pag. 299. l. 3. c. 5. tom. 2. pag. 212. Forster *reise um die welt* l. 2. c. 3. tom. 13. pag. 246. Kaempfer *histoire du Japon* tom. 1. pag. 29. edit. in fol. Knox *relation de l' isle de Ceylan.* tom. 1. p. 76. tom. 2. pag. 179. 184. F. Vincenzo M. di S. Caterina *viaggio alle Indie orientali* pag. 69. 103. 112. 127. Merolla *relazione del regno di Congo* pag. 94. *Histoire génér. des voyages* part. 1. l. 6. c. 9. §. 2: l. 8. c. 3. §. 4. l. 9. c. 2. §. 6. c. 7. §. 7. l. 10. c. 5. §. 1. tom. 2. pag. 565. tom. 3. pag. 437. 617. tom. 4. pag. 160. 161. 162. 301. Veterum loca de argumento quam notissimo hic colligere supersedeo, quae autem in universum de rebus, quae venerationi fuere apud priscos populos, eleganter exponit Maximus Tyrius dissertatione 8. cap. 1. 7. 8. huc transferre non piget: *αρωγοι ανθρωποις θεοι, παντες μεν πασιν, αλλοι δε αλλοις ε ομισθησαν κατα την φημην των ονοματων και διενειμαν αυτοις οι ανθρωποι τιμας και αγαλματα, οι ες τα ιδια εκαστοι ωφεληθεντες. ούτω μεν ναυται επι ακλυστου πετρας ανεθηκαν οιακας θαλαττιοις ούτω δε τις ποιμενων τον πανα τιμα ελατην αυτω υψηλην εξελουμενος, η αντρον βαθυ. και γεωργοι διονυσον τιμωσι, πηξαντες εν ορχατω αυτοφυες πρεμνον, αγροικικον αγαλμα. ίερα δε αρτεμιδος πηγαι ναματων, και κοιλαι ναπαι και ευθηροι (l. ανθηροι) λειμωνες. επεφημισαν δε και δii αγαλματα οι πρωτοι ανθρωποι κορυφας ορων, ολυμπον και ιδην και ει τι αλλο ορος πλησιαζει τω ουρανω εστι που και ποταμων τιμη, η κατ' ωφελειαν ώσπερ αιγυπτιοις προς τον νειλον, η κατα καλλος ώς θετταλοις προς τον πηνειον, η κατα μεγεθος ώς σκυθαις προς τον ιστρον, η κατα μυθον ώς αιτωλοις προς αχελωον. η κατα νομον ώς σπαρτιαταις προς τον ευρωταν, η κατα τελετην ώς αθηναιοις προς ιλισσον. — εστι δε ό ατλας ορος κοιλον, επιεικως υψηλον, — τουτο λιβυων και ίερον και θεος και όρκος και αγαλμα. κελτοι σεβουσι μεν δια, αγαλμα δε διος κελτικον υψηλη δρυς παιονες σεβουσι μεν ήλιον. αγαλμα δε ήλιου παιονικον δισκος βραχυς υπερ μακρου ξυλου. αραβιοι σεβουσι μεν, όντινα δε ουκ οιδα· το δε αγαλμα ειδον, λιθος ην τετραγωνος παφιοις ή μεν αφροδιτη τας τιμας εχει. το δε αγαλμα ουκ αν εικασαις αλλω τω ή πυραμιδι λευκη ή δε υλη αγνοειται λυκιοις ό ολυμπος πυρ εκδιδοι, ουχ όμοιον τω αιτναιω, αλλ' ειρηνικον και συμμετρον· και εστιν αυτοις το πυρ τουτο και ίερον και αγαλμα. φρυγες οι περι κελαινας νεμομενοι τιμωσι ποταμους δυο, μαρσυαν και μαιανδρον. — ορος καππαδοκαις και θεος και όρκος και αγαλμα, μαιωταις λιμνη, ταναϊς μασσαγεταις.* „ Opitulari deos mortalibus, omnes quidem „ omnibus, alios tamen aliis, pro diversitate „ nominum omnes confitentur; hac ratione „ honores illis divisere homines, signaque di„ carunt, prout opem eorum experti erant sin„ guli. Ita nautae in eminenti scopulo, quem „ infra undae alluebant, diis marinis temonem „ posuerunt: ita Pana suum pastorum colit ali„ quis, qui aut excelsam ei abietem, aut an„ trum dedicat profundum: agricolae in horto „ suo stipitem figunt ingenuum, agrestem sta„ tuam, atque eo modo se colere Bacchum „ postulant. Jam fontes laticum saltusque cavi „ et vestita floribus prata, Dianae sacra sunt: „ ne Jovem quidem immunem honoris hujus „ primi habuere mortalium, culmina mon„ tium illius sunt, Olympi et Idae, aut si quis „ praeterea montium coelo proximus est. Est „ et suus fluviis honos, sed diversus; aut enim „ utilitatis ergo colunt, ut Nilum Aegyptii; „ aut pulchritudinis causa, ut Peneum Thessa„ li; aut magnitudinis, ut Istrum Scythae; „ aut ex tradita fabula, ut Acheloum Aetoli; „ aut ex lege ut Spartiatae Eurotam; aut ex sa„ cro instituto, ut Ilissum Athenienses. —— „ Est autem Atlas mons cavus satis altus, hoc „ templum Libycum, hic deus est, hunc jure„ jurando testem invocant, hanc habent sta„ tuam. Jovem Celtae colunt, Jovis autem „ Celticum simulacrum alta quercus est. Paeo„ nes Solem colunt, Solisque Paeonicum simu„ lacrum brevis discus est perticae supra lon„ gissimae affixus. Colunt et Arabes, quem „ vero haud facile dixerim; quod autem vidi „ simulacrum, lapis erat quadrangularis. Vene„ rem Paphii colunt, cujus statuam albae py„ ramidi non dissimilem dixeris, materies ve„ ro ignoratur. Apud Lycios mons Olympus „ ignem eructat, non Aetnaei instar, sed pla„ cidum compositumque; estque hic ipsis et „ templum et statua. Qui Celaenas accolunt „ Phryges, fluvios duos, Marsyam colunt et „ Maeandrum. — Mons Cappadocibus et deus „ et jusjurandum est et statua: palus Maeoti„ cis, Massagetis Tanais „.

magna ex parte Aegyptiorum rituum ratio fuisse videtur. Aliis denique pro deo fuit symbolum ejus rei, qua maxime se juvari cognoverant; bellicosis Scythis acinaces, ferisque Italis hastae; et apud Aethiopes venatu pasturaque vitam tolerantes canis, in cujus honorem taurus successit apud Aegyptios agricolas. Sed arduum est in singulis definire opinionis originem, neque hic id ago: satis est si in eo non fallor, quod homines non raro a primaevorum monumentorum reverentia ad superstitiosum cultum transiisse putem. Secutae aetates pro varia hominum indole, modo propter antiquitatis honorem aut ex firma persuasione esse numen in rudibus illis signis, intacta servavere, adjectis nonnunquam uno alterove ornamento; modo pro iis substituerunt cultiores formas, sed simplices ac primaevo trunco non multum dissimiles; modo humanum caput addidere aliave membra humana; modo stipitis lapidisve loco posuere statuam.

§. XIII.

Multiplex praesertim cura fuit omni aevo et omnibus fere populis circa sepulcra et mortuorum recordationem, dum conditorio rite parato ac contra impias manus munito quietam sedem quaererent defuncto, superstitibus autem necessitudine aut amicitia ei conjunctis, solatium e monumento quod tanquam pro defuncto adesse testarique videretur, non totum periisse.

Reperimus quidem gentes, quibus, contra quam suadet insita nobis erga cognatos et sodales pietas, id solum cordi fuisse videtur, ut mortuorum cadavera confestim eriperent oculis, et quantum possent delerent penitus: quod cum a primitiva hominum feritate ortum traxerit, a nonnullis postea in religiosum ritum deprehenditur conversum. De Hiberniae insulae indigenis auctor est Strabo, sua adhuc aetate ita feros fuisse, ut parentum cadaveribus vescerentur [1]: quam nefandam consuetudinem apud Scythas quoque ad Paropamisum et Imaum, Derbices maxime et Massagetas perdurasse tradit [2]. Idemque apud Issedones Scytharum in Asia ul-

[1] Geogr. lib. 4. pag. 307. *περι ιερνης ουδεν εχομεν λεγειν σαφες, πλην ότι αγριωτεροι των βρετταιων υπαρχουσιν όι κατοικουντες αυτην, ανθρωποφαγοι τε οντες και πολυφαγοι, τους τε πατερας τελευτησαντας κατεσθιειν εν καλῳ τιθεμενοι.* „ De Hibernia nihil certi habeo quod dicam, „ nisi quod incolae ejus Britannis sunt magis „ agrestes, qui et humanis vescuntur carnibus „ et plurimum cibi vorant, et pro honesto du„ cunt parentum mortuorum corpora comede„ re „.

[2] Lib. 11. pag. 781. *θανατος νομιζεται παρα μασσαγεταις αριστος, όταν γηρασαντες κατακοπωσι μετα των προβατειων κρεων. και αναμιξ βροθωσι. τους δε νοσῳ θανοντας ριπτουσιν ώς ασεβεις, και αξιους υπο θηριων βεβρωσθαι.* „ Mortis ge„ nus optimum censent Massagetae, si senio „ confecti cum carnibus ovillis in frustra conci„ dantur, unaque devorantur. Qui e morbo „ decedunt, eos abjiciunt tanquam impios, et „ dignos qui a feris vorentur „. Et pag. 790. *δερβικες τους υπερ έβδομηκοντα ετη γεγονοτας σφαττουσι, αναλισκουσι δε τας σαρκας όι αγχιστα γενους. τας δε γραιας απαγχουσιν, ειτα θαπτουσι. τους δε εντος έβδομηκοντα ετων αποθανοντας ουκ εσθιουσιν, αλλα θαπτουσι.* „ Derbices eos qui „ septuagesimum annum excesserunt jugulant; „ carnes genere proximi absumunt. Vetulas „ strangulant, inde sepeliunt. Qui intra se„ ptuagesimum annum moritur, non comedi„ tur, sed humatur „. Anonymus auctor *περι του αγαθου και του κακου* apud Galeum in opusc. mythol. phys. eth. edit. Amstelod. pag. 713.: *μασσαγεται τως γονεας κατακοψαντες κατεσθοντι, και ταφος καλλιστος δοκει ημεν εν τοις τεκνοις τεθαφθαι.* „ Massagetae parentes concisos comedunt, et „ pulcherrimum ipsis videtur esse sepulcrum „ in filiis suis sepeliri „. Confer Aelianum var. hist. lib. 4. cap. 1. Porphyrium de abstin. lib. 4. pag. 429. S. Hieronym. adv. Jovinian. lib. 2. num. 7. De Scythis ergo a Caspio mari ad ortum constitutis, a quibus omnem cultiorem vitam ini-

timos[3], atque in meridionali India apud Calatias et Padaeos, se scribente moris fuisse refert Herodotus[4]. Aliae gentes mortuorum reliquiis usae feruntur ad saginanda animalia quorum ope maxime vitam tolerarent: siquidem Ichthyophagi in

---

tium cepisse contendunt nuperi scriptores complures, intelligendi sunt auctores veteres, qui Scythas narrant diu post Christum natum parentum cadavere vesci perseverasse: Lucianus *de luctu* §. 21. opp. tom. 2. pag. 932. Tertullianus apologiae cap. 9. et libro. 1. adv. Marcion. cap. 1. Sed commode accidit, quod hunc morem Chrysippo Stoïcorum antesignano probatum doceat Laertius de vitis philosophor. lib. 7. seg. 185.

[3] Herodotus lib. 4. cap. 26. *νομοισι δε ισσηδονες τοιοισιδε λεγονται χρασθαι. επεαν ανδρι αποθανοι πατηρ, όι προσηκοντες παντες προσαγουσι προβατα, και επειτα ταυτα θυσαντες και καταταμοντες τα κρεα, κατταμνουσι και τον του δεκομενου τεθνεωτα γονεα· αναμιξαντες δε παντα τα κρεα δαιτα προτιθενται. την δε κεφαλην αυτου ψιλωσαντες και εκκαθηραντες καταχρυσουσι, και επειτα άτε αγαλματι χρεωνται, θυσιας μεγαλας επετειους επιτελεοντες. παις δε πατρι τουτο ποιεει, καταπερ όι έλληνες τα γενεσια.* „ Issedones porro talibus moribus uti feruntur: quoties pater alicui decessit, omnes propinqui pecora adducunt, quae ubi mactaverunt conciderunt que carnes, concidunt et mortuum patrem illius, a quo excipiuntur, commixtisque omnibus carnibus convivium exhibent. Caput autem defuncti depilatum expurgatumque inaurant, eoque pro re sacrata utuntur, peragentes quotannis magna sacrificia. Haec filius patri facit, quemadmodum Graeci emortuali die „. Cum Herodoto consentiunt Mela descr. orb. lib. 2. cap. 1. et Solinus polyhist. cap. 15. pag. 25. nisi quod parentum capita auro vincta pro poculis geri referunt. Adde Zenobium adag. cent. 5. num. 25., ubi pro *σιδωνες* omnino legendum *ισσηδονες*. Eosdem forte respexit Silius punic. lib. 13. v. 471. quamquam Celtas appellet, vago vocabulo. Nam apud occidentalis Europae incolas hunc morem a nemine notatum reperio: Gothi autem Scythis contermini ex hostium tantum craniis potum sumere consueverunt. Advertit quoque Gulielmus de Rubruquis, qui medio saeculo decimo tertio eas provincias adiit, Tibetanos, qui Issedonum progenies esse videntur, tunc desivisse parentum corpora comedere, sed adhuc apud eos moris esse craniis eorum uti pro poculis. *Voyages en Tartarie par ordre de Louis IX.* in *Bergeron relation des voyages en Tartarie* pag. 111. Quidquid B. Odericus in narratione de itinere Indico suscepto anno 1317. refert pag. 77., Tibeti incolas, quamquam reliquum corpus in frusta dissectum offerant vulturibus, tamen caput tradere filio defuncto, ut carnem comedat, ex osse autem scyphum faciat. Sinenses pariter usque saltem ad saeculum nonum humanam carnem inter cibos habuisse ac publice venum dedisse, constat e peregrinatoribus Arabibus a Renaudotio editis, version. Ital. pag. 51. 60. Atque in Java insula Scythicum sepeliendi ritum se scribente adhuc obtinuisse, Japonenses autem et Conchenses Sinis adjectos caesorum hostium carnem comedere consuevisse, auctor est Marcus Polus itineris libro 2. in *Ramusio navigationi e viaggi* tom. 2. pag. 52. 50. 58. Nec in America defuerunt gentes, quae parentum cadaveribus vescerentur. Lafitau *moeurs des sauvages* tom. 2. pag. 406.

[4] Celsus apud Originem lib. 5. cap. 34. *ινδων δε εισι, όι και τους πατερας εσθιοντες όσια δραν νομιζουσιν, ώς φησι ήροδοτος.* „Sunt inter Indos „ qui et patres suos comedentes rite facere pu„ tant, ut ait Herodotus „. Hic lib. 3. cap. 38.: *δαρειος καλεσας ινδων τους καλεομενους καλατιας, όι τους γονεας κατεσθιουσι, ειρετο, παρεοντων των έλληνων, και δι έρμηνεος μανθανοντων τα λεγομενα, επι τινι χρηματι δεξαιατ' αν τελευτεοντας τους πατερας κατακαιειν πυρι. όι δε αμβωσαντες μεγα ευφημεειν μιν εκελευον.* „ Darius Graecis praesentibus et quae dicebantur per interpretes discentibus, vocatos ad se eos Indos, qui Calatiae nominati vescuntur parentibus, rogavit quantum accipere pecuniarum vellent, ut patres defunctos igne cremarent. Indi vehementer reclamantes meliora illum ominari jubebant „. Eiusdem gentis nomen cap. 97. scribitur *καλαντιαι ινδοι*: fuisse autem inter ejus tractus populos maxime australes, colligitur ex eodem loco collato cum cap. 101. Porro post enarratas varias Indiae gentes, quarum aliae victu utebantur nomadico, aliae in paludibus habitantes piscium esu vitam tolerabant, pergit ad Padaeos, Tibullo etiam memoratos lib. 4. eleg. 1. vers. 145., ad quos forte pertinent qui ab aliis dicuntur Pandae, Pandaei, Pandiones. De his ait lib. 3. cap. 99.: *αλλοι δε των ινδων προς ηω οικεοντες τουτων, νομαδες εισι κρεων εδεσται ωμων· καλεονται δε παδαιοι. νομοισι δε τοιοισιδε λεγονται χρασθαι· ός αν καμη των αστων, ηντε ανηρ ηντε γυνη, τον μεν ανδρα ανδρες όι μαλιστα όι όμιλεοντες κτεινουσι, φαμενοι αυτον τηκομενον τη νουσω τα κρεα σφισι διαφθειρεσθαι· όδε απαρνεομενος εστι μη μεν νοσεειν, όι δε ου συγγινωσκομενοι, απο-*

Aethiopia piscibus vorandas concessere, quod apud Gangeticas gentes nonnullas hodie quoque obtinet [5]; venatores populi, Caspii, Bactriani Hyrcanique et Parthi, nec non Taxili in Indiae parte septentrionali, canibus avibusque [6]. Unde et

---

κτειναντες κατευωχεονται· ην δε γυνη καμη, ὡσαυτως ἁι επιχρεωμεναι μαλιστα γυναικες ταυτα τοις ανδρασι ποιεουσι· τον γαρ δη ες γηρας απικομενον θυσαντες, κατευωχεονται. ες δε τουτου λογου ου πολλοι τινες αυτεων απικνεονται π̓ ο γαρ τουτου ες νουσον παντα πιπτοντα κτεινουσι.,, Alii autem In- ,, dorum ab istis ad ortum habitantes sunt ,, pecuarii, carnibus crudis vescentes, no- ,, mine Padaei, qui talibus uti moribus nar- ,, rantur. Quicumque civium seu vir seu foe- ,, mina aegrotat, virum quidem sui maxi- ,, me familiares interimunt; quod dicant il- ,, lum morbo tabescentem carnes ipsis corrum- ,, pere: et licet se neget ille aegrotare, nihi- ,, lominus isti non ignoscentes necant eum, ,, epulanturque. Mulier vero si aegrotet, suae ,, maxime necessariae foeminae, idem quod ,, viri faciunt. Qui porro ad senium pervenit, ,, eo mactato pascuntur. Sed in hujus rationem ,, non multi eorum perveniunt; nam ante id ,, unumquemque, qui in morbum incidit, ne- ,, cant,, . Ad hanc gentem respexisse videtur Petronius Arbiter in satyrico cap. 141. ,, Apud quasdam gentes scimus adhuc legem ,, servari, ut a propinquis suis consumantur ,, defuncti, adeo quidem ut objurgentur aegri ,, frequenter, quod carnem faciant pejorem ,,. Padaeis apponit Herodotus cap. 100. alium Indiae populum, nomine non expresso, qui nec animatum occidere, nec agrum serere, nec domus struere consueverant, sed herbis seminibusque sponte nascentibus victitabant: ὁς δ' αν ες νουσον αυτεων πεσῃ ελθων ες την ερημον κεεται· φροντιζει δε ουδεις ουτ' αποθανοντος, ουτε καμνοντος· ,, Eorum quisquis in morbum incidit, is in lo- ,, cum desertum pergit, ibique decumbit, vel de- ,, functi vel decumbentis curam gestante nemi- ,, ne ,, . Hos omnes ad meridiem sitos esse ait cap. 101., colore Aethiopibus fere similes, ac pecudum more coitu utentes in propatulo: humaniores autem Indiae populos ad septentrionem habitare, (cap. 102.) Magorum ut videtur Persarumque commercio ab agresti immanique vita excultos, bellica fortitudine conspicuos, aurique copia et serica lana beatos. Hos adiit Alexander ac praedatorio bello attrivit, atque ad eos referenda videntur quae de Indorum moribus et politicis institutis, tardius multo ad meridionales propagatis, narrant Graeci sequiores. Qui vero tenuerunt juga Paropamisi, Scytharum accolae, priscam servaverunt feritatem. De iis Strabo in Indiae descriptione l. 15. p. 1037. ονησικριτος φησι τους τον καυκασον οικουντας σαρκοφαγειν τα των συγγενων σωματα. ,, Qui Cauca- ,, sum incolunt (i. e. Paropamisum) cognato- ,, rum carnibus vesci ait Onesicritus ,, .

[5] Strabo l. 16. pag. 1119. ὁι εν αιθιοπιᾳ χελωνοφαγοι τους νεκρους ριπτουσι τροφην τοις ιχθυσιν, αναλαμβανομενους υπο των πλημμυριδων. ,, Chelonophagi in Aethiopia mortuos piscibus ,, in cibum projiciunt, maris aestu abripien- ,, dos ,, . Confer eundem lib. 17. pag. 1178. Diodorum bibl. lib. 3. cap. 8. Silium punic. l. 13. vers. 469. Sextum Empir. pyrrhon. hypot. l. 3. cap. 24., ubi Aethiopes illi Ichthyophagi dicuntur. Idem de Paeonibus affirmat Pyrrho apud Laertium lib. 9. seg. 84.; ac de Neozelandiis Cook primi itineris lib. 2. cap. 3. et 10. apud Hawkesworth *recueil* tom. 5. pag. 143. tom. 6. pag. 145. Huc quoque pertinere videtur, quod de insula in mari Indico a se reperta narrat Jambulus apud Diodorum l. 2. c. 59. indigenas aestus vices observantes in mari sub arenam mortuos defodere consuevisse. Bernier in epistola *touchant les gentils de l' Hindoustan*, pag. 45. refert, Gangis fluvii accolas defunctorum corpora semiadusta in fluvium dejicere, nonnunquam senes aegrotosque adhuc spirantes demergere. Cf. Sonnerat *voyage* tom. 1. pag. 92. edit. in 4. Ex jure pontificio veterum Romanorum piaculum contrahebatur, ubi cadaver in mare projectum fuerat, etiam si in navigatione factum (Cicer. de leg. lib. 2. cap. 22.); quamquam ex Argeorum solemnitate argueret aliquis, Ichthyophagorum consuetudinem aliquando obtinuisse apud Tiberis accolas. Ovid. fastor. lib. 5. v. 654.

[6] Cicero tuscul. quaest. lib. 1. cap. 45. ,, In ,, Hyrcania plebs publicos alit canes, et opti- ,, mates domesticos. Nobile autem genus ca- ,, num illud scimus esse: sed pro sua quisque ,, facultate parat, a quibus lanietur, eamque ,, optimam illi esse censent sepulturam ,, . Confer Porphyrium de abstinentia lib. 4. pag. 429. Silius Italicus punic. lib. 13. vers. 460.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obscoenus consumit corpora vultur:
Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes.

Justinus hist. philipp. lib. 1. cap. 3. ,, Apud ,, Parthos sepultura aut avium aut canum lania-

Scytharum quorundam mos fluxisse videtur, cadavera suspendere de arboribus [7], et Magorum praeceptum memoratum a Cicerone, qui e Bactria oriundi magnam superioris Asiae partem suis ritibus obstrinxerunt, non sinens humare corpora nisi a fe-

---

,, tus est. Nuda demum ossa terra obruuntur,,. Eundemque morem Medis adscribit Caesarius dialogo 2. num. 109. Strabo lib. 11. pag. 791. κασπιοι τους υπερ ἑβδομηκοντα ετη λιμοκτονησαντες, εις την ερημιαν εκτιθεασιν· αποθεν δε σκοπευοντες, εαν μεν υπ᾽ ορνιθων κατασπωμενους απο της κλινης ιδωσιν, ευδαιμονιζουσι· εαν δε υπο θηριων η κυνων, ἡττον· εαν δ᾽υπο μηδενος κακοδαιμονιζουσι. ,, Caspii eos qui septuaginta amplius annos vi- ,, xerunt, fame enecatos in solitudinem ejiciunt: ,, eminusque spectantes, si a feretro detrahi ,, eos ab avibus videant, praedicant beatos: ,, sin a feris aut canibus, non item: infelices ,, si omnino non detrahantur;,. Idem pag. 786 ex Onesicrito: βακτριων τους απειρηκοτας δια νοσον η γηρας, ζωντας παραβαλλεσθαι τρεφομενοις κυσιν επιτηδες δε προς τουτο, ὁυς ενταφιαστας καλουσι τη πατρωα γλωττη. ,, Apud Bactrianos ,, qui senio confecti sint aut morbo, eos vivos ,, projici canibus dedita opera ad hoc nutritis, ,, quos sua lingua vespillones vocant ,,. Inveteratam consuetudinem frustra abolere tentasse Graecos, auctor est Porphyrius de abstin loc. cit: και βακτριοι μεν τοις κυσι παραβαλλουσι ζωντας τους γεγηρακοτας· και τουτ᾽ επιχειρησας καταλυσαι στασανωρ ὁ αλεξανδρου υπαρχος, μικρου την αρχην απεβαλεν. Quae exigua mutatione latine leguntur apud S. Hieronymum adv. Jovinian. lib. 2. n. 7: ,, Bactrii canibus ad hoc ipsum nutritis objiciunt ,, senes: quod cum Alexandri praefectus Nica- ,, nor emendare voluisset, paene amisit provin- ,, ciam ,,. De Taxilis in India septentrionali inquit Strabo lib. 15. pag. 1041.: αριστοβουλος των εν ταξιλοις νομιμων καινα και αηθη λεγει,— και το γυψι ριπτεσθαι τον τετελευτηκοτα. ,, Aristobu- ,, lus Taxilorum consuetudines insolentes quas- ,, dam refert, in quibus est quod mortui ,, vulturibus projiciantur ,,. Confer Sextum Emp. loc. cit. et Stobaeum serm. 22. p. 614. Oritas quoque ad sinum Persicum, quos ex India redux adiit Alexander, defunctos in sylvas deportatos feris obtulisse, narrat Diodorus lib. 17. cap. 105. Quod vero de Barcaeis in Africa tradit Aelianus anim. hist. lib. 10. cap. 22., morbo defunctos pro ignominiae nota cremavisse, in bello caesos honoris causa objecisse vulturibus: non satis videtur probabile, cum apud reliquas gentes crematio non nisi honoratioribus obtigisse inveniatur, praeterea cadaverum combustio ab Afrorum moribus cum olim tum hodie reperiatur aliena.

[7] Silius punic. lib. 13. vers. 475.

Et gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

Apud Tungusos, Scythicam gentem, hodie quoque moris est mortuos affigere arboribus; post ubi carnes absumptae sint, ossa humare in montibus. V. Isbrand Ides *voyage de Moscou à la Chine*, in *Recueil de voyages au Nord* to. 8. pag. 59. 88. Corn. de Bruyn *voyage par la Moscovie en Perse* tom. 1. p. 11. Colchi etiam, qui et ipsi ad Scythas pertinere videntur, virorum cadavera de arboribus suspendere consueverant, sed bovinis pellibus insuta; quod ab Ilinensibus in America hodie quoque fieri ait Lafitau *moeurs des sauvages* tom. 2., pag. 406. Nymphodorum secutus Apollonius Argonaut. lib. 3. vers. 199.

χερσον δ᾽ εξαπεβησαν επι θρωσμου πεδιοιο.
κιρκαιον τοδε που κικλησκεται· ενθα δε πολλαι
ἑξειης προμαλοι τε και ιτεαι εκπεφυασιν,
των και επ᾽ ακροτατων νεκυες σειρησι κρεμανται
δεσμιοι. εισετι νυν γαρ αγος κολχοισιν ορωρεν
ανερας οιχομενους πυρι καιεμεν· ουδ᾽ ενι γαιη
εστι θεμις στειλαντας υπερθ᾽ επι σημα χεεσθαι.
αλλ᾽ εν αδεψητοισι κατειλυσαντε βοειαις
δενδρων εξαπτειν ἑκας αστεος. ηερι δ᾽ ισην
και χθων εμμορεν αισαν· επει χθονι ταρχυουσι
θηλυτερας. ἡ γαρ τε δικη θεσμοιο τετυκται:

,, In littus exivere Argonautae et campi tuber, ,, qui Circaeus nominatur. Multae ibi serie con- ,, tinua vitices egerminarunt et salices; quarum ,, e fastigiis cadavera pendebant catenis vincta. ,, Nam in hodiernum usque religioni est Col- ,, chis defunctos mares igni exurere. Neque ,, autem in terra componere fas est aut moni- ,, menti causa superiicere pulverem; sed tau- ,, rinis pellibus inelaboratis insutos procul ur- ,, be suspendere de arboribus. Ac partiarium ,, cum aëre munus telluri obtigit, dum in ter- ,, ra exequias faciunt sexui inferiori. Hic enim ,, mos legis est ,,. Inspice scholiasten, et confer Aelianum var. hist. lib. 4. cap. 1. Nicolaum Damasc. in Gronov. thes. tom. 6. p. 3857. Euseb. praep. evang. lib. 1. cap. 3. Morem etiam nunc servant Abcassi Colchis a septentrione contermini, ut cadavera ligneis capulis inclusa summis arborum ramis adalligent. P. Arch. Lamberti *relazione della Colchide* pag. 199.

ris essent ante laniata [8]; quod apud Tibetanos et Siamenses etiam nunc obtinet [9]. Pariterque ab Ichthyophagorum consuetudine repetendum esse arbitror, quod Indi cis Gangem, apud quos maximam partem invaluit cremandi ritus, ossa deinde cineresque ad fluvios aut lacus deportandos curent ac undis submergendos [10]: nec aliam originem habuisse videtur Ciorum mos in Bithynia, Nicolao Damasceno [11] memoratus, qui combusti corporis reliquias ventis aquisque sparsisse dicuntur. Na-

---

Ac simili fere instituto Hurones in America mortuorum arcas super palis terrae infixis ad quindecim usque pedum altitudinem elatas collocant. Lafitau loc. cit.

8. Cicero tuscul. quaest. lib. 1. cap. 45. „ Persae cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum nisi a feris sint ante laniata „. His fere consona tradit Strabo lib. 15. p. 1068. sed plenius Herodotus lib. 1. cap. 140. *ταδε μεντοι ὡς κρυπτομενα λεγεται, και ου σαφηνεως, περι του αποθανοντος, ὡς ου προτερον θαπτεται ανδρος περσεω ὁ νεκυς, πριν αν υπ᾽ ορνιθος η κυνος ἑλκυσθηναι. μαγους μεν γαρ ατρεκεως οιδα ταυτα ποιεοντας· εμφανεως γαρ δη ποιευσι. κατακηρωσαντες δη ων τον νεκυν περσαι γη κρυπτουσι.* „ Ista tanquam abscondita referuntur, „ neque perinde certo, nempe de mortuo: cadaver defuncti Persae non prius humatur quam „ aut ab alite aut cane tractum sit. Magos enim „ quidem certe scio haec factitare: quippe in „ aperto faciunt. Persae igitur cadaver postquam „ cera obleverunt terra condunt „. Itaque Persae quibus patrium erat corpora humare, quemadmodum et Cyrum hoc sepulturae genere usum tradit Xenophon. Cyropaed. lib. 8. cap. 7., eumque secutus Cicero de legib. lib. 2. cap. 22.; post receptos Magorum ritus, initio *ὁσιας χαριν* laceranda curaverunt, statimque sepelivere; deinde vero aucta superstitione ac veteri more spreto, feris in praedam concesserunt. Quo pacto conciliari posse videntur veterum scriptorum de hujus gentis sepultura dissonae narrationes. V. Lucianum de luctu §. 21. tom. 2. pag. 932. Procopium de bell. Pers. lib. 1. cap. 11. 12. Agathiam hist. Justinian. lib. 2. pag. 43. sqq. Ab omnibus recedit Sextus Empir. pyrrh. hyp. l. 3. c. 24. *περσας φασιν ανασκολοπιζειν τους αποθανοντας, και νιτρω ταριχευειν, ειθ᾽ ὁυτω τελαμωσι συνειλειν.* „ A Persis ajunt suspendi mortuos, „ et nitro condiri, ac ita fasciis obvolvi „. Caeterum qui de Persica gente residui sunt in Indiae provincia Guzurate, vulgo Parsi dicti, etiam nunc suorum cadavera avibus exponunt, inde nuda ossa terra tegunt. Mandelslo *voyage des Indes* lib. 1. pag. 217. et *hist. gen. des voyag.* tom. 10. pag. 276. Terry *voyage to the eastern India* apud Purchas lib. 9. c. 6. tom. 2. p. 1479.

9. In utraque gente nobilissimum sepulturae genus crematio est, secundum vulturibus projici, infimum aqua mergi aut humari. La Loubere *du royaume de Siam* part. 3. c. 20. §. 7. 16. tom. 1. p. 472. 479. *Hist. gener. des voyages* tom. 9. pag. 300. Rev. P. Georgii alphab. Tibetanum pag. 441. B. Oderici narrat. de itinere Indico suscepto anno 1317. pag. 77. Calmuccos quoque ad Wolgam habitantes propinquorum cadavera canibus tradere, ac sibi honori ducere ubi a multis una lanientur, refert Hanway in itinere ad mare Caspium cap. 2. V. *Troppauische saml. von reisebeschr.* t. 2. p. 206.

10. *Viaggio alle Indie orientali del P. F. Vincenzo di S. Caterina da Siena* pag. 321. Terry apud Purchas tom. 2. pag. 1479. Abrah. Roger *théatre de l'idolatrie* lib. 1. c. 21. pag. 136. Le Gentil *voyage dans les mers des Indes* tom. 1. pag. 309. Sonnerat *voyage aux Indes orientales et à la Chine* lib. 1. c. 8. tom. 1. p. 92. edit. in 4. Balbi in *recueil des voy. de la comp. des Indes* tom. 3. pag. 65. 68. Ritum ab antiqua barbarie oriundum more suo fabulis adornaverunt Brachmanes, quas habes apud auctores modo laudatos. Etiam apud Scandinavos extitisse aliquando ritum huic similem, docemur a Sturlesonio in *Heimskringla, Yngl. saga* c. 8. tom. 1. p. 13.

11. *De moribus gentium* in Gronovii thesauro tom. 6. pag. 3855: *κιοι τους αποθανοντας κατακαυσαντες, και οστολογησαντες εν ὁλμῳ τα οστα καταπτισσουσιν· ειτα ενθεντες εις πλοιον, και κοσκινον λαβοντες αναπλεουσιν εις πελαγος, και προς τον ανεμον εξοδιαζουσιν, αχρις αν παντα εκφυσηθη και αφανη γενηται.* „ Cii mortuos cum cremarunt, ossa eorum colligunt, quae in mortario contundunt. Tum in navigium imponentes in altum navigant, ubi per cribrum ea „ ad ventos dispergunt, donec omnia difflantur et evanescunt „. A Graecorum Romanorumque moribus adeo abhorrebat cinerum dispersio, ut quae ferebantur de Solonis reliquiis sparsis circum littus Salaminis insulae Atheniensibus ab ipso assertae, incredibilia visa sint Plutarcho, licet ab Aristotele aliisque viris fide dignis relata: ut ipse ait in *Solone* cap. 32. tom. 1. pag. 97.

bataei vero in Arabia, si Straboni fides est, in sterquiliniis regum quoque corpora defoderunt, mortua quaeque fimo aequiparantes [12].

Verum pars hominum longe major id quaesiverunt, ut et corpora defunctorum quoad fieri posset incorrupta servarent, et parentum amicorumque memoriam futuro aevo traderent: atque hinc originem duxisse videntur sepulcrales ritus plerique, qui apud varias gentes vario modo, nonnunquam e regione fere sibi invicem oppositi, usu obvenisse reperiuntur. Celebratur inprimis apud Aegyptios condiendorum cadaverum studium, ac parentum corpora domi asservata, tantique pretii credita, ut certius pignus nullum tradi posset ab Aegyptio homine alieno aere oppresso. Quod licet non a solis Aegyptiis observatum inveniatur, neque credendum sit reliquos populos qui cadavera medicasse reperiuntur, ab iis accepisse; tamen quia peculiari industria peregerunt Aegyptii, ac res omnibus quotquot de hujus gentis moribus quaesiverunt, praecipua attentione digna visa est, si hoc loco accuratius exponere suscipiam operae pretium me facturum existimo.

Condiendi rationem tradunt Herodotus ac Diodorus Siculus, alter ex altero supplendi, ambo vero e cadaverum inspectione, quae crebra ex Aegypto in Europam advecta fuere, nonnulla a chemicae artis magistris examinata [13], adjuvandi. Quaedam enim neglexisse inveniuntur; alia narravisse re non satis explorata. Herodotus historiarum libro secundo, post descriptum capite octogesimo quinto luctum planctumque, quibus mortuos suos effuse prosequi consueverant Aegyptii, mulieres maxime, quae lugubri habitu civitatem percurrebant ululantes ac pectora percutientes, sequentibus capitibus condituram hisce verbis exponit [14]: *επεαν*

---

[12] Lib. 16. pag. 1131. *ναβαταιοι ισα κοπριαι ἡγουνται τα νεκρα σωματα καθαπερ ἡρακλειτος φησι· νεκυες κοπριων εκβλητοτεροι διο και παρα τους κοπρωνας κατορυττουσι και τους βασιλεις.* „ Mortua corpora haud majoris quam stercus „ putant: quo sensu Heraclitus dixit: *cadave-„ ra hominum magis abjicienda foras quam „ stercus*. Qua propter reges etiam in sterqui-„ liniis defodiunt „. Sed vereor ne Graecus quidam sophista hoc cogitatum affinxerit Arabibus, qui mortuos defoderint prope casas suas pecudumque stabula. Alium mirum ritum Arabum et Uranio narrat Tzetzes chil.7. v. 732. esse apud eos sacrum arundinetum, ubi incisione facta in latere arundinis regium cadaver in ipsam plantam includant, et post crescere sinant ut antea. Quae conferenda cum iis quae de Osiridis corpore narrat Plutarchus *de Iside* pag. 409. supra §. 9. pag. 231.

[13] Consule Rouelle *sur les embaumemens des Egyptiens* in *Histoire de l'academie des sciences de Paris, an* 1750. a pag. 53. *memoires* a p. 123. anglice versum cum notis Templemanni in *Norden's travels* tom. 1. a pag. 105. Ioa. Frid. Gmelini *experimenta nonnulla cum mumiis instituta*, in commentationibus Societatis regiae scientiarum Gottingensis per annum 1781., seu volumine 4. classis physicae num. 1. a pag. 1. And. Gryphii *mumiae Vratislavienses* 1662. Laudatur et in primis Joannis Hadley epistola ad Gu. Heberden, in *philosophical transactions* vol. 54. a pag. 12, et Blumenbachii V. C. notitia mumiarum, in *Gottingisches Magazin* anni primi num. 1.: sed quibus ego destituor.

[14] Aureum commentarium in hunc Herodoti locum atque in ea quae ex Diodoro mox subjicimus, habes in commentationibus soc. reg. scient. Gotting. per annum 1780. seu volumine 3. classis philologicae num. 3. a pag. 69., Chr. Gottl. Heyne *spicilegium antiquitatis mumiarum*: quem legant velim qui de Aegyptiis rebus, ut de Graecis Romanisque fit, certi quid et explorati pronuntiari posse arbitrantur, ut intelligant qua caligine pressa, qua veterum dissensione turbata, quibus recentium scriptorum commentis obsita et perplexa, summos viros remoretur Aegyptia antiquitas, ac quam parum hac in re fieri possit, donec ipsa Aegyptia tellus, qualis nunc est, et monumenta quae ingenti copia ibi residua, hactenus non nisi a festinantibus, plerumque et imperitis peregrinatoribus conspecta, accuratius excutiantur. Adde egregium ejusdem opusculum, cui titulus: *Mumiae, quae ex regis Daniae liberalitate in museo academico Gottingensi servatur, accuratior notitia*, cum addendis ad spicilegium antiqu. mu-

δε ταυτα ποιησωσι, ὁυτω ες την ταριχευσιν κομιζουσι. εισι δε ὁι επ' αυτῳ τουτῳ κατεαται, και τεχνην εχουσι ταυτην. ὁυτοι επεαν σφι κομισθῃ νεκρος, δεικνυασι τοισι κομισασι παραδειγματα νεκρων ξυλινα, τῃ γραφῃ μεμιμημενα. και την μεν σπουδαιοτατην αυτεων φασι ειναι, του ουκ ὁσιον ποιευμαι το ουνομα επι τοιουτῳ πρηγματι ονομαζειν· την δε δευτερην δεικνυασι υποδεεστερην τε ταυτης και ευτελεστερην· την δε τριτην ευτελεστατην. φρασαντες δε, πυνθανονται παρ' αυτεων κατα ἡν τινα βουλονται σφι σκευασθηναι τον νεκρον. οἱ μεν δη εκποδων, μισθῳ ὁμολογησαντες, απαλλασσονται· ὁι δε υπολειπομενοι εν οικημασι, ὡδε τα σπουδαιοτατα ταριχευουσι. πρωτα μεν σκολιῳ σιδηρῳ δια των μυξωτηρων εξαγουσι τον εγκεφαλον, τα μεν αυτου ὁυτω εξαγοντες, τα δε φαρμακα εγχεοντες. μετα δε, λιθῳ αιθιοπικῳ οξεϊ παρασχισαντες παρα την λαπαρην, εξ ων ἑιλον την κοιλιην πασαν. εκκαθηραντες δε αυτην, και διηθησαντες οινῳ φοινικηιῳ, αυτις διηθεουσι θυμιημασι τετριμμενοισι. επειτα την νηδυν σμυρνης ακηρατου τετριμμενης και κασιης και των αλλων θυωματων, πλην λιβανωτου, πλησαντες, συρραπτουσι οπισω. ταυτα δε ποιησαντες, ταριχευουσι λιτρῳ, κρυψαντες ἡμερας ἑβδομηκοντα· πλευνας δε τουτεων ουκ εξεστι ταριχευειν. επεαν δε παρελθωσι αι ἑβδομηκοντα, λουσαντες τον νεκρον, κατειλισσουσι παν αυτου το σωμα σινδονος βυσσινης τελαμωσι κατατετμημενοισι, υποχριοντες τῳ κομμι, τῳ δη αντι κολλης ταπολλα χρεωνται αιγυπτιοι. ενθευτεν δε παραδεξαμενοι μιν ὁι προσηκοντες, ποιευνται ξυλινον τυπον ανθρωποειδεα· ποιησαμενοι δε, εσεργνυσι τον νεκρον· και κατακλησαντες ὁυτω, θησαυριζουσι εν οικηματι θηκαιῳ, ἱσταντες ορθον προς τοιχον. ὁυτω μεν τους τα πολυτελεστατα σκευαζουσι νεκρους. τους δε τα μεσα βουλομενους, την δε πολυτελειην φευγοντας, σκευαζουσι ὡδε. επεαν τους κλυστηρας πλησωνται του απο του κεδρου αλειφατος γινομενου, εν ων επλησαν του νεκρου την κοιλιην, ουτε αναταμοντες αυτον, ουτε εξελοντες την νηδυν· κατα δε την ἑδρην εσηθησαντες, και επιλαβοντες το κλυσμα της οπισω ὁδου, ταριχευουσι τας προκειμενας ἡμερας. τῃ δε τελευταιῃ εξιεισι εκ της κοιλιης την κεδριην, την εσηκαν προτερον· ἡ δε εχει τοσαυτην δυναμιν, ὡστε ἁμα ἑωυτῃ την νηδυν και τα σπλαγχνα κατατετηκοτα εξαγει. τας δε σαρκας το λιτρον κατατηκει· και δη λειπεται του νεκρου το δερμα μουνον και τα οστεα. επεαν δε ταυτα ποιησωσι, απ' ων εδωκαν ὁυτω τον νεκρον, ουδεν ετι πρηγματευθεντες. ἡ δε τριτη ταριχευσις εστι ἡδε, ἡ τους χρημασι ασθενεστερους σκευαζει. συρμαιῃ διηθησαντες την κοιλιην, ταριχευουσι τας ἑβδομηκοντα ἡμερας, και επειτα απ' ων εδωκαν αποφερεσθαι. τας δε γυναικας των επιφανεων ανδρων, επεαν τελευτησωσι, ου παραυτικα διδουσι ταριχευειν, ουδε ὁσαι αν ωσι ευειδεες καρτα και λογου πλευνος γυναικες· αλλ' επεαν τριταιαι η τεταρταιαι γενωνται, ὁυτω παραδιδουσι τοισι ταριχευουσι. τουτο δε ποιεουσι ὁυτω τουδε ἑινεκα, ἱνα μη σφι ὁι ταριχευται μισγωνται τῃσι γυναιξι. „ His actis ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc „ ipsum constituti, qui hoc artificium factitant: qui, cum ad ipsos cadaver por„ tatum est, ostendunt iis, qui portaverunt, exemplaria cadaverum lignea, pi„ ctura assimilata [15]. Et earum unam quae accuratissima est ajunt esse ejus, cujus no-

miarum: in modo laudatarum commentationum volumine 4. class. philol. num. 1. a pag. 1.; et comitis de Caylus observationes *des embaumemens des Egyptiens* in *Histoire de l'acad. des inscript.* tom. 23. a pag. 119.

[15] Ambigit Heynius comm. vol. 3. p. 81. 83., et Diodorum rectius scripsisse arbitratur, dum designationem impensarum a taricheutis proponi et declarari narret. At facere non possum quin ea quae refert Herodotus moris putem magis Ae-

„ men nuncupare fas non puto in hac materia [16] : alterum illa inferiorem ostendunt „ ac vilioris pretii : tertiam vilissimi . Quibus expositis , sciscitantur ab iis , ad „ quam picturam velint effingi ipsis mortuum . Isti ubi de pretio convenerunt , „ illinc abeunt . At hi relicti in aedibus , hunc in modum diligentissime condiunt . „ Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt , partim quidem ita edu- „ centes , partim medicamenta infundentes . [17] Dehinc acuto lapide Aethiopico

---

gyptii : forsan Graecis Aegyptum tenentibus id quod Diodorus narrat fieri coepit . Nam licet ea quae de variis condituris exponit Herodotus ligneo typo haud commode exprimi potuisse videantur , nihil tamen vetat quominus credamus singula corpora involuta fuisse fasciis pro adhibitae conditurae ratione diversis , unde ex cujusvis mumiae adspectu vel ex picto mumiae schemate distingueretur cujus classis esset . Id quidem Herodotus non annotavit , qui in prima tantum medicationis methodo enarranda fasciarum mentionem injicit , quemadmodum et loturae , quae certe omnibus communis esse debebat , ideoque consulto videtur omissa . Scimus quoque e Damascio in vita Isidori apud Photium pag. 1049 et apud Suidam v. ἡραΐσκος , fascias in praestantissimo conditurae genere adhibitas , Osiriacarum nomine a reliquis fuisse distinctas .

[16] Sensus est , primum hoc condiendi genus referri ad Osiridem : quod neminem vidisse ante Heynium , qui et ipse ut probabile tantum affirmat , valde miror , cum res sit certissima . Confer Herodotum lib. 2. cap. 61. 132. 170. Fato functus erat Osiris , defletus , sepultus ; ac eo more quo illius cadaver medicatum fuerat, eoque loco ubi hoc sepultum , medicari et sepeliri ambiebant Aegyptii . Quod licet omnes scirent , pronuntiare tamen florente religione Aegyptia reformidabant. Dubium aliquod si relinqueretur, tolli posset loco Damascii modo citato: *αποθανοντι τῳ ἡραΐσκῳ επειδη τα νομιζομενα τοις ἱερευσιν ὁ ασκληπιαδης αποδιδοναι παρεσκευαζετο, τα τε αλλα και τας οσιριαδας* (al. *οσιριδος*) *επι τῳ σωματι περιβολας, αυτικα φωτι κατελαμπετο πανταχη των σινδονων απορρητα διαγραμματα , και περι αυτα καθεωρατο φασματων ειδη θεοπρεπων , επιδεικνυντων την ψυχην εναργως , ποιοις αρα θεοις εγεγονει συνεστιος* . „ Mortuo Heraisco cum „ Asclepiades honores sacerdotibus debitos red- „ dere , et Osiridis vestibus corpus ejus tegere „ pararet : confestim luce undique illuminaban- „ tur arcanae sindonum litterae , et circa ipsum „ conspiciebantur formae spectrorum divinae , „ evidenter ostendentium, quorum deorum con- „ tubernalis facta esset anima „ . Sed manifestius adhuc prodit Athenagoras in legatione pro Christianis num. 22. *οσιριδος σπαραχθεντος υπο τυφωνος ἡ ισις ἑυρουσα τα μελη ησκησεν εις ταφην , ἡ ταφη ἑως νυν οσιριακη καλειται* . „ Osiridis a „ Typhone trucidati membra cum invenisset „ Isis , condivit ad sepulturam , qui sepulturae „ modus etiam nunc dicitur Osiriacus „ . Conf. ibid. num. 28. Inde quoque est quod in mumiarum picturis Osiridem cernimus ad instar medicati cadaveris sindone involutum , modo stantem inter duos taricheutas , ut in fragmento linteo in museo Borgiano asservato , modo jacentem super leone sive feretro figurae leoninae, adstante Anubide ac taricheutae munere fungente , ut in Bononiensis mumiae integumento , Conf. Thevenot *voyage au Levant* part. 2. c. 6. tom. 1. p. 159. Caylus *recueil d'antiqu.* tom. 5. mon. Aeg. tab. 8. Montfaucon *antiqu. expl.* suppl. tom. 2. post tab. 37. Antiquit. Middletonianas tab. 23. et mumiam Meadianam atque arcam mumiae Guilielmi Lethieullier ab Alexandro Gordon publici juris factas .

[17] In cranio mumiae , quod olim possedit Caylus , observatum fuit foramen arte factum in narium orbita a dextris , per quod cerebrum eductum rati sunt et ipse l. c. pag. 123. et Ruellius *memoires de l'acad. des sciences* pag. 140. Similem rem in duabus mumiis vidit Shaw *voyage* tom. 2. pag. 160. At Heynius commentat. volum. 4. pag. 14. elevari ait fidem Herodoti , dum vix per aliam viam quam per magnum foramen occipitii , quo vertebris conjungitur , cerebrum extrahi et bitumen infundi potuerit : quandoquidem et in cadavere descripto a Gryphio pag. 43. bacillo per dorsi spinam in cranium adacto sustentabatur tota corporis compago . „ Per dorsi spinam, ait Gryphius, collumque me- „ dulla detracta baculum e palmae ramo in cra- „ nium adegerant ; quo commoto moveri ipsum „ caput , sublato caput ab atlante procul vi se- „ parari . Similis sed breviori ligno haerebat in- „ vicem vertebra fulciens atque os sacrum „ . Haec quomodocunque se habeant , ex Herodoto illud saltem patet , taricheutas qui cadaver non nisi unica illa in latere incisione laedere affectabant , in vulgus edidisse per nares extrahi cerebrum . Factum autem ait in praestantissima tantum curationis methodo , rarius itaque quam ut ex craniis foramine illo carentibus aliquid possit argui .

„ circa ilia conscindunt, atque illac omne' intestinum protrahunt: quod ubi ex- „ purgarunt, ac vino palmeo perluerunt, rursus odoribus tritis proluunt: tum „ alvum complentes trita myrrha pura, et casia, et aliis excepto thure odoribus, „ postea consuunt [18]. Ubi haec fecere, saliunt nitro abditum septuaginta dies; „ nam diutius salire non licet [19]. Exactis septuaginta diebus, cadaver ubi ablue- „ runt, sindonis byssinae fasciis scissis universum ejus corpus involvunt, gummi „ sublinentes: quo Aegyptii glutinis loco plerunque utuntur. Eo deinde recepto, „ propinqui ligneum hominis effigie typum faciunt, in quem mox inserunt mortuum, „ inclusumque ita, reponunt in conclavi loculis talibus dicato, statuentes rectum „ ad parietem. Sic quidem sumptuosissimo modo curant cadavera. Eos autem

---

[18] Medicabant itaque intestina, et rursus in cadaver reponebant, quod etiam e Diodori narratione patet. Plutarchus autem et Porphyrius Soli ostensa tradunt cum solemni precatione et statim in flumen conjecta. Ille in septem sapientum convivio tom. 2. pag. 159. et sermone secundo de esu carnium pag. 996. rem obiter attingit, eundem tamen auctorem intelligitur secutus, ex quo Porphyrius libro 4. de abstinentia pag. 378. satis eleganter declarat: *εκεινο μεντοι ου παραπεμπτεον, ότι τους αποθανοντας των ευ γεγονοτων, όταν ταριχευωσιν, ιδια την κοιλιαν εξελοντες, και εις κιβωτον ενθεντες, μετα των αλλων ών διαπραττονται υπερ του νεκρου, και την κιβωτον κρατουντες προς τον ἡλιον μαρτυρονται, ἑνος υπερ του νεκρου ποιουμενου λογον των ταριχευτων. εστι δε και ὁ λογος, ὁν ἑρμηνευσεν ευφαντος εκ της πατριου διαλεκτου, τοιουτος. ω δεσποτα ἡλιε και θεοι παντες, ὁι την ζωην τοις ανθρωποις δοντες, προσδεξασθε με, και παραδοτε τοις αϊδιοις θεοις συνοικον. εγω γαρ τους θεους, ὁυς ὁι γονεις μοι παρεδειξαν, ευσεβων διετελουν, ὁσον χρονον εν τῳ εκεινῳ αιωνι τον βιον ειχον, τους τε το σωμα μου γεννησαντας ετιμων αει, των τε αλλων ανθρωπων ουτε απεκτεινα, ουτε παρακαταθηκην απεστερησα, ουτε αλλο ουδεν ανηκεστον διεπραξαμην. ει δε τι αρα κατα τον εμαυτου βιον ἡμαρτον, η φαγων η πιων ών μη θεμιτον ην, ου δι' εμαυτον ἡμαρτον, αλλα δια ταυτα, δειξας την κιβωτον εν ᾗ ἡ γαστηρ ην. και ταυτα ειπων, εις τον ποταμον αφιησι· το δ' αλλο σωμα ὡς καθαρον ταριχευει.* „ Quanquam illud non sit praetermittendum „ quod observari solet in nobilium funeribus „ condiendis. Nam privatim ventrem eximentes in arca reponunt: deinde cum reliquis, „ quae in funere fieri solent, versus solem arcam tenentes testantur, uno ex pollinctoribus „ pro defuncto orationem habente. Est autem „ oratio hujusmodi, quam Euphantus e vernacula lingua graece interpretatus est: Sol „ omnibus imperans, vosque reliqui dei omnes „ qui vitam hominibus largimini, accipite me „ atque sempiternis diis contubernalem offerte. „ Ego enim deos a genitoribus mihi demonstratos, quamdiu in hoc saeculo vixi, religiose „ perseverando colui: parentes, qui meum „ corpus genuerunt, semper honoravi: reliquorum hominum occidi neminem: depositum „ cuiquam, neque defraudavi, neque ullum „ malum deploratum feci. Si vero, dum vivebam, aliquid de iis, quorum fas non est, bibendo aut comedendo a me proterve gestum „ fuerit, non per me peccavi, sed per illa, „ (indicans arcam) quae hic seposita. Atque ita „ locutus in flumen dejicit arcam, in quo „ venter continetur; reliquum autem corpus, „ ut purum, medicamine condiunt „. Heynius hinc consuetudinum varietatem colligendam censet. Videntur tamen scriptores inter se componi posse, modo ne illa narratio ab Euphanto adornata, Graeculorum commentum sit, quod valde vereor. Poterant enim nobiliores viscerorum partes in corpus reponi, viliores conjici in fluvium, quod neque Herodoto refragatur neque Diodoro, quorum nullus omnia quae in hac fiebant occasione, exsequi sibi proposuerat. Sextus Empiricus pyrrhon. hypotyp. l. 3. c. 24. inquiens, *τα εντερα εξελοντες ταριχευουσι*· „ eductis intestinis condiunt „: intelligi potest de secundi ordinis conditura, utpote quae frequentior.

[19] Herodotum lapsum esse affirmat Ruellius *hist.* p. 57. *mem.* p. 134. dum post infusa aromata corpus nitro extenuatum scribit: aromata enim nitro absorberi ac medicamen reddi inutile; quare credendum illa post salitionem fuisse applicata, pariterque in secundo conditurae genere cedriam. Praeterea septuaginta illos dies non in solam salitionem, sed in universam corporis curationem absumptos videri, jam monuerunt viri docti. Sed et sic tempus videtur justo longius: Jacobi patriarchae aetate quadraginta diebus absolvebatur conditura; Diodorus ultra triginta dies impendi ait sive ut in aliis libris habetur, ultra quadraginta.

„ qui mediocria volunt, nimium fugientes sumptum, ita apparant: post clyste- „ res unguine quod e cedro gignitur completos, mox eodem alvum mortui im- „ plent, ipsum neque scindentes neque intranea extrahentes, sed per secessum „ infercientes [20], et impedientes lavationem eadem via relabi, propositis diebus „ condiunt; quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingesserant, ex „ alvo egerunt: quod tantam habet vim, ut una secum alvum atque intestina ta- „ befacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis et ossa „ relinquuntur. Ubi ita fecere, sic reddunt mortuum, nihil amplius negocii su- „ scipientes. Tertia conditura haec est, qua adornantur mortui, qui tenuiori „ sunt fortuna. Ablutione [21] ubi ventrem percolaverunt, condiunt septuaginta „ per dies, deinde sic tradunt reportandum. Uxores tamen insignium virorum, „ non statim vita defunctas tradunt condiendas, nec quotquot formosae valde et „ majoris pretii feminae fuerunt, sed triduo atque quatriduo post mortem tradunt „ his unctoribus: ea de causa facientes ita, ne cum feminis isti coëant „. His ad- de quae idem de Aegyptiis ait capite octogesimo primo: *ου μεν τοι ες γε τα ἱρα εσφερεται ειρινεα, ουδε συγκαταθαπτεται σφι· ου γαρ ὁσιον. — εστι δε περι αυτων ἱρος λογος λεγομενος.* „ Lanea vestimenta in sacras aedes non inferuntur, nec se- „ peliuntur cum ipsis: neque enim fas est. Fertur autem hac super re sacer quidam „ sermo „.

Diodorus vero bibliothecae libro primo capite nonagesimo primo ita refert: *των ταφων τρεις υπαρχουσι ταξεις, ἡ τε πολυτελεστατη, και μεση, και ταπεινοτατη. κατα μεν ουν την πρωτην αναλισκεσθαι φασιν αργυριου ταλαντον, κατα δε την δευτεραν μνας εικοσι, κατα δε την εσχατην παντελως ολιγον τι δαπανημα γινεσθαι λεγουσιν. ὁι μεν ουν τα σωματα θεραπευοντες, εισι τεχνιται την επιστημην ταυτην εκ γενους παρειληφοτες. ὁυτοι δε γραφην ἑκαστου των εις τας ταφας δαπανωμενων τοις οικειοις των τελευτησαντων προσενεγκαντες, επερωτωσι τινα τροπον βουλονται την θεραπειαν γενεσθαι του σωματος. διομολογησαμενοι δε περι παντων, και τον νεκρον παραλαβοντες, τοις τεταγμενοις επι την κατειθισμενην επιμελειαν το σωμα παραδιδοασι. και πρωτος μεν ὁ γραμματευς λεγομενος, τεθεντος χαμαι του σωματος, επι την λαγονα περιγραφει την ευωνυμον ὁσον δει τεμειν. επειθ᾽ ὁ λεγομενος παρασχιστης, λιθον εχων αιθιοπικον, και διατεμων ὁσα νομος κελευει την σαρκα, παραχρημα φευγει δρομῳ, διωκοντων των συμπαροντων καί λιθοις βαλλοντων, ετι δε καταρωμενων, και καθαπερει το μυσος εις εκεινον τρεποντων. υπολαμβανουσι γαρ μισητον ειναι παντα τον ὁμοφυλῳ σωματι βιαν προσφεροντα, και τραυματα ποιουντα, και καθολου τι κακον απεργαζομενον. οἱ ταριχευται δε καλουμενοι πασης μεν τιμης και πολυωριας αξιουνται, τοις τε ἱερευσι συνοντες, και τας εις ἱερον εισοδους ακωλυτως ὡς ἱεροι ποιουνται. προς δε την θεραπειαν του παρεσχισμενου σωματος αθροισθεντων αυτων, εἱς καθιησι την χειρα δια της του νεκρου τομης εις τον θωρακα, και παντα εξαιρει, χωρις νεφρων και καρδιας. ἑτερος δε καθαιρει των εγκοιλιων ἑκαστον, εγκλυζων οινῳ φοινικειῳ και θυμιαμασι. καθολου δε παν το σωμα το μεν πρωτον κεδριᾳ και τισιν αλλοις επιμελειας*

---

[20] Advertit idem Ruellius *mem.* pag. 139. omnino opus esse incisione, dum per anum nullo pacto injici possit nitri quantum ad viscera corrodenda requirebatur. Injectum enim fuisse nitrum, non cedrium ut vult Herodotus, minime dubitandum.

[21] Etiam hanc syrmaeam nitrum fuisse arbitratur Ruellius *mem.* pag. 140.

αξιουσιν εφ' ἡμερας πλειους των τριακοντα, επειτα σμυρνῃ και κιναμωμῳ, και τοις δυναμενοις μη μονον πολυχρονιον τηρησιν αλλα και την ευωδιαν παρεχεσθαι, θεραπευσαντες, παραδιδοασι τοις συγγενεσι του τετελευτηκοτος, ὁυτως ἑκαστον των του σωματος μελων ακεραιον τετηρημενον, ὡστε και τας επι τοις βλεφαροις και ταις οφρυσι τριχας διαμενειν, και την ὁλην προσοψιν του σωματος απαραλλακτον ειναι, και τον της μορφης τυπον γνωριζεσθαι. διο και πολλοι των αιγυπτιων εν οικημασι πολυτελεσι φυλαττοντες τα σωματα των προγονων, κατ' οψιν ὁρωσι τους γενεαις πολλαις της ἑαυτων γενεσεως προτετελευτηκοτας· ὡστε ἑκαστων τα τε μεγεθη και τας περιοχας των σωματων, ετι δε τους της οψεως χαρακτηρας ὁρωμενους, παραδοξον ψυχαγωγιαν παρεχεσθαι, καθαπερ συμβεβιωκοτας τοις θεωρουμενοις. „ Sepulturae triplex est conditio; sumptuosissima, mediocris et „ vilissima, In primam argenti talentum insumitur, in secundam viginti minae, „ in ultimam perexiguae fiunt impensae. Qui cadavera curant, artem a majori„ bus acceptam factitant. Hi cujusque rei in funus impendendae consignatione „ mortuorum necessariis oblata, quomodo curationem fieri velint sciscitantur. „ Ubi de omnibus inter ipsos convenit, acceptum cadaver iis tradunt qui ad id „ rite medicandum sunt constituti. Primus igitur, quem scribam vocant, depo„ sito humi corpore, circum ilia sinistrum latus, quantum ibi secandum sit, cir„ cumscribit [22]. Tum paraschistes, seu incisor ipsis dictus lapidem tenens Aethio„ picum, ubi carnis quantum lex jubet dissecuit, extemplo quantum potest cursu „ aufugit, persequentibus eum quotquot adsunt cum lapidum jactu et exsecrationi„ bus, ac si piaculum in ipsum avertant. Nam quicunque corpori naturae sibi „ cognatae vim vulnusque aut quomodocunque malum inferat, odio hunc dignum „ esse persuasum habent. Taricheutas vero, qui cadavera condiunt omni ho„ nore atque aestimatione dignantur. Nam sacerdotibus familiares sunt, et in sa„ crarium, ut qui sacri sint, libere ingrediuntur [23]. Quamprimum autem ad se-

---

[22] Gryphius periculo in mumia facto observat pag. *36.* „ viscera non per obliquum lateris ex„ tracta, sed incisa linea, quam vocant albam, „ educta. Quippe haud procul infra sternum „ hiabat et ultra umbilicum vulnus rectum, ob„ longum, strophiis obstipatum „. In altera p.52. invenit foramen rotundum supra umbilicum, per quod intestina extracta fuiſſe videbantur.

[23] Non video qui Diodori testimonio tam diserte expresso, in re quae omnibus nota esse debuit, opponi possit auctor apotelesmatum, homo minime Aegyptius, Manethonis nomen sat impudenter mentitus, qui libro *6.* vers. 459. taricheutas contemptim accenset iis, qui

τεχναις μυσαραις λυγρον βιον εξανυουσιν,

„ artibus odiosis tristem vitam peragunt „; deinde ministerium eorum hoc modo describit:

νεκυας μαλερῃ πνειοντας υπ' οδμῃ,
γαστερας αμπτυξαντες, ιδ' εγκατα παντ' αφυσαντες,
χριουσιν κεδρου κυκναυγεος ενδοθι πισσῃ.

„ Cadavera graveolentia prae foetore, ventres „ aperientes et intestina omnia eximentes, un„ gunt cedri nigricante intus pice „. Idem iste quicunque fuerit, vel quo vixerit temporis intervallo, pluribus in locis lib. 4. vers. 190. 267. omnia ea quae ad funerum curam pertinent, Ae gyptiis patrio ritu sanctissime obeunda, adspernatur: ac idem iste, librum inscribens Ptolemaeo Philadelpho, et Aegyptium sacerdotem se fingens, sororium connubium conjungit cum scelere Thyesteo et piaculo Oedipi, lib. 5. vers. 202. lib. *6.* v. 117. Taricheutae ut reliqui medici adscripti fuisse videntur pastophoris, quae infima erat sacerdotum classis. Clem. Alex. strom. l. *6.* c. 4. pag. 758. Ideoque pollincter, ενταφιαστης, eodem hieroglyphico significabatur, quo hierogrammateus et propheta, canis videlicet effigie. Horapoll. lib. 1. cap. 39. Scimus praeterea apud omnes fere agrestes populos medicinam exerceri a sacerdotibus, cujus rei vestigia in Graecia quoque deprehenduntur: traduntque et hodie Canariarum indigenae, cadavera quae in illis cavernis servata inveniuntur

„ cti cadaveris curationem convenere, unus per hiatum manu ad pracordia immersa, quicquid intestinorum est praeter cor et renes extrahit [24]. Alius alvum cum visceribus singulis repurgatam vino palmeo aromaticisque odoribus perluit. Lotum denique cadaver ad dies plures triginta unguento primum cedrino aliisque delibutum reddunt [25]. Myrrha deinde ac cinnamomo, aliisque non longiori tantum conservationi, sed etiam fragantiae aptis conditum propinquis reddunt: ubi singula corporis membra tantam habent integritatem, ut etiam palpebrarum et superciliorum pili, adeoque tota corporis species invariata persistat, et formae pristinae effigies agnoscatur [26]. Hinc multi Aegyptiorum in magnificis apud se aediculis majorum cadavera asservantes, tam expresse multis ante suam nativitatem saeculis defunctorum facies contemplantur, ut singulorum comple-

---

a vetustis sacerdotibus fuisse medicata. *Hist. génér. des voyag.* part. 1. lib. 5. c. 1. §. 4. tom. 2. p. 261. In hoc ab Herodoto recedere videtur Diodorus, quod ille omnibus semotis cadaver medicatum dicat, Diodorus autem solemnibus caerimoniis et populo circumstante dissectum ait. Potest tamen sic intelligi Herodotus, quod cadavere tradito abire liceret necessariis, utpote qui justa jam persolvissent defuncto: vel Diodorus ita explicari, ut caerimonias illas in secreto observatas credamus ab iis qui corporis curam susceperant. Nec vero vesanae superstionis accusarem Aegyptios, ut facit Caylus pag. 122, quod paraschisten lapidibus convitiisque persecuti essent sive reliqui pollinctores, sive circumstans populus. Nullus enim dubito, id quin ritus causa factum sit, quemadmodum apud Athenienses in Diipoliis sacerdos, βουφονος dictus, statim ubi bovi ad sacrificium parato securim in collum impegisset, relicta securi aufugere cogebatur, securis autem ut caedis rea in jus vocabatur. Pausan. lib. 1. c. 24. 28. pag. 57. 70. Suidas v. βυφονια. Sunt alii, in quibus Winkelmannus in historia artis lib. 2. cap. 1. §. 12., qui ex hoc ritu arguendum censuere, interdictum fuisse apud Aegyptios anatomiae ex humanis corporibus studium, contra fidem Manethonis qui apud Syncellum pag. 54. hanc artem ab hominum memoria in Aegypto excultam docet; Pliniique et Galeni qui ex ipso illo cadaverum Aegyptio more condiendorum instituto, humani corporis constructionem et naturam patefactas esse asserunt. Galen. isagog. cap. 1. Plin. lib. 11. cap. 37. lib. 19. cap. 5. Modus cadaverum secandorum exhibetur a Nardio apud Kircherum Oed. tom. 13. p. 512. in schemate ex mumiae pictura ut fertur desumpto, sed quod genuinum esse valde dubito.

[24] Hoc ut fiat anatomicas rationes impedire annotat Caylus pag. 126. quae non sinunt extractis reliquis cor manere immotum. Forsan acceperat Diodorus servari cor et renes, caeteris intestinis evulsis et abjectis: quae prave intellecta in alium sensum traduxit.

[25] Diodorus, qui asphalti usum in conditura non ignorabat, hoc loco cedriae tantum meminit expresse: pariterque cap. 83., ubi de sacrorum animalium funere disserit: φερουσιν εις τας ταριχειας· επειτα θεραπευθεντων αυτων κεδρια και τοις δυναμενοις ευωδιαν παρεχεσθαι και πολυχρονιον του σωματος τηρησιν, θαπτουσιν εν ιεραις θηκαις. „ Ad taricheutas deferunt, a „ quibus ubi cedria ac reliquis rebus, quae fra- „ grantiam et diuturnam cadaveris conservatio- „ nem efficere possunt, curata fuerint, sepeliunt „ in sacris conditoriis „. Similiter Herodotus, Plinius que et Pseudo-Manetho cedriam maxime laudant in cadaveribus condiendis. Videntur ergo taricheutae eo pro principe medicamento usi, asphaltum in subsidium adhibuisse: secus ac inter hodiernos multis visum est, qui solo asphalto mumias crediderunt medicatas. Testatur quoque Gmelinus p. 19. in periculis a se factis plerumque deprehensam esse mixtam e resina et bitumine condituram: eodemque redeunt experimenta facta a Ruellio *mem.* pag. 143. 145.

[26] Omnino statuendum cum Heynio comm. vol. 3. p. 96. rem hic narrari per se non incredibilem, quamquam a Graeco ut videtur in majus auctam; neque assentiendum Caylo, qui pag. 127. errasse putat Diodorum, dum larvam vultui applicatam pro ipsa defuncti facie acciperet. Crines servari, quod fieri posse negat Caylus, nullam habere videtur difficultatem, cum et humore destituantur et natura sua cuti fortiter adhaereant. Nehemias Grew in museo regalis societatis, *or a catalogue of the rarities belonging to the royal society* pag. 4. recenset pellem Aethiopis corii instar praeparatam, in qua non capilli tantum sed omnes minutissimi quoque pili residui cernebantur.

„ xum corporis ac lineamenta faciei contuentes, mirifica voluptate, non secus „ ac si adhuc secum vivant, afficiantur „. Nulla hic asphalti in conditura adhibiti mentio; sed postmodum libro decimonono capite nonagesimo nono, agens de asphaltite lacu trecentis stadiis distante a Petra Arabiae, secutus ut videtur Hieronymum Cardianum, quem huic lacui Antigonus rex procuratorem miserat, inquit: *απαγουσι δε οι βαρβαροι την ασφαλτον εις αιγυπτον, και πωλουσιν εις τας ταριχειας των νεκρων. μη μιγνυμενης γαρ ταυτης τοις λοιποις αρωμασιν, ου δυνατον γενεσθαι την των σωματων φυλακην πολυχρονιον.* „ Asphaltum in Aegyptum transportatum ad mor„ tuorum condituras venundant indigenae. Nam si hoc caeteris aromatibus non ad„ miscetur, cadavera ad longum tempus conservari nequeunt„ [27]. De cedria autem sive cedrio locus est Plinii disertissimus, libri decimi sexti capite undecimo: „ Pix „ liquida in Europa e taeda coquitur. Lignum ejus concisum, furnis undique „ igni extra circumdato, fervet. Primus sudor aquae modo fluit canali: hoc in „ Syria cedrium vocatur, cui tanta vis est, ut in Aegypto corpora hominum de„ functorum eo perfusa serventur. Sequens liquor, crassior jam, picem fundit „. Cui jungendus alter e libri vicesimi secundi capite quinto: „ Cedrus magna quam „ cedrelaten vocant, dat picem quae cedria vocatur. Defuncta corpora incor„ rupta aevis servat, viventia corrumpit „. Conspirant praeterea Dioscorides, Galenus, Eustathius, et scholiastes Nicandri ad erroris arguendum Herodotum, dum taricheutas ad intestina per secessum efferenda usos ait cedria, cui vis adstringens est et corroborans, nequaquam corrodens neque purgans [28]. Caeterum corpora Aegyptio ritu condita per immensum temporis spatium tantum non integra servata laudat Plato in Phaedone [29]: *συμπεσον το σωμα και ταριχευθεν, ώσπερ όι εν αιγυπτω ταριχευθεντες, ολιγου όλον μενει αμηχανον όσον χρονον.*

Quae porro e cadaveribus Aegyptiis a nostris hominibus inspectis contrectatisque colliguntur, atque e chemicorum qui hac de re scripserunt observatis, haec potissimum sunt. Recte scripsisse Herodotum corporum extenuationem fieri nitro, quod nunc natrum appellant, in Aegypti parte occidentali magna copia proveniens e lacubus provinciae olim dictae Nitriae: cujus ea vis est ut pingue quodcunque et molle absorbeat et destruat, solidas quoque partes arrosuri nisi et temporis et quantitatis exacta ratio habita foret; postea autem curate abluendi, ne contracto in se humore corruptelam promoveat. Reliquam uncturam, quá cadaver ab aëris contactu munire adlaborabant, maximopere peractam fuisse asphalto ac cedria, prout Diodorus et Plinius scriptum reliquere, sive singulis seorsim adhibitis, sive quod plerumque factum videtur, medicamento ex utroque composito, quod pissasphaltum dicunt veteres, additis aromatibus, tum ex resinarum tum ex herbarum classe, majori modo, modo minori copia, sed quae cujus generis fuerint, nulla nunc solertia deprehendi posse videtur [30]. Caeterum varia esse

---

[27] Adde Strabonem lib. 16. pag. 1109., sed qui in eo falsus videtur, quod Sirbonidi tribuit quae de Asphaltite prodit Diodorus., quamquam et Sirbonis olim asphalto abundasse credi potest.

[28] Dioscorides de mat. med. lib. 1. c. 105. Galenus de simpl. medic. facult. lib. 7. n. 16. Schol. Nicandri ad theriaca vers. 80. Eustath. ad Iliad. Σ. pag. 1146.

[29] Opp. tom. 1. pag. 80.

[30] Vide auctores laudatos supra not. 13. inprimis Ruellium. Mumiam Gottingensem ratione penitus diversa conditam fuisse affirmant, qui eam examinavere et chemica distillatione materiam exploraverunt. Nihil praeter ossa inventum, nullum vel nitri vel resinarum indicium. Unde Gmelinus pag. 18. inquit: „ Mihi certe

et multiplicia conditurae discrimina, pro temporum, locorum, hominum conditione: quae tamen haud incommode referri possunt ad tres illos modos Herodoto et Diodoro memoratos. Inveniuntur enim cadavera nonnulla singulari diligentia curata, sive spectes medicaminis praestantiam suaveolentia prodentis admixtas resinas balsamicas; sive corporis conditionem, nervis fibrisque ac pelle et unguibus perfecte conservatis, nonnunquam etiam capillis cuti firmiter adhaerentibus [31]: seu

---

„ haud improbabile videtur, eos qui condiendi „ hujus funeris curam in se susceperunt, non „ balsamicis illud perfudisse resinis, sed pro- „ tractis intestinis et liquore quadam, quem „ putredini adversum reputabant, in evacuata „ corporis cava injecto, internos harum cavi- „ tatum parietes pulvere herbarum, fructuum, „ corticum, florum amarorum, astringentium, „ aromaticorum implevisse „. Ac Heynius pag. 16. notat, videri carnem scalpro ab ossibus abrasam, fascias nudis ossibus applicatas, et cavitates inter ossa pannis distentas; in iis tantum corporis recessibus, ubi scalpellum penetrare non potuit, inventas esse fibrarum reliquias. Sed foeda ista carnificina ab Aegyptiorum indole ac moribus nimis quantum videtur abhorrere; nec possum ex unico exemplo mumiae putredine magnam partem pessumdatae, novi quid et inauditi mihi persuadere circa Aegyptiorum cadaverum condituram. Intercessisse nonnunquam fraudem taricheutarum, maxime sub Graecorum imperio, sacerdotibus a vetere dignitate dejectis; nitri vel plus vel minus justo adhibitum fuisse; pro resinis corporum durationem efficere aptis herbas nonnunquam aromaticas substitutas esse, ista non turbant. Quaero autem, utrum post tot saecula, et nitri, si corpus eo salitum, et carnis, si in condiendo servata, indicia destillatione debeant deprehendi. Musculos, fibrasque et tendines ad oculum non apparuisse, mirari non est, si vere narravit Caylus pag. 134., in mumia avis curate involuta, sed non rite custodita ab uligine, nihil praeter bitumen residuum visum esse, ne ossium partem quidem minimam. Gryphius ex duabus mumiis a se dissectis, alteram totam invenit asphalto tantum sive pissasphalto servatam, alteram ex parte asphalto, ex parte pulveribus odoris sine asphalto, constititque experimento asphaltum ad tabem arcendam fortius multo esse, quam odorum aggestus: pag. 35. 41. 45. 52. Caeterum ex ejusdem narratione de baculo per dorsi spinam intruso, (Vide supra not. 17.) arguitur taricheutas nonnunquam adhibuisse compendia, quae non censerent divulganda. Pariter in mumia Cantabrigiensi caput ab ipso pollinctore abscissum apparebat: cujus ea pars quae cum collo ac vertebris conjuncta fuisset, gypso jam penitus oblita reperiebatur. Antiquit. Middleton. pag. 261.

31 De una ex mumiis Vratislaviensibus diserte narrat Gryphius, observator admodum diligens, pag. 41: „ Crinis niger, crispus, nardo pinguis, „ haud facile potis evelli, brevior tamen, et „ qui non digiti porrecti dimidium excederet. „ Frons modica, superciliorum atque ciliorum „ reliquiae manifestae; oculi prominentes, na- „ sus depressior; nares gossipio ac eodem un- „ guine obturati, queis thorax atque venter. „ Os immane quantum hiabat: namque diductis „ qua licuit labiis omnia pulveribus odoris farta. „ Dentium integra series: triginta duos numerare licuit, nitidos, candore et specie eximios, „ exiguos. Aurium intertrimenta nulla. Ge- „ nae ne collapsae quidem. Facies tota pissa- „ sphalto solidata „. Sed reliquum corpus non aeque invenit integrum: puto, quoniam caput amovibili larva contectum majori cura conditum fuerat, quam caetera membra sub intimarum taeniarum involucro abdita. Ait enim pag. 35.: „ Nec taeniis semotis mora, quin concidere in „ pulverem ferme quicquid infra umbilicum ad „ pubem usque. Patuere costae quas nothas dici- „ mus, patuere vertebrae inferiores solutae „ nexibus. Ossa dein tibiarum suprema sui par- „ te nuda. Thorax contra, et quicquid alvi ad „ umbilicum, pecten, femora, crura restite- „ re. Pedum vero, quamvis a malleolis solu- „ torum, musculi tamen atque ungues durave- „ re „. Porro pag. 44. „ Cartilagines verte- „ brarum ossibus exsolutae, superstites ta- „ men, molles, integrae, lunatae „. In altera mumia, quae jam olim vi diffracta fuerat, brachia deprehendit lacertosa: pag. 52. Debreves, peregrinator quidem non valde industrius, sed cui fidem conciliat Gryphius, se in cryptis Aegyptiis vidisse narrat mumias plus una, in quibus et barba et capilli et ungues conservati. *Relation des voyages de M. de Breves* pag. 280. Cf. Caylus p. 135. De fragmento infantis Aegyptii annorum circiter trium, cujus pes cum dimidio femore servantur in museo S. Genovefae, refert ipse Caylus pag. 129. pellem apparere similem pergamenae accuratissime laevigatae, carnes quidem aliquantum esse obduratas, agnosci tamen in pedis superficie puerilium carnium

demum byssinorum ligamentorum copiam, subtilitatem et ordinem, ac picti integumenti artem splendoremque. Sunt alia mediocri sumptu medicata, quorum solidissimae tantum partes servatae agnoscuntur, eademque involucris cincta rudioribus, parciusque ornata. Alia denique tenui cura videntur siccata, postea ligamentis nullo medicamine adhibito involuta, quae in ipsis cryptis, quamquam rarus sit ad eas aëris accessus, plerumque jam corrupta deprehenduntur, interdum aevo fere absumpta [32].

Tres medicandi rationes ita fere peractae videntur: in ea quae vilissima erat, solo nitro utebantur taricheutae, partim in ventrem injecto per incisiones circa anum factas, quo viscera corrosa effluerent, partim lixivii instar ab extra applicato, ad carnes absumendas; quo facto nitrum abluebant et siccatum corpus fasciis constringebant. Ea quae medium locum tenet, hoc amplius habuit, quod abluto nitro in ventrem injiceretur cedria aut pissasphaltum, eodemque totum cadaver oblineretur. In nobilissima autem conditura ante omnia cerebrum extrahebant, aperiebant ventrem, visceribusque vino palmeo ablutis et purgatis corpus tradebant nitro, deinde curate siccatum, asphalto ac cedria, admixtis resinis balsamicis, inferciebant atque inungebant [33].

Quae primi sunt et secundi ordinis mumiae constanter byssinis fasciis reperiuntur obligatae, quarum intimae eodem medicamine, quo corpus curatum est, imbutae quodvis membrum seorsim accurate involvunt, interdum ita subtiliter applicatae ut sub ipsis non solum membrorum formae ac commissurae, sed vultus quoque lineamenta agnoscantur; extimae autem fasciae, non ut illae medicatae, totum corpus velut in unum truncum coërcent [34]. Istae ut plurimum purae sunt,

---

indolem, ac distingui digitorum minimos quosque articulos; etiam ungues suo loco manere cuti insertos. Rouelle *hist.* pag. 56. *mem.* p. 127. advertit in mumiis a se exploratis servari tendines, cartilagines, musculos et pellem. Ex Amasidis cadavere pilos evulsos memorat Herodotus, caeterum conditura ita indurato, ut neque stimulis neque flagris concidi posset lib. 3. cap. 16.

[32] Narrant peregrinatores, reperiri in cryptis Aegyptiis acervos cadaverum disjectorum et putrescentium cum linteorum laceratorum reliquiis, quod tamen ut plurimum observatum invenio in syringum aditibus aëri jam perviis. Suspicari quoque licet esse haec fragmenta corporum, quae Arabum avaritia jam fuere fracta et depraedata. Nequaquam enim constat Europaeum hominem descendisse in cryptam recens detectam. Vide Maillet pag. 280. Lucas *voyage en* 1714. tom. 2. pag. 96. Pococke vol. 1. lib. 1. cap. 6. pag. 54. Monconys tom. 1. pag. 196. Bremond pag. 75.

[33] Rouelle *mem.* pag. 147. Advertit idem pag. 145. 147. se reperisse nobilissimi medicamenti specimen, ex pissasphalto et resinis aromaticis compositi in vasculo alabastrino ex Aegypto misso ad comitem Caylus; cujusmodi vas altum uncias 20, operculi loco canino capite praeditum, et hieroglyphicis in ventre insigne, prostat in museo Borgiano Velitris, odorati bituminis reliquias continens.

[34] Nardius apud Kircherum Oedip. tomo 3. pag. 416. Gryphius pag. 27. Rouelle *hist.* p. 59. *mem.* pag. 135. Caylus pag. 129. 135. Thevenot *voyage* tom. 1. pag. 260. Bremond pag. 69. Ruellius in cadavere nitro tantum extenuato, sine alio medicamine, utrasque deprehendit fascias, bitumine omnino destitutas, verum glutine quodam conjunctas: *mem.* pag. 138. *hist.* pag. 60. Sed ne extimis quidem fasciis constanter additum fuisse gluten sive gummi, jam alii monuerunt, ac documento mihi est mumia, quae ex dono Emin. Cardinalis Borgiae asservatur in museo collegii Nazareni, quod Romae est. Nam hujus suprema ligamenta, quae totum medicati cadaveris ac reliquarum fasciarum volumen undique circumligant ac coërcent, byssinae taeniae sunt latitudinis unciarum trium cum semisse, nec gummi nec quovis alio medicamento infectae, sine omni litura, molles, flexiles, colore nativo, nisi quod ex pissasphalti vicinia flavorem aliquem contraxere. Conf. Heynium comm. vol. 4. pag. 16.

nonnunquam figuris et characteribus insignitae, cerniturque in iis vultus, colore ut plurimum aureo expressus, naso ciliisque et labiis tanquam caelato opere prostantibus; interdum et brachia appicta sunt cum manibus pectori admotis [35]. Forte de his accipiendus est Herodotus, ubi ligamenta memorat gummi glutinis loco inuncta, licet extimae fasciae modo glutine appareant infectae, modo eo prorsus destitutae, mollesque et flexiles. De interioribus illis ligamentis nulla apud eum mentio est; at byssina seu quod idem est gossypina fuisse omnia, quibus cadavera induebantur, saltem lintea, exclusis laneis recte monuit loco supra adducto [36]. Vultum interdum nudum conspici ajunt, bysso non obligatum, sed larva tectum quae amoveri potest [37]. Pedes exporrecti sunt, brachia modo pectori decussatim applicata, modo demissa et lateribus coxisque adjuncta [38]. Sunt mumiae nonnullae, quae pedibus subjecta habent sandalia, confecta ex panno byssino utrinque gypso inducto, coloribusque et auro decora [39]. Interdum mumiae pectus ornamento tegitur reticulato, compacto e globulis vitreis varii coloris, filo per globulorum foramina transmisso coagmentatis [40]. Nonnullae cinctae reperiuntur corollis e frondibus consertis, quas perseae arboris folia diceres. In quibusdam pro secundis fasciis integrum linteum est, taeniolis hinc et inde constrictum, interdum nova denique taeniarum congerie undique obvolutum [41]: nonnunquam, quod mirum sane videtur in Aegyptio cadavere, super fasciis expansa est pellis ferina cum pilis introrsum versis [42]. Tegitur demum corpus, vel totum,

---

[35] Raro apud scriptores hujusmodi fasciarum fit commemoratio, quas plerumque confundere solent cum larva sive integumento e byssinis pannis conglutinato, quod fasciis nonnunquam operculi instar imponitur. Vidi Venetiis anno 1789. apud nauclerum Alexandria reducem mumiam magnam et perpulcram taeniis ad hunc modum pictis involutam, pictura et vultum et brachia exprimente. Ejusdem generis fuisse videntur fasciae, quarum meminit Mailletus pag. 277., et fasciae Nardianae apud Kircherum Oedip. tom. 3. pag. 421. — 424., atque illae quas hieraticis litteris insignes aeri incidendas curaverunt Caylus *recueil d' antiquités* tom. 1. mon. Aeg. tab. 21—25. tom. 5. mon. Aeg. tab. 26—29. Montfaucon *antiq. expliquée* tom. 2. tab. 140. suppl. tom. 2. tab. 54. et litteratores Trevultini *memoirs pour l' an* 1704. mens. jun. p. 978.

[36] In mumiis non nisi gossipinas telas reperiri docent Rouelle *hist.* p. 60. *mem.* p. 138. 150. et Heyne comm. vol. 3. pag. 86., ubi advertit, Forsterum libro de bysso antiquorum demonstravisse, esse byssum veterum id telae genus, quod nobis vulgo gossipium appellatur. De fasciarum textura et subtilitate vide Gryphium pag. 28. 34. 39. Grew museum regalis societatis pag. 1. Heyne comm. vol. 4. pag. 15.

[37] Bremond pag. 75. Etiam in mumia Vratislaviensi facies non ligamentis carni adstrictis tegebatur, sed larva crassiore, velamine denuo operta. Gryphius pag. 40.

[38] Ut plurimum brachia inveniuntur decussata et manus claviculis sterni incumbentes. Gryphius p. 39. 52. Pococke vol. 1. p. 232. Quod et ipse observavi in mumia, aliquot ab hinc annis ex Aegypto missa ad Eminent. Cardinalem Borgiam. Sed in mumia Gottingensi lateribus adhaerebant. Heyne comm. vol. 4. pag. 15.

[39] Id quidem hactenus in sola mumia Gottingensi observatum. Heyne ibid. p. 12. Videntur tamen hujusmodi sandaliis instructae esse mumiae duae, quarum ectypa aeri incisa ad manus habeo, altera servata in museo Theophili Tompson Tutt, altera collegio medicorum Londinensi dono data a Meadio.

[40] Hujusmodi ornamentum pectorale conspici in mumia quam Museo Britannico intulit Wortley Montague ex Aegypto redux; atque in ea quam Londinum secum advexit Perrius: scio ex epistola Hillii V. C. ad me data die 13. julii 1792. Memini etiam me vidisse in regio museo Taurinensi, pariterque in museo Borgiano hujusmodi monilium reliquias. De corollis e frondibus vide infra not. 46.

[41] Grew museum regalis societatis p. 2. Gryphius pag. 29. Pococke loc. cit.

[42] Ita haberi in mumia integerrima, quae servatur Hafniae in museo Friderici Münter V. C. et amicitia mihi conjunctissimi, comperi e litteris ejus ad me datis die 17. februarii 1789. Hujus pellis facies glabra extrorsum versa tegitur indumento byssino dealbato et picto, hinc

vel ex parte panniculis byssinis gummi illitis et conglutinatis, gypsoque tenuiter inductis ac pigmentorum varietate decoris, qui modo ita conjuncti sunt ut unum efficiant et continuum totius mumiae integumentum, atque pro larva et veste sint, et cogitari faciant de gypsatis illis mumiis, quarum apud Aethiopes meminit Herodotus; modo disjuncti hinc et inde cernuntur applicati et paxillorum ope fasciis superaffixi [43]. Horum pars quae caput operit, humani vultus speciem praefert cum

---

et inde tanquam paxillis e gypso per pellem adactis cum ipsa cohaerente. Qua vero parte vultum cadaveris operit pellis, eidem superagglutinata est larva lignea deaurata. Hujusmodi larvam ligneam admodum subtilem soli vultui tegendo aptatam, insignis artificii et auro perquam nitide obductam, vidi olim in museo regio Taurinensi.

[43] Esse solet hoc operimentum e tela crassiore et rariore quam sunt fasciae, praesertim intimae illae, ac panniculis duobus vel pluribus sibi superinglutinatis speciem praebet ejus chartae generis quod dicimus *cartone*. Gypso obducitur gummi infecto, subtili, tenaci et ita laevi, ut tantum non vernici appareat simile. Hoc quidem de exquisitiori genere; nonnunquam crassius est, fragile et rude. Utriusque generis specimina ante oculos habeo in museo Borgiano. Rarius ex uno constat frusto, a capitis vertice descendente infra plantas pedum, speciemque praebet operculi arcae sepulcralis, uti in duabus illis mumiis servatis Bononiae in instituto Clementino, ex quibus una omnium quae hactenus vidi maxima est atque pulcherrima. Frequentius caput cum collo et humeris uno tegumento operiuntur, reliquum corpus variis frustis, modo majoribus, modo minoribus, jam contiguis et usquè ad pedes continuatis, jam sparsim distributis, nonnunquam sectili opere factis spatio exsecto inter scutulas virgasque pictas in bysso. Servantur in museo Borgiano quam plurima hujus generis frusta, in quibus est integrum capitis operimentum, vultu inaurato ac lineamentis velut in anaglypho prominentibus, cum velamino caeruleo et collari ornamento variegato; reliqua vel amplioris telae fragmenta sunt figuris et characteribus insignita, vel taeniae oblongae hieroglyphice scriptae, vel areolae tum figura tum magnitudine chartis lusoriis non absimiles, quamquam integrae, cum Aegyptiorum deorum effigiebus ex parte inauratis ex parte pictis, vel denique pectoralia et tibialia ornamenta sectilis operis. In hisce omnibus hinc et inde observantur foruli paxillis immittendis destinati, quorum ope fasciis affigebantur. In altera ex mumiis Bononiensibus, quae minoris elegantiae est, super integumento gypsato denuo affixae sunt figurae nonnullae sectiles, pariter e bysso gummi ac gypso obducto. Mumia Veneta, cujus fascias undique pictas supra laudavi, super fasciis pictis habebat sectile ornamentum ex bysso duplicato et gypsato pectori affixum; pedes quoque tanquam ocrea ejusdem materiae muniti erant: in reliquo corpore nil cernebatur praeter fascias, neque vestigium aliquod inveni avulsi operimenti. Confer Heynium comm. vol. 4. pag. 8. Gryphium pag. 7. 39. Grew mus. reg. soc. pag. 1. Greaves apud Templemannum in notis ad iter Nordenii tom. 1. p. 113. Inspice iconismos mumiae Nardianae apud Kircherum Oedipi tom. 3. pag. 412., mumiae Cantabrigiensis in antiquit. Middletonianis tab. 23., quatuorque mumiarum quas expressit Alexander Gordon in serie monumentorum Aegyptiorum tab. 13. 14. 24., tunc asservatas apud Richardum Mead, Josuam Locke, Eduardum Lisle, et in museo collegii medicorum Londini; ejus praeterea quam possedit Theophilus Tompson Tutt, allatam a Perrio peregrinatore, atque in hujus itinere aeri incisam; ac ejus quam ex Aegypto advexit Richardus Pococke aeneisque formis expressit itineris vol. 1. tab. 20. Adde Montfaucon *antiqu. expliquée* tom. 5. part. 2. tab. 132. 133. et suppl. tom. 2. post tab. 37. Caylus *recueil d'antiquités* tom. 2. mon. Aeg. tab. 8. 9.

Parvulorum cadavera ut plurimum extimas fascias gypso spisse inunctas habent et pissasphalto oblitas; quo fit ut uno et continuo involucro nigri coloris tecta appareant, in quo praeter vultum auri plerumque vernice expressum nihil distinguitur. Servatur hujus generis mumia in museo Brgiano, alta uncias 22, cujus pectori applicatum est fragmentum asserculi subtilis reticulate pictum, quod retinent taeniolae quaedam byssinae. Aliae duae exstant Romae in theatro anatomico nosocomii S. Spiritus, haud ita pridem curante amplissimo praesule Francisco de Albitiis, ejusdem nosocomii praeceptore vigilantissimo, ei illatae. Harum altera longa est palmos duos, altera palmos duos cum unciis septem. In utraque super fasciis adjecta cernuntur fragmina nonnulla lintei duplicis ac gypsati, figurisque et characteribus insignita, cujusmodi esse solent grandium mumiarum extima integumenta. Sed nolo definire, utrum istiusmodi fragmina, sive e bysso sint sive e li-

calantica sive velamine ab Aegyptiis gestari solito, atque monili collum ornante: Pectori impositum esse solet ornamentum consistens e virgulis in arcum curvatis atque concentricis: in quarum meditullio non raro conspicitur scarabaeus alatus, in summis autem earum extremitatibus utrinque ad humeros cadaveris adstitutae esse solent duae protomae accipitrinae. Porro infra pectorale cernitur alatae deae effigies, adstantibus plerumque aliis icunculis quibusdam. Cruribus pariter incumbit ornamentum e zonis ellipticis dimidiatis sursum tendentibus; nec raro pedes calcamine conteguntur. Interdum et brachia defuncti pictura expressa sunt, manibus stomacho applicatis ac varia attributa praeferentibus. Reliquam vestem ornant characteres Aegyptii, atque figurae ex ejus gentis superstitione depromptae [44]. Vultus plerumque deauratus est aut luteo colore inductus, ita tamen ut in labiis color ruber sit, in oculis albus, in pupillis et ciliis niger, in maxillis et menti parte inferiore subruber aut flavescens. Etiam icunculae nonnullae auri pellicula obductae esse solent: reliquae coloribus expressae subflavo, luteo, viridi, caeruleo, rubro, nigro. In ipso quoque cadavere ungues modo auro tincti sunt, modo polline rubro seu flavo [45]. Inveniuntur praeterea, licet non semper in cavitatibus cadaveris, in ore, pectore, ventre, aut inter fasciarum gyros sigilla quaedam et amuleta, ex varia materie, scarabaeorum maxime effigies, parvaque Osiridis et averruncorum daemonum simulacra, ac lamellae aureae foliorum speciem referentes, nec non herbarum ramuli, flores loti, palmae et perseae folia [46]..

---

gno, jam antiquitus cadaveri superposita fuerint, an Arabum fraude recenter alligata. Venetiis apud eundem nauclerum, qui mumiam grandem supra dictam attulerat, tres vidi praeterea infra trium palmorum longitudinem, vultu aeque ut in reliquis deaurato. Harum una magna ex parte tecta erat frustulis telae gypso coloribusque obductae; in alterius extimis fasciis gypso pariter oblitis figurae quaedam cernebantur admodum ruditer pictae; tertia autem capite excepto tegebatur operimento byssino continuo, gypsi gummique ope praeparato, in quo effigierum ordines quatuor, coloribus sat eleganter erant expressae. Mumiam infantis recens nati, fasciis deauratis involutam, pictisque figuris decoram in cryptis ad Saccaram se vidisse narrat Bremondus, itineris lib. 1. c. 15. pag. 76. Extat etiam Dresdae parva mumia, expressa in *Marbres de Dresde* tab. 197., et alias perexiguas tum Londini tum Hafniae servari accipio. Quare cum jam tot innotuerint infantum cadavera medicata, falli suspicor Mailletum pag. 285, et qui eum secuti affirmant, admodum raro inveniri hujus generis mumias. Sed raro earum meminere peregrinatores, utpote quibus grandes mumiae majore attentione dignae visae. Adnotat Vanslebius itineris p. 149.. se in crypta quadam apud Saccaram duas tantum mumias superstites offendisse, alteram viri, alteram infantis.

44 Videsis auctores et ectypos modo citatos. Brachia in operimento expressa habes in duabus mumiis, quas ex Aegypto advexit Petrus de Valle, apud Kircherum Oed. tom. 3. pag. 405. et in *Marbres de Dresde* tab. 197. Pari modo in mumia Münteriana manus cernuntur super stomacho decussatae, elatiori opere quam reliqua integumenti superficies.

45 Bremond pag. 76. Villamont p. 662. Caylus pag. 129. 133. De coloribus, quibus usi inveniuntur Aegyptii, vide Gmelinum pag. 20. sqq. Caylus *recueil d'antiquités* tom. 5. pag. 22.

46 Prosper Alpinus rerum Aegyptiarum tom. 1. pag. 35.: „ Singula cadavera medicata intus „ continent aliquod idolum aut vitreum aut lapideum aut aeneum, quae in ipsis variorum „ generum esse deprehendimus. Nos ex communibus plura habemus intra illorum corpora inventa, modo humanas figuras exhibentia, modo bruta ex insectis. Nos intra quoddam cadaver invenimus scarabaeum magnum „ ex lapide marmoreo efformatum, qui intra „ pectus cum libanotidis coronarii ramis colligatus fuerat repositus. Incredibile dictu, ramorum roris marini, qui una cum idolo inventi fuerunt, folia usque adeo viridia et recentia visi fuerunt, ut ea die de planta decerpti et positi apparuerint „. Maillet pag. 276. narrat, Arabes interdum invenire aureas icunculas in mumiis: et pag. 278. refert in mumia coram se aperta deprehensas fuisse chordas musicas nonnullas, sub manu dextra quae stoma-

Quando coeptum sit in Aegypto corpora condire, quando cessatum, aeque incertum est. Scriptorum silentium argumentum videri debet, fieri consuevisse ab hominum memoria: initio quidem cadavere ad aërem tantum siccato, odoribusque seu unguentis, quorum in illis regionibus usus est antiquissimus, delibuto. Sensim conditura in artem excrevit, sensim in deterius abiit, donec Aegyptus, Romanorum praefectorum exactionibus exhausta ac civilibus turbis labefactata, Arabum tyrannidi cessit, et omnes perdidit veterum morum reliquias. Jam patriarcharum aevo magnam curam corporibus condiendis impensam fuisse in Aegypto, et medicationem cum arte peractam, scimus e Geneseos capite quinquagesimo, ubi de Josepho inquit sacer textus: „ Praecepit servis suis medicis, ut „ aromatibus condirent patrem. Quibus jussa explentibus transierunt quadragin- „ ta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum „. Postea de ipsius Josephi cadavere annotat, conditum fuisse aromatibus et repositum in loculo in Aegypto[47]. Durasse consuetudinem usque saltem ad saeculum quintum, constat ex scriptis S. Augustini et Joannis Cassiani[48]. Et hodie apud Arabes in Aegypto con-

---

cho incumbebat abditas; in alia vero repertam fuisse phialam pedalis longitudinis balsamo plenam. Debreves pag.280. se in mumia reperisse narrat icunculam lapideam scarabaei. Gryphius pag. 38. „ Sub media pedis dextri planta florem „ vidimus, sive loti, sive betonicae, sive cae- „ pe: foliis prope scapum latiusculis, tenuio- „ ribus ad cacumen, lupuli aut cardui sativi, „ sed nec dum maturi instar, exacte clausis. Sub „ utroque latere ad ipsos lumbos palmae folium „ adeo integrum firmumque, ut ni nitidus viror „ in pallorem deficeret, hesterno mane ramo „ decerptum putes„. De eadem mumia pag.46. „ Postremo quicquid faucibus abditum excussi- „ mus, repertumque inter unguenta complica- „ tum purissimum ex auro folium, crenis insi- „ gne ac mirandae tenuitatis, decem granorum „ pondere„. Hujusmodi folium delineatum habes apud comitem Caylus *recueil d' antiquités* tom.2. m. A. tab.4. num. 2., ab ipso inventum inter fascias quae cingebant pectus mumiae. Advertit quoque Burattinus in epistola apud Kircherum Oed. tom. 3. pag. 400. sub mumiarum lingua saepe reperiri lamellam auream unius vel duorum solidorum pondere. Esse tamen multas in quibus nil hujusmodi inveniatur, notaverunt Shaw tom.2. pag.160. Petrus de Valle tom. 1. pag. 264. Monconys tom. 1. pag. 185. 196., qui in variis, quas aperiendas curavit, nihil deprehendit, praeterquod una ex iis cincta erat corollis quibusdam ex foliis nigricantibus in palmae fibra consertis, quae figura accedebant ad aurantiorum folia. Quo juvari videtur Crusii aliorumque sententia, qui sacram Aegyptiorum perseam eam plantam fuisse existimant, quam ex America in hortos nostros botanicos illatam nunc appellant laurum ficum; quamquam hactenus non constet, inveniri eam arborem in Aegypto aut in regionibus conterminis, neque ipsa satis respondeat descriptioni perseae apud Theophrastum. Dapper *description de l' Afrique* pag.71. ait, in arcis mumiarum saepe inveniri papyri volumina characterum multitudine inscripta: quod unde hauserit nescio. Ligneam tabulam, quam triptychon appellare possis, deorum continentem pictas imagines, in mumia invenit Nardius cervici lateribusque capitis applicatam. Kirch.Oed. tom.3. p.417. Herzogium in uno cadavere reperisse icunculas septuaginta quatuor, e marmore, alabastro, jaspide, achate, cyano: auctor mihi est Caylus pag. 133. Vide quoque Kircherum Oed. tom. 3. pag. 418. et Shawium itineris tom. 2. pag. 162.

47 Vers. 2. 25. Videtur tunc temporis nondum exstitisse taricheutarum collegium, sed condituram peractam esse a mancipiis, nisi dicendum, quod Jacobus prout peregrinus medicari non potuerit ab Aegyptiis hominibus. Cadaver ejus ita conditum statim delatum est in Chanaan et in patrio sepulcro repositum: Josephum autem Israelitae Aegypto excedentes secum deportarunt. Exod. c.13. v.19. Hermeticorum auctor loco a nobis supra adducto pag. 20., ubi ab Iside et Osiride institutum esse ait defunctorum corpora decore componere, nihil affert praesidii, cum incerta sit aetas Osiridis, ex ipsius autem fabula, qualem tradit Plutarchus tract. de Isid. pag. 404. opp. tom. 2. pag. 356. appareat, jam ante ejus tempora cadaverum curam habuisse Aegyptios.

48 Sanctus Augustinus sermone 361. cap. 12. „ Aegyptii ergo soli credunt resurrectionem, „ quia diligenter curant cadavera mortuorum? „ Morem enim habent siccare corpora et qua-

diturae genus usurpari accipio, licet imperfectius multo et minus solemne [49].

Neque est ut anxie quaeramus de moris origine et causa apud Aegyptios, cum per totum terrarum orbem sit diffusus, varie quidem pro gentium indole ac conditione modificatus. Cadavera forte fortuna integra reperta in arenis desertorum quae Aegyptum cingunt, primam occasionem obtulisse, quod multis placere invenio [50], mihi plane videtur superfluum. Neque hic cogitare possum de Garamantibus, qui dum reclusa arena nudos infodiebant mortuos [51], contrarium faciebant ejus

---

„ si aenea reddere. Gabbaras ea vocant. Ergo „ secundum istos, — soli Aegyptii bene credunt „ resurrectionem mortuorum suorum, aliorum vero Christianorum spes in angusto est„? Cassianus collation. 15. cap. 3. Aliud praeterea argumentum suppeditat mumia Petri de Valle, nunc in museo Dresdensi, formulam ευψυχει, in Graecis sepulcris sequiore aevo solemnem, pectori inscriptam gerens, figurisque ornata, quae a veteri arte Aegyptia prorsus alienae vix ante quartum vulgaris aerae saeculum pictae credi possunt. Confer Chr. Gu. Fr. Walchium *de mumiis Christianis*, in commentation. societ. reg. scient. Gotting. vol. 3. class. philolog. numer. 2., et Heynium comm. vol. 3. pag. 97. vol. 4. p. 23. Graeci in Aegypto hac in re, ut in aliis multis, indigenarum moribus se videntur accommodasse; certe nullum exemplum invenio Graeci funeris cremati in Aegypto. Quae vero de Necropoli Alexandrina notat Strabo lib. 17. pag. 1145. infra adducendus §. 14., indicant defunctorum corpora in Aegypto post Alexandrum ut antea curate fuisse medicata. Notum praeterea est Ptolemaeorum corpora eo modo fuisse servata ut post saecula adhuc possent inspici: id vero utrum Aegyptio ritu factum an ad imitationem Alexandri, cujus cadaver Babylone curatum servabatur Alexandriae, ambigi potest. Svetonius de Augusto cap. 18: „ Conditorium et corpus magni Alexandri, cum „ prolatum e penetrali subjecisset oculis, co„ rona laurea et floribus aspersis veneratus est; „ consultusque num et Ptolemaeum inspicere „ vellet, regem se voluisse videre, non mor„ tuos „. Intelligi hic Lagi filium, regni conditorem, dubio carere videtur, modo ni scripsit Svetonius *Ptolemaeos*, ut suadent verba Dionis Cassii eandem rem narrantis lib. 51. c. 16.: *το μεν του αλεξανδρου σωμα ειδε, και αυτου και προσηψατο ώστε τι της ρινος, ώς φασι, θραυσθηναι. τα δε δη των πτολεμαιων, και τοι των αλεξανδρεων σπουδη βουληθεντων αυτω δειξαι, ουκ εθεασατο, ειπων, ὁτι βασιλεα αλλ' ου νεκρους ιδειν επεθυμησα.* Neque illud satis constat, utrum Aegyptio more curatum fuerit corpus M. Antonii, quamquam ipse Heynius in eum sensum accipiat Dionem ibid. cap. 11, ubi ait Proculum et Epaphroditum concessisse dies aliquot Cleopatrae *το του αντωνιου σωμα ταριχευουση*: nam *ταριχευειν* proprie quidem denotare solet condituram Aegyptiam, intelligi tamen etiam potest de unctura Graecis Romanisque consueta, quam ab ipsa Cleopatra ancillisque suis administratam credere possumus, non ita condituram Aegyptiam. Etiam Plutarchus in Antonio cap. 83. tom. 1. pag. 953. defuncti corpus curatum narrat ipsius Cleopatrae manibus: *εθαπτετο ταις εκεινης χερσι πολυτελως και βασιλικως, πασιν ὡς εβουλετο χρησθαι λαβουσης*. At e Luciano de luctu §. 21. tom. 2. pag. 932. patere mihi videtur, eo scribente veterem ritum obtinuisse in Aegypto, nec possum cum Heynio dictum ejus, mox infra adducendum, ita interpretari, ac si dixisset, siccari tantum corpora, non curari. Si enim verba spectamus, *ταριχευειν* et *ξηραινειν* idem est.

[49] Caylus pag. 134. Gmelin pag. 18. Forskal Flora Aegyptiaco-Arabica pag. 99. Barthema lib. 1. de Arabia cap. 15. apud Ramusium tom. 1. pag. 151.

[50] Caylus pag. 119. Rouelle *mem.* pag. 141. Heyne comm. vol. 3. pag. 75. Prosper Alpinus tom. 1. pag. 36. advertit, multis in locis in Aegypto propter solum nitrosum et arenosum, corpora quae in eo sepeliuntur, in mumias siccari: quod tamen nisi in desertis ab aestuante Nilo dissitis evenire posse non videtur. Caeterum constat reperiri cadavera hoc modo siccata tum in Arabiae tum in Libyae arenis; sive hominum fato functorum in itinere, sive errantium barbarorum, quibus nulla cura sepulcri. Fieri etiam potuit apud Aegyptios, ut qui nec subterraneam sepulturam nec arcam ligneam comparare sibi possent, cuperent tamen sepeliri in sacra planitie Memphitica, parce curati linteisque involuti ac storeis tecti sola arena obruerentur: cujusmodi cadavera prope Saccaram reperta narrat Mailletus pag. 281, arena usque septem pedum altitudinem occultata. Illud vero dubium movet, quod carbonum stratis incubuisse dicat, qui cui bono esse potuerint non video, nec sane vilis pretii merx sunt in Aegypto.

[51] Silius punic. lib. 13. vers. 467:
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt?

quod Aegyptii fecisse comperiuntur. Cassianus, ubi Nili exundationem impedire ait mortuos terra condere [52], nihil agit, nam neque oppida inundantur neque colles Libyci. Porro qui a metempsychosi Aegyptiis credita repetunt, monente Heynio [53], sequiora praemittunt vetustioribus: neque apud antiquos auctores me legisse memini, credidisse Aegyptios, quod in idem illud corpus reversura esset anima. Minime vero audiendus Aristoteles [54], qui ubi ait: αχρηστος ὁ νεκρος, και δια τουτο ριπτομεν· ὁις δε χρησιμον, φυλαττουσιν, ὡσπερ ὁι εν αιγυπτῳ· „ Mortuus „ res est inutilis, ideoque projicimus; at quibus utilis est, custodiunt, ut in Ae„ gypto fit „: si recte mentem ejus capio, cadaverum oppignerationem Aegyptiis consuetam pro causa accipit. Sed pietas in parentes amicorumque desiderium cadavera servare suaserunt [55], praesertim cum plurimarum gentium ea sit persuasio, post mortem quoque animam adhaerere corpori. Hoc pro aëris siccitate in Aegypto modica cura ad tempus satis longum obtineri potuit; protrahi autem tempus sale odoribusque admixtis, cuivis obvium erat. Postea ut erat Aegyptiorum ingenium, coeptis insistere et quavis re progredi usque ad extrema, corpora sua aeterna reddere adlaborarunt, ac nitri asphaltique vicinia adjuti non regum tantum optimatumque corpora, ut apud multos populos fit, sed plebeios quoque mortuos medicare instituerunt. Sic in consuetudinem transiit conditura, nulla necessitate urgente, nulla impellente opinione, quae Aegyptiis esset propria.

Domi servare defunctos in aedium penetralibus, patrii moris fuisse apud Aegyptios, auctores habemus gravissimos, Ciceronem et Melam [56], atque testem oculatum Lucianum, qui in tractatu de luctu, recensitis variarum gentium circa mortua corpora ritibus, inquit [57]: ταριχευει δε ὁ αιγυπτιος. ὁυτος μεν τοι, λεγω δε ιδων, ξηρανας τον νεκρον, συνδειπνον και συμποτην εποιησατο. πολλακις δε και δεομενῳ χρηματων αιγυπτιῳ, ελυσε την αποριαν, ενεχυρον η ὁ αδελφος η ὁ πατηρ γενομενος εν καιρῳ. „ Condire consuevit Aegyptius. Is enim, quae vidi „ narrò, siccatum cadaver convivam suum et compotorem solet facere. Saepe

---

[52] Collation. 15. cap. 3.: „ Hunc autem „ Aegyptiis morem Nili fluminis invexit alveus, „ ut quoniam universa illius latitudo terrae, in„ star immensi pelagi, non parvo anni tempo„ re solita aquarum eruptione contegitur, ita „ ut nulla tunc cuiquam humandi copia humani „ corporis tribuebatur, nisi post transvectio„ nem decursam, corpora vero mortuorum „ pigmentis condita redolentibus in editioribus „ cellulis recondantur „.

[53] Comment. vol. 3. pag. 76.

[54] Ethic. Eudem. lib. 7. cap. 1.

[55] Recte animadvertit Eustathius ad Iliad. A. pag. 43. αιγυπτιοι τους νεκρους εταριχευον, ἱνα ὁλον το σωμα του ποτε ζωντος εχωσιν εις μνημης ζωπυρον. „ Aegyptii mortuos condiverunt, „ ut hominis qui aliquando cum ipsis vixerat, „ integrum corpus haberent, memoriae refo„ cillamentum „. Herodotus lib. 3. cap. 16. ubi condiendi morem inde explicat, quod a vermibus vorari reformidarent, ταριχευουσι τον νεκυν, ἱνα μη κειμενος υπο ευλεων καταβρωθη, plebeculae sensum satis bene expressit, sed ritus originem non attigit.

[56] Cicero quaest. tusc. lib. 1. cap. 45: „ Condiunt Aegyptii mortuos, et eos domi ser„ vant „. Mela de situ orbis lib. 1. cap. 10.: „ Aegyptii mortuos limo obliti plangunt: nec „ cremare aut fodere fas putant, verum arte „ medicatos intra penetralia collocant „. Adde Sextum Empiricum pyrrhon. hypotyp. lib. 3. cap. 24.: αιγυπτιοι τα εντερα εξελοντες ταριχευουσι τους νεκρους, και συν ἑαυτοις υπερ γης εχουσιν.

[57] §. 21. tom. 2. pag. 932. Illud συνδειπνον και συμποτην ποιειν, non aliud esse quam domi secum habere, monuit Heynius comm. vol. 3. pag. 88.: neque alio sensu accipienda reor verba Silii punic. lib. 13. v. 463.:

Aegyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, et a mensis exsanguem haud
separat umbram.

„ etiam pecuniae indigenti Aegyptio solvit inopiam pignori oppositus in tempore „ frater paterve „ . Quae quo pacto concilianda sint cum Diodori narratione de mortuis solemni pompa ad sepulcra delatis, et cum cadaverum multitudine in cryptis Aegyptiis hodie inveniendis, quae res dubium moverunt nonnullis, mox infra declarabimus. Sed de cadaveribus pignoris loco traditis audiamus Herodotum libro secundo, capite trigesimo sexto super centesimum: *επι ασυχιος βασιλευοντος, ελεγον αμιξιης εουσης πολλης χρηματων, γενεσθαι νομον αιγυπτιοισι, αποδεικνυντα ενεχυρον του πατρος τον νεκυν, ούτω λαμβανειν το χρεος. προστεθηναι δε ετι τουτῳ τῳ νομῳ τονδε, τον διδοντα το χρεος και ἁπασης κρατεειν της του λαμβανοντος θηκης· τῳ δε υποτιθεντι τουτο το ενεχυρον, τηνδε επειναι ζημιην μη βουλομενῳ αποδουναι το χρεος, μητ' αυτῳ εκεινῳ τελευτησαντι ειναι ταφης κυρησαι, μητ' εν εκεινῳ τῳ πατρῳῳ ταφῳ, μητ' εν αλλῳ μηδενι, μητ' αλλον μηδενα των ἑωυτου απογενομενων θαψαι.* „ Sub Asyche rege factum fuisse dicunt, ut cum vehe„ menter laboraretur inopia pecuniae, et hinc abstinentia esset a commerciis, lex „ Aegyptiis promulgata fuerit, ut ita demum quis pecuniam mutuum acciperet, „ si cadaver patris pignori traderet. Hoc item ad hanc legem adjectum fuisse, ut „ penes creditorem esset potestas omnis sepulcri debitoris, utque haec irrogaretur „ mulcta pignus illud supponenti, si dissolvere aes alienum recusaret, fas ne es„ set illi ipsi sepeliri aut in isto paterno aut in ullo alio sepulcro, ac ne alium „ quemquam e suis mortuum sepeliret „. Haec ita accipio, avitum morem cadavera pignori obligare, quem tacita inter cives conventione, non regio decreto introductum reor, ab Asyche hac lege sancitum atque ordinatum fuisse [58].

Aegyptiis vero ut in reliquis rebus sic in mortuis quoque curandis quam simillimi inveniuntur Meroënses seu Macrobii Aethiopes. De iis ita retulerunt exploratores a Cambyse missi, apud Herodotum libri tertii capite vigesimo quarto: *μετα δε ταυτην τελευταιας εθηησαντο τας θηκας αυτεων, ἁι λεγονται σκευαζεσθαι εξ υαλου, τροπῳ τοιῳδε. επεαν τον νεκρον ισχνηνωσι, ειτε δη καταπερ αἰγυπτιοι ειτε αλλως κως, γυψωσαντες ἁπαντα αυτον, γραφῃ κοσμεουσι εξομοιευντες το ειδος ες το δυνατον. επειτα δε ὁι περιστασι στηλην εξ υαλου πεποιημενην κοιλην· ἡ δε σφι πολλη και ευεργος ορυσσεται. εν μεσῃ δε τῃ στηλῃ ενεων διαφαινεται ὁ νεκυς, ουτε οδμην ουδεμιην αχαριν παρεχομενος, ουτε αλλο αεικες ουδεν· και εχει παντα φανερα ὁμοιως αυτῳ τῳ νεκυι. ενιαυτον μεν δη εχουσι την στηλην εν τοισι οικιοισι ὁι μαλιστα προσηκοντες, παντων τε απαρχομενοι και θυσιας οἱ παραγοντες· μετα δε ταυτα εκκομισαντες, ἱστασι περι την πολιν.* „ Post solis mensam „ ad extremum inspexere eorum conditoria, quae dicuntur e vitro esse constructa „ hunc in modum: posteaquam mortuum sive Aegyptiorum sive alio quodam mo„ re extenuarunt, totum gypso inducunt, picturaque exornantes, exhibent quoad „ fieri potest effigiem ejus: deinde cippum ei cavum e vitro, quod apud illos mul„ tum et labori aptum effoditur, circumdant: in cujus medio mortuus perlucet,

---

Quo loco *odoratum saxum* asphaltum denotare videtur.

[58] Diodorus lib. 1. cap. 93: *νομιμον δ' εστι παρ' αυτοις και το διδοναι τα σωματα των τετελευτηκοτων γονεων εις υποθηκην δανειου. τοις δε μη λυσαμενοις ονειδος τε μεγιστον ακολουθει, και μετα την τελευτην στερησις ταφης.* „ Hic „ etiam mos ipsis est, ut parentum cadavera „ denatorum pro creditis oppignorent. Qui ne„ xos non repignerant, improperium hos ma„ ximum, et post excessum e vita sepulturae „ privatio consequitur „. Idem a Canadensibus populis fieri affirmat Lafitau tom. 2. p. 422. nescio qua fide dignus, in re quae cum ferarum gentium moribus non satis convenire videtur.

nihil neque odoris ingrati neque foeditatis ullius praebens, sed omnia conspicua ipsi illi cadaveri similiter habens. Hunc cippum qui maxime sunt propinqui, intra aedes annum tenent, offerentes ei omnium rerum primitias hostiasque: post talia efferunt, circumque urbem statuunt „. Quae fuerit illa substantia pelludica, qua Meroënses ad loculos faciendos usi sunt, latebit donec exquirantur montes Aethiopiae, ejus praesertim regionis, quae hodie appellatur Nubia, nostris hominibus parum cognita. An forte specularis lapis fuit, aut quod nunc vocant vitrum muscoviticum? In reliqua narratione nihil est quod dubium creet; nec video quid egerint veteres auctores, qui vel Herodoti auctoritate freti Aethiopibus affinxerunt morem cadavera vitro circumfundere, vel ipsum quasi absona prodentem oppugnavere [59].

Caeterum, quod jam monui, non propria fuerunt haec et peculiaria Aegyptiorum Aethiopumque instituta, cadavera condire, domi asservare, condendisque corporibus ea loca eligere, quae ad incorrupta custodienda quam aptissime viderentur a natura vel ab arte comparata. Idem conservandorum cadaverum studium viguisse apud Babylonios veteresque Persas, et apud Scytharum partem, doce-

[59] Utrumque habes apud Diodorum lib. 2. cap. 15: *ταφας δε των τελευτησαντων ιδιως οἱ κατα την αιθιοπιαν ποιουνται. ταριχευσαντες γαρ τα σωματα, και περιχευσαντες αυτοις πολλην υελον, ἱστασιν επι στηλης, ὡστε τοις παριουσι φαινεσθαι δια της υελου το του τετελευτηκοτος σωμα· καθαπερ ἡροδοτος ειρηκε. κτησιας δε ὁ κνιδιος αποφαινομενος τουτον σχεδιαζειν, αυτος φησι, το μεν σωμα ταριχευεσθαι, την μεντοιγε υελον μη περιχεισθαι γυμνοις τοις σωμασι· καταπακαυθησεσθαι γαρ ταυτα, και λυμανθεντα τελειως την ὁμοιοτητα μη δυνησεσθαι διατηρειν· διο και χρυσην εικονα κατασκευαζεσθαι κοιλην, εις ἡν εντεθεντος του νεκρου περι την εικονα χεισθαι την υελον· του δε κατασκευασματος τεθεντος επι τον ταφον, δια της υελου φαινεσθαι τον χρυσον αφωμοιωμενον τῳ τετελευτηκοτι. τους μεν ουν πλουσιους αυτων ὁυτω θαπτεσθαι φησι· τους δε ελαττονας καταλιποντας ουσιας, αργυρας τυγχανειν εικονος· τους δε πενητας κεραμινης. την δε υελον πασιν εξαρκειν, δια το πλειστην γεννασθαι κατα την αιθιοπιαν, και τελεως παρα τοις εγχωριοις επιπολαζειν*, „ Sepulturas mortuorum peculiari Aethiopes ritu instituunt. Cadaver enim salitum, et multo vitro circumfusum in cippo statuunt, ut per vitrum defuncti corpus videri queat: sicut Herodotus scriptum reliquit. At Ctesias Cnidius nugari eum confirmat, ostendens saliri quidem cadaver; sed nudis corporibus vitrum nequaquam circumfundi. Nam sic futurum, ut ambusta et prorsus fœdata similitudinem retinere nequeant. Ideo cavam ex auro statuam conflari, circa quam cadavere incluso vitrum tandem liquetur, et hac sepulcri posita loco, speciem mortuo similem per vitrum exhiberi. Atque eo modo ditiorum funera curari tradit. Tenuioris autem fortunae hominibus argenteas poni statuas, pauperibus fictiles. Et abunde sat vitri cunctis esse; quod plurimum ejus gignatur in Aethiopia, et passim incolis sit obvium „. Haec pro more Ctesiae. Ipse Diodorus alio loco lib. 3. cap. 8: *αιθιοπων γενη παρηλλαγμενοις εθεσι χρωνται και περι τους παρ' αυτοις τελευτωντας. οἱ μεν γαρ εις τον ποταμον βαλλοντες αφιασιν, αριστην ἡγουμενοι ταφην ταυτην. ὁι δε περιχεαντες υελον, εν ταις οικιαις φυλαττοντες νομιζουσι, δειν μητε των τελευτωντων αγνοεισθαι τας οψεις τοις συγγενεσι, μητ' επιλανθανεσθαι τους προσηκοντας τῳ γενει των προσωκειωμενων. ενιοι δε ες οστρακινας σορους εμβαλλοντες κατορυττουσι κυκλῳ των ἱερων, και τον επι τουτοις γενομενον ὁρκον μεγιστον ἡγουνται.* „ Aethiopes secus quam aliae gentes defunctis apud se justa faciunt. Alii enim in flumen eos abjiciunt, hunc optimum sepeliendi modum rati. Alii circumfuso illos vitro domi conservant: quia mortuorum facies non ignotas esse cognatis, nec gentilium propinquorum, ut obliviscantur, decere censent. Nonnulli sandapilis testaceis conditos circum templa defodiunt: et praestitum super his juramentum longe sanctissimum habetur „. Quem Diodori locum in compendio exhibet Strabo lib. 17. pag. 1178. Etiam Lucianus *de luctu* §. 21. tom. 2. pag. 932. scribens: *ὁ ινδος υαλῳ χριει*. „ Indus mortuum vitro oblinit „: intelligendus est de Aethiopibus.

mur ab Herodoto [60]. Guanchos praeterea in Canariis insulis Africae adjacentibus mortuorum corpora cum arte curavisse, testantur quae hodie ibi visuntur cavernae sepulcrales vetustis cadaveribus refertae; variosque cum in veteri continenti, tum maxime in America atque in australibus insulis populos, circa principum virorum cadavera custodienda sollicitos produnt peregrinatores [61]. Etiam apud priscos Latinos parentum corpora domi suae custodisse videntur beatiores, quod posteaquam lege abolitum est, cereis imaginibus desiderium lenire coeperunt [62]. Praeterquod

---

[60] De Babyloniis inquit Herodotus lib. 1. cap. 198.: *ταφαι σφι εν μελιτι· θρηνοι δε παραπλησιοι τοισι εν αιγυπτῳ.* „ Sepultura ipsis in melle est; luctus funebres fere ut apud Aegyptios „. Strabo lib. 16. pag. 1082.: *θαπτουσι εν μελιτι κηρῳ περιπλασαντες.* „ Sepeliunt in melle cera cadavere oblito „. De Persis vide superius notam 8. Scythae ad Borysthenem et Euxinum constituti, regum cadavera more suo salita et cera obducta plaustro imponere, ac per omnes imperii provincias circumducere solebant, postea tumulo includere. Privatorum corpora per dies quadraginta circumvehebant ad amicos, a quibus tanquam convivio excipiebatur, cibo potuque cadaveri appositis. Herod. lib. 4. cap. 71. 73. Consimilem morem apud Persas exstitisse innuit scholiastes Aeschyli in Persis ad v. 1005. Phryges sacerdotum suorum cadavera incorrupta servasse videntur: ait enim Nicolaus Damascenus in libello de mor. gent. pag. 3851: *φρυγες ου κατορυττουσι τους ἱερεις τελευτησαντας, αλλ᾽ επι λιθους δεκαπηχεας τιθεασιν ορθους.* „ Phryges non defodiunt in terram sacerdotes mortuos, sed super lapides decem cubitorum erectos statuunt „. De regione Haoulam a Perside ad ortum, refert Beniamin Tudelensis, peregrinator saeculo duodecimo, itineris pag. 105. interprete l'Empereur: „ Mortuos non sepeliunt, sed aromatibus condiunt, ac in scamnis secundum distinctas familias sepositos sindonibus obtegunt, viventibus similes „. Conf. *Purchas his pilgrimes* tom. 2. pag. 1459. Alexandri Macedonis corpus ab Aegyptiis Chaldaeisque suo more curatum narrat Curtius lib. 10. cap. 10. Alii melle servatum prodiderunt. V. Kirchm. de fun. Rom. pag. 54. De successoribus ejus, Tacitus annal. lib. 16. cap. 6. „ Corpus (Poppaeae) non igni abolitum, ut Romanus mos; sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur „.

[61] De Guanchorum sepulcris consule Sprat *hist. de la societé royale de Londres* pag. 209. et *Histoire génér. des voyages* part. 1. lib. 5. cap. 5. §. 4. tom. 2. pag. 259. 261. seq. Scory in *Purchas his pilgrimes* tom. 4. lib. 7. cap. 12., pag. 787. De Peruvianorum conditura, Acosta hist. Ind. occid. lib. 5. cap. 7. pag. 217. et Garc. de la Vega *hist. des Yncas* tom. 1. pag. 309. 312. 508. tom. 2. pag. 19. *Hist. génér. des voy.* tom. 11. pag. 571. 573. De Cicimechis et Zapotechis in Nova Hispania, cl. Clavigerum *storia antica del Messico* tom. 2. pag. 99. De Parianis aliisque ejus continentis incolis, Petrum Martyrem ab Angleria *Sommario della istoria del nuovo mondo*, apud Ramusium tom. 3. fol. 15. 17. 22. *ter.* 35. Gonz. Fern. d'Oviedo *generale e naturale istoria del nuovo mondo*, ibid fol. 52. *ter.* De Maragnonis fluvii accolis P. Acugna in *hist. gén. des voy.* tom. 14. pag. 11. De Virginiae, Floridae ac Lovisianae indigenis, Lafitau *moeurs des sauvages* tom. 2. pag. 389. With *ritus incol. Virgin.* num. 22. *Histoire de la Virginie, par D. S. trad. de l'Angl.* lib. 3. cap. 8. §. 12. pag. 295. *Hist. gén. des voyages* tom. 14. pag. 522. De Hispaniolae insulae insulae indigenis, *Hist. génér. des voyag.* tom. 12. pag. 221.

[62] Vide de iis Kirchmannum de fun. Rom. lib. 2. cap. 7. p. 138. sqq. et Viscontium *Museo Pio-Clementino* tom. 6. praef. pag. 10. Imagines quidem istae post auctas Romanorum res fastui tantum inservierunt ac patritiorum ostentationi, sed initio ab humaniori affectu, pietate erga parentes, derivatas existimo. Assentire autem nequeo comiti Caylus, qui in *Histoire de l'academie des inscriptions*, tom. 23. p. 136., majorum imagines a Romanis factas conjicit ad Aegyptiarum mumiarum imitationem: quandoquidem avita illa Quiritium consuetudo longe ante apud eos obtinuisse videtur, quam cum Aegyptiis commercia exercere inciperent. Exstitisse etiam in prisca Graecia condiendorum, saltem siccandorum cadaverum consuetudinem, suspicari facit vocabulum *ταρχυειν*, quod proprie siccare vel condire significat, jam Homerico aevo de funerum curatione usurpatum. Iliad. Η. v. 86. Π. v. 674. Illud quoque ab eodem fonte videtur repetendum, quod Graeci res eas, quibus alii populi ad cadavera servanda usi comperiuntur, mel, adipem, unguenta, tum in rogum conjicere tum urnae una cum ossibus includere consuevere. Odyss. Ω. v. 66. 71. Iliad. Ψ. v. 243. Caeterum apud antiquissimos Graecos moris fuisse defunctos conde-

gentes sunt quam plurimae, quae ad breve rempus, mensium aut annorum spatio definitum supra terram secum servasse contentae, donec jacturae sensus paullatim evanescat, post terrae flammisve concedunt. Quem morem apud Tahitenses aliosque australium insularum autochthonas, [63] apud Cumanenses et vicinas in meridionali America gentes [64], pariterque apud Sinenses et qui his sunt populi finitimi, etiam apud Indos trans Gangem et Ceylanenses [65] observatum invenio. Quare in ipsis aedibus, constat e Platone in *Minoe* opp. tom. 2. pag. 315: *οἱ δ' αὖ ἐκείνων πρότεροι αὐτοῦ καὶ ἔθαπτον ἐν τῇ οἰκίᾳ τοὺς ἀποθανόντας*. „ Qui vero illis adhuc vetustiores, in ipsa domo „ sepeliebant mortuos „. Idemque facere consuevisse Italos e Larium religione arguit Servius ad Aeneidos lib. 6. vers. 152. et lib. 5. vers. 64. consentiente S. Isidoro orig. lib. 15. cap. 11. Romanis maxime infixum fuit desiderium cognata cadavera prope larem suum retinere. Nam licet ex duodecim tabularum lege vetitum esset in Urbe sepelire, tamen usque ad Duillium consulem, A. V. C. 490. id facere perseverarunt: ac sequenti tempore repetitis legibus opus fuit, quo mortui extra moenia pellerentur. V. Cicer. de leg. lib. 2. c. 23. Serv. ad Aen. lib. 11. vers. 206. et Kirchmannum de funeribus Romanorum lib. 2. cap. 20. Illam autem consuetudinem mortuos domi suae defodere apud varias gentes deprehenderunt peregrinatores. V. Candidii narrationem de Formosa insula in *Voyages de la Comp. des Indes*, tom. 5. pag. 101. Relat. de insulis Philippinis in *Hist. gén. des voy.* tom. 10. pag. 422. Relatt. de Caribis ibid. tom. 11. pag. 58. tom. 15. pag. 376. Mexicanorum pars juxta domos suas sepelire solebant. Acosta lib. 5. cap. 8. pag. 219. Conf. Pococke *descr. of the East* vol. 1. part. 1. lib. 1. cap. 2. pag. 9. cap. 12. pag. 48. Geogr. Nubiens. pag. 63. Athenis lege Solonis proibitum fuit ne intra urbem sepeliretur. Cic. de leg. lib. 2. cap. 23. Atque idem cautum fuit in variis per Graeciam oppidis. Spartani autem horumque colonia Tarentini mortuos inter vivorum habitationes defodere perseverarunt. V. Kirchm. lib. 2. cap. 20. 27.

[63] In Tahiti ac reliquis ejus tractus insulis hinc et inde loca septa sunt, diis mortuisque consecrata, quae vernacula lingua *marai* sive *feyatuca* vocant, ut plurimum optimatum familiis addicta. Huc cadaver pannis involutum inque lectulo compositum deferunt, adjectis armis, utensilibus ac cibis; ac super feretro tectum compingunt quatuor palis altiuscule subrectum, pendentibus de tecto velariis et cubiculum efficientibus aëri undique pervium. Ditiores mapalia parant satis ampla ac pro gentis more ornata, atque mortuo custodiendo famulos deputant. Cadaver autem sic locatum frequenter invisunt parentes, ferali pompa planctuque et vulneribus sibi inflictis placant, dona quoque afferunt, corollas cibosque; nec nisi quinque mensibus exactis et carne jam tabe absumpta in eodem loco terra obruunt. Praeterea si princeps vir est, caput a corpore rescissum et panniculo obvolutum in capsula reponitur seorsim. V. Jacobi Cook primum iter lib. 1. c. 9. 14. 19. in Hawkesworth *recueil* tom. 4. p. 123. 222. 425. Wallis iter cap. 4. ibid. tom. 3. pag. 148. Forsteri iter lib. 1. c. 8. 9. 10. 11. 12. lib. 2. c. 6. tom. 11. p. 459. 501. to. 12. p. 7. 115. 182. 195. to. 14. p. 167. Nonnunquam corpora eorum qui summae dignationis sunt, evulsis visceribus, ventre autem panniculis inferto, arte medicata atque a putredine munita diutius servant, ac post intervalla populo spectanda proferunt. Cook tertium iter lib. 3. cap. 3. tom. 2. pag. 165. Qui autem infimae plebis sunt, statim a morte in terram defodiuntur. Ibid. lib. 2. cap. 11. tom. 2. pag. 80.

[64] Principum virorum cadavera servabant annum integrum, admoto igne arefacta; dein caput amputabant servandumque tradebant mulieri quae inter defuncti uxores primatum tenuerat, reliquum corpus cremabant. Herrera in *Hist. génér. des voyages* part. 3. lib. 6. cap. 1. §. 2. tom. 13. pag. 14.

[65] Formosae insulae Sinae adjacentis indigenae defunctorum corpora ad ignem torrefacta in tentorio prope aedes suas posita ad tertium usque annum servant, inde ossa in ipsis aedibus sepeliunt. Geo. Candidii narratio de Formosa insula, in *Recueil des voyages qui ont servi à l'établissement de la compagnie Hollandoise des Indes orientales*, tom. 5. pag. 101. Coreani bis tantum in anno mortuos humant, vere atque autumno, cadavera ab una tempestate ad alteram in feretris sub divo tabescere sinentes: principes viros ad tertium annum servant. Hamel et Regis in *Hist. génér. des voyages* tom. 6. p. 538. 503. In Sina ac Tunchino beatiores parentum corpora aromatis condita, arcisque e ligno durissimo ac vernice obducto arcte occlusa atque ab aëris accessu munita, tres quatuorve annis domi habere solent, postea avito sepulcro inferre. Renaudotii peregrinatores Arabes, pag. 40. Diego de Pantoja apud Purchas tom. 3. p. 368. Navarette et Duhalde in *Hist. gén. des voy.* tom. 6.

re cum apud tot gentes, et locorum intervallo quam longissime dissitas, et morum religionumque varietate penitus distinctas, deprehendatur consuetudo, cognata corpora post mortem quoque curare atque custodire, et quantum pro cujusque conditione fieri potest integra conservare, miror profecto viros eruditos de solis quaerere Aegyptiis, ac causas scrutari vel in soli natura vel in gentis religione, cur illi fecerint quod humani generis major pars variis quidem modis fecisse comperitur.

Moris etiam fuit apud nonnullos, ut reliquo cadavere e conspectu amoto, memoriae et pietatis causa, caput aliudve membrum recisum domi reponerent aut in larario consecrarent, ut de Cumanensibus narrant Hispani, de Panebis in Libye Nicolaus Damascenus [66], atque de Issedonibus Herodotus. Quo et spectare videtur Romanorum consuetudo, decemvirum legibus proscripta, os e rogo lectum domum reportare [67]. Neque aliam originem habuisse arbitror cremandi institutum, quam quod hoc pacto corpus ad angustius volumen redactum, et a pinguedine humoribusque, quae non tam intime ad hominis substantiam pertinere putabantur, separatum, immune esset a putredine, commodiusque quam integrum cadaver in tuto loco reponi, vel ubi quis in bello aut in peregrinatione obiisset, ad larem suum referri posset. Scilicet homines, quibus ad corpora condienda non ea suppeditabat nitri cedriaeque et asphalti copia, qua Aegyptii utebantur, seu quae aliae res a variis populis ad hoc fuerunt adhibitae, cera quidem a Persis, mel a Babyloniis, [68] odorae herbae et varia aromata a Scythis, Ceylanensibus et Guanchis;

---

pag. 156. Baron ibid. tom. 9. pag. 115. Idem apud Tanguthanos fieri consuevisse narrat M. Polus apud Ramusium tom.2. fol. 12. Siamenses et Peguani optimatum cadavera plumbeis loculis inclusa, nonnunquam intestinis mercurii ope corrosis et emissis, usque ad sex menses servant, dein comburunt. Laloubere tom. 1. pag. 471. Sonnerat tom. 2. pag. 50. Ceylanenses vero exemptis visceribus cadaver pipere conditum in ligneum truncum inserunt et domi reponunt, donec insulae tyrannus flammis tradere jubeat. Knox tom. 2. pag. 297. Etiam apud feras gentes in septentrionali America parentes non raro per integros annos servare dicuntur filiorum corpora. Charlevoix in *Hist. génér. des voy.* tom.15. pag. 68.

[66] De morib. gentium pag.3857.: *πανηβοι λιβυες, όταν αυτοις βασιλευς αποθανη, το μεν σωμα κατορυττουσι, την δε κεφαλην αποκοψαντες και χρυσωσαντες ανατιθεασιν εν ίερῳ.*,, Panebi Li-,, byes mortuo rege corpus reliquum terra ,, condunt, caput autem trunco amputatum ,, inauratum in sacris statuunt,,. Vide quae de Issedonibus notavimus ex Herodoto, supra nota 3., de Cumanensibus in America ex Herrera, nota 64. Si fides est anonymo, cujus expositiones picturarum Mexicanarum universam gentis religionem, ritus moresque et historiam comprehendentium, servantur in bibliotheca Vaticana cod. ms. num. 3738., apud hos fortium virorum crania, qui in bello occubuerant, in publico coemeterio inter duas trabes erectas suspensa, omnium oculis exposita, velut sacrae reliquiae servari solebant, reliquo corpore cremato ac sepulto. Vide fol.57. et fol.56. *ter.*

[67] Cicero de legib. lib.2. cap.24.,, Caetera ,, item funebria, quibus luctus augetur, duo- ,, decim tabulae sustulerunt, *Homini*, inquit, ,, *mortuo ne ossa legito, quo post funus fiat*. ,, Excipit bellicam peregrinamque mortem,,. Festus:,, Membrum abscindi mortuo dicebatur, ,, cum digitus ejus decidebatur, ad quod serva- ,, tum justa fierent, reliquo corpore combu- ,, sto,,. Ex utroque loco recte colligit Kirchmannus de funer. Roman. lib.3. cap.7. apud priscos Latinos moris fuisse cadaveris partem quasi doloris lenimen servare, ad quam post tempus aliquod funus instaurarent: quae res barbarorum ritibus modo memoratis admodum affinis videtur. Hoc vetuit lex, at de peregre crematis quibuscunque ossa vel ossium partem domum referre ad sepulcrum, apud Romanos nunquam interdictum invenio. Neque senatus consultum, quod in bello Italico latum ex Appiano bell. civ. lib. 1. pag. 377. affert Kirchmannus, huc spectare puto, cum in eo non de cineribus agatur, quos ex bello reversi secum reportarent commilitones, sed de recens occisorum cadaveribus, quorum lugubri adspectu a bellis obeundis plebs deterreretur.

[68] Vide supra nott. 8. 60. Caeterum de melle et cera ad cadavera conservanda adhibitis

dam cadaver juxta morem Virginiensium excarnificare [69] pigeret, super carbonibus suspensum torrere coeperunt; quod factum dicitur a variis in meridionali America gentibus, ab Aethiopibus occidentalibus, atque a Formosae insulae indigenis [70]: post usu evenit ut flammis traderent, ossa cineresque servasse contenti. Apud Graecos quidem hunc morem initium cepisse a bellica morte, indigitat fabula de Hercule et Argeo, ab Androne olim enarrata, nobis autem tradita a vetere scholiaste, ad Iliados librum primum [71] haec adnotante: το παλαιον τα σωματα των θνησκοντων προτερον καιε-

---

consule Kirchmannum de funer. Rom, lib. 1. cap. 7. pag. 54. cap. 1. pag. 6. De cadaveribus, quae in Teneriffae insulae specubus reperiuntur, refert medicus Anglus, qui Canarias invisit an. 1652, cujusque observationes habentur apud Sprat *hist. de la societé roy. de Londres* pag. 209., ita esse integra ut vultus partes omnes noscantur distincte, venae quoque ac arteriae, atque pelli adhaereant capilli; sed rugosa et summopere levia. Accepit porro a Guanchis, antiquos sacerdotes, Hispanorum invasione extinctos, in medicandis corporibus hunc modum observasse, ut exemptis visceribus lixivia e pini cortice praeparata repetitis vicibus lavarent, atque ad solem siccarent; deinde circumlinerent unguento composito e butyro caprino, adipe ursi et variis herbis sponte nascentibus in insula, nardo in primis, lara, cyclamine et salvia. Simili fere modo regum principumque virorum corpora condiunt Tahitenses, unguenti loco usi oleo ex nuce coco admixto suco plantae cujusdam monticolae. Cook *troisieme voyage* lib. 3. c. 3. tom. 2. pag. 165.

69 Virginienses et populi iis contermini cadaveri pellem detrahere feruntur, mox carne undique abrasa, ossibus ad solem desiccatis denuo induere, ac vacuum ossa inter atque pellem minutissima arena explere, industria adhibita ut corpus appareat quasi integrum atque intactum. Etiam recisam carnem torrefacere, et in canistro juxta cadaver ponere solebant. Vide auctores citatos supra not. 61. Sunt alii in America et in septentrionali Asia populi, qui parentum sceleta, ossibus prorsus denudatis, in casis suis vel circum eas suffigunt; sunt et qui in bello fortium virorum ossa instar vexilli praeferre dicuntur. Raleigh descript. regni Guiana, in Bry *America* tom. 1. pag. 26. et *hist. gén. des voy.* tom. 14. pag. 344. Lafitau tom. 2. pag. 406. Isbr. Ides in *recueil des voyages au Nord* tom. 8. pag. 207.

70 Consule notas 64. 65. De Aethiopibus in Guinea vide Bosman *voyage de Guinée* epist. 13. p. 230. ep. 21. p. 476. *Hist. génér. des voy.* part. 1. L. 9. c. 7. §. 6. to. 4. p. 153. Quo conditurae genere usi sint Peruviani, non satis constat, ac insignis illa quae laudatur regiorum cadaverum conservatio in miraculum aucta videtur, ut fere sunt quae leguntur de illius gentis industria. Suspicatur Lafitau tom. 2. p. 389., Peruvianos ad ignem torruisse defunctos, quemadmodum fecerunt Darienses, Pariani aliique ejus tractus incolae, pariterque qui ad Maragnonem fluvium habitant. De quibus vide auctores supra citatos nota 61. Qui Mechoacan tenebant, Mexicani imperii provinciam, cremare quidem solebant principum cadavera, sed mox e cineribus, quibus mystico ritu varias materias admiscebant, fingebant simulacrum hominis; quod postquam eximie ornatum populo adorandum exposuissent, in sepulcrum deferebant. Gomara in *hist. génér. des voy.* tom. 12. p. 555.

71 Vers. 52. Eadem repetita leguntur in scholiaste Iliados nuper publici juris facto a V. C. Anse de Villoisson: indicantur quoque ab Eustathio. Minus consentaneum videtur cum prisci aevi simplicitate, quod scribit Servius ad Aen. lib. 3. vers. 68. „ Romani comburebant „ cadavera, ut statim anima in generalitatem, „ id est in suam naturam rediret „. Idemque existimandum de rationibus quae leguntur apud Eudociam violar. pag. 249. et apud Eustatium ad Iliad. A. pag. 43: *καιειν τους νεκρους, ὁ δη και εισετι παραμενει τισι των βορειων βαρβαρων, εποιουν προς ενδειξιν του το μεν θειον του ανθρωπου ανω φορηθεν, ὡσπερ εν οχηματι τω πυρι, προσμιξαι τοις ουρανιοις· το δε γηινον κατω μειναι, το μεν πυρι δαπανηθεν, το δε εναπομειναν λειψανοις οστων. ὁι δε φασι, ὁτι το μεν νεκρον ου καθαρον εδοκει, ἁγνισμος δε τις ην ἡ δια πυρος διαπανη, ὁτι και το πυρ ἁγνιστικον· διο και ὁι καθαρμοι δια πυρος εγενοντο.* „ Mortuos cremare, quod etiam nunc obtinet apud boreales „ barbaros nonnullos, institutum est ad demonstrandum, quod divina hominis pars sursum elata, igne tanquam vehiculo, ad coelestia accedat, terrestris autem infra maneat, „ tum igne abolita tum ossium reliquiis inhaerens. Alii ajunt, mortuum non videri purum, consumptionem autem quae per ignem „ fit purgationem esse, quoniam igni vis purgandi insit; quare et expiationes per ignem „ fieri consuevere „. Confer Quinctilianum declamatione 10. fol. 29. Neque in causa consen-

ετο , δια το απεριττα γιγνεσθαι , ειθ' ὁυτως εθαπτετο υπο γην . ἡ δε αιτια του καιεσθαι τα σωματα παρα τοις ἑλλησιν ἀυτη . πρωτος φασιν ὁυτως εταφη αργειος ὁ λικυμνιου δι' αναγκην υπο ἡρακλεους . συναγαγων γαρ στρατειαν επι ιλιον ἡρακλης , ——— εζητει και τον αργειον ὡσανει οικειον . λικυμνιου δε φασι του πατρος αργειου φοβουμενου , ὁτι και τον προτερον ἁυτου υιον ονοματι οιωνον αποστειλας εις λακεδαιμονα μεθ' ἡρακλεους απεβαλε , και μη διδοντος , ἡρακλης ωμοσεν απαξειν παλιν αυτον . τοτε δ' ουν συμπεσουσης αργειῳ της του βιου τελευτης , διαπορηθεις ὁ ἡρακλης πως αν διατηρησοι τον ὁρκον , εκαυσεν αυτον . και πρωτον φασι τουτον τοιαυτης επιμελειας τυχειν . ἡ ἱστορια παρα ανδρωνι . „ Olim cremabantur prius „ defunctorum corpora , quo a sordibus purgarentur , deinde terra obruebantur . „ Primum autem apud Graecos hoc more sepultum ferunt Argeum Licymnii filium „ ab Hercule necessitate obstricto . Hercules enim cum exercitum cogeret contra „ Ilium , Argeum quoque utpote consanguineum suum expeditionis socium expetivit . Patre autem abnuente , quod jam priorem filium Oeonum cum Hercule „ adversus Lacedaemonios profectum amisisset , ille addito jurejurando Argeum „ rursus in patriam reducere promisit . Itaque cum Argeus fatali casu ad Ilium „ diem obiisset , Hercules ut aliquo modo satisfaceret jurijurando , corpus ejus comburendum curavit . Quod primum funus hoc modo curatum fuisse , Andron auctor est „ . Idem enim revisendae patriae desiderium , ne morte quidem ut videtur exstinguendum , quod Guineensibus Afris et Madagascarensibus suadet , ut a peregre defunctis caput brachiumve recidant, domi sepeliendum [72] , Graecis auctor exstitit , ut in bello caesos cremarent , et in temporario conditorio ossa repo-

---

tio cum Plinio lib.7. cap. 54: „ Ipsum cremari „ apud antiquos non fuit veteris instituti , terra condebantur . At postquam longinquis bellis obrutos erui cognoverunt , tunc institutum . Et tamen multae familiae priscos servavere ritus , sicut in Cornelia nemo ante „ Syllam dictatorem traditur crematus ; idque „ voluisse , veritum talionem eruto C. Marii „ cadavere „ . Rara enim sunt profanatarum reliquiarum exempla , quae vesana saevitia omnibus gentibus horrori fuit : neque Aegyptii aut Persae post Amasidis cadaver a Cambyse contumelia affectum , a mortuis condiendis abstinuerunt . Scimus praeterea e legibus atque inscriptionibus sepulcralibus , veteres post crematum corpus aeque reformidasse cinerum dispersionem . V. Kirchmann. lib. 3. c.21. sqq. Gruter. pag. 917. num. 1. Murator. pag. 1577. num. 8. Nec Sylla aliud quaesivit , quam ut regio honore rogus sibi strueretur in CampoMartio , cum solemni decursione et quae alia in splendidissimo funere fieri adsueverant . Appian. de bell. civil. l.1. p.417. At Plinius properante calamo excerpsisse videtur Ciceronem , qui lib. 2. de legib. c.22, cum Marii reliquias ad Anienem sitas a Sylla dissipatas narrasset, subdit : „ Quod haud „ scio an timens , ne suo posset corpori accidere , primus e patritiis Cornelius igne voluit cremari „ . Aegyptii , inquit Herodotus lib. 3. cap. 16. cadavera condiunt ne a tineis vorentur : eandemque causam cremationi praetendunt Ceylanenses , apud Knox *relation de l' isle de Ceylan* tom.2. pag. 293. Nec ullus dubito quin uterque ritus ab uno eodemque fonte promanarit , a servandorum corporum desiderio .

[72] Bosman *voyage de Guinée* epist. 13. p. 232 et in *hist. génér. des voy*. part. 1. l. 9. c. 6. §. 4. tom. 4. pag. 152. „ Guineenses , inquit , caeterique hujus plagae Aethiopes vehementer „ cupiunt in patria sepeliri : unde est quod cadavera saepe e longinquo domum reportari „ cernuntur . Ubi vero in loco nimis distante „ fatum obierit aliquis , reliquum quidem corpus ibi defoditur , at caput brachiumve amputant socii , atque elixum unctumque in patriam deferunt sepeliuntque , iisdem ritibus „ adhibitis ac fieri solet in integris cadaveribus „ . Confer Nyendaal et Snoeck in *Bosman voy. de Guinée* epist. 21. 22. pag. 476. 509. De Madagascarensibus ait Flacourt *histoire de l' isle de Madag*. pag. 100. „ Si peregre quis „ vita functus fuerit , caput abscissum domum „ reportant : in proelio caesos terra obruunt in „ loco ubi ceciderint , postea pace facta cadavera eruunt , atque in patriam devehunt ad „ sepulturam „ .

nerent, posteaque domum redeuntes urnulas secum deferrent. Hoc Iliaco tempore fieri consuevisse discimus ex Homero, apud quem Nestor Agamemnonem allocutus [73] ait:

τῳ σε χρη πολεμον μεν ἁμ' ηοι παυσαι αχαιων,
αυτοι δ'αγρομενοι κυκλησομεν ενθαδε νεκρους
βουσι και ἡμιονοισιν· αταρ κατακησομεν αυτους
τυτθον απο προ νεων, ὡς κ' οστεα παισιν ἑκαστος
οικαδ' αγῃ, ὁταν αυτε νεωμεθα πατριδα γαιαν.
τυμβον δ' αμφι πυρην ἑνα χευομεν εξαγαγοντες
ακριτον εν πεδιῳ.

„ Itaque te oportet pugnam quidem prima luce intermittere Achivorum; nos vero congregati curribus advehemus huc cadavera bobus et mulis: ac cumburemus ea prope a navibus, ut ossa filiis quisque domum ferat, quando revertamur in patriam terram. Tumulum autem circum pyram unum aggesta terra faciamus extollentes omnibus communem in campo „. Eidem pietati indulgentes duodecim tabularum leges in peregrina et bellica morte os e rogo legere et domi funus facere permiserunt [74]. Hinc est quod ubicunque terrarum invaluerit cremandi consuetudo, quae olim Europaeis gentibus fere omnibus solemnis fuit, inque Asiae et Americae parte hodie quoque obtinet, rogus ut plurimum aut proelio caesis reservatus inveniatur, aut militibus proceribusque, aut saltem ditioribus; atque apud eos quoque populos, ubi maxime fuit recepta et velut communi lege firmata, nonnullae tamen reperiantur nobilissimae familiae, quae humandi institutam non deseruere [75]. Id enim omnium latissime patuit, Cicerone judice antiquissimum sepul-

---

[73] Iliad. H. vers. 331. Conf. Sophocl. in Electra vers. 759. Qui vero pacatis rebus peregre obiissent, in loco a patria non nimis remoto, horum cadavera domum reportabant. Sic procos Penelopes ab Ulysse interfectos, navibus impositos et quemque in patriam suam delatum legimus. Odyss. Ω. vers. 417. Sinenses, apud quos humandi ritus obtinet, procul a patria defunctos cremant interdum, et cineres in patriam ad sepulturam deferunt. Scott in *Purchas his pilgrimes* lib. 3. cap. 4. tom. 1. pag. 166. conf. Navarette in *hist. génér. des voy.* tom. 6. pag. 156. Pleraeque nationes in septentrionali America reliquos quidem humant, sed qui in bello cecidere, eos cremant et cineres secum domum deducunt. Charlevoix ibid. tom. 15. p. 69.

[74] Vide not. 61.

[75] Lucianus *de luctu* §. 21. tom. 2. pag. 932.: ὁ μεν ἑλλην εκαυσεν, ὁ δε περσης εθαψεν. „ Graecus quidem cremavit, Persa autem humavit „. Tacitus annal. lib. 16. cap. 6. de funere Poppaeae: „ Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos „. Aliaque sunt quam plurima veterum scriptorum loca, quae cogitare faciunt, Graecos Romanosque rebus suis florentibus non alio sepulturae genere usos fuisse. At praeterea quod res ipsa declaret, cremationis sumptus excedere facultates pauperum, ex iis quae leguntur de Exquiliis apud Horatium lib. 1. sat. 8. apud Varronem de ling. lat. lib. 4. num. 5. et apud Festum V. *Puticulos*, satis patet Romanam plebem terra obrui consuevisse, non comburi. Apud Graecos autem circa Trojani belli tempora maxime viguisse videtur crematio; postea vero denuo invaluit humandi ritus, ac frequentior fit defossorum corporum mentio quam crematorum. Auctores igitur qui vel apud Graecos Romanosque, vel apud Gallos et Germanos combustionem solam memoraverunt, de ditiorum tantum consuetudine sive de publico funere sunt intelligendi. Vide Caesarem de bello Gall. lib. 6. sect. 19. Melam lib. 3. c. 2. Tacitum de mor. German. cap. 27. Diodorum l. 5. c. 28. Itaque et in antiquis sepulcris in Gallia detectis insimul inventa fuerunt ollae cineribus plenae et tota cadavera per longum extensa. Montfaucon *antiqu. expl.* tom. 5. part. 2. pag. 194. 190. Certe apud Scandinavos, qui Germanorum ul-

turae genus „ dum terrae corpus redditur, et ita locatum ac situm quasi operi- „ mento matris obducitur [76]. Hoc uti videmus agrestes populos longe plurimos, ac ipsi quoque vetutissimi Graeci Italique integra cadavera terra contegebant, qui mos postea una cum cremandi ritu apud eos perduravit.

---

timi sunt ad septentrionem, Finnis, ut videtur primitivis illius tractus incolis, Getisque a Maeotide progressis permixti, promiscuus usus fuit cremationis atque humationis; et quamquam nobilior ritus esset corpus in cineres redigere, ab Odino ut ferebant institutus, tamen ipsorum quoque regum cadavera nonnunquam obruebantur integra, interdum in plura frusta dissecta atque per regni civitates distributa. V. *Heimskringla edr Noregskonunga-sögur af Snorra Sturlusyni, Formal.* seg. 1. *Yngl. S.* c. 10. 16. 18. 19. *Halfd. Sv.* cap. 9. *Har. Harf.* c. 45. ed. Schöning. tom. 1. p. 2. 15. 20. 22. 74. 122. De crematione apud Indos multi sunt veteres scriptores, Diodorus lib. 19. cap. 33. Cicero tusc. quaest. lib. 5. c. 27. Strabo lib. 15. p. 1043. 1048. qui ipse pag. 1036. scribens: *ινδων λιται αἱ ταφαι* · „ parvi sumptus sunt Indorum funera „: innuere videtur vulgarem apud Indos consuetudinem tunc temporis fuisse, cadavera terra obruere. Cf. Geogr. Nubiens. pag. 62. 63. Quin et apud Graecos in publicis quoque funeribus modo cremationem modo humationem observatam invenio. Silius punic. lib. 13. vers. 473.

Cecropidae ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.

Contra Thucydides lib. 2. cap. 34. describens sepulturam eorum qui initio belli Peloponnesiaci in acie occubuerant, atque communi funere publice elati fuerunt, ait arcis inclusos fuisse et patrio more terra conditos. Porro apud Romanos Numam regem in arca humatum fuisse, atque hunc ritum durasse in gente Cornelia usque ad Syllam dictatorem, quam notissimum est e Cicerone lib. 2. de leg. cap. 22. Deinde secundo post Christum natum saeculo increbuit apud beatiores quoque consuetudo integra cadavera condere, testantibus arcis marmoreis magna copia erutis, in quibus ut plurimum scalpturae modus deprehenditur illam aetatem non antevertens. Apud hodiernos Indos intra Gangem sitos et apud Ceylanenses cremantur nobiles, plebeii autem humantur; atque idem obtinere videtur apud Indos extra Gangem et apud Japonenses. Sunt tamen et hodie inter Indos nobiles viri, qui humari malunt quam cremari. Vide *F. Giuseppe di S. Maria prima spedizione alle Indie* pag. 161. et peregrinatores supra citatos not. 10. Knox *relation de l'isle de Ceylan, trad. de l'Angl.* part. 4. c. 11. t. 2. p. 293. Kaempfer *hist. de l'empire du Japon* tom. 1. pag. 433. 449. Purchas t. 3. l. 2. c. 5. p. 327. *Viaggi di M. Marco Polo* apud Ramusium tom. 2. pag. 40. 41. 50. De Siamensibus et Tibetanis vide supra not. 9. Alias gentes quibus mortuos comburere placuit, invenio in Scythia Juguros, atque in orientali Europa Herulos. Rubruquis pag. 106. Procopius de bell. Goth. lib. 2. cap. 10. His Thracum partem accenset Herodotus l. 5. c. 8. Apud septentrionales barbaros diu perdurasse cremandi ritum, constat ex Eudociae violario pag. 249. et Eustathio in Iliad. A. pag. 43. Ex Africa autem omni tempore exulasse videtur, atque ex anterioris Asiae parte maxima. Aegyptios a crematione abhorruisse, eo quod ignem existimarent vorax animal, una cum cibo quem voraret emoriens, nec mores eorum sinerent mortuum ab animante absumi, auctor est Herodotus lib. 3. cap. 16. Persas quoque Magosque nefas existimasse ignem, quem deum venerabantur, humana tabe inquinare, notum est ex Herodoto lib. 3. cap. 16. Ctesia fragm. num. 58. Laertio lib. 1. segm. 7. Nicol. Damasceno excerpt. hist. ed. Valesio pag. 461. aliisque. In America Mexicani ac variae gentes ab iis in austrum sitae, reges sacerdotesque et optimates post obitum cremasse narrantur, reliquos humasse. Increbuerat quidem apud Mexicanos crematio, sed lege cautum fuit, ne rogi honor conferrretur in eos, qui intra annum decimumseptimum fatum obiissent, neve in eos qui e lepra aut hydrope aut chronico quovis morbo decessissent, aut vero in aqua submersi periissent. Cod. Vatican. num. 3738. fol. 56. *terg.* Clavigero *storia del Messico* tom. 2. pag. 94. 97. *Relazione della città di Temistitan* apud Ramusium tom. 3. fol. 310. Acosta lib. 5. cap. 8. pag. 219. *Hist. génér. des voy.* tom. 12. pag. 552. Etiam Californiensium et Canadensium pars mortuos comburere dicuntur. *Relaz. di Fern. Alarchon* apud Ramusium tom. 3. fol. 366. *ter.* La Hontan tom. 2. p. 154. Lafitau tom. 2. pag. 446. *Voyages au Nord* tom. 3. pag. 299.

[76] Cicero de legibus lib. 2. cap. 22. Cum quo conferendus Euripides in Supplic. vers. 534. Mox

§. XIV.

Corpus autem terrae destinatum cineresve et ossa e rogo lecta plerisque gentibus moris fuit ita componere ut a circumfusa humo manerent separata, ac velut commoda et decora sede reposita essent. Nam et vitae post obitum extrahendae desiderium humanae naturae insitum, et affectus erga amicos parentesque, quos a nobis divelli aegre patimur, quosque memoria tanquam viventes fingit, ac somnia

---

subdit: „ Priusquam in mortuos injecta gleba „ est, locus ille ubi crematum est corpus, nihil „ habet religionis. Injecta gleba, tum et illic „ humatum est et gleba vocatur: ac tum deni- „ que multa religiosa jura complectitur „. Itaque cum crematione conjunxerunt priscum humandi ritum, cineresque et ossa in ustrina residua terra obruerunt: quo factum ut qui combusti essent, tanquam duplici gauderent sepulcro, altero ubi corpus crematum, altero ubi urna condita. Quapropter etiam in bustis cippos erigere consueverunt, in quibus notatum, quis illic crematus esset: cujusmodi tres e Tiburtino lapide, reperti prope mausoleum Augusti, atque spectantes ad Germanici Caesaris filios, exstant in Museo Pio-Clementino, ad hunc modum inscripti: C. CAESAR. GERMANICI. CAESARIS. F. HIC. CREMATVS. EST. Sic Augusti ustrinam religiose clausam memorat Strabo lib. 5. pag. 361: et Graeci in littore ad Troiam commune sepulcrum struxerunt circum rogum, singuli vero commilitonum ossa domum portanda legerunt. Iliad. H. vers. 334. Pariterque in Patrocli busto tumulum aggesserunt, ossa autem servaverunt in aurea phiala intra tentorium posita, ut post obitum Achillis ambo in una urna conderentur. Iliad. Ψ. v.252.91. Odyss. Ω. v.76. Indicio etiam est ollarum quae vulgo reperiuntur parvitas, veteres ut plurimum non conquisivisse omnia ossa cadaveris, sed partem eorum, quae intra sepulcrum reponeretur, legisse contentos, reliqua in ipsa ustrina terra tegisse. Id enim religiose observabant, ne cadaver neve os nudum super terra conspiceretur, atque si casu quis in id incidisset; Attica lege, si fides est Aeliano var. hist. lib. 5. cap. 14.; saltem recepto more, ut piaculum effugeret, tenebatur terra obtegere, vel ut minimum *ὁσιας χαριν* pulverem manu plena ter injicere. Sic Archytae umbra apud Horatium carm. lib. 1. od. 29. vers. 23.:

> At tu, nauta vagae ne parce malignus arenae
> Ossibus et capiti inhumato
> Particulam dare. ——
> Quamquam festinans, non est mora longa; licebit
> Injecto ter pulvere curras.

Sophocles in Antigone vers. 261. de corpore Polynicis:

> *ὁ μεν γαρ ηφανιστο, τυμβηρης μεν ου·*
> *λεπτη δ', αγος φευγοντος ὡς, επην κονις.*

„ Opertus erat, non quidem tumulo tectus; „ sed tenuis pulvis injectus erat, velut ubi quis „ piaculum fugit „. Ubi scholiastes: *οἱ γαρ νεκρον ὁρωντες αταφον, και μη εναμησαμενοι κονιν, εναγεις ειναι εδοκουν. λογος γαρ, ὁτι Βουζυγης αθηνησι κατηρασατο τοις περιορωσιν αταφον σωμα.* „ Qui enim mortuum vidissent insepul- „ tum, nec pulverem in eum collegissent, pia- „ culo obstricti putabantur. Nam fertur Buzyges „ Athenis diras imprecatus esse illis qui corpus „ insepultum neglexissent „. Ibidem vers. 1082. Tiresias Creonti Polynicen sepelire vetanti, deorum iram denuntiat, quod quae inferorum essent supra terram retineret. Etiam juxta Homerum in funere haec princeps res erat, ut terra injiceretur. Iliad. Z. v.464. Ξ. v.114. Odyss. Γ. v.258. Moris originem inde derivat Moschion comicus in fragmento apud Stobaeum ecl. lib. 1. cap. 11. pag. 18. et apud Grotium in dict. poet. pag. 147., ne conspecto cadavere renovaretur memoria priscae anthropophagiae, post inventas cereales fruges abolitae:

> *κακ τουδε τους θανοντας ὡρισεν νομος*
> *τυμβοις καλυπτειν, καπιμοιρασθαι κονιν*
> *νεκρους αθαπτους, μηδ' εν οφθαλμοις εαν*
> *της προσθε θοινης μνημονευμα δυσσεβες.*

„ Tunc morte raptos imperatum legibus man- „ dare terrae, pulveremque inspargere nec- „ dum sepultis, ne darentur conspici abomi- „ nanda signa pastus pristini „. Confer Hyginum fab. 274. Cicero lib. cit. cap. 25, elegantius suspicor quam verius, inquit: „ Athenis „ jam ille mos a Cecrope, ut ajunt, perman- „ sit, hoc jus terra humandi: quam cum pro-

saepe sistunt ante oculos [1], in causa fuerunt, ut cadaveri etiam postquam humatum crematumve foret, adhuc sensum aliquem vitamque superesse crederent, et quasi umbram animae non nisi corpore penitus destructo perituram. Ideo cubiculum ei parabant, lotumque et unctum ac vestibus decoris indutum efferebant, cibos inde et unguenta una tum comburebant tum defodiebant, vestes praeterea, arma, utensilia pecuniamque: nec raro equos canesque et servos, quin et uxores mortuis comites addidere [2], ac repetitis inferiis sospitare eos instituerunt. Illi quoque quibus

---

„ ximi injecerant, obductaque terra erat, „ frugibus obserebatur, ut sinus et gremium „ quasi matris mortuo tribueretur, solum au- „ tem frugibus expiatum ut vivis redderetur „.

[1] Apud Homerum Iliad. Ψ. v. 103. Achilles cum in somno ipsi adstitisset defuncti Patrocli species, exclamat:

ω ποποι, η ρα τις εστι και ειν αϊδαο δομοισι
ψυχη και ειδωλον, αταρ φρενες ουκ ενι παμπαν.

„ Papae! certe igitur aliqua est et in orci aedi- „ bus anima et simulacrum, sed praecordia „ non insunt omnino „. Et in Necyia sive Odyss. Λ. v. 221. Anticlia animam post mortem, corpore cremato, instar somnii avolare ait:

ψυχη δ' ηυτ' ονειρος αποπταμενη πεποτηται.

[2] Lucianus *de luctu* §. 14. opp. tom. 2. pag. 928: *ποσοι γαρ και ἱππους και παλλακιδας, οἱ δε και οινοχοους επικατεσφαξαν, και εσθητα και τον αλλον κοσμον συγκατεφλεξαν και συγκατωρυξαν, ὡς χρησομενοις εκει και απολαυσουσιν αυτοις κατω.* „ Quot enim etiam equos et pellices, „ alii vero etiam pocillatores jugularunt in fune- „ re, vestemque et alium mundum una com- „ busserunt defoderuntve, quasi usuris ibi et „ fruituris apud inferos „. Consuevisse Graecos Iliaco tempore in illustrium virorum funere equos canesque, quibus vivi delectabantur, captivos praeterea seu servos jugulare, et in rogum conjicere, notum est exemplo Achillis in funeratione Patrocli, Iliad. Ψ. vers. 171. Sed in Graecia hoc mature exolevisse videtur: apud Romanos autem consuetudo captivos ad rogum mactare duravit usque ad A. V. C. 490., quando in funere M. et D. Bruti captivos a variis civitatibus missos pugna committere placuit, et gladiatorium munus instituere. Val. Maximus lib. 2. cap. 4. ex. 7. Epitom. Livii lib. 16. Servius ad Aen. lib. 3. v. 67. lib. 10. v. 519. Tertullianus de spectac. cap. 12. Caeterum equos comites dare defunctis invenio praesertim apud Germanos, Scandinavos, Scythas ad Euxinum sitos, Tungusos in Siberia, Mungalos, Coreanos, et Aethiopes occidentales nonnullos. Tacitus de mor. Germ. cap. 27. Edda Snorronis edit. Resenio fab. 43. Bartholinus antiqu. Danic. lib. 2. cap. 8. pag. 410. seqq. Herodotus lib. 4. cap. 71. Isbrand Ides in *Recueil des voy. au Nord* tom. 8. pag. 88. Plan Carpin et Rubruquis apud Bergeron *relat. des voy. en Tartarie* pag. 330. 36. M. Polus itineris fol. 14. Bentink in *Hist. génér. des voyages* tom. 7. pag. 23. Regis ibid. tom. 6. pag. 503. Barbot ibid. part. 1. lib. 9. cap. 2. §. 6. tom. 3. pag. 616. Servos autem addere clientesve, ministros atque concubinas, ingenti interdum copia, mos est quam latissime diffusus, apud Natsienses in America, Mexicanosque et Peruvianos ac gentes hisce conterminas, apud plerosque occidentalis Aethiopiae populos, ac olim apud Gallos, Getas, Scythas, Tauros, Hunnos, Mungalos aliosque Tatariae populos, atque Indos. Lafitau *moeurs des sauv.* tom. 2. pag. 410. Acosta lib. 5. c. 7. 8. pag. 218. 219. Garcilasso de la Vega tom. 2. pag. 19. Bosman epist. 13. p. 231. *Hist. génér. des voyag.* part. 1. lib. 9. cap. 2. §. 6. c. 7. §. 6. lib. 10. cap. 4. 6. 9. lib. 13. c. 1. §. 3. c. 3. §. 2. c. 4. §. 1. cap. 8. §. 6. tom. 3. pag. 616. tom. 4. p. 152. 153. 299. 338. 392. 605. 645. tom. 5. p. 7. 103. tom. 10. pag. 422. tom. 12. pag. 221. 552. 553. tom. 13. pag. 570. Purchas tom. 2. pag. 962. 977. 1537. Caesar de bello Gallico lib. 6. n. 19. Mela de situ orb. lib. 3. cap. 2. Stephanus Byzant. v. *γεται*. Herodotus l. 4. c. 71. Dio Chrysost. orat. 12. pag. 219. Nicol. Damascenus de mor. gent. pag. 3848. Procopius de bell. Pers. lib. 1. cap. 3. Plan Carpin pag. 330. M. Polus fol. 14. 53. *Recueil des voyag. de la compagnie des Indes* tom. 1. pag. 421. tom. 2. pag. 226. Bernier *lettre touchant les gentils de l' Hindoustan* pag. 19. 27. Unde fluxit consuetudo communis olim Indis, Thracibus, Herulis, Scandinavis aliisque septentrionalis Europae gentibus, ut uxor cum viro mori juberetur, quam hodie adhuc servant Malabarenses ac Indi iis contermini, etiam Tatari in Sina servare dicuntur. Cicero tusc. quaest. lib. 5. cap. 27. Diodor. lib. 17. cap. 91. lib. 19. c. 33. Aelian. var. hist. l. 7. c. 18. aliique auctores de Indis. Herodotus lib. 5. cap. 5. Mela lib. 2. cap. 2. Procopius de bell. Goth. lib. 2. cap. 10.

anima ad Haden abire credita fuit, eam de corporis statu post discessum sollicitam esse putaverunt, nec frui posse quieta sede apud inferos, nisi dum corpori justa essent persoluta cineresque manerent illaesi [3]. Hinc sepulcrorum religio, quam qui

---

Bartholin. ant. Danic. pag. 506. sqq. Navarette in *Hist. gén. des voy.* t. 6. p. 150. Servius ad Aen. l. 5. v. 95. De reliqua cadaveris curatione rebusque cum mortuo defodi solitis vide Kirchmannum de funer. Roman. et confer barbarorum ritus passim descriptos a peregrinatoribus. Callido consilio Sinenses ac Siamenses aliique eorum finium populi pro donis mortuo destinatis chartas tradunt, in quibus picti sunt servi, ancillae, equi et alia hujusmodi. M. Polus fol. 12. 46. Navarette in *Hist. gen. des voy.* tom. 6. pag. 153. Baron. ibid. tom. 9. pag. 116. La Loubere *du royaume de Siam* tom. 1. pag. 465. 468. 473. A quo non longe abesse videtur Graecorum institutum, pro auro olim cum cadaveribus sepeliri solito, danacon substituisse seu obolum, portitori ut ajebant solvendum. Plautus in Pseudolo act. 1. scen. 4. v. 19. Terentius in Eunucho prol. v. 11. Cicero de leg. lib. 2. c. 24. Aristophanes in Ranis vers. 140. Lucian. de luctu §. 10. p. 926. Suidas v. μελιττουτα et δανακη· Etymol. M. v. δανακης. Etiam amuleta ac deorum sigilla a veteribus, maxime ab Aegyptiis, cum mortuis sepulta novimus, quod et hodie faciunt Guineenses et Loangenses. *Hist. gén. des voyages* part. 1. l. 9. cap. 7. §. 4. lib. 13. cap. 1. §. 3. tom. 4. pag. 147. 605. Jobson apud Purchas lib. 7. cap. 1. tom. 2. pag. 942.

[3] Antiquior Graecorum persuasio ea fuisse videtur, animam cum corpore abire subter terram, atque in sepulcro ut corporis reliquias ita animae umbram remanere. Hades quoque ex vocabuli etymo aliud non est quam occultatio, dum homo oculis subtrahitur, ac totus terrae conceditur. Sic Aeneas apud Virgilium Aen. lib. 3. vers. 62:

Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus; ——
———— animamque sepulcro
Condimus ——

Hinc inferiae, cibus potusque frequenti repetitione ad sepulcra delati, dona suspensa vel injecta, ex quibus patet animam creditam fuisse adhaerere loco ubi cadaver repositum. Sed quoniam omnia ea quae sub terram abdita fuere, tanquam in unum collecta ac congregata cogitarent homines, in animum sibi induxerunt, esse mutuum commercium inter sepultos, locumque ubi convenirent, quasi terrae centrum, quo penetraret subtilior eorum substantia, ossibus in terrae superficie sive cortice relictis. Sic animam a corpore separatam coeperunt sibi imaginari ac mundum subterraneum, cum mortuorum republica et deo infero, quem loco cui imperitabat cognominem appellaverunt Haden et Orcum, sive occultum atque occlusum, a fodinis autem metallorum feracibus Plutonem et Ditem. Mox conjugem ei adjunxere, subterrestrem Lunam, ministrosque et regiam; animamque dixerunt seu animae illud ειδωλον ab eo non recipi, usque dum corpori pulvis injiceretur; et sic homo a superis diis segregatus traderetur inferis. Tiresias apud Sophoclem in Antigone vers. 1082.

εχεις δε των κατωθεν ενθαδ' αυ θεων
αμοιρον, ακτεριστον, ανοσιον νεκυν·
ὧν ουτε σοι μετεστιν, ουτε τοις ανω
θεοισιν.

„ Retines hic inferûm deûm expers, insepul-
„ tum, profanum cadaver: in quae nullum tibi
„ jus est, neque superis diis „. Quare et Patrocli umbra Achillem alloquitur Iliad. ψ. vers. 71.

θαπτε με ὀττιταχιστα, πυλας αϊδαο περησω.
τηλε με ειργουσι ψυχαι, ειδωλα καμοντων,
ουδε με πως μισγεσθαι υπερ ποταμοιο εωσιν·
αλλ' ἀυτως αλαλημαι αν' ευρυπυλες αϊδος δω.
και μοι δος την χειρ', ολοφυρομαι· ου γαρ ετ' αυτις
νισσομαι εξ αϊδαο, επην με πυρος λελαχητε.

„ Sepeli me quam citissime, portas Orci ut
„ intrem. Procul me arcent animae, simula-
„ cra defunctorum, neque me omnino misce-
„ ri trans flumen sinunt; sed temere erro cir-
„ cum portis-amplam Orci domum. Et mihi
„ da tuam manum, obtestor: non enim am-
„ plius posthac redibo ex orco, postquam me
„ ignis participem feceritis „. Cum quibus confer Aeneidos lib. 6. vers. 325. et 362. Minus accurate sepultos ab insepultis distinguit Odysseae poeta Λ. vers. 51. et Ω. vers. 185., quamquam vulgo recepta videatur illa persuasio, legumlatoribus quoque opportuna, quo ad cadavera curate sepelienda inducerent homines. Caeterum ne hoc quidem pacto a corpore prorsus separabatur anima, quam obscura cogitatione modo sibi fingebant in Plutonis regno versantem, modo circa sepulcrum degentem, inferiarum cu-

sprevisset defunctorumque quietem turbasset, apud omnes fere exlex judicatus est et capitali poena dignus [4]. Neque nisi raro ac necessitate aliqua urgente apud Graecos Romanosve publico decreto sepulcra mota invenimus [5]; qui ne hostium quidem reliquias temere profanaverunt, quamquam ex Romana lege sepulcra hostium non essent religiosa [6]. Mira fertur consuetudo complurium in septentrionali America populorum, forsan derivanda a frequenti qua ipsi utuntur sedium mutatione, ut elapso certo annorum numero, annis ut plurimum decem aut duodecim, publica indicta celebritate, mortuos quotquot ex sua gente illo temporis spatio humati fuerint, rursus effodiant, detergant, et funebri pompa in locum ab oppidis remotum deferant, inque unam fossam conjectos communi omnibus tumulo obtegant: quo facto animam a corpore digredi putant, ac eo redire, unde olim in corpus migraverat [7].

Conditoria cadaverum antiquissimo tempore magnam partem fuerunt cavernae rupiumque spontaneae fissurae, quibus et domibus usos accepimus primaevos ho-

---

pidam, quibus quasi nutrita ac ditata apud ipsos inferos meliori conditione esset. Eodem fere redire videntur barbararum gentium de statu post mortem opiniones: dum vera doctrina de animae immortalitate destitutae, somniis indulgerent, neque certi quid ac definiti hac super re statuerent. Quare nec temere fidem habendam censeo peregrinatoribus, qui ab Americanis populis nonnullis duas in homine animas putari affirmant, alteram post mortem ad animarum patriam abeuntem, alteram manentem cum cadavere. Nam ista nimis subtilia sunt pro illorum hominum captu. V. Lafitau tom.2. pag. 428. Etiam in ea re lapsos suspicor scriptores de America, quod populos illos patriam avorum atque animarum ad occidentalem mundi plagam collocare ajunt, et inde arguunt ex Asia venisse primos Americae incolas. Quemadmodum enim Aegyptiis ⲉⲙⲉⲛϯ et occidentem significat et orcum, ac Graeci in unum conferunt *ᾀδην*, *ζοφος*, *ερεβος πρωτον μελαν*, *πυλας ηελιοιο*: ita probabile est Americanos quoque uno eodemque uti vocabulo ad solis hominisque occasum significandum.

4 De religione sepulcrorum apud Graecos Romanosque atque de legibus latis contra violatores, vide Kirchmannum de funer. Rom. lib.*3*. cap. 21. — *26*.

5 Sic Athenienses peste in urbe grassante, oraculi jussu, quotquot in Delo insula sepulti erant, removerunt in Rheneam insulam adjacentem, atque de Delo in posterum sanxerunt, ne quis ibi conderetur. Thucydides lib. 1. cap. 8. Diodorus lib. 12. cap. 58. Atque post bellum Persicum, dum urbem muro cingerent, ac instante necessitate undique conquirerent lapides, sepulcris non pepercere. Thucyd. lib. 1. cap. *93*. Nepos in Themistocle cap. *6*. De sepulcris ante portam Collinam exaratis jubente collegio pontificum, ut ibi aedificaretur aedes Honoris, vide Cicer. de leg. l. 2. c. *23*. Exemplum ossium diu post obitum translatorum habemus in Theseo, quem post Persicum bellum e Scyro Athenas deferre jussit oraculum. Plutarch. in Theseo cap. *36*. Theron cum in Agrigento instaurando dirutum esset sepulcrum Minois, ossa remisit Cretensibus. Diodorus lib.4. cap.*79*.

6 Vide Kirchmannum lib.*3*. c. 22. pag. 432. At horror quidam hominum animis inhaerens, hostium quoque sepulcris sanctitatem conciliabat. Hamilcar cum in obsidione Agrigenti sepulcra circum urbem destruere coepisset, exercitum pavore perculsum videns, destitit ac deos patrio ritu placare vovit. Diodor. lib. 13. cap. *86*.

7 Lafitau tom. 2. pag. 44*6*. Brebeuf *Hist. gen. des voy.* tom. 15. pag. 70. Sagard. *voy. du pays des Hurons* pag. 290, Qui locus sit ad quem ossa eruta deferunt, notatum non invenio, conjicio autem esse tanquam tribuum centrum ac metropolin. Aegyptii sic brutorum cadavera terrae infossa post tempus aliquod eruebant et ad civitates, quae singulis animalium generibus velut metropoles erant, ad sepulturam deportabant. Herodotus lib.2. c.41. *67*. Apud multos quoque obtinet, ut fortium virorum defossa cadavera post statum tempus eruant, comburant, ac ossa in pulverem redacta potui suo immisceant, defunctorum virtutes hoc pacto in se transfundere existimantes. Lafitau tom.2. pag.444 P.Neuville in *memoires de Trevoux* mens. mart.1723. pag.448. Froger in *hist. génér. des voy.* tom. 11. pag. 58. Raleigh ibid. tom. 14. pag. 344. Mindana ibid. tom. 17. pag. 471. *Relazione d' Alvaro Nunez* apud Ramusium tom. 3. fol. 317. Confer de Artemisia Gellium noct. Attic. lib.10. cap.18.

mines. Illud jam advertit auctor Etymologici magni, voce ηρια, seu potius ex antiquiori scriptore deprompsit: το παλαιον εν τοις κοιλωμασι της γης εθαπτον, μητε σιδηρῳ μητε χαλκῳ κεχρημενοι. „ Prisco tempore sepeliverunt in terrae cavitatibus, nec ferro nec aere ad fodiendum usi „. Sic Abrahamum patriarcham legimus Saram conjugem sepelivisse in spelunca agri prope Mambre, in qua et ipse postea humatus est a filiis Isaaco et Ismaele [8]. Et consuetudo illa, mortuos deferre ad montes, aut in radicibus montium defodere, memorata a Servio ad Aeneidos librum undecimum [9], ac satis nota e sepulcrorum in collibus vestigiis per plurimas veteris orbis regiones adhuc spectandis, quam et in America apud Mexicanos praesertim obtinuisse legimus, hodieque servant Sinenses Mungalique et in australibus terris Neocaledonii [10], procul dubio originem traxit a cavernarum frequentia in montanis. Etiam nunc meridionales Afri, quos Hottentottos appellant vulgo, mortuos suos embryonis instar compositos et palliolo arcte involutos in speluncam demittunt vel spontaneum terrae hiatum, ostiumque ligneis stipitibus contra ferarum accessum muniunt [11].

Nec aliud fuisse reor primitivas Aegyptiorum sepulturas, quibus successere antra cum arte excavata, scalpturaque et pictura eximie ornata, nonnunquam et atriis templisque ante ostia exstructis conspicua, quae circa Thebas regum sepulcra memorantur Hecataeo et Straboni, ab hodiernis quoque peregrinatoribus cum admiratione spectata [12]. In occidentali enim Nili littore e regione Diospoleos, ubi nunc vicus est Gurnu dictus, plus mille passibus progrederis via, cujus saxea latera utrinque excisa sunt in antra pilis ex ipsa rupe relictis suffulta. Inde per angustam ac tortuosam vallem mille quingentorum passuum itinere, pergis in planitiem non admodum spatiosam, rupibus ad amphitheatri instar undique cinctam. Ab hac ascenditur via angusta ac rapida, sed decem pedum altitudinem vix excedente, ad alteram planitiem centum fere orgyarum amplitudinis, quam circumdant montes ad

---

8 Genes. cap. 23. vers. 19: „ Sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quae respiciebat Mambre. Haec est Hebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager et antrum, quod erat in eo, Abrahae in possessionem monumenti a filiis Heth „. Cap. 25. vers. 9: „ Et sepeliverunt eum Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici, quae sita est in agro Ephron filii Seor Hethaei, e regione Membre „.

9 Vers. 849: „ Apud majores nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur: unde natum est ut super cadavera aut pyramides fierent aut ingentes collocarentur columnae „. Eadem leguntur apud S. Isidorum originum lib. 15. cap. 11.

10 De Mungalis et Tungusis Marcus Polus apud Ramusium tom. 2. fol. 14. et Isbr. Ides in *Rec. des voy. au Nord* tom. 8. pag. 88. De Sinensibus P. Navarette in *Hist. gén. des voy.* tom. 6. pag. 538. et Gemelli Carreri ibid. tom. 5. pag. 483. De Coreanis Hamel ibid. tom. 6. p 538. De Philippinarum insularum indigenis Gemelli Carreri ibid. tom. 10. pag. 424. De Neocaledoniis Forster lib. 2. cap. 7. tom. 14. pag. 219. De Mexicanis Acosta lib. 5. cap. 8. pag. 219. et Herrera in *hist. gén. des voy.* tom. 12. pag. 552. De Patagonis Pretty apud Puschas lib. 2. cap. 4. tom. 1. pag. 58. et *Hist. gén. des voy.* tom. 10. pag. 340. De Cafris circa Sofalam et Manamotapam P. Joh. dos Sanctos apud Purchas lib. 9. cap. 12. tom. 2. pag. 1537.

11 Kolben in *hist. gén. des voy.* part. 1. lib. 14. cap. 3. §. 3. tom. 5. pag. 165. Lapones similiter montium cavernis pro sepulcris uti, refert Regnard ibid. tom. 15. pag. 311. Atque de primis Novae Hispaniae incolis idem notat Clavigerus tom. 2. p. 98.

12 P. Protais *voyage du Said* in *Relations de divers voyages par Thevenot* tom. 2. pag. 2. et apud Vanslebium *relation d'un voyage en Egypte* pag. 411. Paul Lucas *voyage au Levant en 1669.* tom. 1. num. 13. pag. 163. Pococke *description of the East* vol. 1. lib. 2. c. 3. p. 97. tab. 29. — 32. Perry *view of the Levant* p. 352. Bruce *travels to discover the source of the Nile* tom. 1. pag. 125.

regia sepulcra paranda effossi. Loco inde hodie quoque nomen est Biban-el-meluke, portae sive aulae regum. Cavernarum ostia circiter octodecim hic observavit Pocockius, cujus diligentiae acceptam referimus accuratiorem Thebaeensium sepulcrorum notitiam. Quinque ex his obturata reperit, reliqua ipse ingressus per subterraneos meatus in calcarei montis saxo recta linea ac modico descensu excavatos, decem fere pedum latitudine, altitudine pari, nonnunquam sesquialtera, breviores alios, alios ad plus quam ducentorum pedum longitudinem porrectos, et conclavibus ad latera distinctos, pervenit ad penetralia quadrata, quae singula continebant arcam e granitico saxo affabre elaboratam. Conspiciebantur praeterea in parietibus loculi excisi, magnitudine impares, aut cadaveribus aut statuis collocandis destinati. Ipsi vero parietes, tum conclavium tum cuniculorum sive adituum, pariterque lacunaria, quorum pars in arcum curvantur, ita erant levigata ut tectorio opere dealbata diceres, cernebanturque undique effigies et sacrae Aegyptiorum notae, pars lapidi cum arte incisae, pars venusta colorum varietate expressae. Vidit et statuas quasdam parietibus adhaerentes. Regum vero quos diximus loculi, quo tempore antra ista invisit Pocockius, majori ex parte vel fracti erant vel ablati, agnoscebantur tamen ex indicio foraminis oblongi in pavimento conclavium, basi arcarum recipiendae parati. Qui autem manebant integri, in operculi superficie exscalptam habebant effigiem mumiae jacentis, cum hieroglyphicis characteribus in area circa eam adstitutis. Reliqua arca plana erat, oblonga et fere quadrangula, ita tamen ut a parte capitis recisis angulis speciem referret ellipticam. Longae erant pedes circiter undecim vel duodecim, latae pedes sex, altae pedes fere octo. Cadavera in his cavernis Arabum avaritia jam olim expilatis, non offendit Pocockius. Duas praeterea adiit interjectis collibus a modo dictis separatas et paullo amplius ad austrum sitas, pari ratione e rupibus excisas, picturisque et scalpturis decoras: quas licet ipse viventium commodis inservisse putet, tamen ichnographiam earum inspicienti multo fit probabilius, fuisse et haec antra mortuis reponendis parata. Nam statim quidem ab ingressu atria sese offerunt satis ampla, ac porticus pilis subrectae; at interior pars coarctatur in cuniculos, qui circuitione ducunt ad cellulas angustas: suntque in pavimento hinc inde foramina quaedam puteorum instar effossa, per quae descenditur in alias cryptas hisce subjectas.

In extrema maxime narrationis parte cum Pocockio conspirat Paulus Lucas, quamquam et loci nomen taceat et traditionem de regibus in hac vicinia sepultis ignorasse videatur. Nempe prope Luxor paullo ad meridiem antra vidit magno numero excisa in montium lateribus, cum puteis accessum praebentibus ad cryptas inferiores. In illis erant mumiarum figurae e lapide, e marmore atque e basalte, suspicor loculorum vice fungentes; columnae praeterea, et picturae, quae praeter convivia ludosque et quae his sunt similia, fluvium referebant, per quem cadavera Aegyptio more condita, baridi imposita transvehebantur ad sepulturam. Adscripta quoque reperiebatur characterum copia, per lineas totam parietis longitudinem obtinentes rite distributa, qui prorsus differebant ab hieroglyphicis, primo obtutu Hebraicis litteris non absimiles, qnamquam et ab his essent diversi. Perrius hoc amplius adnotavit, inveniri circa regia sepulcra mumiarum dispersa fragmina, quemadmodum et Pocockius in aedicula parum inde remota ossa quaedam et panniculos velut adustos conspexit. Quod vero hac nostra aetate in illis finibus perraro occurrant mumiae, rationem nobis offert itinerarium Prota-

sii, advertentis, pro ligno ad urendum, cujus maxima est inopia, cadaveribus e cryptis erutis uti Arabes, qui nunc Thebaidem tenent. Invisit quoque Brucius Thebaeensium regum sepulcra, et polychordia in parietibus picta aeneis formis expressit; narratque se accepisse ab ejus tractus incolis, exstare prope Gurnu centum montes conicae figurae in antra excavatos.

In reliqua autem Aegypto superiori a Cataractis usque ad Pyramides, imo in ipsa Pyramidum vicinia, maxime vero circa Achmim et Siuth et Benisuef, innumeras fere cavernas in rupium lateribus incisas, puteosque in illis deorsum actos, utpote subjacentium cryptarum ostia, viderunt peregrinatores. Harum nonnullas mira arte exornatas celebrant; in quibusdam etiam conspexerunt mortuorum loculos, cadaverumque et fasciarum reliquias, licet major pars adeo sint vastatae ut de antiquo earum usu certum judicium ferri nequeat [13].

Subjungam veterum loca de sepulcris Thebaeensibus, succincta quidem, sed quae satis declarant eorum magnificentiam. Strabo geographiae libro decimoseptimo inquit: *υπερ δε του μεμνονειου θηκαι βασιλεων εν σπηλαιοις λατομηται, περι τετταρακοντα, θαυμαστως κατεσκευασμεναι, θεας αξιαι.* „ Supra „ Memnonium sunt regum loculi in speluncis quibusdam incisi, circiter quadra- „ ginta, mirum in modum structi, spectatuque sane digni „. Diodorus autem libri primi capite quadragesimo sexto Thebarum vastitatem describens ait: *ειναι δε φασι και ταφους ενταυθα των αρχαιων βασιλεων θαυμαστους, και των μεταγενεστερων τοις εις τα παραπλησια φιλοτιμουμενοις υπερβολην ουκ απολειποντας. οἱ μεν ουν ἱερεις εκ των αναγραφων εφασαν εὑρισκειν ἑπτα προς τοις τετταρακοντα ταφους βασιλικους, εις δε πτολεμαιον τον λαγου διαμειναι φασιν ἑπτακαιδεκα μονον, ὡν τα πολλα κατεφθαρτο καθ' οὑς χρονους παρεβαλομεν ἡμεις εις εκεινους τους τοπους, επι της ἑκατοστης και ογδοηκοστης ολυμπιαδος. ου μονον δ' οἱ κατ' αιγυπτον ἱερεις εκ των αναγραφων ἱστορουσιν, αλλα και πολ-*

[13] Norden *travels in Egypt and Nubia* to.2. pag.23. 63. tab. 84. 120. — 125. tom.1. p. 87. tom. 2. pag. 20. 21. 55. 124. 133. 136. Pococke vol.1. lib.2. cap.2. pag. 78. lib. 1. cap. 5. p.40.46. lib.2. c.1.3. 4. pag.73. 82. 114. Perry pag. 374. Granger *relat. d'un voy. en Egypte* cap.2. pag.32. 34. cap.3. pag.62. c.6. pag.129. Maillet pag.259. Vansleb. pag. 143. 396. Paul Lucas *voyage en 1699.* tom. 1. n. 14. pag. 179. num.15. pag.196. *voyage en* 1704. tom. 2. c. 6. pag.63. *voyage en* 1714. tom. 2. pag.127. 313. 339. 343. tom. 3. pag. 62. 69. 71. Sicard *discours sur l'Egypte* in *nouv. mem. des miss.* t. 7. p.168.et *carte des deserts* ibid. t.5. Sed cavernas istas majori ex parte prospexerunt potius peregrinatores, quam exploraverunt et accurate descripserunt. Pars earum a natura videntur paratae, ac vetustissimis Aegypti incolis habitationes praebuerunt, quemadmodum et nunc multae speluncae incoluntur in Aegypto. Aliae originem traxere a latomiis, postea variis usibus accommodatae, cellis horreisque et quae alia sunt hujusmodi. Nonnullae diis dicatae fuerunt, et mystici praesertim ritus in iis celebrati. Videntur et inter sacerdotes ii qui operam dabant scientiis et rerum naturae scrutandae, quo tranquillius vitam agerent, in antra sese abdidisse, quare et stelae librique, Aegyptiorum sapientiam complexi, in syringibus servati feruntur. Potuere aliae inservire deliciis, dum qua tempestate aër maxime calet, illuc sese reciperent homines, quae Nympheorum utilitas fuit apud Graecos Romanosque. Sed communior frequentiorque cavernarum usus in Aegypto is fuisse videtur, ut defunctorum corpora in iis locarentur, quandoquidem et peregrinatores in iis quas diligentius inspexerunt, plerumque invenerunt sepulcrorum vestigia. Affirmat Mailletus pag. 287. mumias ex superiori Aegypto advectas fasciarum ratione differre ab iis quae in Europa innotuere: sed hoc quid sibi velit, non satis intelligo, cum et Saccarenses illae mumiae vario modo obvolutae reperiantur. De antris Thebaeensibus vide etiam Sicardum l. c. tom.5. pag.226. tom.7. pag. 167. Is regia sepulcra decem tantum superesse ait, in quibus quinque integra sunt, pictarum rerum copia et varietate spectanda.

λοι των ἑλληνων των παραβαλοντων μεν εις τας Θηβας επι πτολεμαιου του λαγου, συνταξαμενων δε τας αιγυπτιακας ἱστοριας, ὡν εστι και ἑκαταιος, συμφωνουσι τοις υφ᾽ ἡμων ειρημενοις. „ Esse ajunt ibi mirifica priscorum regum se-„ pulcra, quae posteris ad similis magnificentiae studium nihil reliqui fecerunt. „ Horumque in sacris commentariis quadraginta septem inveniri, sed ad Pto-„ lemaeum Lagi septemdecim tantum remansisse, quorum pleraque nobis Aegy-„ ptum lustrantibus ad olympiadem centesimam octogesimam corrupta fuerant. „ Nec vero a sacerdotibus tantum Aegyptiis haec e libris sacris referuntur, sed „ et Graecorum multi, qui Ptolemaei Lagi aetate Thebas profecti historias „ Aegyptiacas contexuerunt, inter quos etiam Hecàtaeus est, cum narratio-„ ne hac nostra consentiunt „ [14].

Sic a rupium antris exorsi Aegyptii, profunde effoderunt hypogaea circa Memphin Busirinque ad radices Libyci montis, in saxea planitie instabili arena late obtecta, ubi dum per angustum ostium, pyramidis strue vel inferûm deûm sacello olim occlusum, ad imum descenderis, per cuniculum pergis ad compita subterranea, viasque multiplici anfractu ducentes ad mortuorum domicilia, conclavium instar concamerata, scamnisque et lectulis ipsi rupi adhaerentibus instructa. Cernis hic magnam vim cadaverum patrio ritu conditorum et fasciarum multitudine obligatorum: alia storeis e palmarum foliis vel e byblo involuta; alia operculo tecta, e numerosis linteorum stratis compacto ac conglutinato, gypsoque et coloribus obducto; aut ligneis arcis inclusa, pro defuncti hominis opibus et dignitate plus minusve decoris; nobilissima in soliis lapideis. Pars ad parietem recta stant, aut in cellulis collocata; pars velut in lecto decumbunt super toris vel *subselliis*, *sive in loculis* rupi incisis; viliora humi strata reperiuntur. Parietes conclavium parce ornati sunt: paucas tantum scalpturas, et hieroglyphicas quasdam inscriptiones in iis observatas invenio. Sed forsan non satis accurate hac de re quaesiverunt peregrinatores: nam in planitie ad Saccaram inter mumiarum fasciarumque reliquias sparsa inveniuntur scalptorum lapidum fragmina, quae a cryptarum parietibus avulsa credi possunt. Circa loculos autem sive conditoria adstare solent icunculae aliquae mumiarum habitu, ut plurimum ligneae aut fictiles, nonnunquam lapideae, quasi averrunci genii ad mala a defunctorum sedibus abigenda: et arculas inveniri ajunt prope cadavera, deorum sigilla ex aere continentes et varia supellectilium genera. Crebro etiam in cryptis reperiuntur vasa alabastrina, quibus pro operculo esse solet aut hominis protome aut ferae alicujus, accipitris plerumque aut canis aut ce-

---

[14] Monuit jam Pocockius videri ista magis spectare ad aedificia sepulcralia quam ad cavernas, quod ex sequentibus quoque patet. Sed illud non satis recte ab eo animadversum arbitror, quod septemdecim sepulcra quae Hecataeo scribente adhuc residua erant, cavernas fuisse putet, et componat cum numero earum quas ipse in eo loco offendit. Nam inter septemdecim illa fuit sepulcrum Osymandyae, aedificiorum amplitudine spectandum: de quo infra dicemus. Quoniam vero diserte docet Strabo regum sepulcra fuisse in speluncis, Diodori verba accipienda reor de aedificiis, atriorum loco magnifice structis ante ostia antrorum, in quibus condita erant cadavera: et huc pertinere ingentium aedificiorum ruinas, quae circa Gurnu et Medinet-habu hodie quoque conspiciuntur. Caeterum cavernas illas syringum nomine indigitat Pausanias lib. I. cap. 42. pag. 101. de Memnonis statua sermonem faciens: *αιγυπτιων ὁ κολοσσος εν Θηβαις ταις αιγυπτιαις, διαβασι τον νειλον προς τας συριγγας καλουμενας*. „ Colossus qui Thebis Aegyptiis est, trans Nilum, non longe ab eo loco quae Syringes „ appellantur „. Strabonis locum dedimus supra pag. 6-

bi: quae asphalti aromatumque reliquias continentes ad augendam fragrantiam una cum cadaveribus sepulcro illata videntur [15].

Nulla apud veteres scriptores de hisce cryptis expressa mentio, qui syringas quidem per Aegyptum memoraverunt et adyta subterranea, sed mysticis ritibus peragendis aut arcanis scientiis excolendis, stelisque et libris qui Aegyptiorum philosophiam historiamque continerent, servandis destinata: quae vero cadaveribus condendis inserviebant, in universum conditoriorum nomine complexi sunt. E peregrinatorum libris claritatem assecutae sunt cryptae sepulcrales, illae praesertim quae proxime absunt a Memphis ruderibus, ad vicos quibus nunc nomina sunt Saccara et Abusir [16]. In his praeter humana corpora inveniri quoque referunt brutorum animalium, avium maxime, cadavera arte medicata fictilibusque urnis inclusa. Et Apidem hic repertum fuisse narrant in arca auro et picturis decorata, in cujus operculo bovinum caput scalptum erat, cancellis deauratis arcam cingentibus, et octo vasculis alabastrinis juxta eam depositis [17]. Scilicet veteres Aegyptii, quibus monente Herodoto victus fuit cum

---

[15] *Viaggi di Pietro della Valle* tom. 1. epist. 11. pag. 251. Sanderson apud Purchas tom. 2. l. 8. c. 16. p. 1616. Prosper Alpinus rerum Aegyptiarum lib. 1. cap. 7. tom 1. pag. 35. Tit Liv. Burattini epistola ad Kircherum in Oedipi tom. 3. pag. 399. et in *relations de divers voyages par Thevenot* tom. 1. pag. 25. Bellonii observationes. pag. 118, De Breves *voyages* pag. 279. Monconys *journal* tom. 1. pag. 183. 194. Thevenot *voyage au Levant* part. 2. cap. 6. tom. 1. pag. 256. Bremond *viaggi* lib. 1. cap. 15. pag. 75. Vansleb pag. 146. Melton apud Lebrun *voyage au Levant* c. 35. p. 205. Paul Lucas *voyage en* 1714. tom. 2. lib. 4. pag. 93. Maillet pag. 261. 275. Jauna pag. 1304. Shaw *voyages* tom. 2. pag. 158. Pococke vol. 1. lib. 1. c. 6. pag. 53. tab. 21. Savary tom. 2. pag. 10. Nil quidem est hisce cryptis notius, dum fere quicunque Aegyptum adierunt, eas invisere et describere aggressi sint: veruntamen exacta et plena earum notitia adhuc desideratur. Plerique enim per puteum aliquem descendisse, conditoria et cadavera quaedam inspexisse contenti, de ordine earum et structura, deque situ, magnitudine atque nexu, qui inter eas exsistere possit, parum quaesiverunt. Burattinus quidem cryptae prospectum delineatum dedit una cum ichnographia, sed icon illa non satis consentit cum reliquorum peregrinatorum relationibus, sed nimio symmetriae studio peccare videtur. Pocockius autem, qui duarum cryptarum ichnographias exhibet, festinationis arguitur, atque cum cavernas adiisset jam dudum expilatas, parum itineris in iis confecisse videtur, nec de cadaverum collocatione certi quid rescivit, nec de meatuum cellarumque extensione. Lectu prae reliquis digni sunt Monconius, e quo solo discimus e supremis cuniculis per alios puteos descendi in secundum cryptarum ordinem, eodem pacto quo in Romanis catacombis plures sunt viarum ordines, alter alteri subjecti: et Paulus Lucas, modo fides habenda sit viro singularis quidem industriae, qui multa sane recte observavit a reliquis majori ex parte neglecta, sed qui et saepe res obiter inspectas narratione auxisse atque exornasse comperitur. Is enim refert se fili plusquam duo millia orgyarum secum cryptae intulisse, sed ne sic quidem ad meatuum finem pervenisse, funiculo qui reditum monstraret destitutum. Vidit praeterea in una eademque caverna et humana cadavera et avium quadrupedumque mumias ac sepulti Apidis indicia: quae licet dissentiant a reliquorum peregrinatorum narrationibus, tamen Aegyptiorum mores reputanti nequaquam videntur incredibilia. Retulit etiam Kirchero Michael Schata Aegyptius, subterraneos circa Saccaram meatus ad multa milliaria se extendere, magnificentia Romanis coemeteriis multo superiores. V. Oedip. tom. 3. pag. 401. Monere juvat, ad verbum fere consentire Vanslebium cum Meltono, Bremondum cum Thevenoto, Jaunam cum Mailleto.

[16] A Saccara nunc cryptis nomen inditum est, alterius autem vici qui successit in locum Busiridis Plinio memoratae prope pyramides, hist. nat. lib. 36. cap. 12, mentio fit a Petro de Valle tom. 1. epist. 11. pag. 251. Debreves pag. 275. Paulo Luca *voyage en* 1714. tom. 2. pag. 93. 94. Savary tom. 1. epist. 17. p. 195. et Bernat apud Montfaucon *ant. expl.* suppl. tom. 2. pag. 173.

[17] Paul Lucas *voy. en* 1714. tom. 2. pag. 99. Shaw tom. 2. pag. 158.

animalibus [18], neque post mortem consortium eorum dedignati sunt; quin potius honori sibi duxisse videntur prope Apidem sepeliri, qui aliquo saltem tempore Osiridis simulacrum creditus est. Certe cadaver Apidis, qui post emensum vigintiquinque annorum curriculum sacro fonte submersus necabatur [19], e Diodoro, Plutarcho aliisque scimus, cum arte curatum fuisse, et mystica pompa in ipso illo campo Memphitico ad sepulturam delatum [20].

Videtur autem omnis ille tractus altus ac sterilis, qui supra Delta in Libyco latere protenditur montes inter et terram arabilem, aestuante Nilo irriguam, a prima pyramide usque ad eam quae maxime in austrum vergit, sepulturis inservisse, atque ipsae pyramides initio modice magnas, nec aliud fuisse quam cryptarum ostia sive vestibula; postea additum fuit regum corpora in ipsis pyramidibus sepelire, opum et potentiae ostentatione ad immanem magnitudinem exstructis. Pari ratione reges nonnullos in templis sepultos accepimus, aut vastae amplitudinis aedificia regiis cadaveribus condendis parata; de quo mox infra dicemus.

Nec sola Memphitica regio hujusmodi cryptis usa est, sed quaecunque civitates propius admotae essent ad deserta in utroque Nili latere, sua habuerunt coemeteria, quorsum defunctos suos vicina oppida deveherent, ac vici, quibus locus sepulturae commodus deesset. Hinc fabula de Osiridis corpore lacerato ac frustatim sepulto per Aegypti metropoles, quamquam singulae integrum deum apud se sepultum praedicarent [21]. Nam ubicunque communia essent et frequentia sepulcra, ibi Osiris quoque situs credebatur. Praesertim Abydus, Thebaidi contermina Libycisque arenis adjacens, antiqua fama nobilis, jam ante Memphin Osiridis corpus sibi vindicavit, quare et diu mos obtinuit ut ex universa Aegypto opulentiores vita functi illuc deferri ambirent. Ea nunc quidem funditus vastata, vix amplius ubi sita fuerit noscitur, neque invenio peregrinatores qui satis accurate de ea retulerint [22]. Prope Moeridis oppidum, quod Arsinoën ap-

---

[18] Lib.2. cap.36. *τοισι μεν αλλοισι ανθρωποισι χωρις θηριων ἡ διαιτα αποκεκριται· αιγυπτιοισι δε ὁμου θηριοισι ἡ διαιτα εστι.* „ Apud ceteros „ mortales victus a ferarum secretus est con- „ sortio; Aegyptii cum feris vivunt „.

[19] Plinius lib. 8. cap. 46: „ Non est fas eum „ certos vitae excedere annos, mersumque in „ sacerdotum fonte enecant „. Conf. Ammian. Marcell. lib.22. cap. 14. Solinus cap.32. pag. 43. „ Apidi statutum aevi spatium est, „ quod ut affuit, principio sacri fontis profun- „ do immersus necatur, ne diem longius tra- „ hat, quam licebit „. Statutum illud spatium fuisse annorum vigintiquinque, discimus e Plutarchi tractatu de Iside pag. 472. opp. tom. 2. pag. 374: *ποιει δε τετραγωνον ἡ πεντας αφ' ἑαυτης, ὁσον των γραμματων παρ' αιγυπτιοις πληθος εστι, και ὁσων ενιαυτων εζη χρονον ὁ απις.* „ Quadratum quinarius producit a se, quantus „ est numerus litterarum apud Aegyptios, et „ quot annos vixit Apis „.

[20] Diodor. lib.1. cap.85.96. Plutarch. de Iside pag.430. 439. 496. opp. tom. 2. pag. 362. 364. 380. Pausan. lib. 1. cap. 18. pag.42. Clemens Al. cohort. cap.4. pag.43. Herodot. lib.3. cap.29. Vide praeterea de sacrorum in Aegypto animalium funeratione Herodotum lib. 2. c. 41. 66. 67. 69. 73. 148. Diodor. lib. 1. cap. 21. 83. Athenag. leg. pro Christ. num.14. Aelian.anim. hist. lib.6. cap.7. lib.10. cap.29. Euseb. praep. evang. lib.2. cap.1. pag.50. 51. lib. 9. cap. 27. pag. 433. Sicard *nouv. mem. des miss.* tom. 7. pag.174.

[21] Diodor. lib.1. cap. 21. Plutarch. de Isid. pag.411. opp. tom. 2. pag.357. Tzetzes ad Lycophr. vers.212. Strabo lib. 17. pag. 1155. Sequiores quidam Aegyptiarum rerum interpretes, qui Graecorum poetarum fabulas de Dionyso cum Osiridis historia connectere ac novum inde mythum adornare studuerunt, Osiridem in Nysa Aethiopiae sepultum finxerunt: de quo vide Diodorum lib. 1. cap. 27. supra citatum pag. 39.

[22] Vide supra sect.2. cap.3. §.8. pag.110.

pellarunt Graeci, nunc prisco nomine Fijom dictum, meatus esse subterraneos cadaveribus refertos, solus quod sciam Paulus Lucas adnotavit [23]: idemque accepit ab Aegyptiis, similes syringas reperiri circa pyramides maxime ad austrum remotas, ubi olim stetisse videntur Heracleopolis et Cynopolis [24]. Alexandrina autem Necropolis, quae successit in honorem Memphiticae, extra urbem porrecta in campo arenoso, quo a porta occidentali in Lybiam pergitur, a multis peregrinatoribus laudatur.

Meminit hujus Strabo libro decimoseptimo [25], ubi in Alexandriae situ enarrando fossam memorat a portu Ciboto tendentem ad lacum Mareoticum, inquiens: *εξω μεν ουν της διωρυγος μικρον ετι λειπεται της πολεως· ειθ' ἡ νεκροπολις, και το προαστειον, εν ᾧ κηποι τε πολλοι και ταφαι και καταγωγαι προς τας ταριχειας των νεκρων επιτηδειαι.* „ Extra fossam itaque restat urbis exigua „ pars. Postea est Necropolis cum suburbano, in quo horti plurimi sunt et „ sepulturae ac diversoria condiendis mortuis idonea „. Occurrunt et hodie extra veteris oppidi moenia, qua ad occasum spectant, usque in extremam oram littoris, plurimae cryptae, pars in soli superficie, pars profundius actae, cadaveribus quidem jam spoliatae, structurae autem ac ornamentorum modo ab Aegyptiis moribus propius accedentes ad Graecorum ingenium. Ex his nonnullae admodum similes sunt catacombis, quae prope Romam visuntur, viarum lateribus utrinque excisis in foros oblongos, a summo ad imum triplici ordine, ubi corpora reponi solebant. Aliae ampliores sunt et ornatiores, continentque conclavia satis pulcra, in quibus et cubilia conspiciuntur mortuis locandis aptata, et cellulae aliquae columnis decorae [26].

De Abydo autem ac Memphi, pariterque de Philis et Busiri atque Taphosiri, auctorem habemus Plutarchum in tractatu de Iside [27]: *ἡ των οσιρειων δοξα, πολλαχου κεισθαι λεγομενου του σωματος. αβυδον ισως η μεμφιν ονομαζεσθαι πολιχνην λεγουσιν, ὡς μονην το αληθινον εχουσαν· εν τε αβυδῳ τους ευδαιμονας των αιγυπτιων και δυνατους μαλιστα θαπτεσθαι φιλοτιμουμενους, ὁμοταφους ειναι του σωματος οσιριδος· εν δε μεμφει τρεφεσθαι τον απιν, ειδωλον οντα της εκεινου ψυχης. και την μεν πολιν οἱ μεν ὁρμον αγαθων ἑρμηνευουσιν, οἱ δε ὡς ταφον οσιριδος. την δε προς φιλαις νησιδα τηναλλως [28] μεν αβατον ἁπασι και*

---

[23] *Voyage en* 1704. tom. 2. cap. 6. pag. 63. In insula quae est in lacu Moeridis, catacombas exstare ait Grangerius cap. 8. pag. 155., sed ipse non videtur insulam adiisse.

[24] *Voyage en* 1714. tom. 2. pag. 303.

[25] Pag. 1145. Recurrit Necropoleos mentio apud Joseph. cont. Apion. lib. 2. c. 4. t. 2. p. 471.

[26] Norden tom. 1. pag. 13. 14. tab. 13. Pococke vol. 1. lib. 1. cap. 1. pag. 9. tab. 5. Niebuhr *reisebeschreibung nach Arbien* tom. 1. pag. 50. tab. 5. Savary *lettres sur l' Egypte* tom. 1. pag. 37.

[27] Pag. 416. opp. tom. 2. pag. 359.

[28] Locum oppido depravatum *την δε προς πυλαις νιστιπαννη αλλως*, emendavit Xylander *την δε προς πυλαις νησιδα τηναλλως*, et vertit: *Exiguam quoque insulam, quae est ante urbem sita, ajunt reliquo tempore* rel. Sed neque hoc dicere voluisse Plutarchum, documento sunt verba Diodori lib. 1. cap. 22: *την ισιν φασι ταφηναι κατα την μεμφιν· ὁπου δεικνυται μεχρι του νυν αυτης ὁ σηκος, υπαρχων εν τῳ τεμενει του ἡφαιστου. ενιοι δε φασιν ουκ εν μεμφει κεισθαι τα σωματα τουτων των θεων, αλλ' επι των ὁρων της αιθιοπιας και της αιγυπτου, κατα την εν τῳ νειλῳ νησον, κειμενην μεν προς ταις καλουμεναις φιλαις, εχουσαν δε προσηγοριαν απο του συμβεβηκοτος ἱερον πεδιον. σημεια δε τουτου δεικνυουσιν εν τῃ νησῳ ταυτῃ διαμενοντα, τον τε ταφον του κατεσκευασμενον οσιριδι, κοινῃ τιμωμενον υπο των κατ' αιγυπτον ἱερεων, και τας περι τουτον κειμενας ἑξηκοντα και τριακοσιας χοας. ταυτας γαρ καθ' ἑκαστην ἡμεραν γαλακτος πληρουν τους προς τουτοις ταχθεντας ἱερεις, και θρηνειν, ανακαλου-*

απροσπελαστον ειναι , και μηδε ορνιθας επ' αυτην καταιρειν , μηδ' ιχθυς προσπελαζειν , ἑνι δε καιρω τους ἱερεις διαβαινοντας εναγιζειν , και καταστεφειν το

μενους τα των θεων ονοματα . δια ταυτην δε την αιτιαν και την νησον ταυτην αβατον ειναι πλην τοις ἱερευσι· και παντας τους την Θηβαϊδα κατοικουντας, ἥπερ εστιν αρχαιοτατη της αιγυπτου , μεγιστον ὁρκον κρινειν , ὁταν τις τον οσιριν τον εν φιλαις κειμενον ομοση . „ Isidem apud Memphim sepultam esse ajunt , ubi etiam nunc sacellum ejus in luco Vulcani ostentatur . Quamquam alii non in Memphi reliquias horum deorum repositas esse dicunt , sed ad Aethiopiae fines et Aegypti in insula Nili , quae loco quem Philas vocant adjacens, ab eventu campus sacer appellatur . Signis hoc probant in insula ista reliquis , sepulcro videlicet Osiridi exstructo , universis per Aegyptum sacerdotibus religioso , et trecentis sexaginta pateris in eo repositis , quas quotidie ad hoc destinati sacerdotes lacte replent , et invocatis deorum nominibus lamentantur . Eam ob causam insula non aditur nisi a sacerdotibus , omnesque Thebaidos incolae , quae Aegypti pars est antiquissima , maximi juramenti vim habere judicant , si quis per repositum apud Philas Osirim dejeret „ . Consentiunt pariter Strabo lib. 17. pag. 1155. : ἡ σαϊς , και μικρον ταυτας υπερθε το του οσιριδος ασυλον , εν ᾧ κεισθαι τον οσιριν φασιν . αμφισβητουσι δε τουτου πολλοι , και μαλιστα οἱ τας φιλας οικουντες τας υπερ συηνης και της ελεφαντινης . „ Sais , et paulo supra eam asylum Osiridis , ubi Osiridem jacere ajunt . Sed de hoc certant multi , maxime qui Philas habitant , ultra Syenen et Elephantinen „ . Et Seneca apud Servium ad Aen. lib.6. vers. 154 : „ Circa Syenem esse locum quem Philas vocant , h. e. *amicas*: ideo quod illic est placata ab Aegyptiis Isis . — Quae cum sepelire vellet membra Osiridis , elegit vicinae paludis tutissimum locum,quem transitu constat esse difficilem : limosa enim est et papyris referta et alta . Ultra hanc est brevis insula inaccessa hominibus : unde αβατος appellatur „ . Atque Tzetzes ad Lycophr. vers. 212: εν φυλαις πολει της αιγυπτου το μεγιστον των ἱερων ῳκοδομησεν ἡ ισις · ὡς και μεγας ὁρκος τοις αιγυπτιοις ετυγχανεν , μα τον εν φυλαις οσιριν , λεγουσιν . „ In Phylis oppido Aegypti maximum templum condidit Isis : quare et magnum jusjurandum apud Aegyptios fuit , dicere : per Osirin qui in Phylis est „ . Eadem , sed valde corrupta habes apud Eudociam viol. pag. 319. ubi φηγαλη scribitur pro φιλαι . Etiam apud Tzetzen minus recte scribi videtur φυλαι , cum reliquis scriptoribus tum Graecis tum Latinis loci nomen sit Philae . Vide Strab. lib.17. pag.1173. Lucan. phars. lib.10. vers.313. Senec. nat. quaest. lib.4. cap. 2. Artemidor. apud Plin. lib. 5. cap. 9. Aristid. orat. Aegypt. opp.tom.1. p.344. Ptolem. geogr. lib.4. cap. 5. Marin. vita Procli cap. 18. Heliodor. aethiop. lib. 8. pag.362. Stephan. v. φιλα . Olympiod. apud Photium cod.80. pag.194. Prisc. Panit. legat. pag. 41. in hist Byzant. tom. 1. Procop. de bell. Pers. lib. 1. cap.19., qui satis quidem oscitanter nominis originem repetit a pace ibi sancita inter Diocletianum et Aethiopes conterminos . In notitia dignitatum imperii pag. 90. est Filari : apud Solinum cap. 32. pag. 42. Phialus . Legitur et apud Plinium lib.5. cap.9. ex Timaeo mathematico Phiala , quod librarii sphalma esse putarem , nisi idem lib. 8. cap.46. scripsisset : „ Memphi est locus in Nilo , quem a figura vocant Phialam „ : ubi secutus videtur auctorem , fortassis poetam , qui e φιλαις finxerat φιαλην , et cataractas Memphin transposuerat, uti sunt qui universam Aegyptum Pharum appellant aut Mareotidem. Conjicio autem Philas esse Aegyptium nomen cataractarum,

a ϥⲉⲗϩ vel ϥⲱⲗϩ *percutere , allidere* :

propter rupes et fragrosas ejus tractus insulas a spumantibus undis continuo fragore percussas : eodem pacto quo καταδουπους et καταρρακτας dixerunt Graeci . Sic Isidis templum Philense Heliodoro aethiop. lib. 2. pag.117. appellatur ὁ εν καταδουποις ισιδος ναος : Philarumque nomine modo unam insulam intellexerunt veteres , cui adjacebat abatos illa petra , Isidis templo et sepulcro Osiridis clara ; modo quatuor insulas , quas inter atque rupes prope Syenen , Knophi et Mophi dictas , Nili venas et velut scaturigines esse ajebant Aegyptii ; modo totum illum fluvii terraeque tractum , qui alias Catadupi dicitur . Confer Herodot. lib. 2. cap. 29. et Aristid. loc. cit. pag. 345. Ad Philensem pompam Procopio et Prisco memoratam ll. cc. respexisse videtur Diodorus lib.1. cap.97. Quae vero ibidem notat de ritu Acanthopolitarum , admodum affini inferiis Osiriacis , quae Philis fieri consueverant , indicio sunt fuisse in illo pariter oppido memorabile hujus dei sepulcrum : εν ακανθων πολει περαν του νειλου κατα την λιβυην , απο σταδιων ἑκατον και εικοσι της μεμφεως , πιθον ειναι τετρημενον, εις ὃν των ἱερεων ἑξηκοντα και τριακοσιους καθ' ἑκαστην ἡμεραν υδωρ φερειν εις αυτον εκ του νειλου . „ In Acanthôn civitate trans Nilum in Libye , stadiis 120 a Memphi dissita ;

σημα, μηθιδος [29] φυτῳ περισκιαζομενον, υπεραιροντι πασης ελαιας μεγεθος. ευδοξος δε πολλων ταφων εν αιγυπτῳ λεγομενων, εν βουσιριδι το σωμα κεισθαι· και γαρ πατριδα ταυτην γεγονεναι του οσιριδος. ουκετι μεν τοι λογου δεισθαι την ταφοσιριν· αυτο γαρ τὸυνομα φραζειν ταφην οσιριδος. „ Osiridis templa „ tam multis in locis celebria, cujus corpus multis in partibus terrae sepultum „ fertur. Inter alias urbes Abydus et Memphis nominantur, in quibus solis vere „ exstet Osiridis sepulcrum. Et Abydi quidem humantur Aegyptiorum for- „ tunis ac potentia praecipui, studiose hoc ambientes, ut eodem cum Osiride „ potiantur sepulcro [30]. Memphi autem Apis nutritur, utpote animae ejus simu-

---

„ esse dolium foratum, in quod sacerdotes 360 „ singuli per diem aquam deferant ex Nilo „. Meminit hujus oppidi Strabo lib. 17. pag. 1163. cum templo Osiridis et luco spinae Thebaicae. Conf. Stephan. v. ακανθος. Ptolem. geogr. lib. 4. cap. 5.

29 Vox quantum sciam hoc tantum loco occurrens, quam plantam denotet, ignoratur. An forte Aegyptium vocabulum est lugubrem seu mortualem arborem significans, a ⲙⲟⲩ vel ⲙⲱⲟⲩⲧ vel ⲙⲟⲩⲑ, quod a Graecis μηθ pariter scribi potuit? Aut forte scribendum erat κικιδος, ita suadente comparatione cum olea instituta, cum notum sit Aegyptios ex cici oleum facere consuevisse?

30 Huc pertinent verba Porphyrii in epistola ad Anebonem pag. 6., ubi incantationum formulas recenset: το γαρ λεγειν, ὁτι τον ουρανον προσαραξει, και τα κρυπτα της ισιδος εκφανει, και το εν αβυδῳ απορρητον δειξει, και την βαριν στησει, και τα μελη του οσιριδος διασκεδασει τυφωνι, τινα ουχ υπερβολην εμπληξιας μεν τῳ απειλουντι, ἁ μητε ειδε μητε δυναται, καταλειπει; — και τοι και χαιρημων ὁ ἱερογραμματευς αναγραφει ταυτα, ὡς και παρ᾽ αιγυπτιοις θρυλλουμενα. „ Nam qui denuntiat uti vel coelum „ ipsum quatiat, vel Isidis arcana patefaciat, „ vel quod Abydi occultum latet dictuque nefas est in lucem proferat, vel baridis cursum „ inhibeat, vel in Typhonis gratiam Osiridis „ membra disjiciat: quidnam obsecro sibi ad „ summum stuporem atque vecordiam, ista „ quae neque novit neque perficere potest comminando, reliqui facit? Haec certe Chae- „ remon sacer scriba tamquam Aegyptiorum „ pridem omnium ore jactata commemorat „. Antiquissimo enim et sanctissimo fano Osiridis inclyta erat Abydus, Thinitarum olim regum sedes, et quamquam ipsa civitas post auctas res Memphitarum, magis vero post Ptolemaida Hermiae in eodem nomo conditam a Graecis, sensim deserta, Strabone scribente in parvum vicum abiisset, templum tamen in magno honore mansit apud Aegyptios, et sub Constantii adhuc imperio oracula ibi edita feruntur. Ostendebatur hic inter alia Osiriacae fabulae vestigia, acantharum lucus templo adjacens, cujus ramos coronarum instar plexos, natos ferebant e coronis quas dii audita caede Osiridis illic deposuerant. Nec nisi austeris ritibus Osiridem hic coluisse videntur, siquidem nec cantus admittebatur nec tibia nec cithara, quibus Aegyptios in aliis sacris usos novimus. Strab. lib. 17. pag. 1167. 1168. Plin. lib. 5. cap. 9. Solin. cap. 32. pag. 44. Ptolem. geo. lib. 4. cap. 5. S. Epiphan. brev. serm. ver. num. 12. Amm. Marcell. l. 19. cap. 2. Stephan. Byzant. v. Θις. Athen. lib. 15. cap. 7. pag. 160., ubi scribitur αβυλος. Stephanus v. αβυδοι satis oscitanter Milesiorum coloniam dicit oppidum Mileto et ipsis Athenis vetustius. Idem ex Hecataeo prodit Aegypti oppidum Abotin, quod idem esse conjicio. Nomen derivatum videtur ab ⲁⲃⲏⲧ vel ⲁⲟⲩⲏⲧ *mansio*, *domus*, in primis *habitatio pluribus communis*, *coenobium*, Aegyptia voce lexicis quod sciam nondum illata, frequenter autem obvia in codd. mss. dialecti Memphiticae in museo Borgiano. Inter alia in historia S. Evagrii distinctio fit ⲟⲩⲧⲉ ⲛⲓⲙⲟⲛⲁⲭⲟⲥ ⲛⲁⲃⲏⲧ ⲛⲉⲙ ⲛⲏⲉⲧϣⲟⲡ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲣⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲓϣⲁϥⲉ, *inter monachos coenobii et eos qui degunt in cellulis in deserto*. Scriptum etiam invenitur ⲁⲃⲟⲧ, et forsan mensis ⲁ̇ⲃⲟⲧ dicitur, plur. ⲁⲃⲏⲧ, quasi mansio lunae. Provinciae autem in qua sita fuit Abydus, nomen erat This vel Thin, νομος Θινιτης: puto a voce ϫⲏⲛ *planum*, *planities*; siquidem praefectura illa obtinebat planitiem satis amplam a Nilo porrectam ad montes Libycos, unde et

„ lacrum, ibique etiam corpus conditum perhibent. Ac nomen urbis alii portum „ bonorum interpretantur, alii sepulcrum Osiridis. Exiguam quoque insulam, „ quae est ad Philas sita, ajunt reliquo tempore omnibus esse inaccessam, ac „ ne aves quidem eo devolare, aut pisces appellere: stato autem tempore sa- „ cerdotes in eam trajicere, parentare et monumentum coronare, methidae plan- „ ta obumbratum, quae omnis oleae magnitudinem excedat. Eudoxus, cum „ multa in Aegypto sepulcra Osiridis perhibeantur, corpus situm esse Busiride „ ait: eam enim fuisse patriam ejus [31]. Nam de Taphosiri disputandum non

---

ipsa Alydus a fluvio dissita canali ducto irrigabatur. Suspicor etiam Hellanicum apud Athenaeum loc. cit. pag. 679. ubi procul dubio sermo est de Abydi vicinia, locutum esse de Thine oppido, cujus meminit Stephanus, et pro *τινδιον ονομα* legendum esse *θιν δε οἱ ονομα*: cum Tindium a nullo alio scriptore memoratum, nullam omnino habeat cum Aegyptiis nominibus affinitatem.

[31] Diodor. lib. 1. cap. 85.: *ενιοι λεγουσι, τελευτησαντος οσιριδος υπο τυφωνος, τα μελη συναγαγουσαν την ισιν εις βουν ξυλινην εμβαλειν, βυσσινα περιβεβλημενην, και δια τουτο την πολιν ονομασθηναι βουσιριν.* „ Quidam ajunt, „ Osiridis a Typhone necati membra Isidem „ in ligneam vaccam conjecisse, byssinis ob- „ tectam, et hinc Busirim urbem nuncupa- „ tam „. Quae repetita et pro Graeculorum more aucta habes apud Stephanum v. *βουσιρις*. Sobrior Herodotus id tantum prodit, in Busiri oppido in medio Delta sito maximum fuisse fanum Isidis, atque in annua celebritate ibi obeunda universum populum Osiridem plangere consuevisse. Lib. 2. cap. 59: *πανηγυριζουσι δε αιγυπτιοι ουκ ἁπαξ του ενιαυτου, πανηγυρις δε συχνας. — δευτερα ες βουσιριν πολιν τῃ ισι· εν ταυτῃ γαρ δη τῃ πολι εστι μεγιστον ισιος ἱρον. ἱδρυται δε ἡ πολις ἀυτη της αιγυπτου εν μεσῳ τῳ δελτα.* Et cap. 61.: *τυπτονται μεν γαρ δη μετα την θυσιην παντες και πασαι, μυριαδες καρτα πολλαι ανθρωπων. τον δε τυπτονται, ου μοι ὁσιον εστι λεγειν. ὁσοι δε καρων εισι εν αιγυπτῳ οικεοντες, ὁυτοι δε τοσουτῳ ετι πλεω ποιευσι τουτων, ὁσῳ και τα μετωπα κοπτονται μαχαιρῃσι· και τουτῳ εισι δηλοι ὁτι εισι ξεινοι και ουκ αιγυπτιοι.* „ Conventum publicum cele- „ brant, non semel in anno, sed frequentes „ illos. —— Secundo loco ad urbem Busirin „ in honorem Isidis. In hac enim urbe maxi- „ mum est templum Isidis, ipsa autem urbs in „ medio Delta Aegypti sita. —— Plangunt au- „ tem post sacrificium cuncti et cunctae, mul- „ tae sane hominum myriades: quem autem „ plangunt non est mihi fas dicere. Sed quot- „ quot Cares Aegyptum incolunt, hi vero tan- „ to plus in talibus faciendis excellunt, ut gla- „ dio quoque frontes concidant. Ex quo facto „ datur intelligi, eos hospites esse, non Ae- „ gyptios „. Itaque jam ea tempestate peregrini in Aegypto taetriori utebantur superstitione quam ipsi Aegyptii. Fuere autem plures hujus nominis oppida per varias Aegypti provincias, dicta, ni fallor, a sepulcro Osiridis solemni honore in illis colendo. Nam Coptis ⲃⲏ sepulcrum significat, unde ductum ⲃⲏ-ⲛ-ⲟⲩⲥⲓⲣⲓ vel ⲃⲏⲟⲩⲥⲓⲣⲓ idem fere sonat ac Busiris: quod cum prave intetellexissent Graeci ad suam linguam respicientes Osiridem in bove sepultum finxerunt. Busirin inter Memphin sitam et Pyramides septentrionales, supra indicavimus e Plinio, quam Memphitarum necropolim fuisse conjicio, atque ibi stetisse templum Serapidis Apidi sepeliendo dicatum, de quo mox infra dicetur. Tertia in Thebaide, prope Copton ut videtur, innotuit e chronicographis, qui ad annum sextum Diocletiani notaverunt, Busirin et Copton in Thebaide contra Romanos rebellantes a Maximiano ad solum usque subversas fuisse. Euseb. chron. an. 2308. Theophanes chronogr. pag. 4. Zonara chron. lib. 12. num. 31. Legitur etiam in chronico Orientali Petri Rahebi latinitate donato ab Abrah. Ecchellensi, pag. 70. Marovanum Chalipham interfectum fuisse a Saleho in quodam oppido Aegypti superioris nomine Bausir. Caeterum omnis illa fabula apud Graecos decantata de Busiri rege xenoctono et anthropothyte, quem Herodotus ignorat pariter ac Manetho et Eratosthenes, Isocrates autem et Diodorus in imperii conditorem et legum institutorem converterunt, fortassis orta est a vocabulo quod Osiridis sepulcrum denotabat, et a tristibus ritibus apud hoc peragi solitis. Saltem haec sententia fuit auctoris, quo usus est Diodorus lib. 1. cap. 88: *των ανθρωπων δε τους ὁμοχρωματους τῳ τυφωνι το παλαιον υπο των βασιλεων φασι θυεσθαι προς τῳ ταφῳ του οσιριδος. των μεν ουν αιγυπτιων ολιγους τινας ἑυρισκεσθαι πυρρους, των δε ξε-*

„ esse , cum ipsum hoc nomen significet sepulcrum Osiridis „ [32]. Huc etiam pertinet , quod in urbe Sai prope regum sepulcra in Neïthidis templo ostendebatur sepultura Osiridis [33].

Denique ingentem sepulcrorum numerum fuisse circa Memphin diserte docet Diodorus libro primo capite nonagesimo sexto , affirmans ab eorum situ ultra lacum virentibus pratis cinctum , ortas esse Graecorum fabulas de Hade : λειμωνα δε νομιζειν και την μυθολογουμενην οικησιν των μετηλλαχοτων , τον παρα την λιμνην τοπον , την καλουμενην μεν αχερουσιαν , πλησιον δε ουσαν της μεμφεως , οντων περι αυτην λειμωνων καλλιστων , ἑλων τε λωτου και καλαμου . ακολουθως δ' ειρησθαι και το κατοικειν τους τελευτησαντας εν τουτοις τοις τοποις , δια το τας των αιγυπτιων ταφας τας πλειστας και μεγιστας ενταυθα γινεσθαι , διαπορθμευομενων μεν των νεκρων δια τε του ποταμου και της αχερουσιας λιμνης , τιθεμενων δε των σωματων εις τας ενταυθα κειμενας θηκας . συμφωνειν δε και τἀλλα τα παρα τοις ἑλλησι καθ' ᾁδου μυθολογουμενα τοις ετι νυν γινομενοις κατ' αιγυπτον . το μεν γαρ διακομιζον τα σωματα πλοιον βαριν καλεισθαι , το δ' επιβαθρον νομισμα τον οβολον τῳ πορθμει διδοσθαι , καλουμενῳ κατα την εγχωριον διαλεκτον χαρωνι . ειναι δε λεγουσι πλησιον των τοπων τουτων και σκοτιας ἑκατης ἱερον , και πυλας κωκυτου και ληθης , διειλημμενας χαλκεοις οχευσιν · υπαρχειν δε και αλλας πυλας αληθειας , και πλησιον τουτων ειδωλον ακεφαλον ἑσταναι δικης . „ Pratum et defunctorum habitationem confictam , ajunt esse locum juxta paludem , quam „ Acherusiam vocant , prope Memphin , quam prata et stagna amoenissimis cum „ loti et calami sylvis circumdant . Nec abludere , qui mortuos loca ista incolere „ fingat . Plerasque enim et maximas Aegyptiorum funerationes istic peragi , dum „ cadavera per amnem et Acherusiam paludem deportata in conditoriis illic sitis „ reponant . Caetera quoque Graecorum de inferis commenta cum his , quae etiam „ nunc fiunt in Aegypto , convenire . Nam quod cadavera transvehit navigium , Ba„ rin appellari , obolumque portitori , quem Charontem [34] indigitant , pro naulo sol-

νων τους πλειους . διο και περι της βουσιριδος ξενοκτονιας παρα τοις ἑλλησιν ενισχυσαι τον μυθον , ου του βασιλεως ονομαζομενου βουσιριδος , αλλα του οσιριδος ταφου ταυτην εχοντος την προσηγοριαν κατα την των εγχωριων διαλεκτον . „ Homines quoque ajunt ejusdem quem Ty„ phon habuit coloris antiquitus ad Oriridis „ tumulum a regibus mactatos esse . Et pauci „ sane Aegyptiorum rufi inveniuntur , sed pe„ regrinorum complures . Proinde et fabula „ de Busiridis , advenas obtruncantis saevitia „ apud Graecos invaluit : non quod rex alio„ qui Busiris vocatus , is sit ; sed tumulus Osi„ ridis vernacula lingua id nominis habuit „ .

[32] Quod ταφοσιριν vocat Plutarchus quasi ταφον οσιριδος , idem esse videtur ac ταποσειρις , quo nomina duo oppida insignita leguntur apud Strabonem lib.17. pag.1150. 1152., alterum in Libye inter Paraetonium et Alexandriam annua celebritate frequentatum , πανηγυριν δεχομενη μεγαλην , alterum dictum Taposiris parva , ἡ μικρα ταποσειρις , in Taenia quae ab Alexandria protenditur in littore usque ad ostium Canobicum . Nomen autem ad litteram significat oppidum Osiridi dicatum , nam in Coptico sermone ⲧⲁⲡⲟⲩⲥⲓⲣⲓ , vel ⲧⲁⲫⲟⲩⲥⲓⲣⲓ idem est ac ϯⲃⲁⲕⲓ-ⲛⲧⲉ- ⲡⲓⲟⲩⲥⲓⲣⲓ .

[33] Vide Herod. lib.2. cap. 170. supra adductum pag. 2. et confer cum cap.169. et Strabone lib.17. pag.1153. 1155. de quibus infra sermo erit .

[34] Ne omnia quae de Hade hoc loco disserit Diodorus , ad interpretum commenta ablegem , facit imprimis Charontis nomen , Homero ignoratum , originis autem ut videtur Aegyptiae , ac hodiernis Aegypti incolis avita traditione cognitum . Nam ϫⲁⲣⲱ Aegyptiis silentium significat , atque a taciturno mortuorum portitore etiam nunc Moeridis lacus dicitur Birk-Carun, et vetus aedificium ei adjacens Casr-Carun.

„ vi. In vicinia etiam Scotiae, id est tenebricosae, Hecates fanum, et Cocy- „ ti Lethesque portas, aeneis vectibus obstructas; et praeter has etiam Veritatis „ portas esse, quibus Justitiae absque capite simulacrum proxime adstet „.

§. X V.

Universum sepeliendi ritum apud Aegyptios exponit idem auctor capite nonagesimo secundo, ornatius quidem quam pro rei veritate ac simplicitate, ac tumida oratione usus, ut facere solet, sed quod obesse non debet, quo minus rem quam enarrare neglexerunt reliqui scriptores, eo fere modo quo ab illo traditur, peractam credamus. En verba ejus: *του δε μελλοντος θαπτεσθαι σωματος όι συγγενεις προλεγουσι την ἡμεραν της ταφης, τοις τε δικασταις, και τοις συγγενεσιν, ετι δε φιλοις του τετελευτηκοτος, και διαβεβαιουνται λεγοντες· ότι διαβαινειν μελλει την λιμνην, τὁυνομα του τετελευτηκοτος* [1]. *επειτα παραγενομενων*

Paulus Lucas *voy. en* 1714. tom.2. lib.4. p.246. 259. Pococke vol.1. lib. 1. cap. 7. pag. 61. 62. 69. Confer Diodorum lib.1. cap. 92., ubi postquam dixisset cadaver juxta ritum Aegyptium imponi consuevisse baridi, cujus proreta Charon dicebatur, statim addit: *διο και φασιν ορφεα το παλαιον εις αιγυπτον παραβαλοντα και θεασαμενον τουτο το νομιμον, μυθοποιησαι τα καθ' ᾅδου, τα μεν μιμησαμενον, τα δ' αυτον ιδιᾳ πλασαμενον*. „ Ideoque Orpheum cum pere- „ grinatus quondam in Aegyptum hunc ri- „ tum vidisset, fabulam de inferis partim imi- „ tatum, partim ex ingenio suo commen- „ tum perhibent „. De reliquis quaerere, nunc non vacat. Acherontis nomen commode quidem deduci potest ab ⲁⲭⲓ & ⲓⲁⲣⲟ, ut significet amnem algosum: sed antequam Memphin noscerent Graeci, amnesque per quos trajicebatur ab sepulcra Aegyptia, Acheron in Epiro necyomantum praestigiis inclaruisse videtur, unde factum ut poetae Acherontem adjungerent inferis. In universum enim quae in Homericis carminibus leguntur de Hade, ita similia sunt iis quae hac de re fingere sibi solent agrestium populorum maxima pars, ut plane superfluum sit ab Aegypto ea repetere: quamquam negare nolim, potuisse Aegyptios quosdam ritus sepulcrales jam ante Iliaca tempora Graecis obscure innotescere, et Graecorum inferis accommodari. Diodorus paullo ante ea quae supra adduximus, Orpheum, quem equidem nunquam fuisse arbitror cum Aristotele, Aegyptum adiisse ait, et fabulas de Hade inde attulisse: *τας των ασεβων εν ᾅδου τιμωριας και τους των ευσεβων λειμωνας και τας παρα τοις πολλοις ειδωλοποιΐας αναπεπλασμενας παρεισαγαγειν, μιμησαμενον τα περι τας ταφας τας κατ' αιγυπτον*. „ Dum poenas impiorum apud Orcum et pio- „ rum prata et pervulgata imaginum figmenta „ introducit, Aegyptiorum funerationes eum „ imitari „. Quae autem statim subdit: *τον μεν γαρ ψυχοπομπον ἑρμην κατα το παλαιον παρ' αιγυπτιοις, αναγαγοντα του απιδος το σωμα μεχρι τινος, παραδιδοναι τῳ περικειμενῳ την του κερβερου προτομην*· „ Animarum enim deducto- „ rem Mercurium, pro veteri Aegyptiorum in- „ stituto, Apidis cadaver alio usque deductum „ illi tradere, qui Cerberi larvam prae se fert „. Ista in memoriam revocant monumenta Aegyptia supra citata §.13. not.16., ubi dorso leonis sive feretro ad leonis figuram facto gestatur corpus Osiridis, cujus simulacrum Apis credebatur, adstante Anubide quem Mercurium dicebant Graeci: et suspicari faciunt hujusmodi picturas ritusque iis affines occasionem praebuisse interpretibus, ut Cerberum quaererent in Aegypto. Fieri etiam potuit ut leonina illa species, qua hic ad Nilum alludi infra adstruemus, postea transierit in symbolum omnia devorantis Orci, atque nomine appelleretur a voce ⲭⲣⲉⲙⲣⲉⲙ *murmurare*, *frendere*, derivato, nec multum distante a Graecorum *κερβερος*.

[1] Pro *τὁυνομα* scripsit Wesselingius *του νομου*, fretus auctoritate codicis regii, et vertit: *paludem ejus nomi, in quo mortuus est, transiturum*. At vulgatam lectionem merito restituit Stroth Aegypt. part. 2. pag. 190., a quo tamen in interpretatione discedere cogor. „ Di- „ cebant, ait, *transire vult lacum N. N.* ad- „ dito nomine mortui „. Sed hoc non esse videtur pro more Diodori, atque illa dictionis ubertate ac rotunditate qua plerumque usus reperitur. Ipsum lacum dictum reor *του τετελευ-*

δικαστων πλειω των τετταρακοντα, και καθισαντων επι τινος ἡμικυκλιου, κατεσκευασμενου περαν της λιμνης, ἡ μεν βαρις καθελκεται, κατεσκευασμενη προτερον υπο των ταυτην εχοντων την επιμελειαν. εφεστηκε δε ταυτη πρωρευς, ὁν αιγυπτιοι κατα την ιδιαν διαλεκτον ονομαζουσι χαρωνα. — ου μην αλλα της βαρεως εις την λιμνην καθελκυσθεισης, πριν η την λαρνακα την τον νεκρον εχουσαν εις αυτην τιθεσθαι, τῳ βουλομενῳ κατηγορειν ἁ νομος εξουσιαν διδωσιν. εαν μεν ουν τις παρελθων εγκαλεσῃ και δειξῃ βεβιωκοτα κακως, οἱ μεν κριται γνωμας αποφαινονται, το δε σωμα ειργεται της ειθισμενης ταφης· εαν δε ὁ εγκαλεσας δοξῃ μη δικαιως εγκαλειν, μεγαλοις περιπιπτει προστιμοις. ὁταν δε μηδεις υπακουσῃ κατηγορος, η παρελθων γνωσθῃ συκοφαντης υπαρχειν, ὁι μεν συγγενεις αποθεμενοι το πενθος, εγκωμιαζουσι τον τετελευτηκοτα. και περι μεν του γενους ουδεν λεγουσιν, ὡσπερ παρα τοις ἑλλησιν, υπολαμβανοντες ἁπαντας ὁμοιως ευγενεις ειναι τους κατ' αιγυπτον· την δ' εκ παιδος αγωγην και παιδειαν διελθοντες, παλιν ανδρος γεγονοτος την ευσεβειαν και δικαιοσυνην, ετι δε την εγκρατειαν και τας αλλας αρετας αυτου διεξερχονται, και παρακαλουσι τους κατω θεους συνοικον δεξασθαι τοις ευσεβεσι. το δε πληθος επευφημει, και συναποσεμνυνει την δοξαν του τετελευτηκοτος, ὡς τον αιωνα διατριβειν μελλοντος καθ' ᾁδου μετα των ευσεβων, το δε σωμα τιθεασιν, οἱ μεν ιδιους εχοντες ταφους, εν ταις αποδεδειγμεναις θηκαις· οἱς δ' ουχ υπαρχουσι ταφων κτησεις, καινον οικημα ποιουσι κατα την ιδιαν οικιαν, και προς τον ασφαλεστατον των τοιχων ορθην ἱστασι την λαρνακα. και τους κωλυομενους δε δια τας κατηγοριας, η προς δανειων υποθηκας, θαπτεσθαι, τιθεασι κατα την ιδιαν οικιαν· ὁυς υστερον ενιοτε παιδων παιδες ευπορησαντες, και των τε συμβολαιων και των εγκληματων απολυσαντες, μεγαλοπρεπους ταφης αξιουσιν. „ Sepeliendi porro cadaveris necessarii certum sepulturae diem judicibus et consanguineis atque amicis praefiniunt, et paludem, cui nomen est palus mortui, transiturum esse, certo affirmant. Inde plures quadraginta judices accedunt, habitoque in hemicyclio quodam ultra lacum consessu, navis, ab hujus negotii curatoribus prius instructa, attrahitur. Hanc autem proreta gubernat, quem sua lingua Charontem vocant. —— Deducto igitur in stagnum navigio, prius quam mortui loculus inibi deponatur, quisquis accusare velit, a lege potestatem habet. Quod si quis in medium progressus, institutam accusationem probarit, quod vitam malam egerit, lata per judices sententia, tum ab usitata cadaver sepultura arcetur. Sin accusator calumniosam intendisse actionem deprehensus sit, magnae obnoxius est poenae. Quando vero nullus se offert accusator, aut oblatus criminationis falsae convincitur: deposito cognati luctu, ad mortui laudes procedunt, et de genere quidem nihil, ut Graecorum consuetudo habet, memorant: quia omnes aeque nobiles in Aegypto esse censent. Sed ut a puero educatus et institutus, et ad virilem aetatem progressus pietatem in deos, et justitiam, itemque continentiam et alias virtutes coluerit, recensent, ac deos inferos, ut in contubernium piorum recipiatur, ob-

---

τηκοτος, et sub mortui vocabulo intelligi Osiridem, quem primum putabant inter mortuos, nominare autem non solebant hac in re, sed indigitare obscurius. Affirmabant itaque solemniter, defunctum transire velle lacum mortui, sive Osiridis. Caeterum Diodori verba eodem modo quo Strothius interpretatus est Montfauconius *ant. expl.* tom. 5. pag. 176.

„ testantes rogant. Laudes clamore secundo vulgus excipit, et magnificis simul laudibus defunctum praedicat, ut qui sempiternum cum piis aevum in Ditis regno sit peracturus. Cadavera, quibus propria sunt monumenta, in designatis ad hoc conditoriis reponunt. At qui sepulcra propria non possident, domi suae novam condunt aediculam, erectumque loculum ad firmissimum parietem statuunt. Sepultura prohibitos, vel ob intentata crimina, vel ob aeris alieni debitionem, suis in aedibus condunt. Et saepe fit in posterum, ut opibus aucti nepotes, debitis aut criminibus exsolutos, honorifica majores sepultura dignentur „.

Ista ubi accurate considero, atque cum reliquis Aegyptiorum moribus et opinionibus confero, cumque caeterorum populorum consuetudinibus, quarum hactenus comparare mihi potui notitiam, quae de sepultura Aegyptia ac de famigerato illo tribunali mortuis judicandis constituto ut existimem in animum mihi induco, haec fere sunt. Aegyptii ex antiquissimo instituto sibi cum gentibus quamplurimis communi cognata corpora domi suae custodiebant, et quae apud eos viventium erant habitationes eaedem et mortuorum conditoria. Quaevis itaque domus suum habebat penetrale mortuis reponendis aptatum, eodem fere modo quo Romanae familiae majorum imagines in atriis collocatas servabant. Quoniam vero crescente in dies cadaverum numero incommodum visum sit domi retinere, nec sufficere videretur aedium ambitus; praeterea aëris contactus corpora, qualibet cura medicata sensim corrumperet: opus fuit loca quaerere seclusa, atque ab aëre et humore immunia, quo et domus a molesto hospite liberaretur, et diuturniori cari corporis conservationi prospiceretur. Sic factum ut Aegyptii sepulcra sibi pararent in montibus atque in desertis a Nili accessu semotis, quo defunctorum corpora non statim a morte, sed ut res ferebant post tempus aliquod deportarent, utque apud eos eadem fere sepeliendorum cadaverum lex esset, quae hodie est apud Sinenses [2]. Nempe propinquorum cadavera domi servabant, quantum cuique suaderet pietas caritasque erga defunctos, et quantum sineret aedium amplitudo, interdum et inopia cogente creditoribus oppignerabant, fide data se eo invito non esse e domo elaturos. Si vero quis parentem vel consanguineum in patrium sepulcrum inferre omnino negligeret, seu oppigneratum cadaver redimere, arcebatur et ipse a sepultura, usque dum posteri pro eo satisfacerent. Hinc originem traxisse videtur judicium de mortuis sepeliendis. Nam negotium datum oppidorum praefectis ut caverent, ne pignori obligatum cadaver occultaretur, neve sepeliretur qui aes alienum hujusmodi pignore susceptum non solvisset, aut defuncto parenti justa facere omisisset: fere ut apud Romanos olim creditoribus jus erat in mortuos, ac funeris elationem foeneratore intercedente dilatam legimus, quae consuetudo licet a legibus proscripta tamen usque ad Sancti Ambrosii aetatem perduravit [3]. Apud Aegyptios vero ampliata deinceps judi-

---

[2] Apud Sinenses, ait Navarette in *hist. génér. des voyages* tom.6. pag. 156., mortuorum corpora servat quisque pro arbitrio, et sunt qui ad pietatem erga parentes demonstrandam ad annos usque tres quatuorve domi habent. Postremo tamen corpus sepelire jubet consuetudo, ac si quis patris cadaver avito sepulcro inferre neglexisset, improbus haberetur, nec nomen ejus in majorum album inferri liceret.

[3] S. Ambrosius cap. 10. in Tobiam: „ Quoties vidi a foeneratoribus teneri defunctos „ pro pignore, et negari tumulum, dum foenus exposcitur! „. Vide Kirchman. de funer. Roman. lib.2. cap.1. pag.104. De sepulcris pignori obligatis vide eundem l.3. c.22. p.437.

cum pot estate, etiam de acta vita ac de probitate defuncti hominis quaeri coepit: et in iis locis ubi maxima erat sepulcrorum frequentia, ut circa Abydum et Memphin, spectatae integritatis viri ad hoc ipsum deputati fuerunt publico consilio, qui pronuntiarent de mortuo; essetne a scelere purus, ac dignus qui solemni ritu sacris cryptis inferretur; quibus abnuentibus non nisi domestica sepultura condi licebat. Quin et ipsorum regum funeratio publico judicio subjecta fuisse traditur, ac reges, licet filio in patris locum succedente, sepulcro exclusos legimus [4]. Qui autem a sepulcro prohibitus esset, idem ab Osiridis dominio et avorum quieta republica, Graecorum Elysio aequiparanda, exulare jubebatur, ac inter vivos ipse mortuus degere cogebatur.

Eos vero homines, qui vel a crocodilis rapti fuissent vel in Nili fluentis periissent, nullo habito discrimine, utpote sacros creditos atque diis acceptos, ipsi sacerdotes curabant et in sacris conditoriis sepeliebant. Herodotus libri secundi capite nonagesimo: ὃς δ' αυ η αυτων αιγυπτιων η ξεινων ὁμοιως υπο κροκοδειλου ἁρπαχθεις, η υπ' αυτου του ποταμου φαινηται τεθνηως, κατ' ἣν αν πο-

---

4 Diodorus lib. 1. cap. 72: και τα μετα την τελευτην δε γινομενα των βασιλεων παρ' αιγυπτιοις, ου μικραν αποδειξιν ειχε της του πληθους ευνοιας εις τους ἡγουμενους. εις ανεπαισθητον γαρ χαριν ἡ τιμη τιθεμενη, μαρτυριαν απεριγραπτον (al. ανοθευτον) περιειχε της αληθειας. ὁποτε γαρ εκλειποι τις τον βιον των βασιλεων, παντες οἱ κατα την αιγυπτον κοινον ανηρουντο πενθος, και τας μεν εσθητας κατερρηττοντο, τα δ' ἱερα συνεκλειον, και τας θυσιας (al. αγορας) επειχον. και τας ἑορτας ουκ ἠγον, εφ' ἡμερας ἑβδομηκοντα και δυο. —— εν δε τουτω τω χρονω τα προς την ταφην λαμπρως ἑτοιμασμενοι, και τῃ τελευταιᾳ των ἡμερων θεντες την το σωμα εχουσαν λαρνακα προ της εις τον ταφον εισοδου, προετιθεσαν κατα νομον τω τετελευτηκοτι κριτηριον των εν τω βιω πραχθεντων. δοθεισης δ' εξουσιας τω βουλομενω κατηγορειν, οἱ μεν ἱερεις ενεκωμιαζον, εκαστα των καλως αυτω πραχθεντων διεξιοντες, αἱ δε προς την εκφοραν συνηγμεναι μυριαδες των οχλων ακουουσαι συνεπευφημουν, ει τυχοι καλως βεβιωκως· ει δε μη, τουναντιον εθορυβουν. και πολλοι των βασιλεων δια την του πληθους εναντιωσιν απεστερηθησαν της εμφανους και νομιμου ταφης. διο και συνεβαινε τους την βασιλειαν διαδεχομενους, ου μονον δια τας αρτι ρηθεισας αιτιας, δικαιοπραγειν, αλλα και δια τον φοβον της μετα την τελευτην εσομενης υβρεως τε του σωματος και βλασφημιας εις ἁπαντα τον αιωνα. ,, Certe quae post obitum Aegyptii regibus suis praestiterunt, non exiguam benevolentiae civium erga magistratum declarationem habebant. Honos enim in gratiam beneficii a sensu remotam collatus, non falsidicum veritati testimonium perhibebat. Nam post regum cujuspiam e vita excessum omnes per Aegyptum luctu communi suscepto, lacerare vestes, sacras aedes claudere, sacrificia inhibere, nec festa celebrare per septuaginta duo dies solebant. — Interea necessariis ad funerationem magnifice praeparatis, et dierum ultimo cadaveris arca in vestibulo sepulcri exposita, de legis praescripto, in honorem defuncti, gestorum ab eo in vita dijudicationem instituerunt; ubi si quis accusare vellet, liberam habebat potestatem. Laudes autem regis peregerunt sacerdotes, unumquodque praeclarum ejus facinus recensentes. Et multa hominum millia ad funeris deductionem congregata, si vitam bene peregisset, audita rumore secundo prosequebantur. Sin vero secus, obstrepebant. Multi itaque reges, ob plebis refragationem, conspicua et solemni funerationis pompa caruere. Quo effectum, ut reges posteri non solum ob causas supra dictas, verum etiam quod contumeliosam a morte corporis tractationem et sempiternum ignominiae dedecus metuerent, justis actionibus studerent,,. Itaque regum corpora, utpote quae sacra et publici juris essent, non domi servabantur a filiis, sed statim a conditura monumento inferebantur. Narrat idem auctor cap. 72., Chemmin et Cephrenem, qui duas illas maximas pyramides pro sepultura sibi aedificaverant, vetante populo ab iis fuisse exclusos. Sed mirum, hoc si Chemmi accidisset, Cephrenem non destitisse ab opere; quemadmodum et in universum quae apud Herodotum aliosque leguntur de infamiae nota harum pyramidum conditoribus inussa, non satis videntur credibilia, advertenti tot alias pyramides exstare in Aegypto, in quibus nonnullae praefatis illis non multo reperiuntur minores.

λιν εξενειχθη, τουτους πασα αναγκη εστι ταριχευσαντάς αυτον, και περιστειλαντας ὡς καλλιστα, θαψαι εν ἱρησι θηκησι. ουδε ψαυσαι εξεστι αυτου αλλον ουδενα, ουτε των προσηκοντων ουτε των φιλων, αλλα μιν οἱ ἱρεες αυτοι οἱ του νειλου, ἁτε πλεον τι η ανθρωπου νεκρον, χειραπταζοντες θαπτουσι. „ Quisquis „ vel ipsorum Aegyptiorum vel externorum deprehendatur sive a crocodilo raptus, „ sive ab ipso flumine mortuus, necessarium prorsus est ei civitati, ad quam „ ejectus est, condire et quam honestissime componentes sepelire in sacris loculis; quem ne contingere quidem fas est alteri aut propinquorum aut amicorum, „ sed eum ipsi Nili sacerdotes, utpote majus quiddam quam hominis cadaver, „ manibus tractantes sepeliunt „ [5]. Quam legem eum in finem sanxisse videntur sapientes in Aegypto, ut alacriores essent homines ad fluvium frequentandum, et hortos ei adjacentes colendos, nec ullum vel a fluctibus vel a belluis periculum reformidarent. Eamque fuisse accepimus plebis persuasionem, ut vel matres beatos praedicarent filios suos, ubi a crocodilis essent vorati [6].

§. XVI.

Sed hujus loci est diligentius quaerere de Aegyptiorum doctrina de statu animae post mortem, in qua varia occurrunt, quae primo obtutu dissentire nec facili negotio conciliari posse videntur. Nam et de inferis loquuntur scriptores veteres, ubi Osiris umbris imperare credebatur, et de anima post obitum manente cum cadavere, et de transitu ejus in recentia corpora: quae singula nisi ex Agyptiorum mente sint explicata, sibi invicem obsunt ac alterum ab altero destruuntur [1]. Mitto recentiores qui corporis resurrectionem Aegyptiis creditam fuisse arbitrantur, de qua apud antiquos auctores nihil invenio [2]; sed ipsi quoque

[5] Sic Graeci a fulmine tactos sacros existimabant, neque una cum aliis cadaveribus cremari fas putabant. Euripides in Suppl. v. *936*:

τον μεν διος πληγεντα καπανεα πυρι·
η χωρις, ἱερον ὡς νεκρον, θαψαι θελεις;
ναι· τους δε γ' αλλους παντας εν μιᾳ πυρᾳ.

Adrastus: „ Capaneum Jovis igne percussum—„ *Theseus*: „ Num seorsim, ut sacrum cadaver, „ sepelire cupis „? *Adr*: „ Utique: reliquos „ quidem omnes in uno rogo „. In septentrionali autem America qui aut in aqua aut in nive pereunt, peculiari ritu ac miris caerimoniis sepeliuntur. Lafitau tom. 2. pag. 420.

[6] Aelianus de anim. hist. lib. 10. cap. 21: *τους κροκοδειλους αιγυπτιων ὁι μεν σεβουσιν, ὡς ομβιται, και οἱα ἡμεις τους θεους τους ολυμπιους αγομεν θαυμαστους, τοιαυτα και εκεινους εκεινοι· και των τεκνων αυτοις εξαρπαζομενων πολλακις, ὁιδε υπερηδονται, και ἁιγε μητερες των δειλαιων γαννυνται και σεμναι περιιασιν, οἱα δη που τεκουσαι θεῳ βοραν και δειπνον.* „ Crocodilorum „ colentes Ombitae, Aegypti populus, sic „ hos venerantur quemadmodum nos deos O„ lympios colimus. A crocodilis suos liberos „ rapi, quod saepe contingit, gaudent; et „ matres miserorum infantum ex eo magnam „ laetitiam voluptatemque capiunt, et simul „ magnifice et ample de se sentiunt, quae ni„ mirum deo cibaria pepererint „. Conf. Maxim. Tyr. dissert. 8. cap. 5., et Josephum contra Apionem lib. 2. cap. 7. opp. tom. 2. pag. 475. juxta veterem interpretem: „ Nos itaque asi„ nis neque honorem neque potestatem aliquam „ damus, sicut Aegyptii crocodilis et aspidi„ bus: quando eos qui ab istis mordentur, et „ a crocodilis rapiuntur, felices et deo dignos „ arbitrantur „.

[1] Inde factum, ut inter hodiernos nonnulli duas hac de re opiniones, e regione oppositas, in Aegypto olim obtinuisse arbitrentur; alii, in quibus est Pauwius, rejecto Herodoti, ut fabulosi scriptoris, testimonio, metempsychosin in veteri Aegypto unquam auditam fuisse negent. V. *Recherches philos. sur les Egyptiens et les Chinois* tom. 2. pag. 199.

[2] Tacitus quidem histor. lib. 5. cap. 5. de Judaeis disserens inquit: „ Corpora condere „ quam cremare, e more Aegyptio: eadem„ que cura et de inferis persuasio „. Sed is nec Judaeorum nec Aegyptiorum res ita perspectas habuit, ut eum hoc loco de resurrectione mortuorum cogitasse putem. Jam inde negli-

veteres interdum confuderunt metempsychosin Aegyptiam cum ea quam docuerunt Graeci philosophi nonnulli, quae licet derivata esset ab Aegyptiorum sacerdotum placitis, tamen in Graecia novis formis fuerat donata, atque in variis scholis diversimode tradebatur.

Omnium accuratissime, quamquam satis succincte, hac de re scripsisse mihi videtur Herodotus, cujus verba e libri secundi capite vicesimo tertio supra centesimum haec sunt: αρχηγετευειν δε των κατω αιγυπτιοι λεγουσι δημητρα και διονυσον. πρωτοι δε και τονδε τον λογον αιγυπτιοι εισι ὁι ειποντες, ὡς ανθρωπου ψυχη αθανατος εστι· του σωματος δε καταφθινοντος, ες αλλο ζωον αιει γινομενον εσδυεται· επεαν δε περιελθη παντα τα χερσαια και τα θαλασσια και τα πετεινα, αυτις ες ανθρωπου σωμα γινομενον εσδυνειν· την περιηλυσιν δε αυτη γινεσθαι εν τρισχιλιοισι ετεσι. τουτῳ τῳ λογῳ εισι ὁι ἑλληνων εχρησαντο, ὁι μεν προτερον, ὁι δε υστερον, ὡς ιδιῳ ἑωυτων εοντι· των εγω ειδως τα ουνοματα, ου γραφω. „ Inferorum principatum tenere Cererem et Liberum Aegyptii ajunt. Hi denique „ primi exstiterunt qui dicerent, animam hominis esse immortalem; sed exole- „ scente corpore subinde in aliud animal, quod assidue nascitur, immigrare; „ atque ubi per omnia se circumtulisset, terrestria, marina, volucria, rursus „ in hominis corpus, quod gigneretur, introire; atque hunc ab ea circuitum „ fieri intra annorum tria millia. Hanc rationem sunt e Graecis qui usurpaverint „ velut propriam ipsorum, alii prius, alii posterius; quorum ego nomina sciens „ non scribo „.

Itaque, quod omnibus in voto est, et quod sedulo quaesiverunt omnium gentium philosophi, animam esse immortalem nec ullo unquam modo perituram, disertius saltem docuere sacerdotes Aegyptii, quam Graecorum sapientes aut caeterorum populorum qui innotuerunt Herodoto. Manere autem post mortem cum corpore, ac cum eo descendere ad inferos, quibus Isis et Osiris praeesse credebantur [3], ibique una requiescere ab actae vitae aerumnis et laboribus, aevum ducentem apud inferos eo beatius quo quisque vitam inter mortales diis gesserat acceptiorem: usque dum corpus vetustate fractum et corruptum concideret, desineretque habitaculum praebere animae. Tunc illam relictis cineribus iterum reverti ab inferis ad nova corpora animanda, et initio facto ab infimis animalium generibus ad nobiliora pergere, donec ter mille annorum circuitu peragratis quaecunque sunt animatae naturae species, denuo in humanam formam rediret [4]. Has vero

---

gentiae arguitur quod Aegyptiorum ritus sepulcrales comparet cum Judaeorum moribus, qui cadaver quidem aromatibus et unguentis delibutum, linteis fasciis obligare consueverunt, at nullo pacto extenuare atque desiccare, quod Aegyptiae conditurae princeps munus erat. Vide Evang. S. Joann. cap.11. v.39. cap.19. v.39. Kirchmann. lib.1. cap.8. pag. 50.

[3] Quos δημητρα et διονυσον vocat Herodotus, Aegyptiis dictos fuisse Isin et Osirin, constat ex ipsius verbis lib.2. cap.59: ισις δε εστι κατα την ἑλληνων γλωσσαν δημητηρ. „ Isis Graecorum lingua Ceres est „: et c. 42: πλην ισιος τε και οσιριος, τον δη διονυσον ειναι λεγουσιν. „ Praeter Isin et Osirin, quem Bacchum esse „ ajunt „.

[4] Ab animarum itu ac reditu ansam accepisse videntur interpretes illi apud Plutarchum *de Isid.* pag.431. opp. tom. 2. pag.562., qui vocabulum ⲁⲙⲉⲛϯ reddunt τον λαμβανοντα και διδοντα, quasi compositum fuisset ex ⲁⲙⲉ *accipere* et ϯ *dare*, mediante vocula ⲛ, quae saepe *et* significat: και παρ' αιγυπτιοις αλλα τε πολλα των ονοματων λογοι εισι, και τον υποχθονιον τοπον, εις ὁν οιονται τας ψυχας απερχεσθαι μετα την τελευτην, ἀμενθην καλουσι, σημαινοντος του ονοματος τον λαμβανοντα και διδοντα. „ Apud Aegyptios cum multa alia no- „ mina rationem habent: tum subterraneum „ ii locum, in quem putant a morte animas

migrationes utrum certo aliquo gyrorum ac redituum numero definiverint, an in aeternum renovandas crediderint tuto indicio unde arguamus destituimur. Illud tamen sibi habuisse persuasum, qui in tribus migrationibus perfecte justi inventi fuissent, reliquum aevum beate duraturos esse cum Osiride, nec amplius in nova corpora reversuros, suspicari facit Pindarus Olympicorum oda prima[5], quem Aegyptias doctrinas Graecorum ingenio accomodatas tradidisse, credere suadet Rhadamanthi vocabulum, epitheton ut videtur Osiridis, ac latine reddendum princeps inferorum:

„ ferri, Amenthen vocant, quod vocabuli si„ gnificat accipientem et dantem „. Quod quidem sequioris aevi argutiis accensendum esse reor; cum dubio carere videtur ⲁⲙⲉⲛϯ dici ab ⲉⲙⲉⲛⲧ *occidens*, *occasus*, ut supra monuimus.

[5] Vers. 124. ubi consule scholiasten. Videtur autem totus ille mythus de Elysio seu beatorum insula, a Graeca inferorum fabula omnino sejunctus, licet sequius cum ea in unum consertus, Aegyptiae esse originis: ideoque poeta in Odysseae Δ. vers. 560. inducit Proteum Aegyptium, docentem sublata morte in Elysium transferri qui a diis essent dilecti:

σοι δ' ου θεσφατον εστι, διοτρεφες ω μενελαε,
αργει εν ἱπποβοτῳ θανεειν και ποτμον επισπειν·
αλλα σ' ες ηλυσιον πεδιον και πειρατα γαιης
αθανατοι πεμψουσιν, ὁθι ξανθος ραδαμανθυς.
τῃ περ ρηιστη βιοτη πελει ανθρωποισιν.
ου νιφετος, ουτ' αρ χειμων πολυς, ουτε ποτ' ομβρος,
αλλ' αιει ζεφυροιο λιγυπνειοντας αητας
ωκεανος ανιησιν, αναψυχειν ανθρωπους·
ὁυνεκ' εχεις ἑλενην, και σφιν γαμβρος διος εσσι.

„ Tibi vero non a fato decretum est Jovis „ alumne o Menelae, in Argo equos pascente „ mori et fatum obire: sed te in Elysium cam„ pum et fines terrae immortales mittent, ubi „ flavus Rhadamanthus est. Ubi utique facil„ lima vivendi ratio est hominibus: non nix, „ neque hyems multa, neque umquam imber, „ sed zephyri argute spirantes auras oceanus „ emittit, ad refrigerandum homines. Quia „ habes Helenam, et ipsis Jovis gener es „. Rhadamanthi nomen genus ducere ab Aegyptio ⲁⲙⲉⲛϯ *inferi*, adverterunt viri docti, quemadmodum et apud Etruscos *Mantus* Ditem patrem significare notavit Servius ad aen. lib. 10. v. 198., et vates *μαντεις* dicti videntur, quod inferos ciere et cum mortuis conversari crederentur. Sed de syllaba initiali *ραδ* non aeque liquet, quam tamen haud incommode referri posse existimo ad ⲣⲏⲧ, *oriri*, *germinare*, ut ⲣⲁⲧ, quod alias *radicem*, *basin* significat, *principium* quoque et *principem* denotet: unde fortassis Hebraicum רדה *dominari*. Esse autem epitheton Osiridis, haec praeterea mihi sunt indicia, quod modo Saturni filius dicitur Rhadamanthus, modo Jovis, modo Vulcani, eodem pacto quo magnus ille Aegyptiorum deus, a quo Osiridem genitum praedicabant, Graecis jam Jupiter, jam Vulcanus, jam Saturnus est: atque quod in reliquis Graecorum fabulis et genealogiis vix aliqua ejus ratio habita invenitur. Pindar. loc. cit. Iliad. Ξ. vers. 321. Pausan. lib. 8. cap. 53. Meum hic non est exsequi Cretensem fabulam, hoc saltem monere lubet Minoa et Rhadamanthum fratres, alterum videri Mena Aegyptium, alterum Osiridem, reges viventium et defunctorum. Illud vero praecipue tenendum, morte descendi ad Haden, ad Rhadamanthum autem fine morte fieri transitum: quoniam Aegyptiis vitae exitus non interitus putaretur, red migratio. Sic apud Euripidem in Bacchis vers. 1336. Cadmum alloquitur Dionysus:

σε δ' αρης ἁρμονιαν τε ρυσεται
μακαρων τ' ες αιαν σον καθιδρυσει βιον.

„ Te vero Mars et Harmoniam servabit „ in„ que beatorum terra tuam collocabit vitam „. Sic Callistratus in scolio apud Brunckium anal. tom. I. pag. 155:

φιλταθ' ἁρμοδι', ου τι που τεθνηκας·
νησοις δ' εν μακαρων σε φασιν ειναι,
ἱνα περ ποδωκης αχιλευς,
τυδειδην τε φασιν διομηδεα.

„ Dilecte Harmodi, nequaquam tu es mortuus: „ sed in beatorum insulis te esse ajunt, ubi ve„ lox Achilles, ubi ajunt esse Tydidem Dio-

οσοι δ' ετολμασαν ες τρις
εκατερωθι μειναντες,
απο παμπαν αδικων εχειν
ψυχαν, ετειλαν διος
οδον παρα κρονου τυρ-
σιν· ενθα μακαρων
νασον ωκεανιδες
αυραι περιπνεουσιν· αν-
θεμα δε χρυσου φλεγει,
τα μεν χερσοθεν, απ' α-
γλαων δενδρεων,
υδωρ δ' αλλα φερβει·
ορμοισι των χερας ανα-
πλεκοντι και στεφανοις,
βουλαις εν ορθαις ραδαμανθυος·

„ medem „. Nam quod Odysseae auctor soli tribuit Jovis genero, id caeteri fere poetae cunctis heroibus concesserunt. Hesiodus in *εργοις* vers. 167. de iis qui in bellis Thebano et Trojano occubuerant:

τοις δε διχ' ανθρωπων βιοτον και ηθε' οπασσας,
ζευς κρονιδης κατενασσε πατηρ ες πειρατα γαιης,
τηλου απ' αθανατων· τοισι κρονος εμβασιλευει.
και τοι μεν ναιουσιν ακηδεα θυμον εχοντες
εν μακαρων νησοισι παρ' ωκεανον βαθυδινην,
ολβιοι ἡρωες, τοισιν μελινδεα καρπον
τρις ετεος θαλλοντα φερει ζειδωρος αρουρα.

Pariter Pindarus olymp. od.2. v.142, Peleum et Cadmum et Achillem in beatorum insula collocat: sunt et qui Achillem ibi Medeam uxorem duxisse fabulantur, seu ut aliis placet Helenam, ac filium genuisse. Apollon. argon. lib.4. v.811. Schol. Lycophr. vers.174. Ptolem. Hephaest. narr. 4. Alcmenam autem morte correptam Mercurius a Jove missus e feretro ablatam in beatorum insulas deduxisse, ac Rhadamantho in matrimonium tradidisse fertur, lapide pro ea relicto in capulo. Anton. Liber. n. 33. Itaque quoniam in Elysio heroes viventium instar aevum degerent, id loci non ut Haden sub terra collocandum censuerunt plerique, sed in ultima habitabilis orbis regione ad occasum; et serio quaesitum est a geographis, quae essent fortunatorum insulae. Herodoto sunt Oases Aegypti, aliis aliae, denique adhaesit nomen Canariis, quae ultimae ad occidentalem plagam insulae veteribus innotuerunt. Herod. lib.3. cap.26. Strab. lib.1. pag. 5. lib.3. p. 223. Plin. lib.4. cap.22. lib. 5. cap. 32. Mela lib. 2. cap.9. 17. S. Isid. orig. lib. 14. cap. 6. Ptolem. geogr. lib. 4. cap. 6. Apion apud Eustathium in Odyss. Δ. pag. 1509. circa Canopum et Zephyrium ponit Elysium, nomine satis jejune derivato *απο της του νειλου ιλυος*. Etymon si quaerimus minus incongruum, Aegyptia lingua offert vocem ϩⲁⲗ seu ϩⲉⲗⲉⲗ *nitor*, *splendor*, juxta Pindaricum illud *ανθεμα δε χρυσου φλεγει*. Sed hoc in transitu. Poetae inprimis Latini Elysium adjunxerunt Inferis, perque Avernum petere docuerunt „ amoena vireta „ fortunatorum nemorum sedesque beatas „; et Rhadamantho successorem dedere Plutonem. Virgil. Aen. l. 5. v.731. l.6. v. 540. 637. Statius silv. l.2. n.1. v.204. Claud. de rapt. Proserp. l.2. v. 272. Platonici nonnulli in octava sphaera collocarunt campos Elysios. Macrob. in somn. Scip. lib.1. cap. 11. Vide praeterea Eurip. in Helen. v. 1695. Platon. in Gorgia opp. tom. 1. pag. 523. 526. in conviv. tom. 3. pag. 179. Aeschin. dial.3. pag. 112. Demosth. in epitaph. pag.246. Apollod. lib. 3. cap.5. Diodor. lib. 5. cap. 82. Lycophr. et schol. v.1189. Joseph. de bell. Jud. lib.2. cap.12. Porphyr. apud Stob. ecl. lib.1. cap. 40. pag. 142. Lucian. de luct. §. 7. encom. Demosth. §. 50. tom. 2. pag. 925. tom. 3. pag. 527. Apul. metam. lib.11. p. 366. Hegesipp. apud Brunk. anal. tom.1. p.255. n.7. Schol. Odyss. Δ. v. 563. Η. v. 324. Serv. ad Aen. lib.5. v.737. lib. 6. v. 640. Suid. Hesych. et Etymol. v. *ηλυσιον* et *μακαρων νησοι*. Eudoc. viol. pag.219. Inscript. apud Gruterum p. 705. num. 1. pag. 1035. num. 12.

ὀν πατηρ εχει κρονος ἑτοι-
μον αυτῳ παρεδρον,
ποσις ὁ παντων ρεας
υπερτατον εχοισας θρονον.

„ Quicunque vero sustinuerunt in tertiam vicem alterutribi manentes, ab injustis omnino abstinere animam, illi perfecere Jovis viam ad Saturni propugnaculum. Ubi beatorum insulam oceanitides aurae perspirant: floresque aurei ardent, alii a terra, a pulcris arboribus alii, aqua autem alios alit: e quibus factis monilibus manus implicant et coronis capita, decretis in rectis Rhadamanthi, quem pater habet Saturnus idoneum sibi assessorem, maritus Rheae omnium supremam habentis sedem „ [5] *. Quibus fere consona sunt, quae in Phaedro tradit Plato [6], animam quae ter elegerit terque sine dolo vixerit vitam philosophi, post trium millium annorum spatium ad deos, a quibus olim profecta, esse reversuram; caeteras autem animas per annorum myriadem omnimoda corpora induere, antequam ad deos reditus concedatur.

Jure etiam affirmasse existimo Herodotum, Graecorum sapientes ab Aegyptiis mutuatos esse metempsychosin [7], cujus ante Pherecydem et Pythagoram in

---

[5] * Pindarus olym. oda 2. vers. 123. sqq. Supra p. 296. festinatione lapsus scripsi od. 1. vers. 124.

[6] Opp. tom. 3. pag. 249.

[7] Assentiunt Diodorus lib. 1. cap. 98: πυθαγοραν την εις παν ζωον της ψυχης μεταβολην μαθειν παρ᾽ αιγυπτιων. „ Pythagoram animae „ in quodvis animal translationem, ab Aegy„ ptiis accepisse „: et Clemens strom. lib. 6. cap. 4. pag. 757.: τους αριστους των φιλοσοφων παρα των βαρβαρων απηνθισθαι των εις ἑκαστην ἁιρεσιν συντεινοντων τινα, μαλιστα δε αιγυπτιων τα τε αλλα και το περι την μετενσωματωσιν της ψυχης δογμα. „ Philosophorum optimos a bar„ baris quaedam decerpsisse quae ad unam„ quamque conferant sectam, maxime autem „ ab Aegyptiis cum alia tum dogma de migra„ tione animae in corpora „. Quibus jungendus incertus auctor, qui Damascius esse videtur apud Suidam v. ἱερατικη. Primum vero hujus opinionis assertorem inter Graecos universa fere antiquitas agnoscit Pythagoram, quem diu in Aegypto versatum esse cum sacerdotibus res est qua nulla notior. Maximus Tyrius dissert. 16. cap. 2. πυθαγορας ὁ σαμιος πρωτος εν τοις ἑλλησιν ετολμησεν ειπειν, ὁτι ἁυτῳ το μεν σωμα τεθνηξεται, ἡ δε ψυχη αναπτασα οιχησεται αθανης και αγηρως· και γαρ ειναι αυτην, πριν ἡκειν δευρο. επιστευον δε αυτῳ ὁι ανθρωποι ταυτα λεγοντι, και ὁτι ηδη προτερον γενοιτο εν γῃ εν αλλῳ σωματι, ευφορβος δε ειναι ὁ τρως τοτε. „ Primus Pythagoras Samius „ inter Graecos dicere ausus est, interiturum „ esse corpus suum, animam vero mortis se„ niique immunem, evolaturam esse; prius„ quam enim huc veniret exstitisse olim. Cre„ diderunt vero ei homines haec dicenti, et „ quod jam olim corpore alio in terra vixisset; „ tunc Euphorbus Trojanus „. Diogenes Laërtius lib. 8. cap. 14. de Pythagora: πρωτον φασι τουτον αποφηναι την ψυχην κυκλον αναγκης αμειβουσαν αλλοτε αλλοις ενδεισθαι ζωοις. „ Primum „ hunc sensisse ajunt animam circulum neces„ sitatis immutantem aliis alias illigari animan„ tibus „. Porphyrius de vita Pythagorae c. 19: ἁ μεν ουν ελεγε τοις συνουσιν, ουδε εις εχει φρασαι βεβαιως· και γαρ ουδ᾽ ἡ τυχουσα ην παρ᾽ αυτοις σιωπη. μαλιστα μεντοι γνωριμα παρα πασιν εγενετο· πρωτον μεν ὡς αθανατον ειναι φησι την ψυχην· ειτα μεταβαλλουσαν εις αλλα γενη ζωων· προς δε τουτοις, ὁτι κατα περιοδους τινας τα γινομενα ποτε παλιν γινεται, νεον δ᾽ ουδεν ἁπλως εστι· και ὁτι παντα τα γινομενα εμψυχα ὁμογενη δει νομιζειν. φαινεται γαρ εις την ἑλλαδα τα δογματα πρωτος κομισαι ταυτα πυθαγορας. „ Caeterum quid auditoribus suis tradiderit, nemo „ certo affirmare potest. Magnum enim et ac„ curatum inter eos servabatur silentium. Sed „ haec apud omnes pervulgata sunt: pri„ mo quidem quod animam immortalem es„ se affirmaverit: deinde diversa eam ani„ mantium genera subire: ad haec post certos „ temporum circuitus idem quod olim fuerat „ rursus fieri, et nihil omnino novum exsiste„ re: et animata omnia cognata inter se ejus„ demque generis existimanda esse. Primus „ enim omnium Pythagoras haec dogmata in „ Graeciam intulisse videtur „. Ad quem locum consule Holstenium et Rittershusium.

hac gente nullum occurrit vestigium : eandemque opinionem ex Aegypto pariter ad orientales populos , apud quos hodie viget , propagatam fuisse , a veri specie non videtur alienum [8] . Sed illud miratus sum aliquando et mecum reputavi ,

Confer praeterea Ovidium metam. lib.15. vers. 162. et Senecam epist.108. Sed jam Pherecyden de metempsychosi disputasse , *πρωτον τον περι της μετεμψυχωσεως λογον εισηγησασθαι*, affirmant Hesychius et Suidas v. *φερεκυδης* , nescio quem veterem auctorem secuti . Fortasse autem id intelligendum est de fabula Aethalidae, praeconis Argonautarum , cui juxta Apollonium argon. lib. 1. vers. 643. pater fuit Mercurius ,

ὅς οἱ μνηστιν πορε παντων
αφθιτον. ουδ᾽ ετι νυν περ αποιχομενου αχεροντος
δινας απροφατους ψυχην επιδεδρομε ληθη·
αλλ᾽ ἡγ᾽ εμπεδον αιεν αμειβομενη μεμορηται,
αλλοθ᾽ υποχθονιοις εναριθμιος , αλλοτ᾽ ες αυγας
ηελιου ζωοισι μετ᾽ ανδρασιν .

„ Qui ipsi omnium donarat memoriam indelebilem , ut ne nunc quidem absorpto Acherontis indeprecabili ingluvie Lethe incurset animam . Quocirca attributum ipsi est , ut stato semper jure alternans interdum agat in inferorum turba , modo ad jubar solis inter homines vivos „ . Ubi scholiastes : *φερεκυδης φησι , ὁτι δωρον ειχε παρα του ἑρμου ὁ αιθαλιδης , το την ψυχην αυτου ποτε μενειν ἁδου , ποτε δε εν τοις υπερ την γην τοποις ειναι .* „ Pherecydes „ ait , Aethaliden donum accepisse a Mercurio , ut anima ejus modo esset apud inferos , modo in locis quae supra terram sunt „ . Quod licet a metempsychosi Pythagorica aeque distet ac fabula Castorum , tamen hoc pacto cum ea connexum apparet , quod nonnulli Pythagorae animam aliquando in Aethalide habitasse dixerunt, ut idem scholiastes adnotavit . Longe autem a vero abesse videntur , qui Pythagoram ajunt doctrinam illam ex Homericis carminibus hausisse . Schol. Villoiss. ad Iliad. Π. v.857. Eustath. ad. Odyss. Σ. pag. 1836.

[8] Ea quae per superioris Asiae regiones late diffusa est de animarum migratione opinio , quo tempore aut quibus auctoribus in illo tractu credi coeperit , cum plane incertum sit , ea mihi quidem probabilior videtur sententia , Persarum Magos post Aegyptum Achaemenidum imperio adjectam , Aegyptiam doctrinam de anima cum patriis placitis in unum contulisse , atque inde sensim orta esse hodierna dogmata Lamarum , Brachmanum , Talapoinorum et quae aliae sunt sectae Asianae . Magos enim subditarum gentium opiniones adsciscere et suis ritibus accommodare consuevisse , patet e Persicae religionis vicissitudinibus , quae effecere ut pro varia temporum ratione plane appareat alia . Inprimis multa receperunt ab Aegyptiis , fidem faciente monumentis Persicis quae aevum tulere , et consentientibus veterum scriptorum locis , quae ad examen revocare nunc non vacat . Indorum porro philosophos Magorum discipulos putare , non tam suadet Clearchus apud Diog. Laërt. lib. 1. cap. 9. , qui hac super re nil certi rescivisse videtur , quam in universum ea quae de Indicis rebus comperimus e libris veterum . Sunt quidem et scriptores , qui Magos asserunt Brachmanum discipulos : (Ammian. Marc. lib. 23. cap. 6. pag. 288.) at in gentis historia Europaeis nullo tempore probe cognitae „ quidlibet audendi semper fuit aequa „ potestas „ . Magi in plures sectas divisi , pars metempsychosin docuerunt animarumque in brutorum corpora migrationes , pars credidere homines esse revicturos et fore immortales . Vide Symbulum apud Porphyr. de abstin. lib. 4. pag. 399. ac Theopompum et Eudemum apud Diog. Laert. lib.1. cap.9. De Indicis philosophis retulit Megasthenes apud Strab. lib.15. pag.1039. tradere eos hac vita hominem tantum concipi , morte autem nasci ad veram et felicem vitam ; texere praeterea fabulas quasdam , ad modum Platonis , de immortalitate animae et de judiciis quae apud inferos fiunt . Hoc idem esse videtur quod palingenesiam appellat , atque ab Indis creditam affirmat Alexander Polyhistor apud Clement. strom. lib. 3. cap. 7. pag.539. Minime vero audiendum reor Apuleium florid. lib. 2. num. 15. dum „ quot „ vices vitae sint , quae diis manibus tormenta „ vel praemia „ a Brachmanis accepisse ait Pythagoram , cujus aetate Brachmanum ne nomen quidem auditum fuerat in Graecia . Persarum quidem Magos adiisse videtur , licet illa aetate non sapientia claros , sed incantationibus et praestigiis . Herod. lib. 1. cap. 132. lib. 7. c.113, Plin. lib.30. c.1. Verum et has adhibuisse ferunt Pythagoram , atque inde forsan fama increbuit , ut Magorum consuetudine usus putaretur . Nec multum tribuendum Pausaniae , auctori in hac re nimis recenti , ubi lib. 4. c. 32. p.360. inquit : *εγω χαλδαιους και ινδων τους μαγους πρωτους οιδα ειποντας , ὡς αθανατος εστιν ανθρωπου ψυχη · και σφισι και ἑλληνων αλλοι τε επεισθησαν και ουχ ἡκιστα πλατων ὁ αριστωνος .*

qui factum ut veteres auctores humanae animae immortalitatem in Graecia primum assertam scripserint a philosophis, qui ex Aegyptiis fontibus hauserant, Thalete, Pherecyde, Pythagora [9]: cum ex Homericis carminibus pateat jam eo tempore Graecis vulgo persuasum fuisse, manere animam post corpus morti ac sepulturae traditum. Verum ubi rem expendo maturius, illud interesse videtur, quod apud veteres Graecos nulla certa esset atque recepta persuasio de animae natura ac duratione, ut fere obvenire solet apud incultas nationes, ubi quisque pro genio suo aut animam corpore tabescente sensim perire putat, aut quosdam sibi fingit inferos apud quos incertum quo modo vel ad quem aevi limitem perduret: Aegyptii contra a primo inde tempore quo Graeci eos noscere coeperunt, ex sacerdotali disciplina definiverant, esse eam animae naturam ut per se exsistat ac duret, habitetque in corpore velut in domo, quam sine sui jactura relinquere possit et in aliam transire. Ideo apud Homerum ipse homo, *αυτος*, corpus est, anima autem corpore soluta umbra quaedam defuncti, *ειδωλον καμοντος*, quae in aërem abit vel ad Haden colligitur. Jam statim in Iliadis initio hi versus occurrunt:

πολλας δ' ιφθιμους ψυχας αϊδι προϊαψεν
ἡρωων, αυτους δε ἑλωρια τευχε κυνεσσιν
οιωνοισι τε πασι.

„ Multas egregias animas orco misit heroum, ipsos vero praedam paravit canibus
„ alitibusque omnibus „ [10]. Et Odysseae libro ultimo:

αιψα δ' ἱκοντο κατ' ασφοδελον λειμωνα,
ενθα τε ναιουσι ψυχαι, ειδωλα καμοντων.

„ Statim pervenerunt in herbosum pratum, ubi scilicet habitant animae, si-
„ mulacra defunctorum „ [11]. Inde solemnis de morientibus dictio:

τελος θανατοιο καλυψε·
ψυχη δ' εκ ρεθεων πταμενη αϊδοσδε βεβηκει,
ὁν ποτμον γοοωσα, λιπουσ' ἁδροτητα και ἡβην.

„ Finis mortis cooperuit: anima vero ex artubus evolans ad orcum ivit suam

---

„ Enim vero primos omnium Chaldaeos et In-
„ dorum Magos affirmasse novi, esse homi-
„ num animas immortales. Assensi deinde
„ sunt eis tum alii Graecorum, tum omnium
„ maxime Aristonis filius Plato „.

[9] Diog. Laërt. lib. 1. cap. 24. de Thalete: *ενιοι αυτον πρωτον ειπειν φασιν αθανατους τας ψυχας· ὡν εστι και χοιριλος ὁ ποιητης.* „ Sunt
„ qui illum immortales animos primum dixis-
„ se asseverent, ex quibus est Choerilus poe-
„ ta „. Conf. Nemesium *de nat. homin.* c. 2. pag. 40. Cicero quaest. tusc. l. 1. c. 24: „ Quod
„ litteris exstet, Pherecydes Syrius primum di-
„ xit animos hominum esse sempiternos. An-
„ tiquus sane, fuit enim meo regnante genti-
„ li. Hanc opinionem discipulus ejus Pythago-
„ ras maxime confirmavit. —— Platonem fe-
„ runt primum de animorum aeternitate non
„ solum sensisse idem quod Pythagoras, sed
„ rationem etiam attulisse „. Quem Ciceronis locum exscripsere complures. Confer de hujus dogmatis origine Platonem in Menone opp. tom. 2. pag. 81. De Pythagora animae immortalitatem asserente vide praeter auctores citatos nota 7. Diodorum lib. 18. cap. 1. Stobaeum ecl. phys. lib. 1. cap. 40. pag. 141.

[10] Iliad. Α. vers. 3.

[11] Odyss. Ω. vers. 23.

„ sortem lugens, relicto vigore ac juventa „ [12]. Atque Achilles conspecta per somnum anima Patrocli in haec verba erumpit:

ω ποποι η ρα τις εστι και ειν αϊδαο δομοισι
ψυχη και ειδωλον, αταρ φρενες ουκ ενι παμπαν.

„ Papae! certe igitur aliqua est in orci aedibus anima et simulacrum, sed prae-
„ cordia non insunt omnino „ [13]. Nutriuntur porro reficiunturque umbrae illae inferiis, quamobrem avide appetunt hostiarum sanguinem, quo saturatae per aliquod tempus vires assumunt, recordantur rerum praeteritarum et agnoscunt praesentes: quod Necyiae Homericae argumentum est, atque originem dedit tum cultui heroico tum necyomantum praestigiis. Caeterum ita inanes sunt et exhaustae, ut ipse Achilles maluerit inter vivos esse pauper agricola, quam apud inferos rex omnium animarum [14]:

μη δη μοι θανατον γε παραυδα, φαιδιμ' οδυσσευ·
βουλοιμην κ' επαρουρος εων θητευεμεν αλλῳ
ανδρι παρ' ακληρῳ, ῳ μη βιοτος πολυς ειη,
η πασιν νεκυεσσι καταφθιμενοισιν ανασσειν.

„ Ne jam mihi mortem consolare, inclyte Ulysses: mallem rusticus exsistens mer-
„ cede servire alii viro inopi, cui haud victus multus esset, quam omnibus ma-
„ nibus defunctis imperare „. Haec fere circa Homeri aetatem de animae statu post mortem obscura cogitatione conceperant Graeci. Verum ex Aegyptiorum sacerdotum sententia mors migratio erat animae, quae relicto uno corpore, ipsa absoluta et viribus integra aliud occuparet et regeret, ac per omne aevum illaesa perduraret. Hoc paucis verbis exprimit Diogenes Laërtius in proëmio libri primi [15]: αιγυπτιοι την ψυχην και επιδιαμενειν και μετεμβαινειν φασι. „ Aegyptii

---

[12] Iliad. P. v. 856. X. v. 361.

[13] Iliad. Ψ. v. 103.

[14] Odyss. Λ. v. 487. Solus Tiresias singulari dono Proserpinae integram mentem servabat apud inferos, fere ut ille Pherecydis Aethalides. Odyss. K. v. 490. Ulyssem alloquitur Circe:

αλλην χρη πρωτον ὁδον τελεσαι, και ἱκεσθαι
εις αϊδαο δομους και επαινης περσεφονειης,
ψυχη χρησομενους θηβαιου τειρεσιαο,
μαντιος αλαου, του τε φρενες εμπεδοι εισι·
τῳ και τεθνειωτι νοον πορε περσεφονεια,
οιῳ πεπνυσθαι· τοι δε σκιαι αϊσσουσιν.

„ Aliam oportet primum viam perficere, et
„ pervenire in Plutonis domos et formidabilis
„ Proserpinae, animam consulturos Thebani
„ Tiresiae, vatis caeci; cujus utique mens in-
„ tegra est: cui etiam mortuo mentem prae-
„ buit Proserpina, solus ut sapiat; reliqui ve-
„ ro umbrae circumvolitant „. Proinde et solus Tiresias in Hade statim agnovit Ulyssem, reliqui non ante quam hausto inferiarum sanguine. Odyss. Λ. v. 90. 146.

[15] Segm. II. Fieri migrationem in animalia tantum, sed cujusvis generis, supra adstruximus ex Herodoto. Assentit et Porphyrius de abstin. lib. 4. p. 377. tradens Aegyptios docuisse cujusvis animalis animam ejusdem esse naturae ac animus hominis: την ψυχην απολυθεισαν του σωματος κατελαβον παντος ζωου λογικην τε ουσαν, και προγνωστικην του μελλοντος, και χρηματιστικην, δραστικην τε παντων, ὡν και ανθρωπος απολυθεις. „ Animam cujuscunque animantis
„ a corpore solutam participem rationis esse
„ ajunt, atque futurorum praesciam, agere
„ etiam et perficere posse omnia, quae homo
„ a compage corporea solutus „. Fuisse autem, sequiore saltem aevo, qui in sola sacra animalia transire putarent animas, discimus e Plutarchi tractatu de Iside pag. 493. opp. tom. 2. p. 379.

„ animam et permanere et transcendere ajunt „ . Atque hoc sensu accipienda videntur quae legimus apud Clementem Alexandrinum stromatum libro sexto [16] : *παρα πυθαγορου και την ψυχην αθανατον ειναι πλατων εσπακεν · ὁ δε παρ᾽ αιγυπτιων* . „ Etiam illud , animam esse immortalem , a Pythagora traxit Plato , ille vero „ ab Aegyptiis „ . Ideoque nulla apud eos inferiarum mentio , neque heroici honores , quibus Graeci illustrium virorum manes demulcere assueti erant , apud illos inveniebantur usitati : quandoquidem persuasum haberent , nulla re indigere defunctos , nec quid in eos conferri posse . Qua de re luculentus locus est Herodoti , libro secundo , capite quinquagesimo : *νομιζουσι δ᾽ ων αιγυπτιοι ουδ᾽ ἡρωσι ουδεν* . „ Neque heroibus defunctis Aegyptii aliquid offerre consueverunt „ [17] .

Sed ex antiquiore persuasione , late inter gentes diffusa , habitare animam cum cadavere hominis , donec istud penitus foret corruptum , hoc inhaesit Aegyptiorum mentibus , ut totum hominem ad inferos descendere putarent , fingerentque mortuorum rempublicam , cui jam olim Isidem sive Lunam , utpote nocturnam deam atque alternis vicibus superam ac inferam , praeesse crediderunt ; postquam vero Osiris , mortalis homo , inter deos receptus esset , simul cum ea , quin fere unice , Osiridem . Itaque Isidem quidem reginam manium invocabant [18] , in-

---

ubi de causa zoolatriae Aegyptiae disserens inquit : *και το ταις ψυχαις των θανοντων , ὁσαι διαμενουσιν , εις ταυτα μονα γενεσθαι την παλιγγενεσιαν , ὁμοιως απιστον* . „ Animabus defunctorum , quotquot permanent , in haec sola fieri „ regenerationem , aeque incredibile est „ . Alii autem existimaverunt , in plantas quoque abire hominum animas , sive quod diversae hac super re fuerint Aegyptiorum sacerdotum sententiae; sive post Herodoti tempus nova accesserit opinio ; sive quae Empedoclis sunt et Indorum nonnullorum , Damascius apud Suidam v. *ἱερατικη* , falso tribuerit Aegyptiis , ajens eos omnium primos philosophatos esse *περι των περι τον βιον μεταβολων μυριων , ὡς αλλοτε εν αλλοις σωμασιν η γενεσιν ζωων και φυτων διατριβουσων* .

[16] Cap. 2. pag. 752. Tertullianus *de anima* cap. 33 : „ Ait Mercurius Aegyptius animam „ digressam a corpore , non refundi in animam „ universi , sed manere determinatam , ut rationem patri reddat eorum quae in corpore „ gesserit „ . Cum quo conferendi Diodorus lib. 1. cap.49. , cujus verba mox infra sistimus; et Porphyrius citatus supra §. 13. not. 18. Quae autem de anima secundum Aegyptios disputat Jamblichus libro de mysteriis sect. 8. cap. 4. 8. sect. 9. cap. 6. sect. 10. cap. 5. 6. 7. , et quae habentur in Poemandre aliisque libris Hermeti adscriptis , magis putanda sunt Neoplatonicorum placita , quam veterum Aegyptiorum .

[17] Quod quidem intelligendum de aetate Herodoti et quae eam antecesserat , animarum doctrina apud Aegyptios jam exculta et definita : nam tempus fuisse quo ipsi ut reliquae fere gentes inferiis prosequerentur defunctos , documentum habemus religionem Osiriacam , quae hinc maxime orta esse videtur . Qua de re alio loco . Confer supra §. 14. not. 28. 31. Caeterum ipsius Osiridis animam post mortem in Apin bovem migrasse affirmaverunt nonnulli , quod tamen inter sequioris aevi figmenta referendum puto . Eusebius praep. ev. lib. 2. cap. 1. pag. 51: *φασιν οἱ αιγυπτιοι την του οσιριδος ψυχην μετα την τελευτην μεταστηναι εις τον απιν* .

[18] Deam loquentem introducit Apulejus metam. lib. 11. pag. 362: „ En adsum tuis commo- „ ta , Luci , precibus , rerum naturae parens , „ elementorum omnium domina , regina ma- „ nium , prima coelitum , deorum dearumque „ facies uniformis , quae coeli luminosa cul- „ mina , maris salubria flamina , inferûm de- „ plorata silentia nutibus meis dispenso . —— „ Prisca doctrina pollentes Aegyptii , caerimo- „ niis me propriis percolentes , appellant vero „ nomine reginam Isidem . —— Vives bea- „ tus , vives in mea tutela gloriosus , et cum „ spatium saeculi tui permensus ad inferos de- „ mearis , ibi quoque in ipso subterraneo semi- „ rotundo me , quam vides , Acherontis tene- „ bris interlucentem , Stygiisque penetralibus „ regnantem , campos Elysios incolens ipse „ tibi propitiam frequens adorabis „ . Plutarchus tract. de Iside pag. 427. opp. tom. 2. pag. 361 : *ισις δε και οσιρις εκ δαιμονων αγαθων δι᾽ αρετης εις θεους μεταβαλοντες , ὡς ὑστερον ἡρακλης και διονυσος , ἁμα και θεων και δαιμονων ουκ απο τροπου μεμιγμενας τιμας*

que singularum fere mumiarum tum integumentis tum arcis picta conspicitur dea, quae brachiis explicatis alisque late extensis, ut viventium sic defunctorum matrem et tutelam se profiteri videtur, *σωτειρα και ψυχοπομπος, αγουσα εις φως και παλιν δεχομενη πανταχη παντας και περιεχουσα* [19]. Etiam qui Romae Aegyptiis sacris dediti erant, cineres suos Isidis custodiae committebant [20]. Paritérque ad Isidem, quam Graeco nomine *δημητρα* appellat Herodotus, in orcum descendisse ferebatur Rhampsinitus rex atque iterum rediisse, fabula orta ut videtur a morbo letali, quo sanatus tanquam denuo revixerat: *μετα δε ταυτα ελεγον τουτον τον βασιληα ζωον καταβηναι κατω ες τον οἱ ἑλληνες αϊδην νομιζουσι ειναι, κᾀκειθι συγκυβευειν τῃ δημητρι· και τα μεν νικᾳν αυτην, τα δε ἑσσουσθαι υπ' αυτης· και μιν παλιν απικεσθαι ανω, δωρον εχοντα παρ' αυτης χειρομακτρον χρυσεον*. „ Post haec ajebant hunc regem descendisse vivum sub terram, eo ubi „ Graeci opinantur orcum esse, et ibi cum Cerere alea ludere; et aliquando vi„ ctorem, aliquando victum fuisse: et sursum iterum fuisse reversum, munus „ ab ea obtinentem mantile aureum „ [21]. Sed cui maxime commendabant et morientes et defunctos, Osiris erat. In sepulcro suo Osymandyas rex pictus erat, *καθαπερ ενδεικνυμενος προς τε τον οσιριν και τους κατω παρεδρους, ὁτι τον βιον εξετελεσεν ευσεβων και δικαιοπραγων προς τε ανθρωπους και θεους*· „ tanquam „ documentum exhibens coram Osiride et qui hujus sunt assessores apud inferos,

---

εχουσι, πανταχου μεν, εν δε τουτοις υπερ γην και υπο γην δυναμενοι μεγιστον. ου γαρ αλλον ειναι σαραπιν η τον πλουτωνα φασι, και ισιν την φερεφασσαν (al. *περσεφασσαν*)· *ὡς αρχεμαχος ειρηκεν ὁ ευβοιευς, και ὁ ποντικος ἡρακλειτος, το χρηστηριον εν κανωβῳ πλουτωνος ἡγουμενος ειναι*. „ Isis autem et Osiris de bonis ge„ niis ob virtutem in deos mutati, ut postmo„ do Hercules et Liber, haud abs re deorum „ et geniorum permixtis honoribus coluntur, „ ubique magna, maxima autem in rebus supra „ et infra terram potentia praediti. Neque „ vero Serapis alius est quam Pluto, aut Isis a „ Proserpina differt: ut et Archemachus Eu„ boensis docuit, et Heraclitus Ponticus, qui „ oraculum Canopicum Plutonis esse judicat „. Hoc quidem satis recte, nec dubitandum quin apud priscos Aegyptios Isis inferorum domina habita sit. At sepulcra Isidis in veteri Aegypto nulla exstitisse reor, quae autem de morte ejus et monumentis affirmat Diodorus lib. 1. cap. 22. 27., Graecorum commentis accenseo, quae secutus etiam Lucanus phars. l. 9. v. 158. juniorem Pompejum introducit jactantem:

Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirin.

Deorum enim sepulcra in Aegypto memorata Maximo Tyrio diss. 8. cap. 5. et Athenagorae legat. num. 14. 28. Osiridis putanda sunt et sacrorum animalium. Nec memini unquam vidisse signum Isidis mumiae habitu fictum, quamquam non ignorem affirmare Heynium comm. vol. 4. pag. 6. in Aegyptiis sepulcris obvia esse hujusmodi sigilla.

[19] „ Servatrix et dux animarum, in lucem „ ferens ac rursus recipiens omnimodo omnes „ et comprehendens „. Vide Aristid. orat. in Serapid. pag. 43.

[20] Est in museo Capitolino urnula quadrata marmorea cineribus reponendis excavata, in cujus fronte legitur:

dis. MANIBUS
e. *lari*NATIS. ATTICI
*quo*D. SIQVIS. OSSA
EIVS. PREIECERIT. AVT
HANC. ARAM. APSTVLERIT
HABEBIT. SACRA. ISIDIS
ILLIVS. QVIETA. IRATA

adstitutis hinc sistro cum felicula, inde situla cui aspis insidet. Vide Gruter. thes. inscr. pag. 917. num. 1. Guasc. mus. Capit. inscr. tom. 1. p. 99. Affert etiam Fabrettus inscr. pag. 468. num. 21. lapidem sepulcralem, in quo anaglyphice exprimuntur sistrum et situla: aliosque cum solo sistro pag. 489. num. 177. 178. Inscriptio apud Gruterum pag. 304. num. 1. inter alia habet: *Inferatur nemo. Secus qui fecerit, mitem Isidem iratam sentiat, et suorum ossa eruta et dispersa videat*. Altera pariter sepulcralis ibid. p. 312. n. 6: *Hic sacrorum Isidis conditus est*.

[21] Herodot. lib. 2. cap. 122.

„ quod vitam peregisset, pie et juste versatus erga homines et deos „ [22]. Atque in arca cadaveris quod ex Aegypto attulit Guilielmus Lethieullier, nunc servata Londini in museo Britannico, omnium quae comperi ornatissima, expressum videmus Osiridem Inferum, judicis munus sustinentem, animasque remunerare pollicentem. Sedet is in throno, peplo ad mumiae instar involutus et consuetis quae ipsi tribuuntur insignibus instructus, pone eum adstante genio Isidis, figura nimirum muliebri, quae manu tenens musae folium, alis brachiisque explicatis sedentem deum velut amplectitur atque tuetur: hanc altera mulier subsequitur sceptrum clavemque gestans. Ante Osiridem autem est flos loti, sempiternae vitae et nunquam exhausti Nili symbolum, cui insistunt icunculae quatuor, quas penates Osiridis sive assessores et consiliarios appellare liceat, mumiarum habitu omnes, sed facierum diversitate distinctae. Quae enim primum locum tenet, hominis vultum habet, altera cebi, tertia canis, quarta accipitris. Inde adest Hermes ibiocephalus coram deo stans manuque tenens pugillares ac stylo designans, quae egregie, quae minus bene egerit defunctus, quem mortis ministra, κηρ θανατοιο, operta facie mulier, manu prehensum adducit ad judicem. Ante omnia conspicitur hippopotamus super quadrata basi, feralis avis penna insigni, subsidens, qui horribili specie faucibusque hiantibus referre videtur Typhonem, malum daemonem et animarum insectatorem: coram quo erecta trabe, cui imminet protome crocodilomorphos, libra sustinetur, qua expenduntur merita et delicta: dum alteram lancem attrahit genius hieracocephalus, immortalis mentis virtutisque symbolum, alteram cynoprosopus, qui deteriorem animam sensuumque appetitus denotat. Altera parte post thronum et comites Osiridis, cadaver Osiriaca conditura medicatum jacet in feretro ad leoninam formam exscalpto, Anubidis cura commendatum, qui dextera imposita pectori cadaveris, sinistra attollit phialam auream inferis diis pro defuncto libaturus. In superiori autem picturae segmento cernitur Isis, inferûm superûmque regina, diademate purpureo et globo super capite insignis, alis praegrandibus brachiisque expansis subsidens, et utraque manu tenens musae arboris folium: adsidente hinc et inde camilla flexis genubus, manu tenente anulum, capite autem sustinente altera throni, altera sacelli imitamentum. Reliquam loculi faciem usque ad pedes occupant genii viginti, comites et satellites Osiridis: quos excipiunt lupi duo excubias agentes in orci vestibulo [23]. Etiam in arca mumiae quam Cairi vidit Niebuhrius, pictus cernebatur Osiris in throno sedens, solitisque attributis instructus, sed accipitrino capite consecrationis indicio decorus. Coram hoc Hermes ibiocephalus manu prehensam ad-

[22] Diodor. lib. I. cap. 49.

[23] Iconem ejus duabus tabulis singulari diligentia ac nitore expressam, ad manus habeo ex Anglia mihi transmissam ab Hillio. Epigraphe est: *Cadaver balsamo conditum, simul cum loculo ferali ανθρωποειδει, pictura hieroglyphica pulcherrime insignito. Ex vetustis Aegypti sepulchretis sublatum Londinum attulit D. Guil. Lethieullier A. D.* 1722. *Societati antiquariae Londinensi Georgius Vertue D.D.D. et excudit* 1724. Ea quidem fera quam hippotamum dixi ita delineata est, ut de natura ejus dubium aliquod remaneat; et ornamentum capitis ejusdem, forsan ex tribus tutulis conflatum, non rite videtur expressum. Etiam in Anubide pro canino vultu apparet quasi avis rostrum, in quo errasse pictorem ectypi, aures caninae documento sunt. Confer librum: *An essay towards explaining the hieroglyphical figures on the coffin of the ancient mummy belonging to Capt. William Lethieullier by Alexander Gordon*, pag. 4. sqq. Vide etiam quae infra dicenda erunt de hoc sarcophago §. 18.

ducit animam mulieris, dextraque ad deum elata interpretis munere fungitur. Pone thronum stant vir cum capite arietino et mulier pileata, ultimo autem loco erecta est pertica cum pulvino, cui imminet musae folium, quod ab Iside infera geniisque ei addictis manu geri solitum, umbram requiemque et auras frigidas subindigitare videtur. Sequitur inde alter figurarum ordo, ubi eadem illa anima genubus flexis manibusque elatis adorat grande simulacrum accipitris, basi insistentis et capite globum sustinentis: quo fortassis pietatem ejus erga deos adumbrare voluit pictor et actae vitae innocentiam, eadem fere ratione ac in sepulcro suo effictus erat Osymandyas. Adstant vir mulierque sceptra tenentes, et pone cernitur cista cum thyrso vittato, mysteriorum quibus initiata fuerat argumentum [24]. In byssinis praeterea Aegyptiorum cadaverum integumentis admodum saepe obvius est Osiris, praeter pileum lituumque et flagrum, quae ei propria sunt, ad mumiarum speciem fictus; pariterque in triptycho ligneo, quod capiti mumiae subjectum et applicatum reperit Nardius, idem cernebatur pictura expressus, stans in sacello et penatibus illis suis stipatus. Etiam sigilla, plerumque aenea, eundem deum referentia, frequenter inventa narrantur in mumiis inque sepulcris Aegyptiis. Neque a Romanis sepulcris exulat Osiris, sed caris defunctis precari solebant solemnibus formulis: *ευψυχει μετα του οσιριδος: δοι σοι ὁ οσιρις το ψυχρον υδωρ*. „ Bono animo sis cum Osiride: det tibi Osiris aquam „ frigidam „ [25].

---

[24] Niebuhr *reisebeschreibung nach Arabien* tom. I. tab. 39. Etiam reliqua hujus arcae pictura, quam in sex ordines distributam exhibet Niebuhrius, ad Isidem Osiridemque referenda videtur. Nempe in primo ordine medium locum obtinent quatuor illae imagines, quas supra dixi penates Osiridis inferi, binae binis obversae. Ab his utrinque conspicitur oculus cum ciliis et nervis, scaphio impositus, symbolum animae Osiridis, forsan et animae defuncti Osiriaco ritu initiati. Adstat genius Isiacus, mulier manu elata gerens musae folium, alisque explicatis oculum illum sive animam obtegit et tuetur. Ultimis vero locis stant suggestus duo seu sacella, quorum alteri insistit accipiter pileatus cum flagro, alteri vultur pariter pileatus, super quo suspensus est discus cum alis unguibusque vulturinis. Secundum ordinem occupant figurae sex, baculis aratriformibus instructae, tres tribus obviam euntes. Duae in his mulieres sunt, duo viri barbati, duo hieracocephali capite gestantes globum serpente cinctum: genii ut videtur lunares, terrestres atque solares. Utrinque vero subrecta stat pertica cum pulvino, altera sustinens musae folium, altera globulum cum duabus pennis sublime erectis. Tertium quartumque ordinem supra enarravi. In quinto pictae sunt duae illae camillae Isidis, super basi subsidentes, quae brachiorum motu corporisque habitu magnum quid, forsan deorum mysteria effari dignoscuntur. Stant e regione vir cynoprosopus, comite muliere, pone quos est pertica cum folio musae. Ultimus ordo sistit duos lupos adverse gradientes cum funiculo collo injecto. Ante quemvis eorum positum est canistrum frugibus refertum, imminente disco cum alis et unguibus vulturinis anulum prehensum tenentibus. Pone alterum autem conspicitur oculus Osiridis, pone alterum sedet cebus seu cynocephalus, Isidis assecla, globum capite sustinens.

[25] Utrumque habes in lapide servato in museo Borgiano Velitris:

Θ . K.
ΑΥΡΗΛΙΑ . ΠΡΟCΟΔΩ
ΔΙΟCΚΟΥΡΙΔΗC . ΑΝΗΡ
ΤΗ . ΗΑΥΤΟΥ . CΥΝΒΙΩ
ΧΡΗCΤΟΤΑΤΗ . ΚΑΙ . ΓΛΥΚΥΤΑ
ΤΗ . ΜΝΙΑC . ΧΑΡΙΝ .
ΕΥΨΥΧΕΙ . ΚΥΡΙΑ
ΚΑΙ ΔΟΙ CΟΙ Ο ΟCΙΡΙC
ΤΟ ΨΥΧΡΟΝ . ΥΔΩΡ .
ΕΠΟΗCΕ ΕΑΥΤΩ .
ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΩΝ
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙC

„ Dis Inferis. Aureliae Prosodo Dioscurides „ conjux contubernali suae optimae et dulcis- „ simae, memoriae causa. Bono animo sis, „ domina, et det tibi Osiris aquam frigidam. „ Fecit sibi et libertorum libertis „. Vide

Illud autem, quod antiquitus in vulgus notum erat, Osiridem vita functum cum reliquis mortuis sub terram abditum fuisse, ac ibi defunctis imperare creditum, postea ubi cultus ejus adolevit, et ipse princeps deus haberi coeptus est ab Aegyptiis, mysterii velo tegendum censuerunt sacerdotes, ac modo ad Solis modo ad Nili vicissitudines referendum, aliquando ita interpretandum ut Osiridem eundem esse dicerent quem Graeci Haden appellant; quin et sequiori aevo ad Platonica placita adumbranda traduxerunt. Huc pertinent quae leguntur apud Plutarchum in tractatu de Iside [26]: *και τουτο, ὁπερ οἱ νυν ἱερεις αφοσιουμενοι και παρακαλυπτομενοι μετ' ευλαβειας υποδηλουσιν, ὡς ὁ θεος ὁυτος αρχει και βασιλευει των τεθνηκοτων, ουχ ἑτερος ων του καλουμενου παρ' ἑλλησιν ᾁδου και πλουτωνος, αγνοουμενον ὁπως αληθες εστι, διαταραττει τους πολλους, υπονοουντας εν γῃ και υπο γην τον ἱερον και ὁσιον ὡς αληθως οσιριν οικειν, ὁπου τα σωματα κρυπτεται των τελος εχειν δοκουντων.* „ Id etiam, quod hodie sacerdotes velut „ abominantes et occultantes trepide significant, Osiridem mortuis imperare, „ neque a Dite seu Plutone alium esse: ignoratum quo modo verum sit, ple- „ rosque turbat, suspicantes in terra et infra terram sacrosanctum istum vere „ Osirin habitare, ubi corpora latent eorum, qui jam esse desiisse putantur „. Eundem alio nomine appellabant Serapin, **ⲉϫⲱⲣϩ-ⲁⲡⲁⲥ**, seu patrem tenebrarum, cui examussim respondet Graecorum *ᾁδης* seu *αϊδης*: et sub hoc nomine post Alexandriam conditam nobilitato, olim maxime venerabantur in adyto prope Memphin, Apidis sepulcro superstructo. Pausanias libro primo, capite decimo octavo [27]: *αιγυπτιοις ἱερα σαραπιδος, επιφανεστατον μεν εστιν αλεξανδρευσιν, αρχαιοτατον δε εν μεμφει· ες τουτο εσελθειν ουτε ξενοις εστιν ουτε τοις ἱερευσι, πριν αν τον απιν θαπτωσι.* „ Apud Aegyptios inter Sarapidis templa „ omnium clarissimum habent Alexandrini, antiquissimum Memphitae, quo ne- „ que exteris hominibus neque sacerdotibus ipsis aditus patet, priusquam Api- „ dem bovem humarint „. Ex quo interpretandum est, quod a nonnullis affirmari ait Plutarchus [28], *ουκ ειναι θεον τον σαραπιν, αλλα την απιδος σορον ὁυτως ονομαζεσθαι· και χαλκας τινας εν μεμφει πυλας, ληθης και κωκυτου προσαγορευομενας, ὁταν θαπτωσι τον απιν, ανοιγεσθαι, βαρυ και σκληρον ψοφουσας.*

Reinesii *inscr. antiqu.* class. 14. num. 31. Fabretti *inscript.* pag. 466. num. 102. *Numi Aegypt. imperat. in museo Borgiano* ad calc. In alia apud Fabrettum pag. 465. num. 19. legitur: D. M. IVLIA POLITICE DOE SE OSIRIS TO PSYCRON HYDOR. Et apud Gruterum pag. 794. num. 3. epigramma sistitur: *φλαουια σερουανδα η και αγριππεινα πανaρετε ευψυχει μετα του οσιριδος.* „ Flavia Servanda, quae et „ Agrippina, omni virtute ornata, bono ani- „ mo sis cum Osiride „. Videtur et eadem formula scripta fuisse in pectore mumiae quam ex Aegypto attulit Petrus de Valle: nam post vocem ΕΥΨΥΧΕΙ alias adhuc litteras adfuisse, patet ex iconismo in *Marbres de Dresde* tab. 197.

[26] Pag. 504. opp. tom. 2. pag. 382. Pergit inde Plutarchus, docens Osiridem quam longissime semotum esse a terra omnibusque rebus morti obnoxiis; mythum autem esse interpretandum de animarum post mortem ascensum ad coelestia, *εις το αειδες και αορατον και απαθες και ἁγνον.*

[27] Pag. 42. Etiam famigeratum illud Serapium Alexandrinorum ortum traxit ab inferi dei sacello, Rhacoti olim posito prope campum mortuorum. S. Cyrillus lib. 1. adv. Julian. p. 13. affirmans Serapidem Alexandrinum esse Plutonem, inquit: *δια ταυτα τοι και τοις μνημασι γειτονα τον νεων εποιησαντο.* „ Idcirco et in sepul- „ crorum vicinia templum aedificaverunt „. Conf. Tacit. histor. lib. 4. cap. 84. Plutarch. de Isid. pag. 428. opp. tom. 2. pag. 362. Clem. Alex. cohort. cap. 4. pag. 42.

[28] Tract. de Iside pag. 430. opp. tom. 2. pag. 362.

„ Sarapin non esse deum, sed sepulcralem cistam (soron) Apidis sic nominari: „ et apud Memphin aeneas quasdam portas, quae Lethes et Cocyti, (hoc est „ oblivionis atque lamentationis) appellentur, aperiri cum Apin sepeliunt, gra- „ vem asperumque edentes sonum „. Fuisse autem hoc templum, non Memphi in oppido, sed in planitie sub monte Libyco, ubi pyramides et cryptae sunt, discimus e Strabone [29], cui in Mempheos descriptione memoratur σεραπειον εν αμμωδει τοπῳ σφοδρα, ὡσθ' υπ' ανεμων θινας αμμων σωρευεσθαι, αφ' ὡν ὡ σφιγγες, ὡι μεν και μεχρι της κεφαλης ἑωρωντο υφ' ἡμων κατεχωσμεναι, ὡι δε ἡμιφανεις · εξ ὡν εικαζειν παρην τον κινδυνον, ει τῳ βαδιζοντι προς το ἱερον λαιλαψ επιπεσοι. „ Serapium in loco valde arenoso, adeo ut arenae colles a ventis „ exaggerentur. Ibi vidimus sphinges alias usque ad caput obrutas, alias dimi- „ dia duntaxat eminentes: unde conjicere licebat magnitudinem periculi, si quem „ eo proficiscentem turbo venti deprehenderet „. Nec dubium videtur, quin hoc idem sit quod Scotiae Hecates templum appellat Diodorus, et prope Memphitica sepulcra positum ait, ubi portae Cocyti et Lethes aeneis repagulis diductae [30]. Nam Scotia Hecate est Isis infera, cui aedes illa communis erat cum Serapide sive Osiride infero: atque ad hoc templum spectare reor ritum mysticum, quem prodit Herodotus libri secundi capite centesimo vicesimo secundo: απο δε της ραμψινιτου καταβασιος, ὡς παλιν απικετο, ὁρτην δη αναγειν αιγυπτιους εφασαν · την και εγω οιδα ετι και ες εμε επιτελεοντας αυτους. ου μεντοι ειτε δι' αλλο τι ειτε δια ταυτα ὁρταζουσι, εχω λεγειν. φαρος δε αυτημερον εξυφηναντες οἱ ἱρεες, κατ' ων εδησαν ἑνος αυτων μιτρῃ τους οφθαλμους · αγαγοντες δε μιν εχοντα το φαρος ες ὁδον φερουσαν ες ἱρον δημητρος, αυτοι απαλλασσονται οπισω · τον δ' ἱρεα τουτον καταδεδεμενον τους οφθαλμους, λεγουσι υπο δυο λυκων αγεσθαι ες το ἱρον της δημητρος, απεχον της πολιος εικοσι σταδιους, και αυτις οπισω εκ του ἱρου απαγειν μιν τους λυκους ες τωυτο χωριον. „ Tempus „ a Rhampsiniti descensu ad reditum, dicebant feriatum esse apud Aegyptios: „ idque ego ad meam memoriam scio observatum. Sed utrum ob aliud quid, an „ ob ista ipsa ferientur Aegyptii, asseverare non possum. Sacerdotes autem „ pallium postquam uno illo die detexuerunt, uni ex suis oculos mitra alligant: quem „ gestantem pallium cum in viam deduxerunt quae fert ad Cereris templum, ipsi „ retro discedunt. Hunc autem sacerdotem oculos obstrictos habentem ajunt a ge- „ minis lupis duci ad Cereris templum, quod ab urbe viginti stadiis abest: et po- „ stea rursus ex templo in eundem locum a lupis reduci „ [31]. Hos vero lupos, quos sacerdotalis mythus inferorum ministros et psychopompos genios indigitat, in singulis fere mumiis arcisque earum pictos deprehendimus, ut plurimum averrunco flagro ad malos daemones animabus inhiantes abigendos instructos. Scilicet rapax animal, quod noctu maxime oberrat, subque solis ortum ad specus et deserta aufugit, Aegyptiis aeque ac aliis populis plerisque [32], orco cognatum vi-

---

[29] Lib. 17. pag. 1161.

[30] Lib. 1. cap. 96. supra adduct. pag. 289.

[31] Huc etiam videntur referenda, quae habet Servius in georg. lib. 4. v. 363: „ Apud Aegyptios in sacris Nili certis diebus pueri de „ sacris parentibus nati a sacerdotibus Nymphis „ dabantur, qui cum adolevissent, redditi „ narrabant, lucos esse sub terris et immensam aquam omnia continentem, ex qua cuncta procreantur „.

[32] Multa circa lupos est et Graecorum et barbarorum superstitio, vestigiis hodie quoque per totam fere Europam residuis, quam omnem ab hac fonte effluxisse conjicio; quam-

sum est, et nocturnis tantum umbris confisum ab illa obscura regione solis radiis impervia ad nostrum mundum commeare. Ipsum quoque Osiridem assumpta lupi specie ab inferis rediisse Oro opitulatum adversus Typhonem [33], inter causas

---

quam animal, quod ab initio tenebris et orco sacrum fuisse puto, postea ad lucis patrem, solem translatum sit, et Lyceorum deûm nomen a luce repetitum. Nempe antiquissimi vates, apud Graecos ut apud reliquos populos, *γοητες* fuere et *νεκυομαντεις*, praestigiatores qui defunctos interrogare carminibusque inferos ciere fingerent, quin et mutata forma ad eos commeare: ut saga illa apud Propertium lib.4. eleg. 5. v. 41:

Audax cantatae leges imponere lunae,
Et sua nocturno fallere terga lupo.

Hae enim artes licet postea infamia notatae cessere circulatoribus et mulierculis, tamen prisco tempore eas in honore fuisse, documento nobis sunt Gyges et Periclymenus, ac *νεκυομαντειων* claritas in Campania, Epiro et Boeotia. In primis autem lupum non ad sagarum tantum praestigias pertinere, sed ad veterum quoque necyomantum, indicia offerunt Evenii Apolloniatae fabula apud Herodotum lib. 9. cap. 92, Lycus Telchin apud Hesiodum, Lycus pariter antiquissimus vates Atheniensium, quem Pandionis filium dixerunt, ac sub lupi forma fingere consuevere, (Pausan. l. 1. c.19. p.44. Hesych. v. *λυκου δεκας*) et Lycomidarum sacra apud eosdem. Pausan. lib. 4. c.1. lib.9. cap. 27. p. 281. 762. Denique Hirpini Sorani ad Soractem, qui vulgo putabantur sacerdotes Apollinis, sed quorum nomen vernacula lingua lupos Ditis patris significare docet Servius ad Aen. lib.11. v. 785. Conf. Strab. lib. 5. pag. 383. Ipsum illud Pythium oraculum primitus terrae fuit, seu quod idem est inferûm deûm; ac lupi antiquissimo ritu sacri apud Delphos. Aelian. de anim. hist. lib. 12. cap. 40. Postea Apollinis dici coepit, qui initio non sol erat, sed vatum sacerdotumque praeses genius, divinationis, musicae, medicinae et improvisae mortis, quae res apud agrestes populos illi hominum ordini attribuuntur. Lupi pariter Apollinis tutelae adscripti, et nomen ei datum Lyceo; quemadmodum et lunam, quam inprimis invocare solent veneficae, *λυκαιναν* vocaverunt, (Porphyr. de abstin. lib.4. pag.401.) et Latoidum matrem, quae tenebrarum dea est, in lupam conversam lupisque comitibus ex Hyperboreis advenisse fabulati sunt. Aristot. hist. anim. lib.6, cap. 35. Aelian. hist. anim. lib. 4. cap.4. lib. 9. c. 26. Eustath. in Il. Δ. pag. 448. Denique ubi Apollo cum Sole confundi coepit, transitu facto a divinatione ad providentiam, veritatem et lucem, *λυκον* a nominis similitudine, lucis et *οξυδερκειας* symbolum renunciaverunt, in quo exponendo prolixi sunt grammatici. Heracl. allegor. Homer. pag. 98. Theon in Arat. pag.93. Macrob. saturn. lib. 1. cap.17. Serv. in Aen. lib. 4. v.377. Ad inferos quoque pertinent Lupercalia Februario mense Diti sacro celebrata, (Dionys. ant. Rom. lib. 1. c.32.) et lupus Marti destructori dicatus, (Julian. orat. in solem. p.154) ac lupi sanguis in Acherontiis Magorum sacris adhibitus. Plutarch. de Isid. pag.457. tom.2. p. 669. Etiam Lybas ater genius Temessam infestans lupi pelle indutus narratur. Pausan. l.6. c.6. p.468. De Neuris, Scytharum tribu, qui semel in anno lupinam formam per dies aliquot induere dicebantur, vide Herodotum lib.4. cap.105. et Melam lib.2. c.1. De Arcadum nefandis sacris, quibus peractis in lupos converti fingebant, Plinium lib. 16. cap.22. Varronem apud S. August. de civ. dei lib.18. cap.17. Ovidium metam. lib. 1. v. 196. Pausaniam l.8. c. 2. p.601. Platonem de republ. lib.8. opp. tom.2. pag.565. Plutarchum in Caesare cap.61. Duravit istud sacrificium usque ad aetatem Pausaniae, qui id enarrare veritus, *εχετω*, ait, *ὡς εχει, και ὡς εσχεν εξ αρχης*: lib. 8. cap. 38. p. 679.

[33] Huc spectat quod ait Synesius lib. 1. de providentia pag.115: oraculum edixisse, Aegypti res ad meliorem statum esse rediturus, *'οταν ωρῳ τῳ παιδι γνωμη γενηται, συμμαχιαν ἑλεσθαι προ του λεοντος λυκον. ὁ δε λυκος ὁστις εστιν, ἱερος λογος εστιν, ὁν ουχ ὁσιον εξαγορευειν, ουδ' εν μυθου σχηματι.* „ cum Orus filius lupum „ potius quam leonem belli sibi socium adsciverit. Lupi vero nomen quid sibi velit, arcani sacrique sermonis est, quem ne in fabulae quidem specie fas est in vulgus efferre„. Suboritur etiam suspicio apud Plutarchum de Iside pag. 412. opp. tom.2. pag. 358; ubi narratur illa Osiridis ex Hade reditus, sermonem non de equo fuisse sed de lupo, quamquam nunc ter scriptum legatur *ἱππου* vocabulum. *επειτα τῳ ωρῳ τον οσιριν εξ ᾁδου παραγενομενον διαπονειν* (forte *διαπεμπειν*) *επι την μαχην και ασκειν. ειτα διερωτησαι, τι καλλιστον ἡγειται; του δε φησαντος, τῳ πατρι και τῃ μητρι τιμωρειν κακως παθουσιν· δευτερον ερεσθαι, τι χρησιμωτερον οιεται ζωον εις μαχην εξιουσι; του δε ωρου ἱππον* (l. *λυκον*) *ειποντος, επιθαυμασαι και διαπορησαι, πως ου λεοντα μαλλον, αλλ' ἱππον* (l. *η λυκον*)*; ειπειν ουν τον ωρον, ὡς λεων μεν*

lupi apud Aegyptios consecrati narrat Diodorus libro primo capite octogesimo octavo : *το γαρ παλαιον φασι της ισιδος μετα του παιδος ωρου μελλουσης διαγωνιζεσθαι προς τυφωνα, παραγενεσθαι βοηθον εξ ἁδου τον οσιριν τῳ τεκνῳ και τῃ γυναικι, λυκῳ την οψιν ὁμοιωθεντα. αναιρεθεντος ουν του τυφωνος, τους κρατησαντας καταδειξαι τιμαν το ζωον, ὁυ της οψεως επιφανεισης το νικαν επηκολουθησεν.* „ Isidi quondam, ajunt, cum Oro filio adversus Typhonem certamen ini- „ turae, Osiris ab inferis sub lupi forma opitulator venit. Sublato igitur Typho- „ ne, victores bestiam coli praeceperunt; quia conspectum ejus victoria insecuta „ esset „ [34]. Hinc etiam est quod lupum Osiridis inferi symbolum, et commercii copolitana dicta fuerit, et bestiae de quibus „ sermo est cultum promeruerint „. Dixi de hoc supra §.12. not. 1. pag. 241., nec procul a vero me abesse reor, dum animalis cultum apud quandam Aegypti tribum initium cepisse putem ab obscuro eventu, incerta traditione in majus aucto, fere ut Ambraciotae leaenas coluisse feruntur, eo quod saevo olim tyranno dilaniato leaena iis libertatem reddiderat. Aelian. de anim. hist. lib. 12. c.40. Postea id adjectum, ut lupus inferorum deorum minister putaretur, ac traditio de Aethiopibus conversa in mythum Osiriacum. Denique Graeci interpretes a vexillis atque scutorum emblematibus, et hujus et reliquorum animalium venerationem repetierunt, fabellam quoque finxerunt de Macedone Osiridis filio, lupi exuviis uso pro galea. Diodor. lib. 1. cap. 18. 90. Tenuisse autem locum conspicuum inter sacra Aegyptiorum animalia, indicio est quod veteres qui hanc rem attigere, constanter fere lupi mentionem injiciant. Herod. lib.2. cap.67. Cicero de nat. deor. lib.3. cap. 18. Strab. lib. 17. pag. 1167. Philo leg. ad Caes. opp. tom. 2. p. 566. Plutarch. conviv. quaest. lib. 7. prob.4. Clem. cohort. cap. 2. pag. 34. Porph. de abst. lib. 4. pag.373. Fuere et duo in Aegypto oppida ab ejus nomine dicta, alterum in Thebaidos parte septentrionali, fama clarum, ubi Osiridem impense cultum fuisse accepimus, et tubas proscriptas, ut ferunt quod asini vocem Osiridi exosi imitari viderentur, veriori forte ratione, quod lupus tubae sonum aegre sustinet. Plut. de Isid. p.432. t.2. p.362. Alterum in Delta, Straboni soli memoratum lib.17. pag. 1154. atque ex eo Stephano v. *λυκων*, prioris ut videtur colonia. Parvae staturae esse lupos in Aegypto advertit Aristoteles anim. hist. lib.8. cap.28.; et ante Herodotus lib.2. cap.67: *τους λυκους, ου πολλῳ τεωοντας αλωπεκων μεζονας, αυτου θαπτουσι τῃ αν ἑυρεθεωσι κειμενοι.* „ Lupos, qui non sunt „ multo majores vulpibus, in eo loco sepeliunt, „ ubi mortui jacentes inveniuntur „. Etiam Plinius lib.16. cap.22: „ Inertes lupos parvosque „ Africa et Aegyptus gignunt, asperos truces-

οφελιμον επιδεομενῳ βοηθειας, ἱππος (l. *λυκος*) *δε φευγοντα διασπασαι και καταναλωσαι τον πολεμιον. ακουσαντα ουν ἡσθηναι τον οσιριν, ὡς ἱκανως παρασκευασαμενου του ωρου.* „ Deinde Osiridem Oro ab inferis praesto adfuisse, eumque ad praelium instituisse atque exercuisse. „ Percunctatum etiam postea fuisse, quid pulcherrimum putaret: cumque respondisset „ Orus, ulcisci patrem et matrem injuria adfectos; ulterius quaesivisse, quodnam animal ad pugnam eunti censeret utilius. Cum „ equum respondisset Orus, miratum fuisse „ et in dubium vocasse, quod non leonem potius quam equum dixisset. Respondisse Orum, „ esse leonem utilem indigenti auxilio, equum „ autem facere ad fugientem hostem discerpendum atque conficiendum. His auditis delectatum Osirin fuisse, ut qui satis instructum ad „ pugnam Orum sentiret „. Praesertim illa, quae viris doctis turbata visa sunt, et a Reiskio ad hunc modum refingenda credita: *ὡς λεων μ. ο. ε. β. διασπασαι και καταναλωσαι τον πολεμιον, ἱππος δε φευγοντα καταλαβειν*: si *λυκος* scripseris, clara sunt. Leo, nobile animal, aggredientes trucidat, lupus autem fugientium reliquias dispergit et absumit, et quoniam cadaveribus inhiat, penitus destruit. Reor tamen etiam servato equi nomine stare posse vulgatam lectionem, nec opus esse Reiskianis illis: nam veloci equo usus victor superatum hostem perdit et obterit, *διασπᾳ και καταναλισκει.*

[34] Subjungit mox aliam rationem: *ενιοι δε λεγουσι, των αιθιοπων στρατευσαντων επι την αιγυπτον, αθροισθεισας παμπληθεις αγελας λυκων εκδιωξαι τους επελθοντας εκ της χωρας, υπερ πολιν την ονομαζομενην ελεφαντινην· διο και τον τε νομον εκεινον λυκοπολιτην ονομασθηναι, και τα ζωα τα προειρημενα τυχειν της τιμης.* „ Nonnulli affirmant, sub Aethiopum in Ae- „ gyptum irruptionem, ingentes luporum ca- „ tervas convenisse, qui hostium incursantium „ agmen ultra Elephantinam urbem inde fugaverint. Qua de causa et praefectura illa Ly-

inter utrosque mundos superum et inferum, tum in duobus anaglyphis musei Borgiani ex Aegyptiis cryptis ablatis, tum in obelisci cuspide Wanstediana, super simulacro Osiridis, quem circumstantes adorant et donis placant, eodem quo in mumiis habitu expressum conspicimus [35].

Itaque Osiris, quem et Serapin vocabant, priscis Aegyptiis rex defunctorum erat, atque cum eo immensum fere aevum degere credebantur mortui Aegyptio ritu curati: quare et monente Diodoro Memphitae mortuorum conditoria aeternas domus appellare consueverant, ut infinitum tempus manentium apud inferos: τους των τετελευτηκοτων ταφους αϊδιους οικους προσαγορευουσιν, ὡς εν ᾅδου διατελουντων τον απειρον αιωνα [36]. Nam hoc pacto sacerdotum doctrinam de anima ex uno corpore in alium migrante cum vulgari opinione composuerant, ut animam non prius quam priori corpore corrupto atque absumpto, ab eo discedere atque ad aliud transire, et novum mortalis vitae curriculum instaurare traderent. Id jam innuit Herodotus loco supra adducto, sed clarius exponit Servius ad Aeneidos librum tertium [37]: „ Animam Stoici terris condi, id est, tam diu

---

„ que frigidior plaga „. De lupis in Aegypto vide quoque Aelian. de anim. hist. lib. 7. c. 20. Solos in Aegypto Lycopolitas, dei sui exemplum secutos, ovibus vesci auctor est Plutarchus de Iside pag. 495. tom. 2. p. 380.

35 Sunt nimirum tabulae e lapide calcareo albo, figura quadrilatera, altiores quam latae, fere ut Graecorum cippi esse solent; superne autem in triangulum desinunt. Altitudo alterius est palmorum trium cum sextante, alterius duorum cum unciis decem. Scalptura rudior est, sed quae non magnam prae se fert vetustatis speciem, forsan Persis in Aegypto aequalis. Argumentum vero depromptum conjicio e fabula, quam e Diodoro supra retuli, atque indicari Ori imperium, Osiridis praesidio sub lupi forma ab inferis reversi, firmatum atque stabilitum. Scilicet in triangulo, quod lapidi fastigii loco est, scalptus cernitur lupus basi incumbens, ea positura, qua uti solent sphinges, auribus arrectis, cauda magna et pendente. Instructus est flagro et collari, ut fere esse solet; pendetque de collo funiculus, quo forte significatur esse illum inferorum ministrum et ducem per tenebras. Reliqua tabulae facies in duas areas dividitur, quarum superior spectandum offert Osiridem in throno sedentem, adstante camilla sive pellice, atque ante eum posita mensa frugibus onusta, juxta quam stat sacerdos elatis manibus deum salutans. In inferiori area conspicimus duos in pulcris sellis considentes, quorum alter, qui sinistrum latus occupat, juvenis ampla veste indutus manuque tenens flabellum, Orus esse videtur, patris in Aegypto regenda successor; altera quae a dextris sedet comitisque humeros suffulcit, Isis tutrix filii. His e regione stant vir tigrina pelle amictus, mulierque et infans, qui varia dona offerunt sedentibus. Alter lapis, ubi principes figuras spectes, huic fere similis est: Osiris stans fingitur, Isis omissa est, circumstat numerosa adorantium turba. Fuit et Lugduni aliquando ejusdem argumenti anaglyphon, et artis indole et figurarum modo quam proxime accedens ad praefata, in lapide fere quadrato quoquoversus ultra quatuor palmos et dimidium, cujus ectypon ante oculos habeo ex Anglia transmissum. Est et hoc in tres ordines divisum, in quorum supremo duo jacent lupi, intermedio scarabaeo, et super quovis lupo in area cernitur oculus, notum Osiridis symbolum, e regione autem vir flexis genubus adorat lupum. In secundo ordine praeter Osiridem inferum, conspicitur vir cum capite accipitrino, manibus tenens baculum aratriformem, caeterum eodem quo Osiris habitu, eodemque honore cultus. Forte et hic Osiridem indicat Soli aequiparatum. Uterque in sacello stat, sacerdote coram adorante. Tertius ordo sistit Orum et Isidem eadem prorsus ratione ac in anaglypho Borgiano, sed ante eos mensa stat donis referta, et unus tantum vir adest tigrinis exuviis indutus. Est et in museo Borgiano fragmentum anaglyphi Aegyptii, tabulae scilicet e marna calcarea, ubi inter alia conspicitur lupus pileo regio velut custos adstitutus. Sigillum autem, puto aeneum, lupi cubantis super abaco exhibet Montfaucon *ant. expl.* suppl. tom. 2. tab. 45. num. 3. una cum altero, quod lupum refert collari insignem, gradientem inter duos serpentes uraeos alto pileo decoros.

36 Lib. 1. cap. 51.

37 Vers. 68.

„ durare dicunt, quam diu durat et corpus: unde Aegyptii periti sapientia con„ dita diutius reservant cadavera; scilicet ut anima multo tempore perduret et „ corpori sit obnoxia, nec cito ad alios transeat „.

Inter Graecos philosophos, quibus arrisere Aegyptiorum placita, alii animam statim a morte novum corpus quaerere tradiderunt; alii post tempus modo longius modo brevius definitum, et sceleribus purgandis maculisque contractis eluendis destinatum, animam renasci putaverunt. Illud proprie Metempsychosin appellavere nonnulli, hoc Palingenesiam. Fuere pariter qui animam hominis non nisi in humanum corpus transire putarent, fuere alii qui cum Aegyptiis sentirent, quamcumque animam habitare posse in cujusvis animantis corpore; alii denique in plantas quoque migrationem fieri existimarunt [38]. Illud vero, quod Graecis philo-

---

[38] Quam proxime ad Aegyptiorum dogmata accedunt Pythagorica, de quibus supra not. 7., nisi quod ille breviorem multo quam Aegyptii migrationis circulum statuit, si verum est eum affirmasse se Trojanis temporibus in humano corpore exstitisse, et paullo ante sub specie Aethalidae. Varii etiam post Euphorbum recensentur, ad quos transierit illa anima antequam ad Pythagoram perveniret. Schol. Sophocl. in Electr. v.62. Schol. Apollon. ad Argon. lib. 1. vers. 643. Gellius noct. Attic. lib. 4. cap. 11. Porphyr. de vit. Pythagor. cap. 26. Laërt. lib. 8. cap. 4. Neque de inferis, ut equidem invenio, aliquid docuit Pythagoras: sed ex hujus scholae sententia animam hominis vita functi continua migratione ad aliud corpus transire, colligitur e Plutarcho de genio Socratis, et or.2. de carnium esu opp. tom. 2. pag.585. 997. Etiam Xenophanem et Empedoclem, Pythagoreis affines, perpetuam migrationem docuisse, constat e fragmentis eorum apud Stephanum poes. philos. p.24.39. Itaque lapsus videtur Servius in Aen. lib. 3. v.68. dum a Platone metempsychosin, a Pythagora vero palingenesiam assertam ait; sin forte a librariis transposita sint philosophorum nomina. Plato enim cum Aegyptiis censet, animam post longum aevum apud inferos exactum, mille ut ipse ait annorum, in novo corpore renasci. Vide dialogos Phaedonem, Menonem, de republica 10. de legibus 9. 10., Timaeum, Phaedrum: opp. tom. 1. pag. 81. 113. tom. 2. pag. 81. 615. 870. 903. tom. 3. pag.42. 248. Aliam palingenesiae speciem tradiderunt genethliaci quidam, juxta Varronem apud S. August. de civ. dei lib.22. c.28. „ qua confici in annis 440 ut idem corpus et ea„ dem anima, quae fuerint conjuncta in homi„ ne aliquando, eadem rursus redeant in conjun„ ctionem „. Haec videtur esse Magorum *αναβιωσις*, de qua Laërtius lib. 1. c.9. In eo autem consenserunt Plato et Pythagoras, quod transitus in animalia tantum fieret, diversi quidem generis. Recentiores Pythagorei nonnulli, in quibus Porphyrius apud S. Augustinum de civ. dei l.10. c.30., humanas animas in brutorum corpora abire negaverunt, sed in alia humana corpora. E contrario Empedocles ad plantas quoque extendit animarum migrationes, ut testatur fragmentum ejus apud Clementem strom. lib. 6. cap. 2. pag. 750:

ηδη γαρ ποτ' εγω γενομην κουρη τε κορος τε,
θαμνος τ' οιωνος τε και ειν ἁλι ελλοπος ιχθυς.

„ Ipse ego namque fui puer olim, deinde puel„ la, arbustum et volucris, mutus quoque in „ aequore piscis „. Cui accedit Aelianus anim. hist. Lib. 12. cap. 7: *λεγει εμπεδοκλης την αριστην ειναι μετοικησιν την του ανθρωπου, ει μεν εις ζωον ἡ ληξις αυτον μεταγαγοι, λεοντα γινεσθαι, ει δ' ες φυτον, δαφνην.* „ Empedocles in„ quit, si post excessum e vita homo de se„ metipso in bestiae alicujus naturam demigra„ re debeat, multo praestantissimam commu„ tationem esse ex homine in leonem. Sin vero „ in plantam transire sors jubeat, optimam „ commigrationem esse in laurum „. Haec metempsychoseos species anathemate damnatur in fidei professione apud Cotelerium in notis ad recogn. Clement. pag.544., eandemque hodie doceri ab Indorum et Siamensium philosophis, referunt Bernier *lettre touchant les gent. de l'Hindoustan* pag. 30. et La Loubere *du roy. de Siam* tom.1. pag. 456. Quid vero putandum sit de metempsychosi, quam a Druidibus traditam narrant Caesar de bell.Gall. lib.6. num.4. et Diodorus lib.5. cap.28., nondum in promptu habeo. Strabo lib.4. pag.302. Mela lib. 3. c.2. Val. Maximus lib.2. cap. 6. ext. num. 10. hoc tantum affirmant, credidisse eos, animam post mortem durare apud inferos, resque cum cadavere crematas vel defossas illuc secum deferre; quae fere est barbararum gentium superstitio. Eodemque redire videntur, quae de epistolis

sophis plerisque placuit, in migratione praemio aut poena affici animam; dum pro actae vitae modo in novum corpus ablegaretur, ignorasse videntur Aegyptii, qui scelera eo puniri rebantur, quod homo arceretur a sepultura et a regno Osiridis; leviora delicta extenuatione purgari quae condituram praecedebat [39], forte etiam lustrationibus quibusdam apud inferos, quas in sarcophago lapideo apud Perrium expressas conjicio [40], licet ab antiquis scriptoribus non memoratas [41]: bonos autem ab Osiride praemium consequi, e cujus ditione ubi denuo excederet anima, ex lege Adrasteae per omnes animatae naturae species migrare cogeretur. Inde, quod recte advertit Servius, aucta cura cadaverum, ut diu fruerentur felici illa republica, Graecorum Elysio aequiparanda; inde cryptae sedulo custoditae, et duraturae pyramides illis superstructae, ne eventus quis turbare posset qui cum Osiride quiescerent; inde in quovis sepulcreto Osiridem praesentem adesse praedicaverunt, inprimis autem planities illa Memphitica cum pyramidum numerosa serie Osiridis regia putata fuit, et cavernae ibi sub terra late extensae mortuorum patria.

§. XVII.

De reliquo ut in Aegypto, sic apud caeteros quoque antiquos populos cavernae inveniuntur, angustiores aliae, aliae spatiosiores, tum a natura tum ab hominum arte, sive ad id ipsum sive initio lapidibus in aedificiorum commodum caedendis, excavatae, quae vel singulis hominibus familiisve, vel integris tribubus aut oppidis

---

in rogum conjectis, refert Diodorus, quamquam ipse doctrinam eorum comparet placitis Pythagorae. Sed animarum immortalitatem migrationemque in corpora quasi res arcte conjunctas cogitasse videntur veteres plerique. Certe in Scandinavorum Germanorumque antiquitate nulla offenduntur creditae metempsychoseos vestigia, neque apud Britannos Gallosve hujus rei domestica indicia inveniri comperi. Haereo quoque, utrum fides habenda sit peregrinatoribus, qui apud agrestes populos tum in Africa tum in America animarum migrationes credi affirmaverunt. Lafitau tom. 2. pag. 428. *Hist. génér. des voyages* lib. 8. cap. 3. §. 4. lib. 13. cap. 1. §. 4. tom. 3. pag. 439. tom. 4. pag. 605.

[39] Confer supra §. 13. not. 18. pag. 253.

[40] Perry *view of the Levant* tab. 33. Marmora Oxoniensia edit. Chandlero part. 2. tab. 2. num. 7, 1. Nolim tamen certi quid hac de re affirmare, praesertim cum verear ut delineationes illae omnibus numeris sint absolutae.

[41] Quid quod Diodorus lib. 1. cap. 93. omnes de inferis fabulas ab Aegyptiorum moribus proscribere videtur: *οἱ μεν γαρ ἑλληνες μυθοις πεπλασμενοις και ποιηταις διαβεβλημενοις την περι τουτων πιστιν παραδεδωκασι, την τε των πονηρων τιμωριαν. τοιγαρουν ουχ οἱον ισχυσαι δυνανται παντα προτρεψασθαι επι τον αριστον βιον τους ανθρωπους, αλλα τουναντιον υπο των φαυλων χλευαζομενοι, πολλης καταφρονησεως τυγχανουσι. παρα δε τοις αιγυπτιοις ου μυθωδους αλλ' ὁρατης τοις μεν πονηροις της κολασεως, τοις δ' αγαθοις της τιμης ουσης, καθ' ἑκαστην ἡμεραν αμφοτεροι των ἑαυτοις προσηκοντων υπομιμνησκονται, και δια τουτου του τροπου μεγιστη και συμφορωτατη διορθωσις γινεται των ηθων.* „ Enimvero Graeci fabulis commentitiis et famosis poetis fidem harum rerum, quod ad honores piorum et sceleratorum poenas adtinet, transcripserunt. Idcirco non modo ad optimam vitae rationem homines adducere per haec non potuerunt, sed contra derisionem improborum atque contemptum incurrerunt. Apud Aegyptios vero cum poenae malorum et bonorum praemia non in fabulis sed conspectu posita sint, quotidie pars utraque officii admonetur: et hoc modo fit maxima et utilissima morum correctio „. Sed haec tantum dicta esse ad commendationem rituum sepulcralium quibus utebantur Aegyptii, non ad inferos ab Aegyptia religione proscribendos, patet ex ipsius Diodori verbis cap. 49. 92. atque ex reliquis auctoribus supra adductis, sed quorum nemo poenarum meminit apud inferos.

sepulturae usum praestitere. Jam quae in Aethiopia supra Aegyptum prope Axumam civitatem speluncae inveniuntur in rupibus in conclavia distributae, pro sepulcris excisae videntur, et arcae lapideae octo pedum longitudine, latitudine trium, in conclavibus positae, mortuis condendis inservisse: quamquam nunc a vulgo antiquae reginae thesauri in iis servati ferantur [1]. Veterum quoque Persarum consuetudinem, reges suos condere in specubus factis in praefractae rupis latere, parum distantis a regia arce Persepoleos, exponit Diodorus libri decimiseptimi capite septuagesimo primo: εν δε τῳ προς ανατολας μερει της ακρας, τετταρα πλεθρα διεστηκος ορος εστι το καλουμενον βασιλικον, εν ῳ των βασιλεων υπηρχον ὁι ταφοι. πετρα γαρ ην καθεξαμμενη, και κατα μεσον οικους εχουσα πλειονας, εν ὁις σηκοι των τετελευτηκοτων υπηρχον, προσβασιν μεν ουδεμιαν εχοντες χειροποιητον, υπ᾽ οργανων δε τινων χειροποιητων εξαιρομενων των νεκρων δεχομενοι τας ταφας. „ In orientali arcis plaga mons est quadringentis inde pedibus „ distans, quem regium vocant. In hoc enim regum sepulcra inerant. Nam ex„ cisa illic petra erat, complura in medio domicilia complectens. In quibus con„ ditoria defunctorum nullum quidem aditum manu factum praebebant: sed in„ strumentis quibusdam arte magistra fabricatis, sublatos mortuos excipie„ bant „ [2]. Videnturque haec eadem illa antra esse, quae prope Persepoleos rudera, nunc Cilminar dicta, spectantur, in fronte rupis arte complanatae atque scalpturis decorae, caeterum arcuatis cellis instructa, in quibus positae fuerunt arcae marmoreae. Situ enim ista parum ab iis differunt quorum meminit Diodorus, quamquam aditu nunc saltem facilia. Quae vero ejusdem generis conditoria, atque in omni re praefatis similia, quinque ferme millibus passuum distant a Cilminar, in monte Nakscirustam dicto, rupe ad libellam secta, locum tenent ita elatum ut nisi funium ope adiri nequeant, arcas autem adhuc integras servare dicuntur [3]. Maxime autem Syria ac Palaestina cavernis cryptisque refertae

---

[1] Vide itinerarium Francisci Alvarez apud Ramusium tom. 1. fol. 204. et apud Purchas t. 2. pag. 1051. Refert hic mille passibus ab Axumae ruinis abesse domos subterraneas duas, quarum altera unum tantum habet penetrale vestibulo adjectum, altera autem complura comprehendit conclavia, inque uno eorum duae arcae lapideae positae sunt, operculis, quae olim adfuisse videntur, nunc destitutae. In his reginam Sabae thesauros suos condidisse ferunt.

[2] Ctesias in Persicis n. 15. ad calcem Herodoti Wesseling. pag. 815. δαρειος (ὁ υσταστπεω) προσταττει ταφον ἑαυτῳ κατασκευασθηναι εν τῳ δισσῳ ορει· και κατασκευαζεται. επιθυμησας δε ιδειν αυτον, υπο τε των χαλδαιων και των γονεων κωλυεται· οἱ δε γονεις ανελθειν βουληθεντες, επειδη οἱ ἱερεις ειδον, ὁι ανελκοντες αυτους, και εφοβησαν, και φοβηθεντες αφηκαν τα σχοινια, επεσον και ετελευτησαν. και ελυπηθη δαρειος λιαν· και απετμηθησαν ἁι κεφαλαι, τετταρακοντα οντων των ανελκοντων. „ Darius Hystaspis filius sepul„ crum sibi exstrui in bicipiti monte jubet, at„ que id exstruitur: sed quum id videre cupe„ ret, a Chaldaeis et a parentibus prohibetur. „ Quum autem parentes ejus ascendere voluis„ sent; ceciderunt atque interierunt: quum „ sacerdotes qui illos sursum trahebant, illud „ conspicati et inde timore correpti, funes la„ xassent. Quae res ingentem Dario moerorem „ attulit: et illis qui eos trahebant, numero „ quadraginta, amputata capita fuerunt „. Apud Diodorum vox χειροποιητον post εχοντες suspecta mihi est, forsan a librario e sequentibus assumpta.

[3] Kaempferi amoenitates exoticae fascic. 2. pag. 312. 352. Chardin *voyages en Perse* tom. 3. p. 114. 121. Lebrun *voyage par la Moscovie en Perse* tom. 2. pag. 276. 281. Niebuhr *reisebeschr. nach Arabien* tom. 2. pag. 150. 155. Cum his ubi veterum testimonia jam adducta confero, mons ille quem duplicem appellat Ctesias, Diodorus regium, complecti videtur duo juga initio 40 tantum passibus ab invicem distantia, postea, ubi regiae urbis rudera sunt, 6 fere millibus passuum semota, alterum Kaempfero dictum Rahmed, ab arcis reliquiis distans 600 pass., alte-

sunt, e quibus plurimae veterum sepulcrorum ostendunt vestigia, loculos in rupe incisos aut arcas sub fornicibus repositas [4]. Sunt et in Graecia conditoria sub ru-

---

rum Achtopeh, 5 mill. pass. ab iis dissitum. (Kaempf. pag. 306. 316. Chard. pag. 114. Nieb. pag. 155.) In illo per marmorea fragmenta 300 ferme pass. ascenditur ad duas antrorum frontes, quae scalpro insigniter sunt exsultae, tertia quoque ornari coepta, sed ad finem non deducta. (Nieb. pag. 152.) Una ex iis multo magis quam altera aevi injuriam passa est, sive id longiori temporis lapsu tribuendum sit, sive positioni soli pluviisque magis obnoxiae. In eo antro quod maxime ad septentrionem vergit, invenit Chardinus arcas marmoreas duas, longas pollices 62, latas 26, altas 30, quarum opercula juxta eas jacentia convexo dorso spissa erant pedes quatuor. Ipsum specum quadratum esse ait et fornice tectum, amplitudine pedum 22, altitudine 12. Magnitudine huic par esse antrum meridionale, sed in tres cameras divisum, quarum media nihil continebat, reliquae arcam singulam factam ad modulum earum quae in priori antro conspiciebantur. Omnes reperit vacuas, ne vestigio quidem relicto rerum quas olim incluserant. Sed qui post eum in meridionale specus intraverunt, Lebrun et Niebuhr, neque arcas invenerunt amplius. Kaempferus, qui omnes antecessit, in eo vidit cisternam et arcae operculum. Neque in magnitudine notanda inter se consentiunt: Lebrun longum facit pedes 46, latum 20. In monte Achtopeh quatuor sunt hujusmodi antra, cum frontibus eadem ratione columnarum figurarumque scalptura decoris, sed accessu admodum ardua, quandoquidem in recto rupis latere 30 pedes a solo elevantur, quare nec ullus e praefatis peregrinatoribus ad ea ascendere ausus est. Refert autem Kaempferus se accepisse ab homine qui in unum ex illis intraverat, esse ibi parvam cellam cum arca ex solida petra facta. Chardin duobus servis ascendere jussis, certior factus est, cryptam intus excavatam esse ad 40 passuum longitudinem, in latitudine autem patere pedes 24: atque in ea offendi arcas quatuor, longas pedes 6, latas 4, altas 5, cum operculis convexis, quae loco mota prope adjacebant. Lebrun per duos loci ejus accolas unum ex antris explorari curavit, qui retulerunt latum esse pedes 40, profundum 12, altum 10; et cerni in eo tres arcas, longas pedes 11, latas 6, altas 5. Denique Niebuhrius narrat, mercatorem Anglum, nomine Hercules, degentem in oppido Schiras, unum quod adiit longum invenisse ped. 40, latum 20, divisum in fornices tres, qui singuli continebant arcam, altam ped. 4, longam 9, latam, 8. Pro operculis erant plani lapides, qui loco manebant, sed jam olim perforati fuerant, nec amplius aliquid in arcis reperiebatur residuum. Caeterum et arcae et parietes cavernarum in utroque monte ornamentis omnino destituuntur. Nec ullus nunc apparet antiquus aditus, sed intratur per foramina hostili manu effracta: unde suborta est nonnullis suspicio olim eo ventum esse per cuniculos subterraneos ad cavernarum pavimenta assurgentes: cujusmodi ingressum praebere potuit puteus, quem cisternam vocat Kaempferus. Sed cum veteres scriptores affirment funium machinarumque ope ad eas sublevata fuisse funera, credendum videtur in frontibus januas fuisse, post illata cadavera ita artificiose clausas, ut postea inveniri non potuissent. De aetate eorum si quaerimus, non habeo cur fidem denegem Ctesiae, qui hoc sepulcrorum genus a Dario institutum ait: quin et ipsam Persepolin ab hoc rege conditam atque à successoribus ampliatam fuisse conjicio, Aegyptiorum Graecorumque hominum opera usis. Nam vetus Achaemenidum regia Pasargadis fuit, ubi et Cyrus sepultus est: in Persepoleos autem ruderibus, quae delineata sistunt peregrinatores, et Graecae et Aegyptiae artis haud obscura occurrunt indicia, licet totum opus barbarae gentis genio fuerit accommodatum. De Aegyptiis luculentus est locus Diodori lib. 1. cap. 46, ubi cum Thebarum opes a Cambyse expilatas narrasset, subjungit: *ὅτε δὴ φασι τους περσας μετενεγκοντας την ευποριαν ταυτην εις την ασιαν, και τεχνιτας εξ αιγυπτου παραλαβοντας, κατασκευασαι τα περιβοητα βασιλεια, τα τε εν περσεπολει και τα εν σουσοις και τα εν μηδια.* „ Quo tempore „ ajunt Persas hisce divitiis in Asiam transvectis „ et artificibus ex Aegypto adsumptis, exstruxisse famigeratas illas regias, Persepoli et Susis „ atque in Media „. Sed et Graecos operarios adhibuisse credi possunt, siquidem magnam captivorum copiam e Graecia in Persidem deportaverunt, atque cum reliqua praeda etiam statuas, quas apud ipsos servatas usque ad Alexandri tempora, Macedones Graecis restituerunt. Arrianus de exped. Alexandri lib. 3. p. 196. Pausan. lib. 1. cap. 8. pag. 20. Quin et Telephanem Phocaeum statuarium a Xerxe accersitum legimus. Plin. lib. 34. cap. 8.

[4] Pococke *description of the East* vol. 2. part. 1. lib. 1. cap. 5. pag. 20. c. 6. pag. 24. c. 12. pag. 48. cap. 16. pag. 65. cap. 21. pag. 84. 85. 87. lib. 2. cap. 8. pag. 134. cap. 17. pag. 160. cap. 22. pag. 184. lib. 3. cap. 5. pag. 225. Maundrell *vo-*

pibus [5]; ac decantatos illos Labyrinthos fuisse mortuorum domicilia ; ipsa Minotauri fabula indicio est, atque exitus qui semel ingressis amplius non concedebatur. Multa inveniuntur in Sicilia hujusmodi hypogaea, in quibus Syracusana maxime inclaruerunt, multiplici meatuum anfractu excisa, Alexandrinis et Saccarensibus cryptis admodum similia. Plurimae enim hic occurrunt angustae semitae, etiam satis latae viae, fornices pariter et quadrata conclavia, alia rotunda. Nec una eademque planitie procurrunt, sed in profundum sibi incumbunt duo vel tres ordines cavernarum : multis autem foraminibus aër admittitur. In his conclavibus et viis cubilia cadaverum juxta se disposita sunt in plano, vel sena aut septena in altum assurgunt : omnia in saxo excavata, forma oblonga, ut esse solent arcae sepulcrales, sed hisce plerumque majora [6]. Praeterea in eadem insula plurima sunt antra in saxis exsecta, cadaveribus alia, alia cineribus condendis accommodata, quorum nonnulla, inprimis quae cernuntur in Syracusano oppido per duas vias continuo fere ordine disposita, ostia habent pulcre ornata, stipitibus columnisque et fastigiis in saxi fronte scalptis [7]. Neque est qui ignoret per Italiam, maxime circa Urbem atque in Etruria, magna frequentia occurrere antra sepulcralia in collium lateribus, picturis plerumque ornata, interdum et scalptis effigiebus; pariterque hypogaea in profundum excavata, alia cum ossuariis ollis per foramina circumquaque dispositis, alia cum sarcophagis aut cum loculis oblongis ad integra cadavera condenda ex ipso topho excisis [8]. Guanchorum denique sepulcra in Canariis insulis, pe-

---

yage d' Alep à Jerusalem, trad. de l' Angl. pag. 21. 35. Drummond *travels* pag. 216. 218. 225. 229. 233. 235. Shaw *voyages* tom. 2. p. 3. 4. Lebrun *voyage au Levant* c. 48. pag. 264. sqq. Caylus *recueil d'antiquités* tom. 2. pag. 134.

[5] Antrum sepulcrale cum quinque loculis ad cadavera condenda ex rupe excavatis, a peregrinatoribus Anglis nuper detectum in Melo insula, describitur in *Collect. of engravings from ant. vases in the poss. of Sir W. Hamilton*, t. 1. pag. 156. Aliud quod Patris in Achaia vidit Cyriacus Anconitanus, commemorat Georgius Fabricius in descript. Urbis Romae cap. 20. in Graevii thes. tom. 3. pag. 537. In hoc loculi erant quatuordecim, inque singulis ollae binae vel ternae, eadem ratione dispositae qua conspici solent in sepulcris Romanorum.

[6] Jac. Phil. d' Orville Sicula edit. P. Burmanno part. 1. c. 11. p. 179. Münter *efterretninger om begge Sicilierne*, tom. 2. p. 36. De Non *journal* in *Voyage de Henri Swinburne dans les deux Siciles, traduit de l'Anglois par un voyageur François* tom. 5. p. 212. 193. Mirabella *de prisco oppidi Syracusarum situ* in Havercampi antiqu. Sicil. tom. 11. pag. 27. ichnographiam earum sistit, advertitque in illis loculis praeter ossa inventa fuisse vasa, numismata et inscriptiones Graecas. Occurrere etiam, licet rarius, cellulas ollis cinerariis locandis accommodatas, affirmat Münterus pag. 40. Cryptas Agrigentinas et Lilybetanas Syracusanis fere similes describit idem Dorvillius loc. cit. cap. 5. pag. 94. 106. 58. De Melitensibus vide inter alios Denon lib. cit. tom. 5. pag. 166.

[7] Münter lib. cit. t. 1. p. 401. t. 2. p. 43. 48. 120. 208. 6. Denon lib. cit. t. 5. p. 85. 127. 140. 206. 218. 226. Dorvillius cap. 11. pag. 193. cap. 5. pag. 94. Idem cap. 5. pag. 43. inquit : „ Incolas „ Panormitani et vicini agri in sepultura Aegy- „ ptiacos ritus secutos fuisse reor, eamque „ opinionem egregie firmat cella sepulcralis „ ante paucos annos in agro Soluntino detecta : „ in qua praeter varia vascula inventa fuerunt „ plurima idola Aegyptia. Ista in aere incidi „ curaverat abbas Cassinensis Michael del Giu- „ dice et icones nobiscum communicavit „. In icone adjecta conspicitur cella subterranea, ad quam descenditur per gradus quatuordecim; inque ea tria sunt cubilia, in quorum uno cadaver extensum jacet. Imagunculae, quae in eadem tabula exhibentur, similes sunt amuletis circa Aegyptia cadavera inveniri solitis : vascula autem Graecas formas praeferunt.

[8] P. S. Bartoli picturae antiquae cryptarum Romanarum, illustratae a Bellorio et Causseo, part. 2. tab. 1. sqq. part. 3. tab. 1.— 4. 11. Aringhi *Roma subterranea* tom. 1. pag. 214. *Monumenti degli Scipioni publicati dal Cav. Fr. Piranesi* tab. 1. 2. Herculanensium voluminum quae supersunt tom. 1. praef. §. 7. not. 28. pag. 8. Fr. Bartolii vetera sepulcra Romanorum et Etruscorum fig. 50. in Gronov. thes. tom. 12. Dempsteri *Etruria regalis* tom. 2. tab. 82. 88. Phil. Bonarotae explicat. ad tab. Dempst. pag. 35. Pas-

regrinatorum narrationibus nobilitata, speluncae sunt vastae amplitudinis in montium radicibus, praecipue Atlantis illius altissimi, quem Pico di Teneriffa appellant nostrates, maximam partem a natura paratae, in quibus cadaverum avito more conditorum ac in caprinis pellibus insutorum ingens copia, pars stantia cernuntur, pars in ligneis abacis decumbentia [9].

Sunt alii populi, in America maxime, qui fovea facta putei instar rotunda, arborumque cortice intus obducta, cadaver aut fasciis coërcitum rectum statuunt, aut subsidentis more collocant pedibus arena circumstipatis, aut ad modum embryonis complicatum demittunt; et super os putei tectum struunt ex asserculis [10]. Ab hoc more in prisco Latio aliquando usurpato, Romae ultra Exquilias atque in aliis civitatibus extra oppida loci fuerunt Puticuli appellati, plebejis funeribus addicti [11]. Alii mortuum aut in subsellio sedentem aut quasi in lectulo cubantem, includunt cubiculo ad paucorum pedum altitudinem defosso, palisque septo ac convallato, et ramis ita tecto ut terra in tumuli formam super eo coacervata corpus non contingat. Haec inprimis occidentalium Aethiopum consuetudo est [12]; eademque fere obtinuit in Scandinavia, ubi proceres, dum nollent post mortem cremari, domunculam colle tectam sibi strui jusserunt, nonnunquam etiam intra naviculam in siccum subductam terra obruti narrantur, utpote qui dum viverent marinis rebus operam dedissent [13]. Graeci pariter, saltem qui Campaniam tenuerunt et Magnam Graeciam, singulis defunctis sua paraverunt cubicula, pro hominum conditione modo angustiora modo ampliora, in quibus cadaver humi extensum componebant. Quae enim sepulcra in illis finibus nostra praesertim aetate vasculorum in iis repertorum copia et elegantia inclaruerunt, parvis domibus sunt similia cum tecto fastigiato, plerumque e rudi lapide aut e tegulis structa, nonnulla e lapide sectili cum parietibus dealbatis et pictis, ejusque amplitudinis ut in uno plusquam sexaginta vasa inventa narrentur ordine disposita circum cadaver [14]. Inde coeptum est quadrato lapide aut vero latere cameras con-

---

seri paralipomena ad Dempst. pag. 130. Gorii museum Etruscum tom. 3. p. 100. Maffei *osservazioni letterarie* tom. 5. pag. 310. 318. Paciaudi apud Caylus *recueil d'antiqu.* tom. 4. p. 111. Lanzi *saggio di lingua Etrusca* tom. 2. pag. 265. De catacumbis, quibus pro sepulcris usi sunt primi in Italia Christiani, consule Aringhi *Romam subterraneam*, Boldetti *osservazioni sopra i cimiterj de' SS. Martiri ed antichi Cristiani di Roma*.

9 Vide auctores citatos §. 13. nott. 61. 68. pag. 268. 271.

10 Lafitau tom. 2. pag. 406. 416. Stadii historia Brasiliae pag. 59. Lerii navig. in Brasiliam pag. 247. *Histoire génér. des voyages* tom. 12, pag. 221. tom. 14. pag. 284. tom. 15. pag. 69. 607. Oviedo *istoria delle Indie* lib. 5. cap. 3. apud Ramusium tom. 3. fol. 114.

11 Varro de ling. Lat. lib. 4. num. 5. „ Extra „ oppida a puteis Puticulae, quod ibi in puteis „ obruebantur homines : — qui locus publicus „ ultra Exquilias „. Festus : „ Puticulos, an„ tiquissimum genus sepulturae, appellatos, „ quod ibi in puticulis sepelirentur homines „. Scholiastes Horatii ad lib. 1. sat. 8.

12 Hist. *génér. des voyages* part. 1. lib. 7. c. 13. §. 1. lib. 9. cap. 7. §. 6. lib. 10. cap. 6. lib. 13. c. 1. §. 2. 3. cap. 8. §. 6. tom. 3. p. 173. tom. 4. p. 148. 339. 592. 605. tom. 5. pag. 103. Jobson et Battel apud Purchas part. 2. pag. 951. 977. De Afris Herodotus lib. 4. cap. 190: *νασαμωνες κατημενους θαπτουσι, φυλασσοντες επεαν απιη την ψυχην, όκως μιν κατισουσι, μηδε υπτιος αποθανεεται.* „ Nasamones defunctos sedentes sepeliunt, ob„ servantes ut dum quis coepit agere animam, „ eum sedentem constituant, ne supinus ex„ spiret „.

13 Snorro Sturleson *Heimskringla* praefat. pag. 2. Bartholini antiquit. Danic. lib. 1. cap. 8. pag. 114. lib. 2. cap. 3. pag. 289. sqq. Interdum etiam quibus cremari placuit, navi sua pro rogo usi leguntur.

14 *Collection of engravings from ancient vases, in the possession of Sir W. Hamilton*,

struere sub terra, in quibus lectuli essent pluribus cadaveribus recipiendis parati, ut qui ejusdem familiae sive sodalitii fuissent, post mortem quoque in una domo quiescerent. Sic in republica sua Plato sacerdotes Apollinis condi jubet sub fornice subterraneo longo, e lapide quantum fieri posset pulcro et durabili, in lectis lapideis uno juxta alterum positis [15]. Denique apud Graecos, inprimis qui Asiam et Siciliam tenuerunt, atque apud Romanos maxime, eo processit ditiorum ostentatio, ut etiam super terra domos aedificarent mortuis, urbesque et agros implerent mausoleis [16], quae diligenter clausa, interdum etiam a servis libertisque ad id destinatis custodita, aditum iis tantum concedebant, qui ejusdem essent familiae, quibusque jus erat in ea inferri aut mortuis ibi sitis parentare [17].

§. XVIII.

Latissime autem patere videmus consuetudinem mortuos includere in arcas oblongas cadaveris staturae accommodatas, et sic sub terram condere, aut in sepulcro reponere super solo exstructo, aut verum basi suffultas collocare sub divo.

---

tom. 1. pag. 24. Hujusmodi sepulcrum, ejus quidem classis quae maxime obvia est, aeri incisum sistitur in laudati libri fronte: aliud amplius atque ornatius habetur in D' Hancarville *antiquités tirées du cabinet de M. Hamilton*. Vide praeterea Denon lib. cit. tom. 2. pag. 127. 183. Occurrunt etiam in Sicilia hujusmodi sepulcra, atque in iis pariter picta vasa reperiri solent. D' Orville Sicula part. 1. cap. 6. pag. 124. De sepulcro hoc modo constructo intelligendus videtur Orphicorum auctor Argonaut. vers. 566:

αλλ᾽ ὁι μεν βασιληα περισταδον αμφιχυθεντες
κυζικον, ευξεστοισιν υπο πλακεεσσιν εθηκαν,
αν δ᾽ αρα τυμβον εχευαν, εδωμησαντο δε σημα.

„ Sed hi regem Cyzicum undique circumfusi „ bene rasis sub tabulis posuere, tumulumque „ exaggerarunt, aedificaruntque monumentum „.

[15] Plato de leg. lib. 12. opp. tom. 2. pag. 947: *θηκην δε υπο γης αυτοις ειργασμενην ειναι, αψιδα προμηκη, λιθων προτιμων και αγηρων εις δυναμιν, εχουσαν κλινας παρ᾽ αλληλας κειμενας. ὁυ τον μακαριον γεγονοτα θεντες, κυκλῳ χωσαντες περιξ, δενδρων αλσος περιφυτευσουσι, πλην κωλου ἑνος· ὁπως αν αυξην ὁ ταφος εχῃ ταυτην την εις τον ἁπαντα χρονον ανεπιδεη χωματος τοις τιθεμενοις.* „ Sepulcrum autem ipsis sit sub terra „ structus fornix, longior, e pulcris lapidibus „ et quantum fieri poterit firma duritie, habens „ lectulos unum juxta alterum positos: ubi beati illius viri corpus componant, et aggere „ circumfuso arbores circumquaque plantent, „ una tantum parte excepta: ut sepulcrum incrementum habeat in omne tempus, nec tumulo indigeant qui ibi conduntur „. De aedificiis subterraneis concameratis, quibus Romani pro sepulcris usi sunt, consule Kirchmannum lib. 3. cap. 15. pag. 385. 387.

[16] De Romanis quam notissimum est. Siculos pariter pro sepulcris usos esse aedificiis super terra, colligitur e Diodoro lib. 13. c. 38. 86. lib. 14. cap. 63. Cf. Denon tom. 5. pag. 42. 129. Münter tom. 1. pag. 420. tom. 2. pag. 120. Dorville pag. 94. In Asia autem minori atque in Cypro, et in Africae parte septentrionali multa exstare hujusmodi sepulcra, docemur a peregrinatoribus. Pococke vol. 2. part. 1. lib. 3. cap. 1. pag. 213. part. 2. lib. 1. cap. 1. pag. 39. cap. 5. pag. 58. cap. 13. pag. 75. Shaw tom. 2. pag. 73. 78. 82.

[17] De sepulcrorum cura libertis mandata ex testamento vide Kirchmannum pag. 432. Fuisse autem apud Cyprios hominum genus sepulcris custodiendis destinatum, discimus ex Hesychio: *βυβλιοι, ὁι των ταφων φυλακες παρα κυπριοις.* Etiam apotelesmatôn auctor, qui Graecorum potius quam Aegyptiorum mores expressisse videtur, lib. 5. v. 30. inquit:

τημος ὁσοι φυσαν, νεκυοστολοι εξεγενοντο,
η φρουροι νεκυων τυμβοις ενι ναιεταοντες.

„ Tunc qui nascuntur, pollinctores fiunt, aut „ cadaverum custodes, sepulcra incolentes „. Religiose autem claudi consuevisse sepulcra, probat idem Kirchmannus pag. 385. ubi veterum locis adde verba Ammiani Marcell. lib. 14. cap. 6: „ Bibliothecis sepulcrorum ritu in perpetuum clausis „. Sed hoc vix notatu dignum

Ligni ad hoc usus frequentissimus ; eoque Aegyptii ut plurimum contenti fuisse videntur, dum et sycomorus arbor, ejus regionis incola, materiem praeberet diuturnae durationis, et loca ubi condere solebant cadavera ab aëre atque humore ita essent praeclusa, ut quodvis lignum in iis perdurare potuisse videatur [1]. Ideoque non alias quam ligneas arcas commemorat Herodotus, quo loco recenset ritus funebres Aegyptiorum [2]. Qui apud hos erant locupletiores, ex uno trunco conficiebant loculum, binis cavis, quorum alterum fundum praebebat, alterum operculum : alii ex pluribus asseribus aut ligni frustulis compingebant, ligneorum pariter paxillorum ope consertis ; rimae autem sive naevi si in ligno occurrebant, panniculis et gypso obturabant. Operculum arcte conjungitur cum arca inferiori, cuneis in ora relictis, qui in crenas in inferioris cavi lateribus incisas immittuntur [3]. Infantum arculae ejusdem formae esse solent, quae apud nos usitatur hodie, in hoc tantum aberrantes a parallelepipedo, quod circa caput latiores sint, inde sensim coarctatae [4], siquidem et infantum mumiae caput habere solent tumidum, reliquum corpus in angustius volumen constrictum. In caeteris, quantum comperi, constans ea forma est, quae corpus refert medicatum fasciisque suis obvolutum. Vultus ad vivum exprimitur, dilatantur a collo humeri, turget pectus, deprimuntur crures, pedes exporrecti insistunt abaco, cujus ima basis exacte complanata totam arcam subrigit. Sed et dorsum plerumque planum est, saltem mediam latitudinem spatio circiter palmari trabs obtinet sive asser laevigatus, cujusmodi observari solet in statuis Aegyptiis ; quo fit ut arca pro loci convenientia aeque ad parietem recta stare possit, ac jacere locata in subsellio [5]. Haec

---

censuissem, cum jam ipsa res clamet, non potuisse sacra illa conditoria cujuslibet accessui patere : nisi vetera quaedam sepulcra, in quorum ruinis nullum apparuit januarum indicium, atque exempla habitationis in monumentis fortuito eventu profanatis et derelictis, allata a Kirchmanno pag. 432. nonnullis suasissent, Graecos Romanosque saepe usos fuisse sepulcris omnino patentibus.

[1] Sycomori lignum non ita ac vulgo fertur a corruptione et blattis esse immune, jam Caylus advertit diss. cit. pag. 137., ac mihi documento sunt arcae Aegyptiae quae prostant in museo Borgiano Velitris.

[2] Lib. 2. cap. 86. supra pag. 251. 253.

[3] Confer Heynii notitiam mumiae Gottingensis in comm. soc. Gott. vol. 4. pag. 4. Middleton. antiqu. pag. 252. Gordon *essay towards explaining the coffin of the ancient mummy of Lethieullier* pag. 2. Caylus loc. cit. pag. 137. et *recueil d' antiquités* tom. 1. pag. 39. Pococke *descript. of the East* vol. 1. lib. 5. c. 5. pag. 232. Servantur in museo Borgiano duo Aegyptiorum cadaverum loculi ad mumiae formam ficti, alter altus palmos 8, uncias 9, e binis cavis sat robustis factus ; alter altus palm. 8, unc. 2, e ligno subtiliori, cujus defectus hinc et inde tegunt et supplent gypsum et panniculi inferti. E prioris altitudine abacus pedibus subjacens occupat uncias 5, e posterioris 6. Gottingensis mumiae arca e sex asseribus coagmentata fuit, eodemque modo compactum loculum Hafniae in suo museo asservat Fridericus Münter V. C. Reperiri arcas nonnullas, quibus oculorum loco sint orbes vitrei, quo cadaver intus clausum conspici possit, auctor est Mailletus pag. 276, quem de more exscripsit Jauna pag. 1304.

[4] Hujusmodi arculae duae, singulae e sex asserculis, servantur Velitris in museo Borgiano : quarum altera, quae mumiam continet unciarum 22, supra memoratam pag. 261, longa est uncias $26\frac{1}{2}$, lata circum caput uncias 8, circum pedes $5\frac{1}{2}$; altera, quae includit mumiam unciarum 19, longa est 24, lata 9 et $4\frac{1}{2}$. Etiam duo Aegyptiorum infantum cadavera, quae Romae sunt in theatro anatomico nosocomii S. Spiritus, et tria quae vidi Venetiis, loculis ad hunc modum factis inclusa fuerunt.

[5] Solemnior quidem usus ille fuisse videtur, cujus meminere Herodotus et Diodorus, mortuos, tanquam adhuc viventes, rectos collocare ad parietem, praesertim ubi domi servabuntur, aut in sepulcro supra terram ; unde et factum videtur quod loculis ut plurimum adhaereat abacus sub pedibus. At vero Shawio itin. tom. 2.

fere solemnia sunt : in nonnullis expressa cernitur genuum prominentia ; sunt et in quibus brachia cum manibus et attributis indicantur [6]. Quae virilia includunt cadavera, sub mento habent barbulam oblongam et recurvam, qualis conspicitur in simulacris Osiridis aliorumque deorum Aegyptiorum [7]. Dealbare autem consueverant arcas ligneas gypso cum gummi praeparato, atque pigmentis, interdum auro, decorare. In multis quidem praeter extima vultus lineamenta nigro colore infecta, et fascias quasdam sive strias per anticam decurrentes, reliqua pars gypso tantum obducta est coloris cinerei vel admixto bitumine fusci [8]. Sunt vero aliae exquisitius ornatae, vultu accurate expresso, colore jam albo jam rubente, jam pallide viridescente, nonnunquam deaurato, ciliis autem oculisque et labiis ad naturae imitationem pictis [9]. Adjicitur capiti calantica in humeros defluens, ut plurimum caerulea, interdum viridis, nonnunquam striis variegata: ac pectori incumbit

---

pag. 153. affirmanti, quotcunque sunt in cryptis cadavera, recte statuta inveniri, non video qui credi possit contra reliquorum peregrinatorum fidem: maxime cum ipse eo loco non de facto narrando occupatus sit, sed de sua circa pyramides opinione adstruenda.

[6] Ex litteris Münteri certior factus sum, eam mumiam quam ipse possidet, inclusam esse loculo ανθρωποειδει cum brachiis ad latera exporrectis; in alia autem arca Aegyptia Hafniae servata, dextram manum anaglyptice scalptam pectori incumbere, sinistram ad lumbum demissam tenere linteoli imitamentum. In hac umbilicus quoque scalptura expressus est; inferior autem pars prorsus neglecta ne pedum quidem indicium offert. In majori e duabus arcis musei Borgiani genua et tibiae indicantur.

[7] In museo Borgiano major loculus barbam habet, separatim scalptam et paxilli ope mento affixam: minor ea caret. Eadem instructi sunt duo sarcophagi Bononienses, is quem vidi Venetiis, Lethieullierianus, Cantabrigiensis. Barba destituuntur Hafnienses duo modo memorati, Gottingensis, Caylianus, Pocockianus, Tuttianus, Meadianus et Lisleanus. Esse autem hoc sexus indicium recte animadverterunt Gordon *essay towards explaining the mummy of Dr. Mead*, pag. 1. et Heynius l. c. pag. 4., siquidem hactenus in nulla inventum sit sive statua Aegyptia sive mumia certo muliebri: quamquam affirmare nolim adesse illud in omnibus virilium cadaverum loculis, dum Aegyptias statuas viriles cernimus alias barbatas, alias imberbes. Gottingensem mumiam ea carentem sequioris sexus cadaver agnoverunt anatomici. Verum si forte in loculo ea insignito aliquando deprehensum foret cadaver muliebre, notandum est Arabum fraude mumias saepe ex una arca in alteram transferri. Invaluit quidem opinio, corpora reperta in cryptis apud Saccaram plerumque esse muliebria, raro vel nunquam virorum. Maillet pag. 285. Caylus l. c. p. 138. Pococke vol. 1. l. 5. c. 3. pag. 227. Sed hoc ex errore natum, quod capitis velamentum Aegyptiis maribus aeque ac foeminis commune, mulierem arguere putarent, monuit Heynius comm. vol. 3. pag. 77. Eundem consule etiam comm. vol. 4. pag. 4. adversus eos disputantem, qui contra ac docent oculi, non barbam repraesentari autumant in mumiarum loculis atque integumentis, neque in Osiride aliisque simulacris Aegyptiis, sed nescio quod perseae folium, ab omnibus foliis hactenus cognitis prorsus diversum. In ea quidem re accedere nequeo Heynio, quod barbam illam Osiriacam, symbolum putet Solis renascentis sive redeuntis: sed potior videtur sententia, Osiridis aliorumque Aegyptiorum numinum effigies inventas et decretas fuisse antequam barbam deponerent Aegyptii, ideoque et simulacra eorum et mumias Osiriaco ritu curata cum barba fingi, eadem ratione qua Graeci Romanique quo tempore ipsi raso mento utebantur, Jovem et Aesculapium finxerunt barbatos.

[8] Huc pertinent minoris mumiae arca in museo Borgiano, arca Lisleana in Gordoni collectione monumentorum Aegyptiorum tab. 24., Nardiana apud Kircherum Oed. tom. 3. p. 412., ac ea quam sistit Caylus *recueil d'antiqu.* tom. 1. mon. Aeg. tab. 11. num. 1.

[9] In sarcophago Veneto jam memorato color vultus albus est, in Borgiano minori cinereus, in majori viridis fuisse videtur. In Bononiensi majori carnis colorem imitatur vultus pallide rubentem; cilia nigra sunt, oculi albi cum iride ad vivum expressa, labia rubra; barba caeruleo nigrescens cum margine fulvo. In minori vultus deauratus est simul cum barba, in Münteriano fulvus. In Lethieullieriano rubentem esse docet Gordon *essay towards expl.* pag. 3.

ornamentum semilunare, colorum varietate, frondiumque et florum atque margaritarum imitatione conspicuum. In reliqua etiam arca, fere ut in operimentis supra descriptis, pictae occurrunt notae hieroglyphicae, verticali plerumque ordine dispositae; atque figurae varii argumenti, principem locum ut plurimum tenente alatae deae effigie, summum occupantibus protomis accipitrinis duabus, imum lupis totidem. Sic in pulcerrima illa arca a Guilielmo Lethieullier ex Aegypto advecta, nunc servata in Museo Britannico [10], infra ornamentum pectorale e duodecim gyris sive limbis compactum, cui utrinque insidet protome accipitrina cum globo super vertice, immortalis animae symbolum, Isis picta est alis brachiisque expansis, manibusque tenens musae folia, cum altero figurarum ordine supra enarrato, adjectis circa deae imaginem hieroglyphicis notis nonnullis. Sequitur inde eorundem characterum columna, unico versu usque ad imum loculi marginem deducta, quam comitantur utrinque sex ordines effigierum. Horum ultimum pedesque mumiae occupant lupi duo grandiores, atro colore, alter alteri e regione quadratae basi incumbentes, flagro et collari insignes, inferi mundi janitores. Etiam supra hos in area scriptae sunt paucae litterae hieroglyphicae, sed ordine inverso, siquidem et ipsae luporum figurae capitis verticem infimo margini loculi opponunt. In unoquoque e reliquis ordinibus conspiciuntur genii quatuor, humana specie, stantes sive gradientes, hinc duo inde duo, omnes introrsus conversi ad columnam hieroglyphicorum praefatam. Hi singuli gestant altera manu sceptrum aratriforme, altera clavem: excepto ibiocephalo, qui inter omnes primum locum tenens manu gerit pugillares, velut ostendens hieracocephalo e regione adstanti. In secundo ordine sunt cynoprosopi duo; in tertio crioprosopus: reliqui sunt viri imberbes quinque, mulieres decem. Decurrunt autem per totam anticam notarum hieroglyphicarum versus, horizontales alii, alii verticales, qui tanquam saepimenta sunt inter singulos ordines, singulasque figuras. Porro super vertice sarcophagi, calanticae incumbit effigies Isidis, similis ei quae expressa est in pectore [11]. Posticam vero partem occupat grandis imago mulieris diadematae ac veste tessellata indutae, quae abaco pertica subrecto insistens, utraque manu tenet vittam, capite autem sustinet accipitrem flagro armatum, unguibusque gestantem musae folium, et capite gerentem ornamentum compositum e cornubus orygis, globulo ac duabus pennis erectis. Huic addita est brevis inscriptio hieroglyphica [12]. Ex duobus illis sarcophagis, quos vidi Bono-

---

[10] Praeter Georgium Vertue supra laudatum aeri incisam dedit Alexander Gordon in Aegyptiorum monumentorum collectione tab. 11. 12. Confer quae de ea adnotavi §. 16. pag. 304.

[11] Ista effigies in ectypis quidem non apparet: at meminit ejus Gordon *essay towards expl.* pag. 4.

[12] Quam proxime ad hujus arcae pulcritudinem accedit operculum sarcophagi a Niebuhrio visum Cairi apud consulem, ut dicunt, Francogallorum: *Reisebeschr. nach Arabien* tom. 1. pag. 207. tab. 39., de quo dixi §. 16. pag. 304. 305. Hoc loco notandum superest sex illos figurarum ordines per medium secari, singulosque in duas areas dividi notarum hieroglyphicarum columna duos versus continente. Eximie pariter ornatus fuit sarcophagus major Borgianus, quamquam nunc pigmenta maximam partem defluxere. Collaris ornamenti exiguae supersunt reliquiae: circa imum ventrem usque ad pedes servantur notae hieroglyphicae, quatuor columnis colore viridi admodum eleganter pictae. His utrinque adstitutae sunt figurae tres, quarum quae summum locum obtinet, Anubis est vultu viridi, peplo rubro ad mumiae instar involutus, manibusque gestans fasciam sive vittam. Secundo loco hinc et inde stat vir rubro colore, nudus praeter perizoma album, altera manu tenens baculum aratriformem, altera clavem. In tertio ordine duae mulieres albae, veste ru-

niae in museo instituti Clementini, major, qui altitudine fere exaequat palmos novem, non tam icuncularum varietate quam ipsius picturae elegantia apprime conspicuus est. Infra collare ornamentum cernitur Isis eodem habitu quo in arca jam descripta, cum alis eximia colorum varietate decoris, ipsa colore flava cum veste viridi et diademate aureo. Haec capite gestans globum aureum circulo coeruleo cinctum, et utraque manu tenens clavem, subsidet super columella sive cippo, qui reliquam occupat loculi partem anteriorem, in imo ornatus striis verticalibus, ut sunt illi quibus in obeliscorum scalpturis accipitres insistere solent. In hoc cippo variis coloribus picti sunt characteres hieroglyphici grandes et perpulcri, in quinque versus verticales distributi: utrinque autem ad latera conspiciuntur signa tria, nempe clavis, triangulum sive pendulum, et globus quadrifariam divisus [13]. Verum notarum copia prae reliquis superbit arca Werliana apud Kircherum Oedipi tomo tertio [14]. Habet enim in antica columnas quinque, hinc et inde adstitutis icunculis quinis: porro in utroque latere columnas duas, in postica autem sex. Etiam plinthus, quae loculum sustinet, characteribus insignitur. Universim in postica arcarum raro pictae occurrunt figurae, frequentius characteres hieroglyphici a summo ad imum decurrentes [15]: in plurimis

---

bra indutae, in genua subsident super monili grandi variis coloribus decoro. Harum quae a dextris est, capite sustinet throni imitamentum coloris coerulei; quae a sinistris, sacellum viride. Porro ubi pedes mumiae prominent, medium locum habent notae hieroglyphicae duabus lineis verticalibus, sed ordine inverso exaratae: utrinque autem adjacet lupus eadem plane ratione ac in arca Lethieullieriana, pariterque nigro colore infectus. Simili fere argumento atque ordine pictus fuisse videtur loculus mumiae, quem a se ex Aegypto allatum sistit Pocockius vol. I. tab. 20., paucis tantum pigmentorum reliquiis servatis. In sarcophago Tuttiano, aeri inciso in itinere Perrii, pectori incumbit Isis alata eodem modo ut in Lethieulleriano, et super pedibus iidem lupi picti sunt. Medium spatium obtinent sex columnae hieroglyphicorum, quibus utrinque adstant icunculae quaternae: trabem autem, quae dorsum subrigit, ornant quatuor ejusdem scripturae columnae.

[13] Minor sarcophagus Bononiensis, altus fere palmos quinque, eandem offert alatae Isidis effigiem, utraque manu tenentem musae folium, et flexis genubus subsidentem in columella brevi, paucis notis hieroglyphicis insignita. Porro in basi quadrata, quae pedis loco est, conspicitur protome nuda, brachiis explicatis, utraque manu attollens pugionem: reliquum spatium reticulata pictura circumdatur. Venetae mumiae loculus, altus circiter palmos decem, in pectore pictum habebat lupum solitarium, colore viridi fusco, jacentem super vertice columnae uno hieroglyphicarum notarum ordine inscriptae, quae variis coloribus pictae usque ad imum sarcophagi marginem pertingebant. Etiam sarcophagus Meadianus apud Gordon tab. 24., et Cantabrigiensis apud Middleton tab. 22., unico tantum notarum versu a pectore ad pedes continuato insigniuntur. Münterianae mumiae loculus in hoc a reliquis differt, quod pictura vestem referat albam ad pedes promissam, rubris striis interstinctam, pedibusque subjecta sint sandalia rubra. Unica tantum adest figura, pectori superposita, nempe Isis alata utraque manu tenens clavem, adscripto exiguo hieroglyphicorum numero. Alterius Hafniensis mumiae arca, Isidis loco habet scarabaeum alatum cum globo inter duos serpentes uraeos, infra quem baris grandem globum ferens, aliaeque figurae nonnullae. Denique sarcophagum Parisiis prostantem citatum invenio a Barthelemio in *mem. de l'acad. des inscript.* tom. 32. pag. 734., in quo pictum erat cadaver arcae inclusum jacens super feretro leontomorpho, adstante Anubide et manibus elatis velut valere jubente.

[14] Pag. 429.

[15] Nardius apud Kircherum Oed. tom. 3. pag. 414. duos sistit mumiarum loculos a dorso conspiciendos, antica parte nescio quam ob causam omissa, quorum alter tres habet hieroglyphicorum lineas verticales ab humeris ad imum marginem deductas; alter duas tantum, sed quibus utrinque adpictae sunt imagunculae, adjectis prope singulas figuras notis quibusdam in area. Scilicet in utroque humero conspicitur oculus cum nervis ciliisque, supra quem est globus, infra autem brachium flexo cubito manuque quasi ad indigitandum elata. In secundo ordine utrinque stant cebi sive cynocephali bini,

autem dorsum purum est, gypso tenuiter obductum. Infantum capsulae, quas quadrangulas esse diximus, lineis sive striis varii coloris ad retis instar picturatae esse solent; rarius hieroglyphicas notas praeferunt: pro operculo autem interdum utuntur linteo pluries complicato ac gypso glutineque asseris instar indurato [16]. Sunt et grandia quaedam cadavera, quae pro conditorio habent arcam e telis linteis ingenti numero, ad quadraginta usque ajunt vel quinquaginta, sibi super inductis atque conglutinatis, caeterum eodem modo factam et ornatam, quo esse solent loculi lignei [17].

Sed lapideis quoque conditoriis usi inveniuntur Aegyptii ad eandem legem efformatis, plerumque e lapide calcareo albo seu pallide flavescente et parum duro, in Aegypto ubique obvio; rarius e basalte coloris nigricantis: reperiri etiam e marmore peregrinatores prodiderunt [18]. Ornamenta in iis quae ipse vidi parciora sunt

---

manibus adorantium modo sublevatis; in tertio hinc et inde lupus graditur cum flagro. Infra hos utrinque stat avis cum capite humano barbato. Infimam autem loculi partem invidit tempus.

[16] Duae ex parvis mumiis Venetis supra memoratis pro operculo habebant linteum hoc modo praeparatum, cui in altera earum inscriptae erant notae hieroglyphicae.

[17] Thevenot *voyage au Levant* part. 2. cap. 6. tom. 1. pag. 259. et Bremond *descriz. dell'Egitto* lib. 1. cap. 15. pag. 75. narrant inveniri in cryptis apud Saccaram hujusmodi arcas linteas aeque conservatas ac sunt ligneae; additque Thevenotus se possidere unam e plus quam quadraginta stratis compactam, gypso dealbatam et pigmentis decoram. In hac praeter alia pictum cernebatur cadaver super feretro formae leoninae extensum, de quo jam sermonem fecimus. Vidi et ipse Romae hujusmodi operculum apud mercatorem, sed in transvectione corruptum, atque ab instauratore penitus pessumdatum.

[18] Raro quidem hujus generis sarcophagi in nostris regionibus conspecti fuerunt: at nimis parcus Caylus diss. cit. pag. 137. nil de iis innotuisse ait, praeter quae retulerunt Burrattinus apud Kircherum Oed. tom. 3. pag. 400. et Mailletus pag. 285. Nam reperiri in cryptis apud Saccaram loculos lapideos figura imitantes cadaver quod includunt, narraverunt pariter Vanslebius pag. 149., Monconys tom. 1. p. 185. 196., Bremond lib. 1. cap. 15. pag. 75., Thevenot part. 2. cap. 6. tom. 1. pag. 259. Quid quod Thevenotus ait, se duos eorum secum detulisse, quorum alter quidem in itinere fractus fuerat, alter in suo museo integer servabatur: exstare praterea duos in aedibus Nicolai Fouquet ad S. Mandatum: et hosce omnes inscriptos esse ingenti hieroglyphicorum numero. Sunt autem Fouquetiani illi iidem, quos Marsiliam advectos anno 1632, Ludovicus Brusetus delineatos transmisit Kirchero, qui in Oedipi tomo 3. pag. 478. sub Serapidum seu Larium averruncorum nomine evulgavit. Postea vero translati fuerunt ad castrum d'Ussé in Turonibus, ubi a se conspectos descripsit Sauvagerius, alterumque eorum aeneis formis exprimendum curavit in calce libri: *Recueil d'antiquités dans les Gaules par M. de la Sauvagere* 1770. pag. 329. tab. 28. 29. Itaque missis quae de statuis hisce disserit Brusetus, intra magnam pyramidem inventis in provincia Said, loco a mari rubro non adeo rémoto, in qua insimul cum diis suis sepultus fuerat illius regionis Pharao: e Sauvagerio p. 354. notabimus esse hos lapides arcarum opercula, scite excavata, et singula quatuor incisuris instructa, in quas olim immittebantur cuneoli ex inferioris cavi margine prominentes. Eorum alterum est e marmore albo vulgari, quo vocabulo intelligi videtur lapis ille calcareus in Aegypto abundans, altum pedes parisienses sex, cum cavitate longa pedes 5, pollices 5. Alterum e lapide nigro, quem basaniten vocat Sauvagerius, altum est pedes 5, poll. 11, cum cavitate pedum 5, poll. 3. Uterque lapis figura refert mumiam calantica ac barbula decoram, alter autem, quem restituit Sauvagerius, iis insignitur scalpturis quas in contextu enarramus; alter notarum tantum continet columnas tres a pectore ad genua pertingentes, quas satis bene expressit Brusetus. Hujusmodi loculos lapideos ipse tres vidisse memini: unum quidem integrum, binis cavis constantem, fundo atque operculo, servatum Venetiis in museo Naniano, Aegyptiorum Graecorumque monumentorum copia claro; cujus accuratam descriptionem mecum communicavit vir inclytus Jacobus Nani senator et eques auratus, litteris datis Venetiis die 18. januarii 1794. Factus est e lapide calcareo albo ad cinereum tendente, modica duritie,

quam in ligneis, maxima cura in vultu exprimendo, eximia interdum arte expolito. Modicum spatium in pectore aut in ventre hieroglyphicis seu scalptis seu pictis insignitum pro reliquo ornatu esse solet: occurrunt tamen nonnulla figuris et characteribus a summo ad imum decora, in quibus primum locum tenet arca e basalto nigro, quam post Kircherum publici juris fecit Sauvagerius. In ea enim pectori incumbit vultur capite muliebri cum globo super vertice, notum Isidis symbolum, alas late explicans, utroque autem pede anulum tenens et arundinis scapum virentem, naturae omnia cingentis et gignentis indigitamenta. Juxta caput hujus utrinque exarati sunt notarum versus duo verticales. Reliqua autem scalptura usque ad pedes mumiae pertingens in tres columnas dividitur, quarum quae medium locum tenet, reliquis latior septem comprehendit vultures ei quem descripsi in omni re similes, sed mole minores, Isidis puta οπαδους δαιμονας, quorum singulis duo adjecti sunt notarum versiculi verticales: quae vero columnae utrinque adstitutae sunt, singulae unum continent hieroglyphicorum ordinem.

Nobilissima autem conditoria et maximae molis, ad duodecim usque pedum longitudinem, corporibus ut videtur jam in alias arcas inclusis recipiendis parata, ex granite sunt coloris aut rubentis aut ad nigrum tendentis, planis lateribus, ut parallelepipeda diceres, nisi quod pleraque eorum circa caput cadaveris in arcum curventur, nonnulla etiam juxta caput latiora sint quam juxta pedes. Operculum pariter planum est, sed in eo exscalpta prostat mumiae effigies supine decumbentis. Totum denique conditorium tum interna tum externa superficie figuris et notis hieroglyphicis caelatum esse consuevit: quamquam illud quod in magna, quam vocant, pyramide in penetrali superiore stat pavimento infixum, prorsus purum est atque glabrum. Hujus longitudo est palmorum circiter decem, latitudo quatuor fere et semissis, altitudine pari: operculum, quod olim affuisse ex arcae margine agnoscitur, nunc ablatum est; latera plana sunt et anguli recti [19]. Omnium autem quae innotuere maxima ea sunt, quae apud Thebas in re-

---

odore petrolei. Altitudine aequat palmos 7, uncias $4\frac{1}{2}$, praeter abacum pedibus subjectum, altum uncias 6; cavitas autem efficit palmos 7, et unciam, cum lapidis spissitudo sit unciarum $3\frac{1}{2}$. Latus est circa humeros palm. $2\frac{1}{2}$, circa pedes $1\frac{1}{2}$. Dorsum planum est et scabrum, neque reliqua superficies accurate laevigata: intus autem ubi cadaver ponebatur, laevis est ac politus. Vultum praefert imberbem cum calantica, reliquum corpus scalpturis destituitur. In pectore autem conspicitur scutulum semiellipticum gypso candido obductum et nigris striis fasciisve distinctum. Duarum porro arcarum opercula, ejus fere staturae qua esse solent homines adulti, offendi in Daniae insula Fionia, nescio quo casu illuc delata. Alterum e lapide calcareo flavescente, notis hieroglyphicis in pectore exaratis insigne, jacebat in impluvio domus cujusdam in oppido Kjerteminde. Alterum e lapide fusco caerulescente, hieroglyphicis carens, sed vultu egregie scalpto, pro statua erectum stabat in villa Brolyke ab eodem oppido parum dissita. In utroque caput erat imberbe, calantica de more tectum.

[19] Multus de hoc lapide sermo est apud peregrinatores. Parallelepipedon appellat Nordenius tom. 1. pag. 75., eique assentire videtur Niebuhrius tom. 1. pag. 203: reliqui auctores figuram ejus non indicavere. Longitudo juxta Gravium in collectione Thevenotiana tom. 1. pag. 16. et apud Pocockium vol. 1. pag. 44. est pedum londinensium 7, pollicum $3\frac{1}{2}$, palmorum fere 10., latitudo ped. 3, poll. $3\frac{3}{4}$, altitudine pari. Cavitas autem longa est pedes $6\frac{480}{1000}$, lata $2\frac{218}{1000}$, profunda $2\frac{860}{1000}$. Majorem aliquanto faciunt Lucas *voy. en* 1699. tom. 1. pag. 65. *voy. en* 1714. tom. 2. pag. 128. Maillet pag. 241. de Breves pag. 278. Bellonius p. 300. longum esse ait pedes 12. Malleo percussum clarum sonum edere narrant, at in lapidis genere definiendo discrepant. E granite esse ajunt Nordenius, Shawius, Sicardus et Maillètus. Porphyriten appellant Debreves et Lucas, marmor nigrum Bellonius, basalten Petrus de Valle tom. 1. p. 249.

gum sepulcris conspiciuntur, e granite rubro cum mumia in operculo effіcta, de quibus consule quae supra adnotavi e Pocockio [20]. Celebratur etiam a peregrinatoribus arca, quae Cairi pro labro stat ad fontem vulgo dictum amantium sive thesauri, e granite nigrescente, figura fere quadrangula, longa circiter palmos undecim, lata prope palmos sex, altera quidem parte angustior, altera latior atque arcuata, scalpturis autem tum intus tum extus decora [21]. Hujus unum latus delineatum exhibuit Niebuhrius, ubi summum marginem occupat nocturni coeli imago, stellarum scilicet series quinque radiis fulgentium: mox infra adjecto hieroglyphicorum versu horizontali, sub quo constitutae sunt figurae grandiores, spectantes ut videtur ad mysteria Osiriaca. Nam principem locum tenet oculus praegrandis, quasi e duobus oculis in unum contractis, Osiridis superi inferique mysticum symbolum, cui subjectae sunt praecinctiones tres et cancellorum species, forsan praeclusum adytum et initiationum gradus innuentes. Inde utrinque exarati sunt hieroglyphici characteres in quinque columnas distributi. Porro a dextris stat Anubis mystagoga, pone quem habentur sex notarum columnae: ultimis vero locis hinc et inde scalpta est effigies viri imberbis, submissis manibus gradientis, unico notarum versu per utrumque marginem decurrente. Additae praeterea sunt paucae quaedam notae super cujusque figurae capite; omnes autem figurae conversae sunt ad oculum illum grandem.

Aliam arcam ejusdem fere magnitudinis atque formae, e granite coloris inter nigrum et griseum, haud ita pridem inventam fuisse apud Salhadsjar, ubi Sais fuit et Psammetichidarum sepulcra, inde autem cum navi Cairum portaretur, vectorum incuria fractam et in oppido Bulak relictam, auctor est idem Niebuhrius, qui et fragmina ejus tunc Bulaki residua delineavit [22]. Sed jam antea grande ejusdem fragmentum in Europam adlatum fuerat a Perrio et in itineris narratione aenea forma expressum, quod postea migravit in museum academiae Oxoniensis [23]: alterum vero eximiae pariter molis paucis ab hinc annis ex Aegypto advehendum et suo museo, quod Velitris est, inferendum curavit Eminentissimus Cardinalis Borgia [24]. Hoc ea pars est sarcophagi, quae putari potest ad sinistrum pe-

---

Savario tom 1. pag. 220. visus est e marmore flavescente. Operculum, quod olim affuisse ex arcae margine agnoscitur, nunc ablatum est: arca relicta scalpturis prorsus caret. Addit Nordenius pag. 86. ne laevigatum quidem fuisse lapidem: sed dum contra ac reliqui scriptores idem quoque asserat de parietibus cuniculorum et conclavium in pyramide, vix fidem mereri videtur. Consule praeterea Bremond p.68. Thevenot t. 1. p. 252. Shaw t. 2. p. 152. 156. Sicard *nouv. mem. des miss.* tom.7. p.173.

[20] Vide §.14. pag.280. Confer etiam Sicardum *discours sur l'Egypte in Nouvelles memoires des Missions au Levant* tom.7. pag.163.

[21] Vide Niebuhr tom. 1. pag. 202. tab. 30. Ichnographiam ejus dedit Pocockius vol. 1. tab. 11, e qua colligitur longitudo pedum londinensium 7 $\frac{1}{2}$, latitudo maxima ad angulos partis curvatae pedum 4 $\frac{1}{4}$, minima 3 $\frac{3}{4}$; spissitudo lapidis pollicum fere 9. Assentiunt Monconys t.1. p. 185. et Bremond p. 66., nisi quod longam faciant pedes parisienses 8, pollices 2, altam pedes 3.

[22] *Reisebeschreibung nach Arabien* tom. 1. pag. 205. tab. 31. — 35.

[23] Perry *view of the Levant* tab. 33. Marmora Oxoniensia edit. Richardo Chandler, Oxonii 1763. part. 2. tab. 2. num. 7. cum epigraphe: *Pars sarcophagi vel cistae, qua condiendis cadaveribus utebantur Aegyptii. Est ex nigro marmore. Transvectam a Dn. Perry in Angliam, magno redemit pretio academia. Idem edidit in itinere ejus.* Sed uterque ectypus non magnam prae se fert accurationis speciem: posterior autem e priori desumptus videtur.

[24] Hoc fragmentum idem illud esse cujus exteriorem faciem dedit Niebuhrius tab. 32. 34. certo scimus, quamquam ectypus non omnibus numeris respondeat lapidi: quandoquidem post

dem cadaveris pertigisse; quasi tabulae duae utrinque planae ad rectum angulum coëuntes, quarum altera, quae pars fuit lateris sinistri, longa est palmos quatuor, spissa palmum unum cum lineis sex; altera, quae plantis pedum opposita fuit, longa palmos tres, uncias octo, spissa palmum cum uncia et lineis septem. Angulus integer est, reliquae extremae partes fractae, quare de totius loculi magnitudine ex hoc fragmento certum indicium capi nequit. Attamen ex eodem collato cum tabulis Niebuhrii et Perrii colligere mihi videor totam longitudinem palmorum circiter undecim: latitudinem autem fuisse palmorum quinque, arguo e scalpturarum ordine in ea fragminis parte quae respondet pedibus cadaveris olim inclusi [25]. Servatur et summus margo, sine operculi aut commissurae vestigio, perfecte planus. Altitudo agnoscitur in facie exteriore palmorum trium, unciarum octo et dimidiae, sed inferior pars comprehendens uncias novem et semunciam, scabra est et impolita, utpote olim infixa plintho sive pavimento; qua subtracta relinquuntur palmi duo, unciae undecim, quibus par est profunditas cavi corpori collocando aptati. Hoc cavum scite quidem excisum est, sed non eo gaudet laevore quo exterior facies; neque exacto angulo latera fundo insident. Perrrianum fragmentum Oxonii servatum continet duas tertias partes lateris dextri, cum medietate arcus qui caput ambiebat: de reliqua parte indicium praebent tabulae Niebuhrii. Scalptura more Aegyptio englyptica simul et anaglyptica, exigua quidem prominentia, haud inelegans est, quamquam multum distet a magnorum obeliscorum pulcritudine. Argumentum ubi spectes, summum marginem extrinsecus ambit series luporum super suggestibus cubantium, quorum singulis ad armum adstitutum est flagrum, ad pedes anteriores flabellum, ante suggestum terna ut videtur spicula. Huic subjecta est hieroglyphicorum series, infra quam cernuntur earundem notarum ordines verticales ad mediam fere politi lapidis altitudinem pertingentes, duobus tantum in locis interrupti. Duo ista spatia vertici pedibusque cadaveris opposita, atque reliquam faciem infra hieroglyphica obtinent figurae grandiores, quibus passim notae adscriptae sunt per aream. In imo est ornamentum architectonicum Aegyptiis familiare, e regulis horizontalibus, quas excipiunt striae verticales. Interior facies prope summum marginem uno cingitur notarum

---

inspectas tabulas Niebuhrianas Bulako arcessendum curavit Emin. Borgia. Sed et Perrianum fragmentum ad eandem arcam pertinuisse, conjectura colligo, e singulari quae est illud inter et reliqua fragmina scalpturarum concordia; atque e mensuris fragmenti Borgiani collatis cum tabulis Niebuhrii, e quibus constare existimo non totam arcam Bulaki superfuisse, quo tempore ille vidit et delineavit. Nam cum ima facies lata sit palmos 5, et sinistri lateris pars tab. 32. longa palmos 4, reliquae partes tab. 31. 33. 35., quae simul faciunt pl. 14, nullo pacto conficere possunt reliquam arcae circumferentiam. Ubi vero fragmento Perriano, cujus quidem ignoratur magnitudo, tribuas pl. 11, quot fere occupant figurae partis oppositae in tab. 31. 33. et dimidia tab. 32., addasque tabulam 35., congruam habes dexteri lateris longitudinem una cum dimidia parte curvati verticis. Eritque arcae longitudo palmorum 11, latitudo in facie recta pl. 5, ut jam diximus, in facie curva pl. circiter 6.

[25] Maxime suadent luporum imagines circa marginem scalptae, et quae his subjectae sunt notae hieroglyphicae, quarum dimidia pars, uti fieri assolet dextrorsum spectant, altera medietas sinistrorsum. Illae autem quae intuentibus ad dextram oppositae dextrorsum conversae sunt, integrae servatae occupant palmos $2\frac{1}{2}$, quod certum fere indicium est, tantumdem spatii tributum fuisse reliquis. Perperam Niebuhrius lupos omnes dextrorsum spectantes pinxit, cum quatuor tantum ex iis hoc modo sint conversi; auxit et numerum eorum pro sex octo exhibens, quot in integro quidem lapide olim adfuisse jure dixeris.

ordine, in ea tantum parte quae pedibus obversa fuit interrupto: reliquam aream tenent effigies grandiores, deos animarum custodes et servatores repraesentantes. Nempe ad caput cadaveris caelata est Isis infera, alis de more brachiisque utrinque expansis subsidens, quam hinc et inde comitatur serpens uraeus arrectus et ad deam conversus alisque late explicatis instructus. Utrumque serpentem excipit lupus decumbens super abaco trabe subrecto: post quem in alterutro latere alia mensa stat pertica suffulta, super qua sedent quatuor penates Osiridis inferi, angue singulorum capita ambiente, utrinque autem ante et post mensam sive suggestum flexis genubus subsidente daemone Isiaca, brachiis alisque ante se exporrectis, atque ad penates illos conversa velut eos tuitura. Harum altera capite sustinet throni, altera templi imitamentum [26]. Denique ad pedes cadaveris quater repetita sunt sacra utensilia duo, quae candelabrum et tintinnabulum appellari posse videntur [27]. Major est in exteriore facie figurarum copia et varietas. Nam in breviori fronte, quam Velitris servari diximus, cernitur baris Nilotica ornata loti floribus, cui insistunt viri duo praecinctorio tenus nudi, manibus utrinque demissis, ac si remigantium habitu fingere voluisset scalptor: medio autem loco inter eos super baride conspicitur sacer scarabaeus, capite sursum directo dorsoque obverso intuentibus, circulo inclusus; quem cingit serpens uraeus elato capite in sedecim flexus undarum instar curvatus [28]. Quo aenigmate indigitari reor Solem, quem magni dei ministrum ac mundi gubernatorem ortusque et occasus dominum venerabantur Aegyptii, ideoque sub eadem qua ipsum demiurgum, scarabaei imagine repraesentabant. Quo autem significarent vim ejus vivificantem, aeternumque motum per aethera, serpente circumdabant, qui vitalis spiritus symbolum est, atque immensi aevi, aërisque omnia ambientis; cujus sedecim flexus ventorum rhombos indicant, et insimul ad cubitorum numerum, quo Nili augmenta definiuntur, adludere credi possunt. Baridemque subjiciebant loto coronatam, Nili cum sole crescentis symbolum, quo et solis variabilem cursum et mundanarum rerum vicissitudines adumbrare consueverant. Infra haec scalpta est protome arietina, vernae tempestatis ac renascentium generationum argumentum, quam trabe suffultam homines duo genubus flexis, manibusque ad terram demissis venerantur. Subtus autem in tecto loco subsident septem figurae barbatae mumiarum habitu, quas inferos genios referre conjicio, tot numero fictos quot sunt Nili ostia [29]. Haec in ea parte sunt quam basin loculi vocarem; proxime vero ab angulis in utroque latere caelati cernuntur viri bini, elatis manibus ovantium instar sive adorantium gradientes versus baridem, animarum forsan imagines ab inferis redeuntium ad solem iterum salutandum: posito ante quemque baculo breviori

[26] Supersunt in fragmento Borgiano duo penates, alter cynoprosopus, alter hieracocephalus, et alata mulier cum throno super capite pone eos subsidens. In fragmento Perriano vides alas Isidis, serpentem, tres penates et mulierem alatam ante eos subsidentem. Reliqua supplevi e conjectura.

[27] Ter repetita cernuntur in fragmento Borgiano, quater autem adfuisse, ex arcae latitudine arguitur.

[28] Pro serpente lineam decies flexam finxit Niebuhrius, qui licet magna diligentia usus agnoscatur, tamen quominus in nonnullis aberraret, propter loci temporisque angustias fieri non potuit.

[29] Tot olim fuisse, e spatio quod nunc desideratur colligo: in lapide quinque tantum supersunt. Tres vidit Niebuhrius, impedimento aliquo lapidis partem occultante. Sunt praeterea a sinistris ante baridem quatuor columnae hieroglyphicorum: infra eam prope protomen arietinam quinque: totidemque a dextris adfuisse, dubium non videtur.

ferae cujusdam protomen subrigente, quibus migrationum vices adumbrari conjicio. Post hos utrinque occurrit genius crioprosopus, Saitico nomo in Aegypto inprimis familiaris. Nam lanigerum animal, quod jam apud antiquissimos in Thebaide et in Libye homines, qui nomadico vitae genere usi lacte potissimum victitabant, in magno honore habitum atque Ammoni suo sacratum, principi solaris curriculi sideri nomen dedit, postea peculiari ritu dicatum fuit deae Saitidi, quae textrinam invenisse fertur [30]. Ex illis geniis, qui est in dextero latere, recte stans et sceptrum tenens aratriforme, custodem se profitetur animarum per aequinoctiales portas ad superum mundum commeantium; qui vero in sinistro latere, modice inclinatus, ambabus manibus deorsum porrectis e luto fingere videtur ovum, generandorum corporum involucrum et matricem [31]. Hunc excipit alter genius humana forma, in capite gerens florem, pariter inclinatus manusque deorsum tendens, qui prehenso funiculo aquam haurire videtur, augendorum seminum alimentum. Sed hoc minus certum, nam lapide in hoc loco fracto non satis apparet quid suspensum fuerit de funiculo. Post hanc figuram duas alias prorsus periisse, intelligitur e notarum in superiori parte spatio. Sequuntur apud Niebuhrium foeminae sex, e quibus duae terram pro seminibus recipiendis comminuere credi possunt, quatuor elatis manibus aquam ex hydriis ab alto delabentem expetere [32]. Hisce quidem figuris procreatio significari videtur animarumque reditus: in dextro autem latere a Perrio expresso, praeter mortuorum quieta domicilia repraesentari conjicio lustrationes apud inferos et delicta expiata. Intra schema ellipticum extensum jacet cadaver, capite ut videtur brachiisque mulctatum, cui adstant icunculae duae elatis manibus velut conclamantes. Utrinque extra schema illud ellipticum accedunt figurae duae, virilis altera, altera foemina, manus pariter attollentes: qui autem ex his vir proxime stat a parte capitis, e spongia ut videtur sive vesica liquorem exprimit eaque adspergit cadaver. Cernuntur inde ellipses quatuor, cryptarum puto imagines, in quarum singulis inclusa jacet mumia barbata; insidetque cryptae nocturna avis humano capite brachiisque praedita, comes Minervae Saitidis, elatis manibus requiem precata defuncto. Denique in vertice loculi, quem ex parte dedit Perrius ex parte Niebuhrius [33], expressos reor mortuos consecratos apud inferos et vita fruentes beata. Stat medio loco mumiae effigies capite sustinens stellam quinque radiorum, immortalis animae indicium, quam comitatur serpens uraeus, volventium saeculorum longique illius aevi argumentum, quo animas a migrationibus requiescere affirmabant Aegyptii. Porro duo conspiciuntur capita muliebria grandia, imo loco hinc et inde posita, quibus

---

[30] Proclus in Timaeum lib. I. pag. 30. Theo in Aratum pag. 69. 31. Strabo lib. 17. p. 1167. Clemens Alex. cohortat. cap. 2. pag. 34. Porphyrius apud Eusebium praep. evang. lib. 3. cap. 11. pag. 115. 116. Herodotus lib. 2. cap. 42. Diodorus lib. 1. cap. 87. lib. 3. cap. 72. Hyginus fab. 133. et poet. astron. cap. 20. Lucianus de astrol. §. 7. 8. tom. 2. pag. 363. Confer de Graecis Aelianum anim. hist. lib. 12. cap. 40. Athenaeum lib. 9. c. 4. p. 375. Laërtium lib. 8. c. 20. Porphyrium de abstin. lib. 3. pag. 284.

[31] Ovum illud omisit Niebuhrius, pariterque baculos ante gradientes positos. Vide tab. 32. 35.

[32] Tab. 31. Conjicio olim adfuisse mulieres octo, e quibus quatuor elatis fustibus sive ligonibus terram comminuere aggrederentur, quatuor manus efferrent ad delabentes aquae rivulos. Utriusmodi figurae non raro obviam fiunt in scalpturis Aegyptiis.

[33] Tab. 33. Utrinque a summo ad imum exarati sunt characteres hieroglyphici in septenas columnas distributi: atque inter grandia capita et mumias pone adstantes singulae sunt eorundem characterum columnae.

significari conjicio ministras Osiridis inferi. Harum quaevis brachio super caput in sublime erecto vola sustinet icunculam, quae frigidam illam aquam, ab Aegyptiis post mortem tanquam Hebes poculum expetitam, e vasculo effundit in mumiam, quae pone singulas adstans capite gestat globum, consecrationis symbolum. In summa autem area procul elatus supra figuras quas descripsimus, globus spectatur solitarius, solis per inferum hemisphaerium cursum conficientis imago, cujus placido splendore laetantur Elysii incolae:

ισον δε νυκτεσσιν αιει,
ισα δ' εν ἁμεραις ἁλι-
ον εχοντες, απονεστερον
εσθλοι νεμονται βιο-
τον · ου χθονα ταρασσον-
τες αλκᾳ χερων,
ουδε ποντιον υδωρ,
κειναν παρα διαιταν · αλ-
λα παρα μεν τιμιοις
θεων, δι τινες εχαι-
ρον ευορκιαις,
αδακρυν νεμονται
αιωνα. [34]

Multi praeterea hujus generis lapides occurrunt et in inferioris et in superioris Aegypti oppidis, operculo quidem destituti, maximamque partem lacuum usum praestantes [35]. Hos omnes olim fuisse pro sarcophagis affirmare quidem non sustineo, potuerunt enim et balneis inservire atque lustrationibus, quae apud veteres Aegyptios haud exiguam caerimoniarum partem constituisse noscuntur. Verumenimvero cum de iis quos in regum sepulcris invenerunt peregrinatores, dubium non relinquatur, neque recte ambigi videatur de eo qui exstat in magna pyramide: praeterea et ipsa illa forma qua gaudent quos modo enarravi, aliquam habeat cum humana statura affinitatem; atque scalpturae quibus

---

[34] „ Aeque autem noctibus semper, aeque „ et diebus solem habentes, illaboriosam boni „ degunt vitam, non terram turbantes robore „ manuum, nec marinam aquam, inanem pro- „ pter victum: sed apud honoratos deorum, „ quicunque gaudebant fide juriumjurandorum, „ illacrimabili fruuntur aevo„. Pindarus olymp. od. 2. vers. 109.

[35] Maillet pag. 285. Niebuhr tom. 1. p. 205. Granger pag. 86. Nescio quidem quid putandum sit de sarcophagis lapideis mumiae figurae in operculo exscalpta insignibus, quos apud Copton se vidisse refert Pocockius vol. 1. lib. 2. c. 3. pag. 87., magno numero stantes sub divo, pars in planitie ad pontem, pars circa terrae tumulum canali adjacentem. Ipse arbitratur esse Christianorum hominum sepulcra, sed ratio quam affert, Aegyptios gentiles non consuevisse mortuos sepelire in oppidorum vicinia, ponderis est perquam exigui, modo edita loca essent, nec Nili aquis obnoxia. Aethiopes circa oppida collocaverunt mortuos suos vitreis pilis inclusos: Aegyptii vero saltem ad tempus in ipsis aedibus servaverunt, nonnullos posuerunt in templis. Vellem Pocockius indicasset formam arcarum, scalpturae modum, et quae adesse potuerunt ornamenta atque symbola: etiam locum inspexisset diligentius, num cryptae ibi essent, num sacellorum vestigia quibus tegerentur arcae. Hoc tantum probabili ratione argui posse videtur, si veterum essent Aegyptiorum loculi, vix ad nostram usque aetatem ita intactos permansisse.

iidem et externa et interna facie decorantur, loculo magis quam labro conveniant, maximam saltem eorum partem sepulcrales arcas fuisse existimo. Corpora autem quae in iis condebantur, jam ante composita fuisse in ligneo loculo, arbitratus etiam est Mailletus; a quo et hoc observatum invenio, reperiri in cryptis cadavera plus una arca inclusa [36].

Exstitisse autem apud priscos Aegyptios idem studium sepulcralis arcae cum sumptu et magnificentia, vigente adhuc aetate sibi comparandae, quod in Sinensibus observarunt nostrates, colligitur e fabula de Osiride Typhonis dolo in loculum mortualem deducto et incluso, quam his verbis narrat Plutarchus in tractatu de Iside [37]: *τυφωνα φασι του οσιριδος εκμετρησαμενον λαθρα το σωμα, και*

---

[36] *Description de l'Egypte* pag.241.276.

[37] Pag. 404. opp. tom.2. pag.356. Ex hac fabula interpretandam reor scalpturam gemmae Graeco-Aegyptiae e jaspidi viridi servatae in dactyliotheca Borgiana: leo gradiens qui dorso gestat cadaver Aegyptio more curatum atque fasciis obstrictum, comitante Anubide, qui custodem se gerens cadaveris, dextra manu attingit pedes ejus, sinistram praetendit super caput, adstantibus praeterea duobus geniis habitu Isiaco alisque expansis ad cadaver conversis. Idem fere emblema habetur in jaspide apud Antonium Capello in prodromo iconico gemmarum Basilidiani generis num. 103. et apud Caylus *recueil d' antiquités*, tom. 4. tab. 15. numer. 4.; atque leo cadaver gestans cernitur perinde in gemma Fauveliana apud Montfaucon *ant. expl.* suppl. t.2. tab. 55. n.1. Scilicet Leonis effigie Nilum significari discimus ex Horapolline hierogl. lib.1. cap. 21., quare ab Aegyptiorum genio alienum non apparet, Osiridis corpus Nili aquis ad mare delatum, cadaveris figura exprimere gradientis leonis dorso incumbente. Anubis autem, qui deos custodire dicitur, apud Plutarchum de Isid. pag.407. opp. tom.2. p.356., et οσιριδος φρουρος audit Proclo in politiam Platonis pag.417., inprimis Isidis in Osiride quaerendo comes (Diod. lib. 1. cap. 86. Euseb. praep. evang. lib.2. cap.1. pag.49), haud abs re cadaveri ejus in gemma adstitutus videtur. Inde quoque fluxit, quod in mumiarum picturis, de quibus egi §.13. not.16. §.14. not. 34., corpus Osiridis sive eorum qui Osiriaco ritu curati fuissent, conspiciatur jacens in feretro leonem forma referente; atque pro custode adsit Anubis, superûm inferûmque commeator. (Apul. metam. lib.11. pag. 373.) Solet is dextram manum imponere pectori cadaveris, sinistra elata tenere rem semirotundam, quae nonnullis visa est esse lapis ille acutus quo utebatur paraschistes. Middleton antiquit. pag. 263. At aureus color quo pictum est istud attributum, cum in sarcophago Lethieullieriano tum in grandis mumiae Bononiensis involucro, argumento mihi sunt recte judicasse Gordonum, qui in sarcophagi illius expositione pag. 5. σπονδειον seu phialam libationibus propriam appellat: etsi accedere ei non possum, dum hic repraesentatum putet στολιστην cadaver curantem, nam stolistarum munus ad funera non spectabat, sed ad deorum honores. Neque de cadaveris praeparatione agi, jam inde patet, quod in omnibus picturis scalpturisque de quibus hic sermo est, corpus appareat jam sarcophago inclusum, saltem fasciarum involucro obstrictum. Suborta quidem mihi est suspicio, vasculo sursum elato adludi ad ritum supra memoratum §. 13. not.18. pag. 253., exempta intestina Soli ostendere: sed ista in capsula, κιβωτω, clausa erant, quae post in flumen projiciebatur; cynoprosopus autem ille taricheutam referre non videtur, quandoquidem ex veterum consensu figurae ex hominum animaliumque partibus compositae non homines sed deos aut mythicas personas repraesentant. Arbitror itaque hic fingi Mercurium Psychopompum, quem vocat Diodorus lib.1. cap. 96., qui pro transitus felicitate libationem facit diis inferis. Cadavere autem modo ipsum Osiridem, modo Aegyptium hominem Osiriaco ritu curatum indicari puto. Osiridem quidem, ubi adsunt mulieres illae, camillae sive παλλακες, quae capite gestantes pastophoriae insignia, aut manibus dona gestantes, deos comitari solent. V. supra p.304.310. n. 3. Sic in operimento grandis mumiae Bononiensis; in mumia Cantabrigiensi apud Middletonum antiqu. tab. 23.; in iis quarum indumenta sistunt Montfaucon *ant. expl.* suppl. t. 2. post tab. 37. et Caylus *recueil d' antiqu.* tom. 5. tab. 8. Homines autem Osiridi consecratos, dum camillae desint, atque e reliquo picturae contextu eluceat, humanam sortem ac conditionem in ea exhiberi: ut in arca Lethieullieriana, de qua supra §.15. pag.304. Plerumque infra feretrum posita sunt vasa alabastrina quatuor, cujusmodi svaveolentiae causa resinis referta in sepulcris poni consuevere, instructa capitibus quatuor illorum geniorum quos Osiridis penates appellamus. Nonnunquam prae-

κατασκευασαντα προς το μεγεθος λαρνακα καλην και κεκοσμημενην περιττως, εισενεγκειν εις το συμποσιον· ἡσθεντων δε τῃ οψει και θαυμασαντων, υποσχεσθαι τον τυφωνα μετα παιδιας, ὃς αν εγκατακλεισθεις εξισωθειη, διδοναι δωρον αυτῳ την λαρνακα. πειρωμενων δε παντων καθ' ἑκαστον, ὡς ουδεις ενηρμοττεν, εμβαντα τον οσιριν κατακλιθηναι· τους δε συνοντας επιδραμοντας επιρριψαι το πωμα, και τα μεν γομφοις καταλαβοντας εξωθεν, των δε θερμου μολιβδου καταχεαμενων, επι τον ποταμον εξενεγκειν, και μεθειναι δια του τανιτικου στοματος εις την θαλατταν. „ Metitum furtim Typhonem corpus Osiridis, ad magni„ tudinem ejus arcam apparasse elegantem exacteque ornatam, eamque in con„ vivium intulisse. Quam ubi convivae cum voluptate et admiratione spectassent, „ per jocum promisisse Typhonem se dono arcam huic daturum, qui inclusus „ quantitatem ejus exaequaret. Cum omnes periculum fecissent, neque cuiquam „ quadraret, Osirin in eam ingressum decubuisse. Ibi eos qui intererant accur„ risse, et operculum, arcae injecisse, et qua clavis externe qua liquido plumbo „ immisso cum obfirmassent, ad Nilum detulisse, ac in mare dimisisse per Tani„ ticum ostium „.

Intelligimus et hinc in magno honore apud Aegyptios fuisse arcas ligneas cum arte factas et pulcre exornatas, dum ipsum Osiridem hujusmodi conditorio delusum et captum, inque eo sepultum traderent: quare et regum cadavera in praegrandibus illis soliis condita, ligneo loculo intra lapideum inclusa fuisse conjicio. Etiam in mysteriorum celebratione arbore caesa loculum fabricabantur baridis instar subtus curvatum, quo primitus devectionem cadaveris per fluvium indigitasse videntur, postea lunae vicissitudines adumbrari dixerunt. Idem auctor inquit [38] :

---

ter camillas adstant sacerdotes duo sive ministri Osiridis: ut in mumia Bononiensi modo laudata, atque apud Caylum loc. cit. Interdum adstitutae sunt arulae luculentae sive λαμπτηρες, quibus injecta suffimenta: ut in mumia Cantabrigiensi. Interdum utrinque adsidet serpens uraeus cum alis super cadavere explicatis, Isidis genii et custodes animae Osiridis: ut apud Caylus l. c. Horum loco in lapide, quem Carpentoracte servatum publici juris fecerunt Montfaucon *ant. expl.* suppl. tom. 2. tab. 54. num. 2. et Barthélémy V. C. in *memoires de l'acad. des inscr.* tom. 32. pag. 725., pone feretrum juxta Anubidem, qui brachiis extensis cadaver tuetur, stat genius hieracocephalus brachiis pariter explicatis, consecratae animae minister et portator. In hoc enim anaglypho, quod aevo minus remoto a Phoenicibus Aegyptiorum discipulis scalptum reor cum Barthelemio, siquidem et phoeniciis litteris inscriptum, ac artis modo non plane Aegyptio elaboratum; in inferiori segmento repraesentari existimo funus Osiridis herois a Typhone trucidati, in superiori autem eundem Osiridem jam diis adscriptum, et divinis honoribus placatum. Aliter quidem interpretatus est Barthelemius, vir de Aegyptia deque Graeca antiquitate egregie meritus, qui dum cadaver hic expressum non Osiridis esse putat, sed Thebae cujusdam, quam ex inscriptione phoenicia nescio quam recte exposita suscitat, dum adstantes cynoprosopum et hieracocephalum pro taricheutis larvatis accipit sepulcralem arcam accommodantibus, dum denique duas camillas hinc et inde ingeniculatas explicare non dignatur, rationibus utitur quae nobis non satisfaciunt.

[38] Plutarch. de Isid. pag. 451. opp. tom. 2. pag. 368. Arcam hic descriptam conspicere mihi videor in gemmis apud Pignorium de mensa Isiaca pag. 52. edit. Amstel. et apud Kircherum interpret. obelisci in Isaei ruder. effossi pag. 29. Scilicet in scaphio sive baride ad corniculatae lunae speciem ficta jacet cadaver Aegyptium, super quo in area expressus est scarabaeus, animae symbolum, quam Aegyptii solaris astri scintillam appellaverunt, utrinque autem adsidet accipiter, qui Solis ministri sunt et animarum custodes. Idem argumentum sistitur in amuleto aereo deaurato, cujus ectypon mecum communicavit Cajetanus Marinius V. C., ubi praeterea in scaphii latere serpente adumbratur immortalis animae natura. Ista ubi ad Plutarchi mentem interpreteris, baris cum cadavere lunam cavam significat, serpens obliquum cur-

το δε ξυλον εν ταις λεγομεναις οσιριδος ταφαις τεμνοντες, κατασκευαζουσι λαρνακα μηνοειδη, δια το την σεληνην, όταν τῳ ἡλιῳ πλησιαζῃ, μηνοειδη γενομενην αποκρυπτεσθαι. „ In sepultura, ut vocant Osiridis, lignum secantes arcam ap„ parant lunata forma: quia luna soli appropinquans falcatur et occulitur „. Similiter Mycerini regis filiam, quae unica ei proles erat, cum immatura morte sublata fuisset, in ligneo conditorio, ad juvencae speciem efformato, sepultam ferebant [39].

Sinenses pariter et populi finitimi nobilissimos quosque post mortem in arcas e ligno, diu ante praeparatas, includere solent, vernice illa praestantissima, quae ipsis propria est inunctas, auroque et pictis imaginibus decoras: testanturque peregrinatores nil magis desiderari a Sinensi homine quam sarcophagum sibi comparare pulcrum et durabilem, nec in aliam rem majores impensas fieri in eo populo [40]. Illi quoque, apud quos in hoc terrarum tractu moris est corpora cremare sive ustulare, Peguenses inprimis et Siamenses, in arca splendide exculta ad rogum deferunt, atque combusti cadaveris reliquias denuo in ea componunt [41]. Quae vero sunt gentes minus cultae, in insulis maxime maris Indici, inque Africae et Americae parte, in truncum rudi opere excavatum cadaver inserunt, aut in cistam includunt e viminibus aut e cortice factam, aut vero in quamvis capsam forte fortuna sibi oblatam [42]. Sed major harum gentium pars arcis omnino absti-

sum astrorum, scacabaeus ipsum solem lunae propinquum, accipitres solis radios quibus luna occultatur. Kircherus reddit: „ Sol motu suo „ annuo diurnoque omnium rerum in elemen„ tari mundo provenientium causa est „. Caeterum cum Plutarchi loco conferendus est Jul. Firmicus Maternus de errore profan. relig. p.17: „ In Isiacis sacris de pinea arbore caeditur „ truncus. Hujus trunci media pars subtiliter „ excavatur. Illis de segminibus factum idolum „ Osiridis sepelitur „. Narratur et Typhon ligneam arcam Osiridis, quam Isis inventam apud Byblios in Phoenicia reportaverat in Aegyptum et seposuerat, cum ipse noctu plena luna aprum venaretur, reperisse, atque exemptum corpus in quatuordecim frusta dissecuisse. Plutarchus de Iside pag. 395. tom. 2. pag. 354: ὡς ὁ τυφων νυν διωκων προς την πανσεληνον εὑρε την υλινην σορον, εν ᾗ το σωμα του οσιριδος εκειτο, και διερριψεν. Et pag. 411. tom. 2. pag. 357: της δε ισιδος προς τον υιον εν βουτῳ τρεφομενον πορευθεισης, το δε αγγειον εκ ποδων αποθεμενης, τυφωνα κυνηγετουντα νυκτωρ προς την σεληνην εντυχειν αυτῳ, και το σωμα γνωρισαντα διελειν ες ιδ' μερη, και διαρριψαι.

[39] Herodot. lib. 2. cap. 129. sqq. loco mox infra adducendo atque explicando. Hic tantum advertere juvat, tum hanc narrationem, sive vera sit sive falsa, tum quae de vocabulis Busiridis et Serapidis supra attulimus, quamquam a Graecis inepte exposita, locum facere conjecturae, Aegyptios pro humana forma qua sarcophagos suos decorare solebant, nonnunquam animalium formas adhibuisse, maxime sacri illius bovis, qui terrae ac aliquo modo inferorum erat symbolum. Refert Paulus Lucas se in cryptis apud Saccaram in pluribus locis scalpta vidisse bovina capita a parietibus prominentia. *Voyage en* 1714. tom. 2. p. 99. Neque ab Asianarum gentium moribus prorsus alienum fuisse, conditoriis uti quae brutorum animalium speciem referrent, arguo e fabula de Gyge Lydo, qui cum in cavernam descendisset, offendit equum aeneum cavum atque ostiolo praeditum, in quo jacebat cadaver; cujus de manu abstulit famigeratum illum anulum: καταβηναι και ιδειν, αλλα τε δη, ἁ μυθολογουσι θαυμαστα, και ἱππον χαλκουν κοιλον θυριδας εχοντα· καθ' ας εγκυψαντα ιδειν νεκρον, ὡς φαινεσθαι, μειζω η κατα ανθρωπον. τουτον δε αλλο μεν ουδεν, περι δε τῃ χειρι χρυσουν δακτυλον φερειν· ὁν περιελομενον εκβηναι. Plato de republ. lib. 2. tom. 2. p. 359.

[40] Duhalde t. 2. pag. 125. *Hist. gén. des voy.* tom. 6. pag. 151. Diego de Pantoja apud Purchas tom. 3. pag. 368. Sonnerat lib. 4. cap. 1. tom. 2. pag. 33.

[41] Laloubere part. 3. cap. 20. §. 6. tom. 1. pag. 471. Kaempfer *hist. du Japon* tom. 1. p. 13. Sonnerat lib. 4. cap. 2. tom. 2. pag. 50. *Hist. généer. des voy.* tom. 9. pag. 68. t. 10. pag. 422.

[42] *Histoire génér. des voyages* part. 1. lib. 9. cap. 2. §. 6. cap. 7. §. 6. tom. 3. pag. 616. tom. 4.

nent, quemadmodum et Arabes ac hodierni Persae raro iis uti perhibentur [43].

Apud Graecos Romanosque increbuere solia lapidea marmoreaque et porphyritica; praeterea et fictilibus usi inveniuntur: ad ligneos autem loculos faciendos, cupressum inprimis cedrumque et quercum, fortissima ligna, adhibuerunt [44].

---

pag. 151. 152. Flacourt *hist. du Madagasc.* pag. 100. *Voyages de la comp. des Indes* tom. 1. pag. 244. Bosman *voy. de Guinée* epist. 13. 21. pag. 229. 476. Knox *relat. de Ceylan* tom. 2. pag. 297. *Hist. gén. des voyages* tom. 15. p. 311.

[43] Chardin *voyag. en Perse* tom. 3. pag. 116. Lebrun *voyage en Perse* tom. 1. c. 44. pag. 225.

[44] A querno ligno conditoria *δρυτας* vocat Aeschylus in Choephor. vers. 994.

νεκρου ποδενδυτον
δρυτης καταςκηνωμα;

et in Eumen. vers. 636. ubi vide scholiasten. Apud Euripidem in Troad. vers. 1149. ab Hecuba petit Andromache, ut Astyanactem sepeliat in Clypeo Hectoris,

αντι κεδρου περιβολων τε λαϊνων·

„ pro cedro et septis lapideis „. Confer eundem in Alcestide v. 365. et in Oreste v. 1053., ubi sepulcralis arca dicitur *κεδρου τεχνασματα*. Huc quoque spectare videtur, quod Manetho apotelesm. lib. 4. vers. 191. eos qui circa cadavera versantur appellat,

κεδροχαρεις, σοροεργα τεχνης καινισματ' εχοντας·

„ cedro gaudentes, capulorum faciendorum no„ vis callentes artificiis „: nisi hoc ad cedriae usum in conditura referre mavis. Cyparissinas arcas Atheniensibus usitatas scimus e Thucydide lib. 2. cap. 34. easdemque in universum a Graecis frequenter fuisse adhibitas, jam inde colligitur quod Pythagoras iis uti vetuisse fertur, fabuloso argumento in medium allato, quod Jovis sceptrum e cypressu factum esset, veriori ratione, ne nobile lignum temere absumeretur. Jamblich. de vita Pythag. num. 155. In hoc enim sive Aegyptios sive Magos imitati Pythagoras atque Plato, mortuos non cremari sed humari praeceperunt. Jambl. ibid. num. 154. Plutarch. de genio Socrat. tom. 2. p. 585. Plato leg. lib. 12. tom. 2. pag. 947. 958. Plinius lib. 35. cap. 12.. „ Defunctos sese multi fictilibus soliis condi „ maluere: sicut M. Varro, Pythagorico mo„ do in myrti et oleae atque populi nigrae fo„ liis „. Vetustissimus autem apud Graecos reperitur fictilium arcarum usus, siquidem in tali jam Ariadnen sepultam ferunt. Pausan. lib. 2. cap. 23. pag. 164. Narratur etiam in Oronte fluvio inventa arca fictilis longitudine cubitorum undecim, includens corpus, quod Orontis herois fuisse edixit oraculum Apollinis Clarii. Paus. lib. 8. cap. 29. pag. 164. Mansit consuetudo apud Romanos, nec raro reperiuntur in sepulcris circa Urbem, plerumque eodem modo quo ollae in murum sive in lapidem tofaceum demissae et infixae. Hujusmodi arcis usos fuisse veteres Aethiopes, produnt Diodorus lib. 3. cap. 8. et Strabo lib. 17. p. 1178., quos adduximus supra pag. 267. Aegyptii sacra animalia, aves maxime, in fictilibus vasculis condere solebant. Vide auctores citatos pag. 283. not. 15. in primis Pocockium. Etiam in museis Borgiano, Kircheriano aliisque, obvia sunt hujus generis vascula Aegyptia cum avium cadaveribus. Memorantur et solia vitrea, Beli apud Aelianum var. hist. l. 13. c. 3. et Alexandri apud Strabonem l. 17. p. 1144. Lapideos sarcophagos in usu fuisse apud veteres Asianos, intelligitur e peregrinatoribus, qui multos conspexerunt in illis regionibus. Maundrell *voyage* pag. 18. 127. 222. Pococke vol. 2. part. 1. p. 20. 148. part. 2. p. 39. 75. Lebrun *voyage au Levant* pag. 268. Vide etiam supra p. 313. not. 3. Apud Romanos Numam regem in lapidea arca conditum tradunt Livius lib. 40. cap. 59. Plin. l. 13. c. 13. Plutarch. in Numa tom. 1. p. 74. S. Augustin. de civ. dei l. 7. c. 34., quod de albano lapide intelligere suadet temporum simplicitas. Similiter Scipio Barbatus sepultus fuit in grandi loculo ex hoc lapide, zoophoro ordinis Dorici et epigrammate insignito, qui non multis abhinc annis detectus ad portam Capenam, nunc eximium vetustatis documentum servatur in museo Pio-Clementino; inque eodem sepulcro complures arcae ex eodem lapide inventae fuere. Vide *Monumenti degli Scipioni publicati dal Cav. Fr. Piranesi* tab. 1. 4. pag. 5. 8. Etiam ex tiburtino lapide passim occurrunt. De marmoreis arcis nihil attinet dicere, cum earum tot supersint hodie, omnibus qui haec studia colunt abunde notae, maximam quidem partem ad Urbem repertae. In his pro antiquissima habenda, quae inventa fertur in sepulcro Caeciliae Metellae, (Bartol. vet. sepulc. fig. 33.) nunc Neapoli exstans, si credere possumus eum artis modum convenire illi saeculo. In Sicilia com-

Forma oblonga esset sole et quadrilatera, interdum elliptica, rarius ad labri modum deorsum coarctata: operculum modo planum est, modo aediculae instar fastigiatum et acroteriis decorum, modo ad lectuli speciem factum [45]. Nonnunquam monumentorum vice funguntur, dum vel inscriptionem praeferant, nomen et honores defuncti comprehendentem, vel vultum ejus scalptura expressum exhibeant, aut statuam decumbentem super operculo. Quod vero maxime obtinet, geniorum imaginibus decorantur, mortis somnive ac victoriae, aut figurarum serie ob oculos sistunt humanae conditionis vicissitudines, vel veterum heroum facta, aut deorum fabulas, Proserpinae inprimis, Bacchi et Musarum. In multis non alia conspiciuntur quam architectonica ornamenta, aut scalptorum lusus inanes; quae ex ignobiliori lapide sunt, tiburtino aut albano, pura esse solent. Plerumque singulis corporibus pro cujusvis statura loculos parabant: nonnunquam duo vel plura cadavera in unam arcam ingesserunt [46]. Iidem crematorum corporum ossa cineres-

---

plures memoratas invenio, in quibus ea quae Agrigenti cernitur Hippolyti fabula insignis, magnam famam assecuta est. Dorville Sicula pag. 5. 90. Münter *efterr. om begge Sicil.* tom. 1. p. 353. 390. Denon in *voyage de Swinburne* tom. 5. p. 100. 122. Etiam in Africa inque minori Afia hinc et inde visae sunt a peregrinatoribus. Shaw t. 1. p. 56. 73. 74. 82. 168. Lucas *voyage en* 1704. tom. 1. pag. 64. 83. 381. 384. Coryate apud Purchas tom. 2. pag. 1813. Spon tom. 1. pag. 199. E Graecia autem paucae innotuerunt hactenus; Spon *voyage* tom. 2. pag. 95. 182. 234. *inscr.* tom. 2. pag. 13. Unica quod sciam hac nostra aetate ex illa provincia advecta in Italiam, conspicitur Alticchieri prope Patavium, in hortis N. V. Angeli Quirini senatoris Veneti, tum Graecae tum maxime Aegyptiae antiquitatis monumentis magnae molis et artis egregiae superbientibus. Integra illa est, longa pedes 6, lata 3, alta 4 cum operculo, pulcris anaglyphis undique decora, in quibus quod principem locum tenet Meleagrum et Atalantam referre videtur Calydonium aprum confodientes, quamquam aliis creditum sit repraesentare Theseum tauri Marathonii domitorem. Vide librum: *Alticchiero par Mad. J. W. C. D. R. à Padoue* 1787. pag. 60. Aliam arcam marmoream, Triptolemi fabula insignem, quae Athenis reperta servabatur in museo Foucaultiano, sistit Montfaucon *ant. expl.* tom. 1. tab. 45. pag. 86. In porphyrite lapide non alios quam principes viros foeminasque conditos fuisse, facile intelligitur, nec nisi pauca ex hoc lapide conditoria hactenus reperta fuere, in quibus super omnia eminent duo illa, quae nunc visuntur in museo Pio-Clementino. Ex iis enim alterum longum est palmos 12, latum $8\frac{1}{4}$, altum $10\frac{1}{2}$, inventum ad aedem suburbanam Sanctorum Petri et Marcellini, loco qui vulgo dicitur Torre Pignatara; alterum inventum apud aedem S. Agnetis extra moenia, longitudine colligit palm. $11\frac{1}{4}$, latitud. $7\frac{3}{4}$, altitud. 10; singula autem ex uno lapide sunt, cui alter pro operculo est. Vide Joa. Ciampini opera tom. 1. p. 124. 134. tab. 28. 31. Cf. Sveton. in Nerone c. 50.

[45] Exstat in museo Pio-Clementino solium ellipticum eximiae molis, anaglyphico opere singularis elegantiae exultum: quod secus ac sentit eruditissimus Viscontius *Museo Pio-Clementino* tom. 4. tab. 29. corporibus condendis destinatum fuisse, ut putem suadet scalptarum figurarum promiuentia et subtilitas, in lacu vindemiarum usui inserviente sane incommoda, scabrosa praeterea ac ruvida internae partis superficies, quae a sordibus haud facile posset purgari, canaliumque absentia per quos mustum derivaretur. Reliqui autem qui hujus formae sunt sarcophagi, constanter fere rudi artis modo scalpti deprehunduntur. Caeterum de sepulcralium arcarum forma atque scalpturis qui uberiorem notitiam sibi comparare cupit, praeter librum modo citatum, multas eximiasque aeri incisas et egregiis commentariis illuftratas continentem, adeat Foggini V. C. anaglypha musei Capitolini, Winkelmanni *monumenti inediti*, Amadutii monumenta Matthaejana tom. 3., Bartolii admiranda Roman. antiqu. vestigia, ejusd. vetera sepulcra, Sandrarti *galleria Giustiniani* tom. 2., Gorii columbarium libert. Liviae, ejusdem inscriptiones in Etruria exstantes tom. 3., Montfauconii *antiquité expliquée* tom. 1. 5. suppl. t. 5., Lessingil et Herderi dissertationes: *Wie die alten den todt gebildet*.

[46] Plutarchus in Solone cap. 18. tom. 1. p. 83: *θαπτουσι μεγαρεις προς ἑω τους νεκρους στρεφοντες, αθηναιοι δε προς ἑσπεραν. —— και μιαν ἑκαστος αθηναιων εχειν θηκην, μεγαρεων δε και τρεις και τεσσαρας εν μια κεισθαι.* „ Mortuos a

que in urnis sive ollis, pro defuncti opibus et dignitate ex varia materie factis, nonnunquam nomine ejus addito, occludere consueverunt [47] : quas vel terra obruebant, vel in columbariis pariete excavato defigebant, aut cavitate facta in cippo marmoreo. Interdum et in cellulis locatae cernunter in sepulcris : ut plurimum purae, interdum caelaturis conspicuae [48]. Etrusci autem urnarum loco frequentius usi

---

,, Megarensibus condi ad orientem obversos, ,, ad occasum ab Atheniensibus, et singulos lo- ,, culos habere Athenienses, Megarenses ternos ,, et quaternos in singulis loculis sitos esse. ,, Haec Megarensium consuetudo Romanis pariter placuisse videtur; saltem maritum cum uxore saepe in unam arcam inclusum fuisse, intelligimus tum ex inscriptionibus tum maxime e scalpturis, ubi frequenter amborum vultus ad vivum expressos conspicimus, aut ambos velut in lectulo super operculo decumbentes. Inveniuntur et sarcophagi, quorum in latitudine capacitas indicio est, duo corpora in iis juxta se locata fuisse, cujus generis duo sunt in museo Pio-Clementino, Amazonum proeliantium anaglyphis insignes, lati alter palmos quinque, alter palmos quinque cum triente. Meminere hujus moris etiam tragici. Admetus apud Euripidem in Alcestide vers. *363.* uxori valedicens ait:

αλλ'ουν εκεισε προσδοκα μ' όταν θανω,
και δωμ' έτοιμαζ' ώς συνοικησουσα μοι,
εν ταισιν αυταις γαρ μ' επισκηψω κεδροις
σοι, τασδε θειναι πλευρας, εκτειναι πελας
πλευροισι τοις σοις. μηδε γαρ θανων ποτε
σου χωρις ειην, της μονης πιστης εμοι.

,, Verum illic me exspecta, donec moriar, prae- ,, paraque domicilium, ut mecum habitatura. ,, Mandabo enim ut in iisdem cedrinis arcis mea ,, tecum haec ponant latera, et extendant pro- ,, pe latera tua: velim enim ne mortuus quidem ,, unquam a te sejunctus esse, quae sola mihi ,, fida es ,,. Sed cum marito et uxore liberos quoque in eundem sarcophagum inferre moris fuisse apud Romanos, documentum exstat libellus Severo Augusto oblatus, apud Kirchmannum pag. 454., cujus vetus exemplar in marmore exaratum servatur in museo Kircheriano. Idemque factum a Graecis in Asia, docet inscriptio sarcophagi Nicomedensis, apud Paulum Lucas *voy. en* 1704. tom. 1. pag. *64.* 381. Ipsi Athenienses in publico funere reliquias eorum qui ejusdem tribus essent in unam arcam congestas humare solebant. Thucyd. lib. 2. cap. 34. Apud Euripidem in Oreste v. 1052. Electra et frater una mori inque una arca condi cupiunt. Similiter ex cremandi ritu amicorum cineres in una urna servatos legimus. Odyss. Ω vers. 71.

αυταρ επειδη σε φλοξ ηνυσεν ήφαιστοιο.
ηωθεν δη τοι λεγομεν λευκ' οστε' αχιλλευ,
οινω εν ακρητω και αλειφατι. δωκε δε μητηρ
χρυσεον αμφιφορηα· διωνυσοιο δε δωρον
φασκ' εμεναι, εργον δε περικλυτου ήφαιστοιο.
εν τω τοι κειται λευκ' οστεα, φαιδιμ' αχιλλευ,
μιγδα δε πατροκλοιο μενοιτιαδαο θανοντος·
χωρις δ' αντιλοχοιο, τον εξοχα τιες άπαντων
των αλλων έταρων, μετα πατροκλον γε θανοντα.

,, Sed postquam demum te flamma confecerat ,, Vulcani, mane utique tibi colligebamus alba ,, ossa, Achilles, vino in puro et unguento. ,, Dedit autem mater auream amphoram, Bac- ,, chi vero donum dicebat esse, opus autem in- ,, clyti Vulcani. In hac tibi jacent alba ossa, ,, illustris Achilles; promiscueque Patrocli Me- ,, noetiadae mortui; separatim vero Antilochi, ,, quem maxime honorabas omnium sociorum, ,, post Patroclum utique mortuum ,,. Inscriptio apud Muratorium pag. 1608. num. 4. habet: *M. Volcius M. L. Euhemer. rogat post mortem suam ut cum Volcia Chreste conjuge sua ut in una olla corporis reliquiae essent. M. Volcius M. F. Cerdo dis manibus satisfecit.*

[47] Consule Kirchmannum lib. 3. c. 8. p. 322. sqq. Prisci Graeci ossa in urnam reponenda adipe circumdare solebant, ipsam vero urnam in monumento collocandam peplis contegere. Iliad. Ψ. vers. 243. Ω. vers. 795. Ollis ad cineres servandos usi etiam inveniuntur Scandinavi et reliqui populi septentrionales; nec non Mexicani. Olai Wormii monumenta Danica lib. 1. cap. *6.* pag. 47. et additamenta ad monum. Dan. pag. 4. Montfaucon *ant. expl.* t. 5. part. 2. p. 194. 198. 200. suppl. t. 5. tab. *61. 63.* Strahlenberg *description de l'empire Russien* tom. 2. p. 203. Acosta lib. 5. cap. 8. pag. 220. Clavigero tom. 2. p. 94. Prostant in museo Borgiano sex ollae e Danicis tumulis erutae, quarum una cremati cadaveris ossa adhuc inclusa servat.

[48] Bartolii vetera sepulcra Rom. et Etr. fig. *6* sqq. 40. 41. *99.* sqq. Montfaucon *antiqu. expl.* t. 5. tab. 4. sqq. 45. Hydriam collocatam in vertice columnae juxta viam, Orphei ossa includere ferebant Dienses, ejusdemque reliquias apud se super columna positas fuisse fabulabantur Libethrii: (Pausan. lib. 9. cap. 30. p. *769.*) sed nollem inde arguere, veteres Graecos, quos de reliquiis defunctorum religiose condendis atque servandis tam anxie sollicitos novimus, mortuales urnas in aperto campo ponere consuevisse.

sunt capsulis quadrilateris, in pristini ritus memoriam: quam formam Romanis quoque placuisse, testantur crebri hujus generis loculi in sepulcris circa Urbem reperti [49].

§. XIX.

Jamvero conditorio pro cujusvis gentis consuetudine parato, ac mortui hominis reliquiis rite locatis, id curae supererat, ut sepulturae locus nosceretur, utque defuncti nomen laudesque ad posteros pervenirent. Hoc omnibus fere populis cordi fuit, tum agrestibus tum iis qui vitae artes maxime excoluere; atque cuivis hominum ordini, dum pauperes aeque ac divites suorum memoriam recoli cuperent: unde ortum traxit innumera monumentorum vis, et factum ut monumenti vocabulo vulgo abutamur ad sepulcrum significandum.

Quantum hac de re solliciti fuerint Graeci aetate heroica, ex Homericis carminibus colligere est, ubi propter hoc inprimis Achillem beatum praedicat umbra Agamemnonis, quod ingens sepulcrum ei struxissent commilitones [1], Achilles autem Agamemnonis infortunium ob id maxime deplorat, atque Telemachus Ulyssem, quod in reditu pereuntes sepulcri honore fuissent privati [2]: quamobrem etiam quorum corpora inveniri non potuissent, his cenotaphia erigere jam tunc moris fuit in Graecia [3]. Quo vero plurimis innotescerent, ad vias publicas vel in littori-

---

[49] Gorii museum Etruscum tom. 3. cl. 2. tab. 12. sqq. cl. 3. tab. 1. sqq. tom. 2. passim. Bartolii vet. sep. fig. 93. sqq. Montfaucon *ant. expl.* tom. 5. tab. 55. 58. 81. 89. supplem. tom. 5. tab. 54. sqq. Videntur et veteres Graeci capsulis sive cistis ad hoc usi fuisse, dum urnas cineribus occludendis paratas ab Homero et σορους et λαρνακας dictas invenimus, quae vocabula proprie arcas denotant, Iliad. Ψ. vers. 91. Ω. vers. 795. Occurrunt autem in quadratis illis capsulis complures ad domunculae similitudinem factae, cum janua in latere atque operculo tecti formam mentiente: quae cogitare faciunt de Tibullo, lib. 3. eleg. 2. vers. 17.

Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Sunt aliae factae in formam arcae oblongae, atque sepimentis intermediis in plures loculos divisae, quo plurium cadaverum reliquias separatim includerent. Hujusmodi unam cum tribus loculis vidi in suburbano Burghesiorum, adscripto epigrammate in trium hominum memoriam. Alias cum duobus et cum quatuor loculis ex Boissardo affert Montfaucon *antiqu. expl.* tom. 5. tab. 86. 87.

[1] Odyss. Ω. v. 35. 80.

[2] Odyss. Ω. v. 24. 32. Α. v. 234. De utroque ait poeta, quod si in acie occubuisset:

τω κεν οι τυμβον μεν εποιησαν παναχαιοι,
ηδε κε και ῳ παιδι μεγα κλεος ηρατ᾽ οπισσω.

„ tunc ei tumulum quidem fecissent omnes Graeci, atque etiam suo filio ingentem gloriam reportasset in posterum „. Hoc enim eximium decus putabatur apud Graecos pariter atque Romanos, ubi publicam sepulturam adeptus fuerat aliquis. Cicero Philippicarum 9. cap. 6: „ Majores nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis „. Consule Kirchmannum lib. 2. cap. 25. pag. 235.

[3] Odyss. Α. v. 289. Minerva Telemacho:

ει δε κε τεθνειωτος ακουσῃς, μηδ᾽ ετ᾽ εοντος,
νοστησας δη ᾽πειτα φιλην ες πατριδα γαιαν,
σημα τε οι χευσαι, και επι κτερεα κτερεϊξαι
πολλα μαλ᾽, όσσα εοικε.

„ Sin patrem audieris mortuum, neque adhuc superstitem; reversus deinde caram in patriam terram, tumulum illi erige, et parentalia perfice eximia valde, qualia decet „. Etiam extra patriam hujusmodi sepulcra exstruebant, quo loco nuncium quis acceperat de morte cognati aut amici. Sic Menelaus audita a Proteo morte Agamemnonis, in sempiternam famam tumulum ei aggessit juxta Nili fluenta:

bus et promontoriis ponere consueverunt et Graeci et Itali [4], ac magna cum cura legumque severitate caverunt ne moverentur neve violarentur, utpote quibus juxta cum aris ac templis sepulcra sacra putabantur [5]. Barbari autem in septentrionali Europa tanti habuere sepulcrorum famam, ut de claris viris poetae nil notarent accuratius, quam quo loco quisque situs esset, utque a vario sepulcrorum modo praeteriti temporis aetates denominarent [6]. Nolo commemorare reliquos populos, cum apud omnes fere eadem occurrat persuasio, qua in Aegypto Memphitas maxime

---

αψ δ' εις αιγυπτοιο, διιπετεος ποταμοιο.
στησα νεας, και ερεξα τεληεσσας εκατομβας:
αυταρ επει κατεπαυσα θεων χολον αιεν εοντων,
χευ' αγαμεμνονι τυμβον, ιν' ασβεστον κλεος ειη.

Vide de cenotaphiis Kirchmannum *de fun. Rom.* l. 3. c. 27. p. 469. Hinc quoque factum videtur, ut clarorum virorum sepulcra pluribus in locis monstrarentur, atque de vero sepulturae loco ambigeretur.

[4] De sepulcris in viis publicis consule Kirchm. l. 2. c. 22. p. 239. Alia exempla passim suppeditat Pausanias. Etiam Menander apud Grotium in fragm. comic. p. 761.

εμβλεψον εις τα μνηματ', ως οδοιπορεις.

„ Adspice sepulcra, ubi iter feceris „. Antiquissimum autem fuisse morem, colligitur ex Iliad. Ω. v. 349. Eurip. in Alcest. v. 835. Genes. cap. 35. v. 19. Sepulcra in promontoriis et littoribus habes apud Virgilium Aen. lib. 6. v. 234. lib. 7. v. 1. apud Apollonium argon. l. 2. v. 846. 917. apud Homerum Odyss. Λ. v. 75. Μ. v. 11. Ω. v. 81. Iliad. Η. v. 86. Ψ. v. 12. Veteres Scandinavi claros viros in promontoriis aut ad sinus maris sive juxta fluvios sepelire consueverant. *Heimkringla: Yngl. S.* c. 16. 19. 26. *Har. S. Harfagra* cap. 45. tom. 1. pag. 20. 22. 31. 122. Sed et illud apud eos consuetum fuisse, prope vias ponere monumenta, docet poema *Havamal* apud Bartholinum ant. Dan. pag. 121:

sialdan bautarsteinar standa brauto nær,
nema reisi nithr at nith.

„ Raro lapides sepulcrales stant prope viam nisi „ cognatus erigat cognato „.

[5] Vide supra pag. 198. not. 6. pag. 278. not. 4. 6. Cicero de leg. l. 2. c. 26. „ De sepulcris „ nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis „ ea deleat, neve alienum inferat: poenaque „ est si quis bustum aut monumentum aut co„ lumnam violarit „.

[6] *Heimskringla: formál.* pag. 1. *Thiódólfr enn frodi ur hvini var skalld haralld s ens hárfagra, hann orti oc qvædi um rôgnvalld konung heidumhærra, that er kallat er ynglingatal. i thessu qvæde eru nefndir XXX. langfedgar hans, oc sagt frá dauda hvers theirra oc legstad. —— eivindr skalldaspillir talldi oc langfedga hákonar jarls ins rika, í qvædi thvi er háleygia-tal heitir. sagt er thar oc frá dauda hvers theirra oc haugstad. —— en fyrsta ölld er köllut bruna-ölld, tha skylldi brenna alla dauda menn, oc reisa eptir bauta-steina. enn sídan er freyr hafdi heygdr verit at uppsôlum, tha giôrdu margir hôfdingiar eigi sídr hauga enn bauta-steina, til minningar eptir frændur sina. enn sídan er danr en mikilláti dana konungr let ser haug giôra, oc baud sic thannig bera dauda, med konungs skrudi oc herbúnadi, oc hest hans vid ôllu sôdulreidi, oc mikit fe annat: enn hans ættmenn giôrdu margr sva sídan: oc hofz thar haugs ölld i danmôrku. enn lengi sídan hellz bruna ölld med svium oc nordmönnum.*
„ Thiodolfus dictus multiscius ortus ex Hvin „ insula, erat poeta Haraldi pulcricomi. Ille „ etiam de Rognvaldo rege, dicto procero, „ carmen composuit, cui nomen est Ynglinga„ tal. Isto in carmine recensiti sunt triginta „ ejus majores addita mentione mortis singulo„ rum, locique quo sepulti recumbunt. Ma„ jores Haconi Jarli, dicti potentis, recensuit „ Eyvindus Scaldaspillir, in carmine Haley„ giatal vocato. Dictum hic etiam de singulo„ rum morte tumulique loco. —— Prima ae„ tas dicta est rogorum aetas, in qua cremare „ omnes mortuos mos erat, cipposque eis im„ ponere. Postquam Upsalis tumulatus erat „ Freyus, tumulos non minus quam cippos in „ propinquorum memoriam posuere principum „ multi. A quo vero tempore Danus, dictus „ magnificus, Danorum rex, fecit sibi tumu„ lum erigi, eique jussit se inferri mortuum, „ omnibus regiae dignitatis insignibus, tota „ militari armatura, equo phalerato, opibus„ que aliis quam plurimis, instructum comita„ tumque: secuti sunt posterorum ejus multi „ exemplum, qua ex re orta est tumulorum „ aetas in Dania. At diu postea mansit rogo„ rum aetas apud Sviones et Nordmannos „.

imbutos fuisse tradit Diodorus [7], majorem curam impendi deberi sepulcris quam domibus : *ὁι γαρ εγχωριοι τον μεν εν τῳ ζῆν χρονον ευτελη παντελως ειναι νομιζουσι, τον δε μετα την τελευτην δἰ αρετην μνημονευθησομενον περι πλειστου ποιουνται· και τας μεν των ζωντων οικησεις καταλυσεις ονομαζουσιν, ὡς ολιγον χρονον εν ταυταις οικουντων ἡμων, τους δε των τετελευτηκοτων ταφους, αϊδιους οικους προσαγορευουσιν, ὡς εν ᾁδου διατελουντων τον απειρον αιωνα. διοπερ των μεν κατα τας οικιας κατασκευων ἡττον φροντιζουσι, περι δε τας ταφας υπερβολην ουκ απολειπουσι φιλοτιμιας.* „ Regionis hujus incolae tempus vitae limitibus circumscriptum „ perexiguis aestimant : at quod celebrem a morte virtutis memoriam habiturum „ sit, illud pendunt maximi. Et domicilia viventium diversoria nominant, quod „ exiguum ad tempus haec incolamus : defunctorum vero sepulcra domus aeternas appellitant, quod infinitum apud inferos aevum peragant. Quamobrem de „ structura domorum minus sunt solliciti ; in adornandis autem sepulcris eximie, „ nihil studii faciunt reliquum „. Ideoque nos a vero non procul abfore existimo, dum inter monumenta principem locum sepulcris tribuamus ; neque a re nostra alienum videtur accurate quaerere de mortuorum, inprimis apud Aegyptios, recordatione, quod argumentum non sane parvae utilitatis est ad universam Aegyptiam antiquitatem, ut nunc quidem fieri potest, illustrandam.

Gesta defuncti recitari consueta in exequiis, quod jam supra tetigimus, Atheniensium sermones epitaphii, Romanorumque laudationes in funere, carmina in heroum honorem pangi solita, et annuae parentationes, a nostro scopo longius absunt, quibus de ipsis monumentis in loco manentibus sermo est. In his omnium vetustissima ac plurimis gentibus communia occurrunt tumuli sive aggeres. Ubi enim in spelunca sepultum erat, lapidum terraeve aut stipitum congeries, qua ostium obturabatur contra ferarum impetum pro monumento erat : ubi vero in patenti campo corpus defodiebatur, ipsa humus in se recepto cadavere, ac supellectili cum eo condi solita, sponte sua in tuberem exsurgebat, unde quodvis sepulcrum communi vocabulo tumulus dici assuevit. Mox additum est sepulcra sepire vel contegere parvis lapidibus, aut tumulos aggesta terra lapidibusve altius attollere, ac sepulcrales colles fieri coeperunt, quos per totum fere orbem terrarum sparsos offendimus, apud quosdam populos vana aemulatione ad immanem altitudinem montium instar evectos.

Indos exiguis tumulis, *μικροις χωμασι*, mortuos suos tegisse refert Strabo libro décimoquinto [8]; cujusmodi fere sunt agrestium populorum sepulcra : neque hodie gentes, quae inter Indum et Gangem avitas sedes tenent, sepulcrorum magnificentiae studere comperio. Pariterque de Germanis inquit Tacitus [9]: „ Sepulcrum cespes erigit „: qui mos etiam nunc in septentrionali Europa apud ruricolas maxime obtinet, exiguis terrae cumulis per coemeteria dispositis et viridi cespite tectis. At vero super claris viris foeminisque olim et Saxones et Scandinavi post injectam glebam magnos colles aggerere consueverunt, quos hodie in Dania et finitimis regionibus innumeros fere videmus [10], nonnullos ad centum quadraginta

---

7 Lib. 1. cap. 51.

8 Pag. 1036.

9 Cap. 27.

10 Wormii monumenta Danica, passim. Bartholini antiquitates Danicae l. 1. c. 8. pag. 112. Iselinus et Keyslerus apud Montfauc. *ant. expl.* tom. 5. part. 2. pag. 200. suppl. tom. 5. pag. 144. Camdeni Britannia edit. 1607. pag. 185.

palmorum altitudinem, et plus mille palmorum circumferentiam auctos. Cujusmodi illi sunt, sub quibus prope Jellingam Juthlandiae sepulti jacent Gormus Senex rex, pater Haraldi Blatandi, qui primus in Dania Christi fidem suscepit, et Thyra Daneboda uxor ejus [11]. Fertur autem haec tumulorum vastitas in Dania instituta a Dano Mykillati, qui saeculo post Christum natum tertio regnum tenuit: atque cum cremari nollet post mortem, corpus suum cum equo armisque et cimeliis regiis sub ingenti aggere occultari jussit: unde initium cepit aetas quam collium aevum appellant septentrionalium traditiones [12]. Idem jam prius in Suecia fecisse traditur Freyus, quem Odini filium vocitant: sed diu ante hic mos praegrandes tumulos attollendi super regum cadavera, obtinuit apud Scythas sive Getas ad Borysthenem, a quibus profecti videntur Asi, qui Scandinaviam subegerunt. De illis Herodotus [13]: *ταφαὶ δε των βασιληων εν γερροισι εισι. ες ὁ ὁ Βορυσθενης εστι προσπλωτος, ενθαυτα επεαν σφι αποθανη βασιλευς, ορυγμα γης μεγα ορυσσουσι τετραγωνον.* —— *και επειτα επεαν θεωσι τον νεκυν εν τησι θηκησι επι στιβαδος, παραπηξαντες αιχμας ενθεν και ενθεν του νεκρου, ξυλα υπερτεινουσι, και επειτα ριψι καταστεγαζουσι.* —— *ταυτα δε ποιησαντες, χουσι παντες χωμα μεγα, ἁμιλλεωμενοι και προθυμεομενοι ὡς μεγιστον ποιησαι.* „ Regum sepul„ cra in Gerris sunt. Ubi Borysthenes jam navigabilis est, ibi, cum rex „ eis decessit, ingentem in terra scrobem fodiunt forma quadrata. —— Mor„ tuum postquam in loculis posuerunt super torum, mucronibus hinc atque hinc „ defixis, desuper ligna extendunt, ac deinde salignis ramis contegunt. —— „ His actis, humum certatim injiciunt, cupientes tumulum quam maximum efficere „. Ejusdem generis fuisse conjicio polyandrion Cimmeriorum ad Tyram fluvium, quod idem auctor se scribente adhuc visendum commemorat [14]. Et hodie quoque in Maeotidis vicinia atque in Scythia Asiatica ingentes colles occurrunt humana ossa includentes et supellectilia varia [15]. Neque Zarinae Sacarum reginae pyramis, a Diodoro [16] celebrata, aliud fuisse videtur quam excelsus tumulus, lapidibus forte contectus; nam Scythicae nationes nullo unquam tempore molibus cum arte struendis inclaruerunt. Sic Sinenses terram super mortuis in pilei formam aggestam, modica plerumque duodecim pedum altitudine, latitudine decem, latere convestire aut coementitio opere contegere solent [17]: quae et origo est pilarum figurae conicae aut pyramidalis, quas sepulcris imponere consueverunt Tibetani

---

[11] Wormii monum. Dan. lib. 5. num. 3. pag. 326. Pontoppidani theatrum Daniae vet. et mod. pag. 348.

[12] Vide supra not. 6.

[13] Lib. 4. cap. 71.

[14] Lib. 4. cap. 11.

[15] Bentink in *Hist. génér. des voyages* tom. 7. pag. 23. Lebrun *voyage par la Moscovie en Perse* tom. 1. cap. 15. pag. 84.

[16] Lib. 2. c. 34.: *τους εγχωριους μετα την τελευτην αυτης χαριν αποδιδοντας των ευεργεσιων, και της αρετης μνημονευοντας, ταφον οικοδομησαι πολυ των ουτων περ' αυτοις υπερεχοντα. υποστησαμενους γαρ πυραμιδα τριγωνον, τριων μεν σταδιων ἑκαστην πλευραν αυτης κατασκευασαι το μηκος, το δε υψος σταδιαιον, εις οξυ συνηγμενης της κορυφης· επιστησαι δε τῳ ταφῳ και χρυσην εικονα κολοσσικην.* „ Cives post obitum ejus ut gra„ tiam pro beneficiis referrent, virtutumque „ memoriam conservarent, sepulcrum ei cae„ tera, quae in ea regione sunt, longe supere„ minens construxere. Pyramidem enim trique„ tram ex fundamento eduxerunt: cujus latera „ ad ternûm stadiûm longitudinem protenderen„ tur, vertex in acutum mucronem desinens ad „ stadii sublimitatem assurgeret: colossea quo„ que effigie ex auro super bustum erecta „. Vixit Zarina duabus generationibus ante Cyrum.

[17] Duhalde *descr. de l'emp. de la Chine.* t. 2. pag. 126. *Hist. génér. des voyag.* tom. 5. p. 153.

et gentes finitimae, atque Indi qui peninsulam tenent extra Gangem [18]. Etiam Nini sepulcrum in urbe Nino agger erat Semiramide jubente congestus, ut refert Ctesias apud Diodorum [19]: insanae quidem magnitudinis, nam altum fuisse ait stadia novem, latum decem stadia; quae ut omnem fidem superent, tamen exprimere videntur Asianorum consuetudinem, ingentibus tumulis reges honorare. Vidit Herodotus Alyattis Lydi sepulcrum, maximis quae tunc exstabant molibus accensendum, quod sic describit libri primi capite nonagesimo tertio: ἓν εργον πολλον μεγιστον παρεχεται ἡ λυδια, χωρις των τε αιγυπτιων εργων και των βαβυλωνιων. εστιν αυτοθι αλυαττεω του κροισου πατρος σημα, του ἡ κρηπις μεν εστι λιθων μεγαλων, το δε αλλο σημα χωμα γης. εξειργασαντο δε μιν ὁι αγοραιοι ανθρωποι και ὁι χειρωνακτες και ἁι ενεργαζομεναι παιδισκαι. ουροι δε πεντε εοντες, ετι και ες εμε ησαν επι του σηματος ανω, και σφι γραμματα ενεκεκολαπτο τα ἑκαστοι εξειργασαντο. — ἡ μεν δη περιοδος του σηματος εισι σταδιοι ἕξ και δυο πλεθρα· το δε ευρος εστι πλεθρα τριακαιδεκα. „ Unum opus Lydia exhibet multo maximum praeter Aegy-
„ ptiorum et Babyloniorum opera. Ibi enim est Alyattis Croesi parentis sepul-
„ crum, cujus crepido e grandibus est lapidibus: reliqua sepulcri pars aggestio ter-
„ rae. Id construxerunt homines forenses atque operarii, et una cum his ad quae-
„ stum prostitutae puellae. Caeterum usque ad meam aetatem in summo tumulo
„ quinque termini stabant, quibus litterae insculptae indicant, quae singuli ela-
„ boraverint. —— Sepulcri hujus ambitus stadiorum est sex et pedum ducento-
„ rum: latitudo pedum mille trecentorum „ [19]. * Memoratur et in Tyrrhine rubri maris insula ingens tumulus, Erythrae regis dictus, palmis silvestribus consitus [20]: atque in australibus insulis nuper detectis [21], nec non in America apud Peruvianos, magnos aggeres sepulcris impositos legimus [22].

Antiquissimi etiam instituti fuit apud Italos, de quibus Virgilius Aeneidos libro undecimo [23]:

Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum,
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

Similiter Dionysius antiquitatum Romanarum libro primo [24], prope Orvinium, Aboriginum oppidum, magnos aggeres commemorat sepulcrorum usui inservientes:

---

[18] P. Georgii alphab. Tibetan pag. 444. Rubruquis pag. 36. 106. P. Josephi missionarii narratio de regno Nepal, in *Asiatick researches or transactions of the society in Bengal* tom. 2. pag. 314. Reuben Burrow ibid. pag. 477. Laloubere tom. 1. pag. 477. Kaempfer *hist. du Japon* tom. 1. pag. 13. Confer Clementem Alex. strom. lib. 3. cap. 7. pag. 539.

[19] Lib. 2. cap. 7. νινον ἡ σεμιραμις εθαψεν εν τοις βασιλειοις, και κατεσκευασεν επ' αυτῳ χωμα παμμεγεθες, ὁυ το μεν υψος εννεα ην σταδιων, το δ' ευρος, ὡς φησι κτησιας, δεκα. In eadem civitate Sardanapalum regem sub ingenti tumulo sepultum fuisse, ait Amyntas apud Athenaeum lib. 12. cap. 7. pag. 529. Ea autem moles pyramidalis quae Babylone fuit, inter sepulcralia monumenta non videtur referenda, quamquam Beli sepulcrum, βηλου ταφον, appellet Strabo lib. 16. pag. 1072; nam templum fuisse Jovi Belo dicatum, constat ex Herodoto, Diodoro, et Arriano, quos infra adduco.

[19] * Cf. Strab. l. 13. p. 930. Athen. l. 13. c. 4.

[20] Strabo lib. 16. pag. 1111.

[21] Forster tom. 11. pag. 459. tom. 14. p. 251. Cook primum iter lib. 1. cap. 15. tom. 4. p. 273.

[22] Ulloa in *hist. gén. des voy.* t. 13. p. 576.

[23] Vers. 849.

[24] Cap. 14.

ενθα πολυανδριων εν υψηλοις χωμασι μηκυνομενων περιβολοι. Eandemque consuetudinem Iliaco tempore et diu ante viguisse apud Graecos Trojanosque, discimus ex Homero, qui Iliados libro secundo [25] Aesyetae tumulum Trojanis pro specula fuisse tradit, ibidemque [26] sublimem collem memorat, antiqua fama Myrinnes Amazonis sepulcrum appellatum:

εστι δε τις προπαροιθε πολεως αιπεια κολωνη,
εν πεδιῳ απανευθε, περιδρομος ενθα και ενθα·
την ητοι ανδρες βατιειαν κικλησκουσιν,
αθανατοι δε τε σημα πολυσκαρθμοιο μυριννης.

„ Est vero quidam ante urbem collis editus, in planitie seorsum, circumvius undequaque: quem quidem homines Batieam vocant, immortales autem sepulcrum agillimae Myrinnes „. Ideo et Hector Iliados libro septimo [27], Graecorum antesignanos ad singulare certamen provocans, caesi hostis corpus se redditurum pollicetur:

οφρα ἑ ταρχυσωσι καρηκομοωντες αχαιοι,
σημα τε ὁι χευσωσιν επι πλατει ἑλλησποντῳ:
και ποτε τις ειπῃσι και οψιγονων ανθρωπων,
νηϊ πολυκληιδι πλεων επι οινοπα ποντον·
ανδρος μεν τοδε σημα παλαι κατατεθνηωτος,
ὁν ποτ' αριστευοντα κατεκτανε φαιδιμος ἑκτωρ.
ὡς ποτε τις ερεει· το δ' εμον κλεος ου ποτ' ολειται.

„ Ut ei exequias faciant caput comantes Achivi, tumulumque ei aggerant ad latum Hellespontum. Et aliquando aliquis dicat etiam posterorum hominum, in navi multis transtris instructa navigans super nigrum pontum: viri quidem hic tumulus jam diu defuncti, quem olim fortissime se gerentem occidit illustris Hector. Sic olim aliquis dicet: mea vero gloria nunquam peribit „, Sic Achilles Eetionem regem, patrem Briseidos, a se interfectum, rogo imposuit,

ηδ' επι σημ' εχεεν· περι δε πτελεας εφυτευσαν
νυμφαι ορεστιαδες, κουραι διος αιγιοχοιο:

„ et tumulum super aggessit: circum quem ulmos plantaverunt Nymphae Oreades, filiae Jovis Aegiochi „ [28]. De monumento autem Patroclo atque sibi simul erigendo praecipit ipse Iliados libro vicesimo tertio [29]:

τυμβον δ' ου μαλα πολλον εγω ποιεεσθαι ανωγα:
αλλ' επιεικεα τοιον· επειτα δε και τον αχαιοι

---

[25] B. Vers. 792.
ὁς τρωων σκοπος ἱζε ποδωκειῃσι πεποιθως,
τυμβῳ επ' ακροτατῳ αισυηταο γεροντος,
δεγμενος ὁπποτε ναυφιν αφορμηθειεν αχαιοι.
„ Qui Trojanorum speculator sedebat, pedum velocitate fretus, tumulo in summo Aesyetae senis, observans quando a navibus impetum facerent Achivi „.

[26] B. vers. 811.

[27] H. vers. 85.

[28] Iliad. Z. vers. 419.

[29] Ψ. vers. 245.

ευρυν θ' υψηλον τε τιθημεναι , όι κεν εμειο
δευτεροι εν νηεσσι πολυκληισι λιπησθε .

„ Tumulum non admodum magnum ego fieri volo , sed mediocrem quendam . Postmodum vero et hunc , Achivi , latumque altumque facite , qui quidem me posteriores in navibus multa transtra habentibus relinquemini „ . Quod a Graecis postea effectum narrat umbra Agamemnonis Odysseae libro ultimo [30] :

αμφ' αυτοισι δ' επειτα μεγαν και αμυμονα τυμβον
χευαμεν αργειων ίερος στρατος αιχμηταων ,
ακτη επι προυχουση , επι πλατει έλλησποντῳ ·
ώς κεν τηλεφανης εκ ποντοφιν ανδρασιν ειη ,
τοις όι νυν γεγαασι , και όι μετοπισθεν εσονται .

„ Circa ossa autem postea magnum et insignem tumulum congessimus Argivorum sacer exercitus bellicosorum , littore in prominenti , ad latum Hellespontum ; ut longe conspicuus ex ponto viris esset , iis qui nunc nati sunt , et qui in futurum erunt „ . Eodem sepulcri genere Polydorum honorat Aeneas apud Virgilium libro tertio [31] ;

Ergo instauramus Polydoro funus , et ingens
Aggeritur tumulo tellus .

Ipsius vero Aeneae heroum ad Numicium fluvium , ut refert Dionysius Halicarnassensis [32] , agger fuit modicus epigrammate insignis , cum pulcris arboribus ordinatim circa eum dispositis : *ήρωον αινειου , χωματιον ου μεγα , και περι αυτο δενδρα στοιχηδον πεφυκοτα θεας αξια . επιγραμμα δε , πατρος θεου χθονιου , ός ποταμου νομικιου ρευμα διεπει .* Nam et hic mos , juxta fluvios fontesve sepelire [33] , et arbores plantare circum tumulos , quo nunc inprimis utuntur Sinenses et australium insularum incolae [34] , summae vetustatis fuit apud Graecos atque Italos : qui et post auctam monumentorum magnificentiam sepulcra sua lucis hortisque cingere consueverunt , unde dicta cepotaphia quae in inscriptionibus saepe occurrunt [35] .

---

[30] Ω. vers.80. Etiam Agamemnonis sepulcrum *κολωνην* appellat Sophocles in Electra v.900.

[31] Vers. 62. Confer lib. 5. vers. 44. lib. 6. v.231. lib. 7. v.6.

[32] Antiqu. Rom. lib. 1. cap. 64. Confer Virgil. Aen. lib. 5. v. 760.

[33] Vide Pindarum olymp. od. 1. v.137. Pausaniam lib.1. cap.37. pag. 89. lib. 10. cap. 12. pag.827. Marinum in vita Procli num. 10. Epigramma apud Brunckium anal. t.3.p.227.n.364.

[34] De Sinensibus vide Du Halde *descript. de l' empire de la Chine* tom. 2. p. 125. t.1. p.80. *Hist. gen. des voyag.* t. 5. p.487. t.6. pag.150. Tachard. ibid. tom. 9. p. 134. Lebrun *voy. en Perse* tom. 2. cap. 74. pag. 370. fig. 223. 224. De Tahitensibus et reliquis ejus tractus insulanis Forster lib. 1. cap. 8. tom. 11. pag. 501. tom. 12. pag. 182. 195. 197. Cook primum iter lib. 1. cap. 15. tom. 4. pag. 273. et icones in tertio itin. infra citand. nota 45. Apud hos populos casuarina arbor foliis obscure viridibus , ramisque laxe dependentibus , sepulcris consecrata est , ut apud veteres fuit cupressus . Etiam hodierni Persae , atque in India Mungali lucos plantare solent circum sepulcra . Chardin *voyage en Perse* tom.1. pag.202. Lebrun lib. cit. tom. 1. c. 35. pag. 173. Terry apud Purchas tom. 2. pag. 1476.

[35] Muratorii thes. inscr. pag. 794. num. 1. pag. 994. num.3. pag. 1009. num.4. pag. 1767. num. 4. Fabretti inscr. p.80. n.IX. p.115. n.293. 294. Lapis inventus in monumento Claudiae Se-

Jubet et Plato in republica sua tumulum fieri super sacerdotum sepulcro arborum luco circumdatum : *όυ τον μακαριόν γεγονοτα θεντες, κυκλῳ χωσαντες περιξ δενδρων αλσος περιφυτευσουσι* [36] . Alcmaeonis sepulcrum , quod in Psophide vidit Pausanias [37] , circumdabant cupressus , heroi sacrae creditae , atque virgines appellatae , quae ad tantam altitudinem excreverant , ut adjacentem montem obumbrarent . Quin et Italia platanos suas sepulcris debere fertur . Inquit enim Plinius libri duodecimi capite primo : „ Platanus arbor per Jonium mare in Diomedis insu„ lam ejusdem tumuli gratia primum invecta „ . Quae autem Pausania scribente vetustissima sepulcra ostendebantur in Graecia , maximam partem colles erant , nec raro arboribus consiti . In his tumulus Callistus , matris Arcadis , in regione Tricolonorum Arcadiae [38] : *ταφος καλλιστους , χωμα γης υψηλον , δενδρα εχων πολλα μεν των ακαρπων , πολλα δε και ἡμερα · επι δε ακρῳ τῳ χωματι ίερον εστιν αρτεμιδος , επικλησιν καλλιστης .* „ Callistus sepulcrum , editus terrae ag„ ger , multis tum infoecundis tum pomiferis vestitus arboribus : in vertice autem „ aggeris est Dianae aedes , cui Callistae seu pulcerrimae cognomentum „ . Aepyti Elatidae sepulcrum in Arcadiae monte Sepia curiose inspexit Pausanias , ut jam Homero memoratum , sed invenit aggerem modicum lapidea crepidine cinctum , unde arguit , Homeri aetate nondum exstitisse monumenta cum arte concinnata [39] : *τον δε του αιπυτου ταφον σπουδῃ μαλιστα εθεασαμην , ότι εν τοις ες τους αρκαδας επεσιν εσχεν όμηρος λογον του αιπυτου μνηματος . εστι μεν ουν γης χωμα ου μεγα , λιθου κρηπιδι εν κυκλῳ περιεχομενον . όμηρῳ δε , ου γαρ ιδεν αξιολογωτερον μνημα , εικοτως παρεξειν εμελλε θαυμα · επει και ἡφαιστου τον χορον επι τῃ αχιλλεως ασπιδι ειργασμενον , εικαζει χορῳ δαιδαλου ποιηθεντι , σοφωτερα ου θεασαμενος .* Etiam Caris monumentum in Megaride , filii Phoronei , quem antiquissimum regem agnoscunt Argivorum traditiones , initio terrenum tumulum fuisse adnotat , postea oraculo edicente conchite lapide exornatum [40] . Is vero tumulus , sub quo in Aegina juxta Aeaceum sepultus erat Phocus Aeaci filius , in imo cingebatur crepidine lapidea et vertice sustinebat saxum asperum : ut nunc in septentrionali Europa multi cernuntur aggeres forma conica , rudium lapidum corona cincti , ac magno saxo cacumini imposito insignes . De illo autem ferebat fama , eundem esse quo pro disco usus Peleus Phocum occiderat : *παρα δε το αιακειον φωκου ταφος χωμα εστι , περιεχομενος κυκλῳ κρηπιδι . επικειται δε ὁι λιθος τραχυς · και ἡνικα φωκον τελαμων και πηλευς προηγαγοντο ες αγωνα πενταθλου , και περιηλθεν ες πηλεα αφειναι τον λιθον , ὁυτος γαρ αντι δισκου σφισιν ην , ἑκων τυγχανει του φωκου* [41] .

---

mnes nuper detecto ad aedem S. Sebastiani in via Appia inter alia habet : *Huic monumento cedet hortus in quo tricliae viniola puteum aediculae* . Cf. Gruter. thes. p.383. n.4. p,809. n.2. Murator. p.1366. n. 9. Petron. satyr. c.71. Aliter de cepotaphiis sentit Mazocchius spicil. bibl. tom. 3. pag.219. sqq., quem adi .

[36] Vide supra pag. 317. not. 15. Theophrastus plant. hist. l. 4. c. 14. commemorat fagos longaevas in tumulo Ili apud Trojam : *φηγοι μακροβιοι , άι εν ιλιῳ επι του ιλου μνηματος* .

[37] Lib. 8. cap. 24. pag. 646. Cf. eund. lib.2. cap.2. pag.100. Strab. l.13. p. 889. Plutarch. in Thes. t.1. p.9. Aelian. var. hist. lib. 5. cap. 17.

[38] Lib. 8. cap. 35. pag.671.

[39] Lib.8. c.16. p.632. Cf. Iliad. B. vers. 603:
οἱ δ᾽ εχον αρκαδιην , υπο κυλληνης ορος αιπυ ,
αιπυτιον παρα τυμβον, ἱν᾽ ανερες αγχιμαχηται.
„ Qui autem tenebant Arcadiam , sub Cylle„ nes montem altum , Aepytium prope mo„ numentum , ubi viri cominus pugnantes „ .

[40] Lib. 1. cap. 44. pag. 107: *και καρος του φορωνεως μνημα εστι, το μεν εξαρχης χωμα γης, υστερον δε του θεου χρησαντος εκοσμηθη λιθῳ κογχιτῃ .*

[41] Lib. 2. cap. 29. pag.179.

Tumuli isti super sepulcris apud plerosque aggesta humo attollebantur, aut conica specie rotunda, aut ad ovatam seu quadrilateram formam porrecti: nonnunquam e lectis lapidibus, cujusmodi monumenta virorum in bello caesorum prope Orchomenium Arcadiae vidit Pausanias [42]: σωροι υπο την ορχομενιων πολιν λιθων εισι διεστηκοτες απο αλληλων· εγενεθησαν δε εν πολεμω πεσουσιν ανδρασιν εις τιμην. Hujus generis sunt qui in Scotia et Vallia frequenter occurrunt asperi lapides in cumulos vastae interdum magnitudinis congesti: quo more etiam Scandinavos, quamquam rarius, usos invenimus, et septentrionales in Asia barbaros [43]. In Aethiopia Troglodytae, ut Agatharchides refert [44], mortuos suos in edito terrae loco positos parvis lapidibus obruere solebant: atque Patagoni in Americae parte maxime meridionali, pariterque australium insularum indigenae lapidum acervis sepulcra denotare consueverunt [45]. Colles e terra aggestos rudibus saxis con-

---

[42] Lib.8. c.13. pag.626. Confer supra p.195. notam 7.

[43] Tumulum e magnis lapidibus nulla arte politis, Cairnwochel dictum, prope Ardoch in Scotia vidit Gordonus, longum pedes 182, latum 45, altum plano inclinato 30. *Itinerarium septentrionale* pag. 42. Quem sepulcro impositum fuisse, e nomine arguitur, nam supra dictarum regionum incolae, quibus hoc tumulorum genus fere proprium est et peculiare, vernacula lingua *cairns* appellant. lib. cit. p.162. 170. 180. 182. Occurrunt tamen et in Armorica, (Caylus *rec. d'antiqu.* t. 6. tab. 120. p.379.) et in Scandinavia hujusmodi monumenta, in quibus omnia superat illud quod est prope Kivik in Scania non procul a mari, cujus iconem atque descriptionem desumptas e libro: *Specimen historicum de monumento Kivikensi, auctore Sven Lagerbring, Londini Gothorum* 1780. transmisit vir amicissimus Torkillus Baden, litteris datis Hafniae die 20 Augusti 1792. Cernitur nimirum ingens ex praegrandibus rudibusque saxis congestus tumulus, quem 400 passibus ambias, elevatione adhuc conspicuus, quamvis vel 300 saxorum plaustra a vicinis accolis ablata sint, ut agrorum sepibus inservirent. In medio cumulo cella est quadrilatera, longa pedes 14, lata 4, alta 5, decem lapidibus utrinque complanatis inclusa, ac olim similibus lapidibus tecta, qui nunc loco moti pars prope adjacent, pars avecti fuere. Ii autem lapides qui longiora cellae latera stipant, figuras praeferunt varias scalpro sat bene incisas perque ordines distributas, de quibus alio loco sermo recurret. Caeterum de monumenti aetate atque auctoribus, silente traditione, nil plane compertum est: at numismata Romana, inprimis aurea primo post Christum saeculo percussa, quae in hac vicinia frequenter reperta fuerunt, suspicari faciunt, aliquando hic consedisse societatem hominum qui piraticam exercebant. Etiam in Asiae parte septentrionali, apud Tungusos et Kamtsciadalos, offenduntur tumuli e lapidibus congesti. Ides in *Recueil des voy. au Nord* tom.8. p.88. Cook *troisieme voyage* lib.4. c.11. tom.3. p.343. Strahlenberg *descr. de l'emp. Russien.* tom. 2. p. 203.

[44] Periplus maris rubri, in Hudson. geogr. min. tom. 1. pag. 46. Sext. Empir. pyrrh. hyp. lib. 3. cap. 24.

[45] De Patagoniae incolis narrat Noort navigat. circum mundum pag. 17. Vidisse se in portu Desire ad fretum Magellanicum tumulos quibus mortuos suos condiderant, ex congestis multis lapidibus pigmentis rubeis tinctis, juxta quos quae pilae erectae cernebantur plumis aliisque rebus ornatae erant. Conf. Pretty apud Purchas tom. 1. p. 58. *Hist. gén. des voy.* t. 10. pag. 340. Apud Tahitenses et vicinos populos principum sepulcra esse solent intra septa deorum caerimoniis dicata, quae spatia sunt quadrata duplo fere longiora quam lata, modo sepi palisve modo muro lapideo cincta, situ plerumque aut natura sua aut hominum industria ad aliquot pedum altitudinem elato, nec procul a littore remoto. Haec parvis lapidibus sternunt, arboribusque conserunt, in quarum umbra stant casae ligneae aëri undique perviae, aggere interdum aut substructione lapidea ad 10 usque pedes subrectae, palisque scalptura ornatis circumdatae, ubi mortuos suos putrescere sinunt in lectulo. Ossa autem condunt, vel in ipsa casa exiguo tumulo nigro silice convestito, nonnunquam lignea statua juxta posita; vel sub mobilium lapidum congerie ad pedem aggeris oblongi, qui est in septo lapidibus congestus 14 circiter pedum altitudine, lignis scalptura picturaque ornatis juxta defixis. Haec fere consueta sunt. In Lafuga insula notavit Cookius tert. itin. l.2. cap. 6. tom. 1. p.329. antiqui regis tu-

sepire solebant Scandinavi atque Germani, addita interdum in medio aut in summo tumulo altera lapidum corona [46]. Graecis autem circa Iliaca tempora mos erat fundamentum e magnis lapidibus substernere, quod paullo ultra tumuli diametrum excurrens, efficiebat crepidinem, cujus Pausanias meminit in sepulcro Aepyti. Sic Patroclo bustum fecerunt Myrmidones, Iliados libro vicesimo tertio [47]:

> τορνωσαντο δε σημα, θεμειλια τε προβαλοντο
> αμφι πυρην: ειθαρ δε χυτην επι γαιαν εχευαν:

„ Circulo designarunt tumulum, fundamentaque jecerunt circa pyram; et statim „ fusilem terram aggesserunt „. Atque Trojani in ejusdem carminis libro ultimo [48], Hectoris corpore combusto ossibusque e rogo lectis,

> τα γε χρυσειην ες λαρνακα θηκαν ἑλοντες,
> πορφυρεοις πεπλοισι καλυψαντες μαλακοισιν.
> αιψα δ' αρ' ες κοιλην καπετον θεσαν· αυταρ υπερθε
> πυκνοισιν λαεσσι κατεστορεσαν μεγαλοισι.
> ριμφα δε σημ' εχναν.

„ Haec aureum in loculum posuerunt suscepta, purpureis peplis obtecta mollibus: „ mox autem in cavam fossam posuerunt; et superne densis lapidibus straverunt „ magnis. Cito vero tumulum aggesserunt „. Postea crepidinem illam, quam sepulcri coronam appellat Apollonius Argonauticorum libro secundo [49], pluribus lapidum ordinibus sibi superstructis auctam, in altam substructionem sive praecinctionem converterunt et coronidem adjecerunt. Hujusmodi sepulcra compluria

---

mulum e terra aggestum arboribusque consitum, altum ped. 40, in cujus vertice erectus stabat saxum quadratum, altum supra terram ped. 14, latum 4, spissum 2 $\frac{1}{2}$. Quod vero omnia apud hasce gentes monumenta superat, sepulcrum est Oami et Obereae principum in insula Tahiti, quod idem describit prim. itin. lib. 1. cap. 15. tom. 4. pag. 274. Super crepidine e magnis saxis, quorum nonnulla prope 5 pedes longa sunt, agger assurgit figura aëtomatis instar fastigiata, structus e parvis lapidibus globosis, tectus autem politis lapidibus albis, quadratis et modice magnis, qui undecim gradus sive praecinctiones efficiunt circumcirca. Forma quadrangula est, longitudo ped. 267, latitudo 87: singulae autem praecinctiones altae sunt ped.4, unde tota altitudo colligitur ped.44. In medio vertice stat avis e ligno exscalpta. Vide praeterea Cook *premier voy*. lib. 1. c. 9. 15. 19. l.2. c.1. t.4. p.123. 257. 425. t.5. p.19. *troisieme voy*. l. 2. cap. 3. 6. 8. 9. lib.3. c.2.11. lib. 5. cap. 1. 5. tom. 1. pag. 261. 322. 389. tab. 21. tom. 2. p. 142. 348. 351. tab. 22. 25. 26. 33. 34. tom. 3. pag. 387. 446. tab. 60.68. Forster lib. 1. cap. 8. 10. 11. lib.2. cap.1. 3. 7. tom. 11. pag. 459. 501. tom. 12. pag. 7. 195. tom. 13. pag. 65. 215. 239. tom. 14. p.251.

[46] Wormii monum. Dan. p. 8. 22. 35. additam. ad mon. Dan. pag. 6. Gordoni itin. sept. pag. 174. 182. Cambd. Britann. p. 185. Montfauc. *ant. expl.* tom. 5. part. 2. pag. 198. suppl. tom. 5. pag. 144. In hisce tumulis praeter humana sceleta molli humo involuta aut super strato lapide extensa, cineresque in ollis conditos, frequenter reperiuntur mallei, secures, cultri et spicula, omnia facta e silice aut e granite, cujusmodi utensilium e Dania transmissorum magna copia servatur in museo Borgiano.

[47] Ψ. vers. 255.

[48] Ω. vers. 795.

[49] Vers. 917.

> ἠκε αυτη
> περσεφονη ψυχην πολυδακρυον ακτοριδαο,
> λισσομενην τυτθον περ ὁμηθεας ανδρας ιδεσθαι.
> τυμβου δε στεφανης επιβας σκοπιαζετο νηα.

Scholiastes quidem habet: *στεφανης, της ακρας*: et interpres reddit, *summo conscenso tumulo*. Quam recte, videant eruditi.

fuisse videntur in Romanae urbis vicinia, quorum nunc crepidines tantum supersunt, forma rotunda, satis amplae, sed modicae altitudinis, terrenis tumulis subrigendis apprime aptae, intus autem continentes cameras pro arcis urnisve reponendis. Unum tantum quod est in via Tusculana, vulgo dictum mons frumentarius, prae reliquis integrum, nunc ut olim collem sustinet in conicam formam aggestum [50]. Sed in hoc monumentorum genere omnibus palmam praeripuit Augusti mausoleum, quod nunc ornamentis suis spoliatum, et ad amphitheatri usum traductum, Strabonis verbis describam, qui de aedificiis Campo Martio adjectis disserens inquit [51]: *ιεροπρεπεστατον νομισαντες τον τοπον τουτον, και τα των επιφανεστατων μνημματα ενταυθα κατεσκευασαν, ανδρων και γυναικων. αξιολογωτατον δε το μαυσωλειον καλουμενον, επι κρηπιδος υφηλης λευκολιθου προς τω ποταμω χωμα, αχρι κορυφης τοις αειθαλεσι των δενδρων συνηρεφες. επι ακρω μεν ουν εικων εστι του σεβαστου καισαρος· υπο δε τω χωματι θηκαι εισιν αυτου και των συγγενων και οικειων. οπισθεν δε μεγα αλσος περιπατους θαυμαστους εχον· εν μεσω δε τω πεδιω ὁ της καυστρας αυτου περιβολος, και ὁυτος λιθου λευκου, κυκλω μεν περικειμενον εχων σιδηρουν περιφραγμα, εντος δε αιγειροις καταφυτος.* „ Hunc „ locum maxime sacrum ac venerabilem rati, illustrissimorum virorum monumen„ ta ibi collocarunt ac matronarum. Quorum omnium praeclarissimum est Mau„ soleum, quod vocant, agger ad amnem supra sublimem albi lapidis crepidinem „ congestus, et ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus. In „ fastigio est statua Augusti Caesaris, sub aggere sunt loculi ejus et cognatorum „ ac familiarium: a tergo lucus magnus ambulationes habens admirabiles. In me„ dio autem campo busti ejus ambitus ex albo saxo, in orbem cinctus ferreo sepi„ mento, intus populis consitus „. Sic a parvorum tumulorum simplicitate ventum est ad regia monumenta in collium formam aggesta: neque aliam originem habuisse reor moles lapideas, tum Graecis tum Romanis sepulcris superstructas, quae ad varias formas aedificatae, turribus, tholis aut metis similes, e longinquo ostentant primaevam aggerum speciem; nonnullae quidem factae ad Aegyptiarum pyramidum imitationem, nonnullae artis licentia vario modo concinnatae, additis quoque columnis statuisque et anaglyphis [52]. Quo in genere omnium nobilissi-

---

[50] Iconem habes apud Bartolium vet. sep. fig. 80. qui et crepidinem tumuli ex eodem genere sistit fig. 58. Tumulos iis similes quibus heroes usi feruntur, minores alios e lectis lapidibus, alios majores terra congestos & crepidine lapidea cinctos ad 60 usque ped. diametrum, camera subterranea instructos, in minori Asia, maxime apud Smyrnam, vidit Pocockius: vol. 2. part. 2. l. 1. c. 1. 13. p. 39. 75.

[51] Lib. 5. p. 361. Cf. Bartol. l. c. fig. 71. 72. Vide etiam Sueton. in Aug. c. 101. 102. Stetere ante id pilae aeneae Augusti rebus inscriptae. Dio l. 56. c. 33. De obeliscis V. supra p. 26. 28.

[52] Exempla habes apud Bartolium lib. cit. fig. 1. 29. sqq. Montfaucon *ant. expl.* tom. 5. tab. 102. sqq. Ciampin. opp. tom. 1. tab. 40. Dorville Sicul. p. 94. In his Cestii monumentum Romae ad portam S. Pauli omnium proxime accedit ad Aegyptiarum pyramidum formam, in hoc praesertim differens quod altius sit quam latum: nam latitudo est palmorum 130, altitudo autem 169. Bartol. fig. 60. Falconer. de pyram. C. Cestii in Graev. thes. tom. 4. p. 1463. Apud Graecos autem maximam claritatem assecutum est sepulcrum Mausoli, de quo Plinius lib. 36. cap. 5. „ Mausoleum sepulcrum „ est ab uxore Artemisia factum Mausolo Ca„ riae regulo, qui obiit olympiados 100 an„ no 2. —— Patet ab austro et septentrione „ sexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, „ toto circuitu pedes 411. Attollitur altitudi„ ne 25 cubitis: cingitur columnis 36. Pte„ ron vocavere. Ab oriente caelavit Scopas, „ a septentrione Bryaxis, a meridie Timotheus, „ ab occasu Leochares. —— Accessit et quin„ tus artifex, namque supra pteron pyramis „ altitudine inferiorem aequavit, 24 gradibus „ in metae cacumen se contrahens. In summo „ est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. „ Haec adjecta 140 pedum altitudine totum

mum fuit Hadriani et Antoninorum sepulcrum, quod postquam Marci reliquiae in id illatae fuere, ab hujus nomine appellare maluerunt scriptores: moles quadrata angulis ad lapidis jactum dissitis, altitudine autem supra urbis moenia exsurgente, pario marmore convestita, columnisque pulcerrimis et statuis stupendae magnitudinis exornata [53].

„ opus includit „. Ultimum numerum in mendo cubare jam adverterunt viri docti, dum credibile non sit quadrigam altam fuisse pedes 65: nec video qui ferri possit ambitus pedum 411. Confer Allatium in Gronovii thes. tom. 8. p. 2681. et Aulisium in Sallengrii thes. t.3. p.913. Pausanias lib. 8. cap. 16. una cum Mausoleo sepulcris maxime memorabilibus accenset monumentum Helenae, reginae Adiabenes, prope Hierosolyma situm, sed illud tantum notat, esse in eo januam ex eodem quo reliquum aedificium lapide excisam, quae semel tantum in anno possit aperiri eadem hora revertente, reliquo tempore facilius frangi quam moveri. Quibus juvari videtur conjectura Pocockii, esse Helenae sepulcrum illud quod nunc regum nomine vulgo appellatur, celebre apud peregrinatores propter januam ex ipsius cryptae saxo inque ipso eo loco exsectam: quamquam pyramidum, quas Josephus refert tres fuisse in monumento Helenae, nunc nullum inveniatur vestigium. Joseph. ant. Jud. l. 20. c. 4. Pococke vol. 2.part. 1. l. 1. c. 5. p. 20. tab. 5. Lebrun *voy. au Lev.* p. 268. Cernuntur prope eandem civitatem duo monumenta quadrata, vicenûm circiter pedum amplitudine e rupe secta, alterum desinens in fastigium pyramidale, alterum in metam e quadrato lapide structam: quae, licet Zachariae et Absolomo vulgo adscripta, ex architecturae modo a Graecis hominibus facta intelliguntur. Lebrun lib. cit. p. 264. 265. fig. 119. 120. 121. Pococke l. c. c. 6. p. 22. 23. tab. 6. 7. Alia hujus generis monumenta in minori Asia memorantur ab eodem vol. 2. part. 2. l. 1. cap. 5. 13. p. 58. 75. Exstant et in anteriori Africa magnae molis sepulcra, turrium aut pyramidum modo facta, de quibus vide Shaw *voyage* tom. 1. l. 1. cap. 3. p. 57. c. 6. pag. 73. 78. c. 8. pag. 136. l. 2. c. 2. pag. 207. c. 5. p. 255. 261. 263. De iis autem monumentis lapideis, forma conica acuta, janua instructis scalisque et fenestris, cum statua summo vertici insidente, quae inter Ancyram et Caesaream innumera multitudine a se visa scribit Paulus Lucas, *voy. en* 1704. tom. 1. p. 160., quid putandum sit, cui hominum generi sint tribuenda, cui usui inservierint, e narratione ejus non colligitur. In eodem tractu plurima visebantur antra affabre exsecta e rupibus. An hic commune erat veterum Phrygum coemeterium, in monte Agdistidi matri sacro?

[53] Descriptionem ejus debemus Procopio lib. 1. de bello Gothico cap. 22.: *ἀδριανου του ρωμαιων αυτοκρατορος ταφος εξω πυλης αυρηλιας εστι, απεχων του περιβολου ὁσον λιθου βολην· θεαμα λογου πολλου αξιον. πεποιηται γαρ εκ λιθου παρίου, και ὁι λιθοι ες αλληλους μεμυκασιν, ουδεν αλλο εντος εχοντες. πλευραι δε αυτου τεσσαρες εισι ισαι αλληλαις, ευρος μεν σχεδον τι ες λιθου βολην ἑκαστη εχουσα, μηκος δε υπερ το της πολεως τειχος. αγαλματα τε ανω εκ λιθου εισι του αυτου, ανδρων τε και ἱππων, θαυμασια ὁια.* „ Extra portam Aureliam jactu lapidis procul a „ moenibus est Hadriani Romanorum impera„ toris tumulus, opus spectandum et memora„ bile. Nam constat ex marmore pario, ar„ ctissimeque haerent inter se lapides, quam„ vis nihil sit intus quo vinciantur. Aequalia „ sunt quatuor ejus latera: cujusque latitudo „ jactum lapidis aequat. Altitudo muros urbis „ excedit. In culmine admirabiles visuntur vi„ rorum equorumque statuae ex eodem lapi„ de „. Mox narrat, Romanos eo pro munimento usos, cum obsidione premerentur a Gothis, multas ingentes statuas, quae ibi erant, fregisse et in hostium capita devolvisse: *των αγαλματων τα πλειστα, μεγαλα λιαν οντα, διεφθειρον, αιροντες τε λιθους υπερπληθεις ενθενδε χερσιν αμφοτεραις, κατα κορυφην επι τους πολεμιους εῤῥιπτουν.* Molem ab ipso Hadriano conditam fuisse et cineres ejus ibi positos, tradunt epitomator Dionis lib. 69. c. 23. Spartianus in vita ejus c. 19. Capitolinus in Pio c. 5. 8. Sed Antoninos quoque in ea sepultos fuisse, scimus e Capitolino in Marco c. 7. in Vero c. 11. atque e Lampridio in Commodo c. 10. Ubi Marci corpus situm fuerit, non invenio apud auctores, qui vitam ejus narraverunt: at Spartianus de Severo cap. 15. ait: „ Illatus est sepulcro M. „ Antonini „: idemque legitur apud Victorem in Caesaribus p. 553. et Herodianus hist. l. 4. c. 2. inquit: *την καλπην, ενθα ην τα σεβηρου λειψανα, απεθεντο εν τῳ νεῳ, ενθα μαρκου τε και των προ αυτου βασιλεων ἱερα μνηματα δεικνυνται.* „ Urnam, in qua erant Severi reliquiae, depo„ suerunt in templo, ubi Marci et imperato„ rum qui ante eum fuere, sacra monumenta „ ostenduntur „. Ex quibus constat, non so-

§. XX.

Alterum sepulcralium monumentorum genus lapides sunt terrae infixi, quos in parvis maxime tumulis, nec propria mole satis nobilitatis, quamplurimae gentes erigere consueverunt. Comperimus quidem agrestes populos usos ligneis stipitibus, qui magna ex parte mos obtinet in America [1], neque antiquissimis Graecis ignoratus, quod ex Iliados libro vicesimo tertio jam supra notavimus [2]. Sic Argonautae in Mopsi tumulo, qui in Libye obiit, statuerunt fractum remum ab Argo nave ablatum. Lycophron in Alexandra [3]:

μοψον τιταιρωνειον ενθα ναυαται
θανοντα ταρχυσαντο, τυμβειαν θ' υπερ
κρηπιδ' ανεστηλωσαν αργωου δορος
κλασθεν πετευρον, νερτερων κειμηλιον,
αυσιγδα, κιννυφειος ἡν τεγγων ροος
νασμοις λιπαινει.

„ Ubi Mopsum nautae Titaeronium mortuum sepelierunt, et supra sepulcralem „ crepidinem erexerunt Argoae navis fractum lignum, inferorum donarium, apud „ Ausigda, quam Cinnyphius humectans fluvius aquis foecundat „. Pariterque super Idmonis sepulcro ad promontorium Acherusium in Bithynia, navalem trabem posuerunt, quae postea germinasse et in oleastri arborem conversa esse fertur. Apollonius argonauticorum libro primo [4]:

---

lum in Antoninorum monumento sepultum fuisse Marcum, sed ipsum monumentum in nomen ejus transiisse. Totam hujus molis historiam diligenter exsecutus est Olaus Borrichius in thesauri Graeviani tom. 4. pag. 1611. Icones sistit Bartolius fig. 75. sqq.: sed ea nunc est monumenti conditio, ut quale fuerit antiquitus, vix conjectura inveniri possit. Columnae e pulcerrimo marmore, quae nunc sunt in basilica S. Pauli in via Ostiensi, olim hic stetisse dicuntur. Cf. cl. Fea in append. ad Winkelm. *storia delle arti* t.3. p.383. sqq.

Caeterum mature coeperunt Romani tumulis uti e saxo quadrato constructis: nam sub tali Horatiam sepultam fuisse quo loco corruerat fratris gladio icta, auctor est Livius l. 1. c. 26. Sed et vastitati atque magnificentiae monumentorum studuisse priscos Italos, documento est labyrinthus Porsenae a Varrone descriptus, apud Plinium l. 36. c. 13., quamvis quae de illo narrantur Etrusca fabulositate aucta appareant: „ De labyrintho Porsenae ita ait „ M. Varro: sepultus est sub urbe Clusio, in „ quo loco monumentum reliquit lapide quadrato; singula latera pedum lata tricenûm, „ alta 50; inque basi quadrata intus labyrinthum inextricabilem. Supra id quadratum „ pyramides stant quinque, quatuor in angulis, in medio una, in imo latae pedum 75, „ altae 150: ita fastigiatae, ut in summo orbis aeneus et petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quae vento agitata longe sonitus „ referant. Supra quem orbem quatuor pyramides insuper, singulae exstant altae pedum „ centenûm. Supra quas uno solo quinque pyramides, quarum altitudinem Varronem puduit adjicere. Fabulae Etruscae tradunt, „ eandem fuisse quam totius operis „.

[1] Lafitau *moeurs des sauv.* tom. 2. p. 416. *Hist. génér. des voy.* tom. 15. pag. 69. Eundem morem apud Neo-caledonios notavit Forster l.2. c. 7. tom. 14. p. 219. 239. 257. Etiam Tahitenses et vicini populi circum sepulcra ponunt palos barbara scalptura ornatos. Idem l.1.c.15. l. 2. c. 3. tom. 11. p. 459. tom. 13. pag. 239. Tartari Sinis adjecti super mortuis erigunt perticas cum vexillis picturatis. Duhalde lib. cit. tom. 4. p.97.

[2] Pag. 196.

[3] Vers. 881.

[4] Vers. 843.

και δη τοι κεχυται τουδ' ανερος εν χθονι κεινῃ
τυμβος · σημα δ' επεστι και οψιγονοισι ιδεσθαι
νηιου εκ κοτινοιο φαλαγξ, θαλεθει δε τε φυλλοις
ακρης τυτθον ενερθ' αχερουσιδος.

,, Etiamque aggestus est huic viro in ea tellure tumulus, in quo vel seris posteris ,, aspectabile stat monumentum, palanga ex oleastro navibus utili: foliis autem ,, frondet paulum infra Acherusium promontorium ,,. Atque ab hac consuetudine, in longinquis navigationibus pro sepulcrorum indicio uti lignis e nave fractis, derivatum videtur quod Athenienses cenotaphiis imponebant transtrum ad peregrinam mortem denotandam, cujus moris meminit Marcellinus in vita Thucydidis [5]. Alii mortuos defodere solent ad radicem arboris eximiae, quae monumenti loco sit, ut fieri dicitur ab Algonquinis aliisque tribubus in America quae venatu vitam tolerant [6]. Apud Graecos Amyci heroum in Bebrycia praegrandi lauro notatum legimus [7]; atque in sacris paginis Debora nutrix Rebeccae sepulta narratur juxta quercum, inde dictam quercum fletus [8]. Multi etiam super defuncti hominis tumulo ponunt arma artiumque instrumenta, vel quibus quisque maxime usus est utensilibus, aut quae res viventi in deliciis erant [9]. Sic in Elpenoris sepulcro remum fixit Ulysses, Odysseae libro duodecimo [10]:

αυταρ επει νεκρος τ' εκαη και τευχεα νεκρου,
τυμβον χευαντες, και επι στηλην ερυσαντες
πηξαμεν ακροτατῳ τυμβῳ ευηρες ερετμον.

---

[5] In fronte Thucydidis Dukeriani pag. 5. φερουσι μαρτυριον του μη κεισθαι το σωμα επι της αττικης · ικριον γαρ επι του ταφου κεισθαι. του κενοταφιου δε τουτο γνωρισμα ειναι επιχωριον και εννομον αττικον, των επι τοιαυτῃ δυστυχιᾳ τετελευτηκοτων και μη εν αθηναις ταφεντων. τουτο μεν ζωπυρος. ,, Corpus ejus non jacere in Attica, il- ,, lud testimonium afferunt, quod in sepulcro ,, ejus positum sit lignum navale: hoc enim ,, esse signum cenotaphii patrium atque rece- ,, ptum apud Atticos in iis qui tali infortunio ,, obiissent, nec Athenis sepulti essent. Ita ,, quidem Zopyrus ,,. Cf. Suidas v. ικριον. Lipsius de cruce lib. 1. cap. 4. not. Kirchmann. l. 3. cap. 27. pag. 472.

[6] Lafitau tom. 2. p. 422. Sagard *voyage du pais des Hurons* pag. 288. Vide etiam de Congensibus *Hist. gén. des voy.* t. 4. p. 645.

[7] Schol. Apollonii argon. l. 2. v. 159.

[8] Genes. c. 35. v. 8. ,, Mortua est Debora nu- ,, trix Rebeccae, et sepulta est ad radices Bethel ,, super quercum: vocatumque est nomen loci ,, illius, quercus fletus ,,.

[9] De barbarorum consuetudine supellectilem defuncti, arma inprimis remosque suspendere in tumulo, vide *Hist. génér. des voyag.* tom. 4. pag. 147. 340. 592. tom. 10. pag. 372. tom. 14. pag. 76. Garzia *relaz. delle isole Mariane* pag. 184. Purchas tom. 2. pag. 975. Cafri lectulum ponunt super loco ubi quis sepultus fuerit: Joa. dos Sanctos apud Purchas tom. 2. p. 1541. Floridenses praeter sagittas poculum quo quisque in vita usus, sepulcro ejus imponunt: Lemoyne icones num. 40. *Hist. génér. des voy.* tom. 14. p. 455. Sic Vitruvius lib. 4. c. 1. capitulum ordinis Corinthii casu inventum narrat, cum post sepulturam virginis Corinthiae, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta et composita in calatho pertulisset ad monumentum, et in summo collocasset. Apud Troezenios in sepulcro Pitthei, qui litibus judicandis inclaruerat, tres throni erant ex albo lapide, in quibus ipse sedens cum assessoribus jus dixisse ferebatur. Pausan. l. 2. cap. 31. p. 184: πιτθεως μνημα εστι, τρεις δε επ' αυτῳ θρονοι κεινται λιθου λευκου. δικαζειν δε πιτθεα και ανδρας δυο συν αυτῳ λεγουσιν επι των θρονων. De antiquis Peruvianis refert Zarate in *Hist. gén. des voy.* tom. 13. p. 570. in tumulis poni consuevisse instrumenta et signa artium, quibus quisque nomen dedisset.

[10] M. vers. 13.

„ At postquam cadaver combustum est et arma mortui ; tumulo aggesto , et de„ super cippo erecto , fiximus in summo sepulcro fabrefactum remum „ . Eodemque more apud Virgilium utitur Aeneas libro sexto [11] :

At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Imponit , suaque arma viro , remumque tubamque ;
Monte sub aërio , qui nunc Misenus ab illo
Dicitur , aeternumque tenet per saecula nomen .

Iberes , gens bellicosa , tot verua circum cujusvis civis tumulum defigere solebant , quot hostes ipse occidisset . Aristoteles politicorum libro secundo , capite secundo : *εν τοις ιβηρσιν , εθνει πολεμικῳ , τοσουτους τον αριθμον οβελισκους καταπηγνυσι περι τον ταφον , ὁσους αν διαφθειρῃ των πολεμιων* . De Troglodytis autem in Aethiopia , venatui deditis , auctor est Agatharchides , rupicaprae cornu in summo tumulo infixum ponere consuevisse : *τρωγλοδυται των μετηλλαχοτων τοις εκ των παλιουρων λυγοις τον αυχενα προς τα σκελη συνεδησαν · ειτα επ' οχθον επιθεντες βαλλουσι χειροπληθεσι λιθοις , τωθασμῳ χρωμενοι και γελωτι , τεως αποκρυψωσι του τετελευτηκοτος την μορφην · καπειτα ανωθεν επιθεντες κερας αιγος , απαθεις απολυονται και παντελως ἱλαροι* [12] . Quemadmodum et nunc Aethiopes circa Congum et Loangum in privatorum hominum tumulis ferinum cornu erectum statuere solent , regia autem sepulcra elephantorum dentibus cipporum loco cingere [13] . Sed quoniam omnia quae sunt hujusmodi tum aëris intemperie absumantur , tum hominum bestiarumque injuria facile destruantur aut auferantur , lapides autem et maxime obvii sint et diuturno aevo resistant , hos ad monumentorum usum elegerunt tum Asiae tum Europae populi qui nomini suo apud posteros consulendum duxere [14] .

---

[11] Vers.232.

[12] Agatharch. peripl. maris rubri , in Hudson. geogr. min. tom. 1. p. 46. „ Troglodytae „ laqueis ex paliuro contextis colla mortuorum „ cruribus alligant . Tunc tumulo impositos „ manuaribus lapidibus obruunt , non absque „ joco et risu , donec formam mortui occul„ tent . Capreae dehinc cornu supra defixo , „ sine perturbatione omnino hilares absce„ dunt „ . Cf. Artemidorus apud Strab. lib.16. pag. 1122.

[13] Merolla *viaggio nel Congo* pag. 212. *Hist. gén. des voy.* tom. 4. p. 645. 580. Purchas. t. 2. p. 612. Madagascarenses victimarum cornua , quas pro servanda valetudine diis obtulerat defunctus , tanquam pietatis documentum de pertica suspendunt juxta sepulcrum . Sonnerat. lib.4. c.3. tom. 2. p. 61.

[14] In reliquo orbe rarius hunc morem commemoratum invenio . Virginienses quidem lapides tum quadratos tum ad columnarum seu ad pyramidum speciem factos statuere feruntur , atque in magno honore habere , sed hoc ut videtur in deorum venerationem , non ita in defunctorum memoriam . *Hist. de la Virginie* l. 3. c. 8. §. 11. p. 293. *Hist. génér. des voy.* tom. 14. p. 521. Brasiliae tribus , ubi ad novas sedes transeunt , sepulcra quae veteri vico adjacent , lapidibus insignire feruntur . Lery in *Hist. gén. des voy.* tom. 14. p. 284. De Madagascarensibus refert Flacourt pag. 100. consuevisse juxta casulas in quibus mortuos condunt , lapidem ponere altitudine pedum 12 aut 15. Etiam in australibus insulis hinc et inde conspiciuntur lapides in defunctorum principum memoriam erecti . Cookii primum iter l. 1. c. 15. t. 4. p. 252. l. 3. c. 9. tom. 8. p. 34. tertium iter l. 2. c. 3. 6. tom. 1. p. 261. 329. Forster l. 1. c. 14. t. 12. p. 359. 370. 381. 404. Sumatrae autem insulae autochthones , quibus quam coemeteria sua majorumque memoria nihil sanctius est , circa cadaver terra obrutum parva vexilla defigunt , dein exacto annuo spatio lapides aliquot figura elliptica statuunt ad caput et ad pedes tumuli . Marsden V.C. *history of Sumatra* pag. 248.

Hi lapides cum initio prorsus rudes asperique essent, et modice magni, subinde et mole augeri et cum arte dolari coeperunt. Ingentes lapides oblongos, nativa asperitate horridos, nec ulla certa forma donatos, in Scandinavia maxime et Germaniae parte septentrionali super mortuis collocatos cernimus, modo seorsim erectos ad altitudinem plus quam triginta palmorum, parvisque lapidibus circum basin constipatos, modo ternos quarto ampliori tectos [15]. Inveniuntur etiam hujusmodi monumenta in Gallia atque in Britannia, iis praesertim in locis quae a Scandinavis occupata aut incursionibus eorum devastata novimus [16]. Ut plurimum posita sunt in campo super exiguis tumulis, rarius in collibus modice elatis. Vetustissima rasa sunt, seriora frequenter insigniuntur brevi epigraphe Runicis litteris exarata, nomen defuncti complexa amicorumque qui erigendam curaverunt, adjecta nonnunquam una alteraque figura incomptis lineis expressa. Sunt horum lapidum nonnulli qui binis vel ternis lateribus rudi arte complanatis, aliquo modo tabulis trabibusve aut obeliscis sive pyramidibus similes apparent [17]. In his omnium quos notatos invenio praeclarissimus Jellingae stat, medio loco inter tumulos Gormi et Thyrae supra memoratos, lineari scalptura inter varios ornamentorum plexus atque gyros exhibens regis effigiem ac gryphi speciem monstruosam, Runica autem inscriptione Gormi Thyraeque sepulcra et Haraldi gesta praedicans. Is trilaterae pyramidis figuram imperfecte quidem imitatur, altus palmos septemdecim, latus qua parte rex scalptus est palmos septem, qua gryphus octo, qua epigraphe extat quatuordecim: erectus autem est circa medium saeculum decimum [18]. Perduravit enim apud Scandinavos hoc grandium saxorum sublevandorum studium etiam postquam Christianae fidei nomen dederunt, cujus rei testes multa prostant monumenta Runica crucis signo notata [19]. Prae reliquis autem conspicuae sunt trabes lapideae quadrilaterae, obeliscis cuspide destitutis similes, quae in Scotiae parte Danis olim subdita erectae conspiciuntur, altera facie grandi crucis figura, altera scalpturarum varietate insignes, in quibus primum locum tenet ea quae prope Forres stat in comitatu Murray, alta pedes viginti tres,

---

[15] Wormii monumenta Danica pag. 8. 22. 63. 188. 214. et passim. Ejusdem additamenta ad monum. Dan. in calce Litteraturae Runicae p. 4. Göransoni *Bautil.* Bartholini antiquitates Danicae pag. 119. 138. Montfaucon *antiqu. expliquée* suppl. tom. 5. tab. 64. 65. Ii quidem qui aliis lapidibus tanquam pedibus suffulciuntur, a Wormio aliisque pro deorum aris habentur: at quoniam plerumque altius elevati sunt quam ut sacra super iis commode possint peragi, ac saepe collocati inveniuntur in tumulis humana ossa includentibus, malo accedere sententiae Montfauconii, et maximam partem eorum inter sepulcralia monumenta referre. Videtur autem hoc esse vetustissimum genus apud Gallos Britannosque et Scandinavos, scalpturis litterisque prorsus destitutum.

[16] Montfaucon loc. cit. tom. 5. pag. 194. suppl. tom. 5. pag. 145. tab. 62. Caylus *recueil d'antiqu.* tom. 3. pag. 424. tab. 118. tom. 4. pag. 370. tab. 111. tom. 6. pag. 361. 367. 379. 388. tab. 115. 117. 120. 121. 123. Sauvagere *recueil d'antiquités dans les Gaules* pag. 79. 253. 256. 257. Gordon itinerarium septentrionale p. 151. sqq. 158. Bartholin. lib. cit. p. 139.

[17] Wormius lib. cit. passim.

[18] Vide auctores citatos supra §. 19. not. 11. pag. 340. Inveniuntur quidem alii celsiores, sed non aeque lati, nec ornamentis ita conspicui. Cujusmodi sunt quos sistit Wormius pag. 115. 232. 236. 312. 480. 491. 501. altitudine palmorum 18 usque ad 24. Inter eos autem quorum mensuras prodidit, maximus est qui stat in dioecesi Bergensi, altus palmos 27, latus 4, crassus 3, paulatim in apicem acutum excurrens, praeter crucis signum quo notatur, rudis: pag. 64. Sed et hunc mole excedunt trabes lapideae prorsus rudes et asperae, quae hinc et inde erectae offenduntur, stupendae ut ipse ait magnitudinis: pag. 62.

[19] Wormius lib. cit. pag. 64. 188. 205.

lata qua parte maxime patet pedes quinque[20]. Sed nolim Scandinavis attribuere omnes, qui in occidentali Europa occurrunt grandes lapides super sepulcris erecti, cum hac in re quamplurimae gentes certasse inveniantur[21]; praesertim vero in Ar-

[20] Gordon lib. cit. pag. 158. tab. 56. Sed accuratiorem delineationem desumptam e Cordineri *antiquities of Scotland*, libro edito 1780. ex Anglia nobis transmisit Hillius, e qua colligitur, lapidem in summo vertice tertia parte arctiorem esse quam in imo scapo: quare et obeliscus dici solet a scriptoribus. Etiam figurae in utraque icone multum discrepant, sed scalptura cum et valde rudis sit et aëris intemperie magnam partem exesa, de significatu nil certi affirmari posse videtur. Princeps lapidis frons sulcis horizontaliter ductis dividitur in spatia septem, in quibus ficti sunt equites peditesque armati, vexilla et tropaea. Eam quae huic opponitur, majori ex parte occupat crucis signum adjecto ornamento reticulato satis nitido, inferius autem anaglyphon est, quod viros dextra jungentes repraesentare videtur. Breviores frontes complicatis linearum ductibus ornantur a summo ad imum, nisi quod in una ex iis duo adsint parvarum effigierum ordines. In toto lapide plusquam 70 figurae scalptae conspiciuntur. Alios hujus generis obeliscos, sed parciori figurarum numero insignitos, sistit Gordon tab. 53. 55. 59 — 62; quorum maximus altus est ped. 16, latus 5, Malcombi regis monumentum dictus. Singuli bina latera habent latiora, scalpturisque ornata: vertice modo plano, modo arcuato. Figurarum argumenta varia sunt, foedera, profectiones, venationes, animalia omnis generis, etiam elephanti et centauri. Scalptura in omnibus rudis est et barbara, sed minores isti aequiori conservatione gaudent quam magnus ille de quo diximus. De origine eorum nihil constat. Scoti suis hominibus vindicare student, at contra eos urgetur, quod nulli hujusmodi lapides erecti cernantur in reliqua Scotia, cum Scandinavia iis abundet, is autem qui omnium maximus est, statutus sit in meditullio provinciae quam saeculo X. et XI. centum fere annis tenuerunt Dani. Appellatur et hodie ab accolis monumentum regis Suenonis, caeterique maximam partem dicuntur saxa Danica: praeterea in eadem vicinia in comitatu Fife multi tumuli sunt, Danorum crediti ex vetusta traditione, super quibus asperi lapides usque ad 20 pedum altitudinem exsurgunt. Ex hoc genere complura occurrunt in Anglia, praesertim in provincia Eboracensi atque in Wallia et Cornwallia. Camden *Britann.* p. 139. 235. 570. Maxime autem inclaruit monumentum prope Sarisburiam Stonehenge dictum, quod Druidum templum appellant plerique, licet popularis traditio positum narret in memoriam fortium virorum, qui hostili gladio periere, sexto post Christum saeculo Anglis Juthisque Britanniam invadentibus, et humana ossa hic saepius effossa fuerint. Camdenus pag. 182. ita describit: „ Intra fossam ingentia et rudia saxa, quorum nonnulla 28 „ ped. altitudine colligunt, latitudine 7, co„ ronae in modum triplici serie eriguntur, qui„ bus alia quasi transversaria sic innituntur ut „ pensile videatur opus „. Cf. Montfauc. *ant. expl.* suppl. tom. 5. tab. 64. 66. Librum quem de eo scripsit Stukeley ad manus non habeo. Aliud monumentum e magnis lapidibus in coronam dispositis exstat in comitatu Oxoniensi, dictum Rollerich-stones: aliud in Cornwallia, cui pro centro est lapis caeteris multo major. Camden pag. 263. 136. Etiam in Hibernia inveniri rudia saxa monumentorum loco erecta, ea autem quae sunt in Cornwallia plerumque defuncti hominis nomen Latine inscriptum habere, monuit Hillius epistola data Lond. die 22. jun. 1792. Citat et auctores a me non inspectos: Gibson *additions to Camden*, Pennant *journey in Wales*, Plot *natur. hist. of Staffordshire*, Borlase *hist. of Cornwall*, Toland *hist. of the Druids*, *Philosophical transactions* num. 178.

[21] Vide supra notam 14. Mira imprimis sunt, ac fidem fere superant, quae narrantur de lapidibus erectis in parva sterilique pacifici maris insula, quae non ultra duo millia hominum comprehendere videtur, dicta insula Paschalis. Sunt enim saxa tophacea, magno numero, alta usque ad 20 et 27 pedes, lata usque ad 7 et 9, ad humani corporis speciem ruditer et incompte scalpta, recte posita super pavimentis ad plurium pedum altitudinem e magnis lapidibus concinnatis. Quare et Forsterus conjicit, insulam aliquando fuisse beatiorem et magna hominum multitudine habitatam, postea calamitate aliqua oppressam, fortassis ignivomi montis explosione, siquidem totum solum vulcanicum est, ad eas quibus nunc premitur angustias redactam. Idem ab incolis accepit, dummodo recte eos intellexerit, statuas illas positas fuisse in veterum regum memoriam. In plerisque caput tantum atque humeri humanam formam imitantur: capitique impositus esse solet velut modius separatim factus ex alio lapidis frusto: reliqua pars in truncum informem desinit. Forster l. 1. c. 13. 14. tom. 12. pag. 351. 359. 370. 381. 397. 404. 407. Confer Roggewein in *Dalrymples histor. collect. of voyages* tom. 2. p. 90.

morica ad Ligeris fluvii ostium tanta sit hujusmodi lapidum copia et moles, ut nisi ab ipsis indigenis longaeva industria erecti putari nequeant [22]. Videntur et sepulcralibus monumentis accensendi lapides fastigiati, ingenti numero prostantes in deserto ad fluvium Tzulim in Siberiae parte meridionali, ignotis characteribus inscripti, quorum qui maximus est altitudine aequat pedes sedecim scalptisque figuris decoratur [23]. Nam et horum finium incolae, pariterque Tibetani cippis juxta tumulos constitutis defunctorum memoriam commendare solent [24]. Idemque fieri consuevisse in anteriori Asia, docemur exemplo Jacobi patriarchae, qui titulum erexit in sepulcro Rachelis [25]: et hodie super cryptis e regione Aradi tres conspiciuntur columnae fastigiatae, barbari operis, quarum maxima assurgit ad triginta trium pedum altitudinem [26].

---

[22] Sauvagere et Caylus loc.citt. supra not.15. Nempe in Venetis prope Carnac et Morbihan in littore oceani, erecti occurrunt asperi lapides plus 4000, in tractu longo circiter 2000 pass., lato passus fere 70, serie plus quam 1000 pass. continuata, postea hinc et inde recentibus aedificiis interrupta, dispositi per ordines fere parallelos, spatio relicto inter singulos ordines, ubi maximum est pedum 38, ubi minimum pedum 12: lapidibus vero qui uno ordine stant ab invicem dissitis ped. 18 vel usque 25. Ex his alii modice magni sunt, ut esse solent agrorum termini, alii admodum ampli assurgunt ad 16 aut 20 pedum altitudinem. Eos a natura ita positos autumat Deslandes *traité de physique* tom. 2. p. 37. 42. Sauvagerius autem a Romano exercitu Caesare duce ad castra tegenda statutos putat, siquidem et hodie vulgo nuncupantur castra Caesaris. Utrumque jure refellit Caylus tom. 6. p. 380., censens erectos esse diu ante Romana tempora ab advenis barbaris qui impetu facto a mari hanc Galliae partem sibi subjecerint, cum praeter Armoricam et Pictones in reliquis Galliis nulla inveniantur hujusmodi monumenta. Advertit praeterea illos lapides pertinere ad superstitionem aliquam caeteris Gallis ignoratam. Sed quid obstat quo minus Gallorum mores in variis provinciis et apud varias tribus diversos fuisse putemus? Nec video quaenam illa sit superstitio cui lapides isti inservierint. Commemoravimus supra consuetudinem, fortes viros sepelire prope loca navibus frequentata, et Graecis et Scandinavis acceptam. Forsan idem obtinuit apud Venetos, atque inde factum ut in littore tanta occurrat lapidum vis, grandes alii, alii parvi, succedentibus annis erecti. Nec valde dubito quin sepulcrorum signa sint, ingentes lapides, qui per totam Armoricam et Pictonum provinciam inveniuntur, alii solitarii, alii in uno loco usque ad ducentos, in quibus nonnulli alti sunt plus quam 20 pedes, lati ima parte 7, crassi $3\frac{1}{2}$, sursum coarctati. Sunt alii vertice complanato alterum majorem sustinentes; saepe bini tertium subrigunt, cujusmodi prope Auray 80 paria exstare narrat Deslandes: atque alii occurrunt grandes lapides plani modicis lapidibus velut pedibus insidentes. In ea autem Galliae provincia quae hodie Champagne dicitur, 9 mill. pass. ab oppido Joinville, rude saxum stat ped. 18 supra terram eminens, 3 ped. terrae infixum, latum in imo ped. $6\frac{2}{3}$, in vertice 3, crassum $1\frac{1}{2}$, cui inscriptum: VIROMARVS ISTATLIF. Sub hoc Caylus Viromarum quendam Istatli filium sepultum jacere existimat, conjectura haud improbabili, dum hujusmodi inculta monumenta, de quibus certi quid sciri potuit hactenus, maximam partem super mortuis erecta inveniuntur. Exstare autem ex hoc genere etiam in Ballearicis insulis, saltem in ea quam Minorcam appellant, atque in Melite insula, disco e litteris Hillii, auctoribus citatis Ciantar in *Malta illustrata* tom. 1. pag. 317. et Anglis qui in Minorca militaverunt. De eodem itaque monumentorum modo intelligendus videtur Diodorus lib. 5. cap. 18. ubi de barbarorum sepultura in Gymnesiis seu Ballearicis insulis inquit: *συγκοψαντες ξυλοις τα μελη του σωματος εις αγγειον εμβαλλουσι, και λιθους δαψιλεις επιτιθεασι.* ,, Cadaveris membra lignis contusa in urnam conjiciunt, et grandes lapides superponunt ,,.

[23] Strahlenberg *descript. de l' emp. Russien* tom. 2. p. 203. 206. Bentink in *Hist. gén. des voy.* tom. 7. p. 20.

[24] Strahlenberg loc. cit. P. Josephi missionarii narratio de regno Nepal in *Asiatick researches* tom. 2. p. 314. Rubruquis p. 36.

[25] Genes. c. 35. v. 19. ,, Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quae ducit Ephratam, haec est Bethlehem. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus: hic est titulus monumenti Rachel usque in praesentem diem ,,.

[26] Maundrell pag. 34. Pococke vol. 2. part. 1. l. 2. c. 27. p. 203. tab. 30. Maundrellus duas

Graeci in lapidibus mortuorum honori dicatis jam antiquissimo tempore non tam moli studuisse videntur quam elegantiae. Nam in Homericis carminibus semel tantum mentio fit rudium lapidum in sepulcris positorum, saepe autem stelarum sive cipporum, quibus tumuli decorari consueverant:

ενθα ἑ ταρχυσουσι κασιγνητοι τε εται τε
τυμβῳ τε στηλῃ τε: το γαρ γερας εστι θανοντων,

„ Ibi ei exequias facient fratresque familiaresque tumuloque cippoque: hic enim ho-„ nor est mortuorum „[27]. Hos vero tunc, quemadmodum et postea plerumque factum reperitur, modice magnos fuisse et cum arte dolatos, documento est ille qui stetit in sepulcro Apharei apud Spartam, politus lapis, quem avulsum Idas et Lynceus vibraverunt contra Pollucem. Pindarus Nemeorum oda decima[28]:

αυτικα γαρ
ηλθε ληδας παις διωκων: τοι δ' εναν-
τα σταθεν τυμβῳ σχεδον πατρῴῳ.
ενθεν ἁρπαξαντες αγαλ-
μα αϊδα, ξεστον πετρον,
εμβαλον στερνῳ πολυδευ-
κεος· αλλ' ου νιν φλασαν;
ουδ' ανεσχασαν.

„ Statim enim venit Ledae filius persequens. Illi vero contra steterunt, sepul-„ crum prope paternum. Inde cum corripuissent donarium inferûm, politum „ saxum, injecerunt pectori Pollucis: sed eum non colliserunt, neque repule-„ runt „. De eodem facto Theocritus idyllio vicesimo secundo[29].

η γαρ ὁ γε σταλαν αφαρηιου εξανεχουσαν
τυμβῳ αναρρηξας ταχεως, μεσσανιος ιδας
μελλε κασιγνητοιο βαλειν σφετεροιο φονηα·
αλλα ζευς επαμυνε.

---

sistit columnas, quas offendit in loco deserto mille fere passibus a mari dissito et Arado insulae ad ortum brumalem opposito, triginta pedum intervallo distantes. Harum altera alta pedes 33, constat e tribus lapidibus, nempe stylobate quadrato, alto pedes 10, lato 15, scapo cylindrico cui subjectus est torus, et vertice facto ad speciem pyramidis hexaëdrae. Altera assurgit ad pedes $30\frac{1}{2}$, comprehenso stylobate quadrato alto pedes 6, lato $16\frac{1}{2}$, in cujus angulis quatuor leones barbara arte exscalpti sunt. Reliqua pars unum saxum est figura coni obtusi, tribus ornamentorum zonis ad aequales fere distantias cinctum. Sub unaquaque ex his columnis caverna est, aditu angusto, cum multis conclavibus loculisque ad cadavera collocanda paratis. Tertiam columnam a praefatis parum dissitam detexit Pocockius, circiter duodecim pedum altitudine, e tribus saxis, quorum unum pro stylobate est, reliqua scapum efficiunt, circa mediam sui partem coronide cinctum, superne autem desinentem in verticem hemisphaericum. In minori Asia prope Laodiceam et Colossas, ubi multi cippi adhuc erecti stant in sepulcris, etiam pilas quasdam vidit Pocockius non adeo magnas, in pyramidion exeuntes. Vol.2. part.2. lib.1. c.14. p.78.

[27] Iliad. Π, vers. 674.

[28] Vers. 114.

[29] Vers. 207. Confer Lycophr. v. 559. et Iliad. Γ. vers. 285. Vidit Pausanias sepulcrum Apharei apud Spartam, sed nihil de eo adnotavit lib. 3. c. 11. p. 234.

„ Jam enim ille columnam quae in Apharei exstabat sepulcro , erutam celeriter „ Messenius Idas jacere volebat in fratris sui interfectorem : sed Jupiter opem „ tulit „ . Stela autem , quae ad Trojam posita fuit in Ili tumulo , ejus erat magnitudinis , ut Paridi arcum tendenti pro tegmine seu propugnaculo esset :

αυταρ αλεξανδρος , ἑλενης ποσις ηυκομοιο ,
τυδειδῃ επι τοξα τιταινετο ποιμενι λαων ,
στηλῃ κεκλιμενος ανδροκμητῳ επι τυμβῳ ,
ιλου δαρδανιδαο παλαιου δημογεροντος .
—— —— ὁ δε τοξου πηχυν ανειλκε ,
και βαλεν , ουδ' αρα μιν ἁλιον βελος εκφυγε χειρος ,
—— —— ὁ δε μαλα ἡδυ γελασσας
εκ λοχου αμπηδησε .

„ At Alexander , Helenae maritus pulcricomae , in Tydidem arcum tendebat pasto„ rem populorum , columnam sibi praetentam habens mortuali in tumulo , Ili Dar„ danidae prisci senis honorati . — Arcus vero cornu attraxit , et percussit , nec „ ei telum irritum effugit manu . — Ac suaviter ridens ex insidiis exsiliit „ [30] . Quam vero formam Graeci ea tempestate in stelis faciendis usurpaverint , proditum non invenio a scriptoribus , neque alia suppetunt indicia e quibus certi quid arguas . Rudibus saxis successere cippi trilateri et quadrilateri , ut factum videmus apud barbaros supra memoratos . Mox et columellis sive cylindricis sive a rotunda basi sensim fastigiatis usi videntur , a quibus ortum traxere metae ludorum circensium : quandoquidem hi antiquissimo tempore ad sepulcra institui consuevere [31] . Etiam pilae rotundae , vertice quam imo scapo angustiores , taeniisque decoratae , quas saepe pictas cernimus in vasculis , vetustum sepulcrorum modum indigitare videntur [32] .

De inscriptis lapidibus aut scalptura decoris hoc aevo sermo non occurrit : quibus quando uti coeperint Graeci , atque horum discipuli Itali , res est plane obscura . Quae enim in veterum heroum sepulcris , Phytali hospitis Cereris , Orphei , Deiopes uxoris Musaei , Aeneae aliorumque , exstitisse narrantur epigrammata [33] , aut postmodum adjecta fuere , aut plane animi causa conficta , nec cippis usquam incisa . Homerus sane in rebus minute describendis adeo diligens , narrare non omisisset , si tunc moris fuisset , nomen defuncti in cippo inscribi . Neque in sepulcris vetustissimas litteras invenit Herodotus , sed in donariis [34] : pa-

30 Iliad. Λ. vers. 369. Etiam hoc stelarum molem haud exiguam indicare videtur , quod firmas eas et immobiles praedicat Homerus Iliad. Ρ. vers. 434 :

αλλ' ὡστε στηλη μενει εμπεδον , ἡτ' επι τυμβῳ
ανερος ἑιστηκει τεθνηοτος ηε γυναικος ·
ὡς μενον ασφαλεως .

„ Sed veluti cippus manet firmiter , qui super „ tumulo viri stat mortui aut mulieris : sic ma„ nebant immote „ .

31 Iliad. Ψ. v. 326. Consule Panvinium aliosque scriptores de ludis gymnicis et circensibus.

32 Passerii picturae Etrusc. in vasculis tom. 1. tab. 29. tom. 2. tab. 191. 193. 195. tom. 3. tab. 261. De vittarum usu in sepulcris vide Winkelmanni *monum ined.* pag. 198.

33 Pausanias lib. 1. cap. 37. pag. 80. Alcidamas declamatione in Palamedem pag. 186. Diog. Laertius lib. 1. segm. 3. 4. 5. Aristot. mirabil. auscult. opp. t. 1. p. 1164. Dionys. Halicarn. ant. Rom. lib. 1. cap. 64.

34 Lib. 5. cap. 59. 60. 61.

riterque quae ad nos pervenerunt remotissimae aetatis inscriptiones ad donaria spectant [35]. Videntur autem illius aevi homines tumulum cippumque super mortuo erexisse ac nomini ejus dedicasse contenti, reliqua orali traditioni mandasse; siquidem regum et principum virorum tumuli jam vastitate sua, plerumque et ipsius loci situ magnorum facinorum eventibus memorabili dignoscebantur. Postea ubi pulsis tyrannis et aequo civitatis jure constituto, Graecae urbes viros de patria bene meritos in publicis locis condere sanxerunt, propter sepulcrorum invicem viciniam et molem modicam, opus visum est cippos insignire epigraphis, quibus et defunctorum memoria distinctius innotesceret, et ad aemulationem excitarentur juniores. Mox et privata sepulcra scriptis stelis honorari coeperunt et defunctorum laudes ambitiose exponi: quam ob causam Spartana lege interdictum fuit mortui hominis nomen sepulcro inscribere, nisi ubi vir occubuisset pro patria, aut foemina sacerdotio fungens obiisset [36]; et Plato plus quatuor versibus heroicis in cippo exarari vetuit [37].

Ipsarum quoque stelarum magnitudinem Plato cohibendam censuit; quae tribus cubitis ne fierent altiores Athenis lege cavit Demetrius Phalereus [38]. Nam Graeci opibus aucti pro modicis cippis, quibus usa erat prisca frugalitas, ad divitiarum generisque ostentationem excelsiores columnas substituere coeperunt; idemque a Romanis factitatum fuisse, credere suadet Servius, qui dum ait ingentes columnas collocari consuevisse super cadavera [39], de suae gentis moribus locutus putari potest. Narratur et Trajanus Augustus sepultus sub celsissima illa cochlide columna, quae in foro ejus assurgit ad centum viginti octo pedum altitudinem, fortissimi principis res gestas caelatura a summo ad imum continuata praeferens,

---

[35] Vide cl. Lanzii *saggio di lingua Etrusca* tom. 1. pag. 93: sqq. Chandler inscript. in Asia minori et Graecia collectae part. 1. num. 1. part. 2. num. 1. 2. 26. 27. 28. 111. Vetustissima inscriptio sepulcralis, quae aevum tulit, exstat in lapide Nointeliano apud Maffejum mus. Veron. pag. 407. pertinens ad annum ante Chr. 457. Nam cippus Miltiadis, quem e Fourmontii schedis sistit Caylus *recueil* t. 6. tab. 48. suspectae fidei est.

[36] Plutarchus in vita Lycurgi cap. 27. tom. 1. p. 56. *και μην και τα περι τας ταφας αριστα διεκοσμησεν αυτος. πρωτον μεν γαρ ανελων δεισιδαιμονιαν άπασαν, εν τη πολει θαπτειν τους νεκρους, και πλησιον εχειν τα μνηματα των ίερων, ουκ εκωλυσε, συντροφους ποιων ταις τοιαυταις οψεσι και συνηθεις τους νεους, ώστε μη ταραττεσθαι. μηδ' ορρωδειν τον θανατον, ώς μιαινοντα τους άψαμενους νεκρου σωματος η δια ταφων διελθοντας. επειτα συνθαπτειν ουδεν ειασεν, αλλα εν φοινικιδι και φυλλοις ελαιας θεντα το σωμα, περιεστελλον. επιγραψαι δε τοὔνομα θαψαντας ουκ εξην του νεκρου, πλην ανδρος εν πολεμῳ και γυναικος ἱερευουσης αποθανοντων.* „ Sepeliendi quoque ritum ille disposuit optime. Primum omnem „ eximens superstitionem, funerare in urbe „ exstinctos et juxta templa habere monumenta non interdixit, quod innutriri vellet talibus spectaculis et assuescere juventutem, „ ne horrerent mortem: quasi eos qui feralia „ attrectant aut commeant per sepulcra polluat. Deinde prohibuit quicquam cum corpore condi, sed puniceo amiculo et foliis oleaginis cadaver involvebant. Conditorio inscribere non licebat nomen mortui, praeterquam „ viri qui in bello, et mulieris quae sacerdotio „ fungens fato cesserat „.

[37] Legum lib. 12. tom. 2. pag. 958: *χωμα δε μη χωννυναι υψηλοτερον πεντε ανδρων εργον εν πεντε ἡμεραις αποτελουμενον. λιθινα δε επιστηματα μη μειζω ποιειν η όσα δεχεσθαι τα του τετελευτηκοτος εγκωμια βιου, μη πλειω τετταρων ἡρωικων στιχων.* „ Tumulus non fiat altior eo quem „ viri quinque diebus quinque exstruere possint. „ Lapidea autem monumenta ponantur non majora quam ut capiant laudes demortui, quatuor „ heroicis versibus non prolixiores „.

[38] Cicero de leg. lib. 2. cap. 26.

[39] Ad Aeneados lib. 11. vers. 849. Exemplum apud Graecos affert Plutarchus in vit. X. rhet. tom. 2. pag. 838. columnam 30 cubitorum sive ped. 45 positam in sepulcro Isocratis.

statuamque ejus olim sustinens in vertice [40]. At sepulturae indicium nullum in ea invenitur, nec eum in finem primitus structam fuisse arguitur e veteri epigraphe, sed pro honorario monumento. Idemque dicendum de altera columna huic in omni re simili, sed alta pedes centum septuaginta quinque, M. Aurelii Antonini nomini dicata ac gestis ejus inscalpta: deque ea quam Marcus et frater statuerunt Divo Antonino Pio, altam pedes quinquaginta ex uno ex integro lapide syenite, adjecta basi pedum undecim consecrationis anaglypho insigni. Ab iis autem columellis quas conica forma factas prisci homines in tumulis ponere solebant, cujusmodi hodie passim inveniuntur in Etruria, raro quinque palmis altiores, capitulo ovato aut ad pineae nucis instar fastigiato, et brevi inscriptione insignes [41], ortum videtur ut altae metae exstruerentur super sepulcris [42]. Magnis etiam obeliscis pro sepulcralibus monumentis usos esse Graecos Romano imperio adscriptos, exemplo est ille qui prope Nicaeam statutus est in memoriam C. Cassii Philisci, figura trilatera, altus circiter palmos sexaginta, et quadrato stylobate tredecim ferme palmorum altitudine subrectus [43].

Qui vero cippi dis manibus dicati aevum tulerunt, sive Graecis sive Latinis litteris inscripti, raro excedunt mensuram quam Athenis a Demetrio Phalereo praefinitam diximus, ne aequare quidem solent: quamquam apud Romanos hac super re nullae leges essent. Sed quoniam in locupletiorum sepultura mos invaluit, collocari cippos in ipsis sepulcrorum septis, ut domestica monumenta a vulgi intuitu semota, modica magnitudo sufficere, quin et aptior esse videbatur. Figura constanter fere sunt quadrilatera, binis faciebus latioribus, cum capitulo plerumque tecti instar fastigiato, aut ad lunulae modum arcuato. Rarius, nec facile

---

[40] Epitom. Dionis lib. 68. cap. 16. lib. 69. cap. 2. Eutrop. lib. 8. cap. 2. Victor in epitome. Cassiodorus in chronico. Cf. Reimari adnott. ad Dion., Ciaconum, Bellorium et Fabrettum de columna Trajana. De magnitudine ejus et structura ita habet Ciaconus num. 34: „ Constat tota moles ex 34 marmoreis lapidibus, „ ita ut basis ex 8, ex uno laurea corona superstans, ex 23 totidem gyri per intervalla in „ ipsamet columna conspicui, ex uno capitulum, supremus ex altero apex consurgat. „ Longitudinem licet 140 pedum Eutropius et „ Cassiodorus prodant, tamen P. Victor 128 „ non excedere tradit, quod et nunc etiam deprehenditur. Gradus hodie comperimus 184, „ fenestellas 43. Basis singula latera 20 pedes „ habent „. Ex icone colligitur pedes $90\frac{1}{2}$ efficere scapi longitudinem, totam autem columnam cum toro et capitulo altam esse ped. 100. Reliqui ped. 28, stylobatae cedunt et apici qui statuam sustinebat. Ubi vero statuae tribueris altitudinem ped. 12, habes numerum ped. 140, quo usi sunt Eutropius et Cassiodorus. Diameter imi scapi est ped. $12\frac{1}{8}$, summi $10\frac{1}{2}$. Magnitudine eam superat columna Antonina, de qua P. Victor in descr. Urbis: „ Alta „ est ped. 175, gradus habet 206, fenestellas 56 „. Nempe comprehensis stylobate atque apice, quibus subtractis pro ipsa columna relinquuntur ped. circiter 120. Utramque columnam delineatam exhibuit P. S. Bartolius. De ea autem quae dicata fuit seniori Antonino, vide Joa. Vignolium, supra citatum pag. 59. not. 5.

[41] Vide supra pag. 215. not. 21. Lanzi *saggio di lingua Etr.* tom. 2. pag. 266. 234. tab. 13. Gorii museum Etruscum t. 3. class. 3. append. tab. 11. 18. 20. Interdum striatae sunt atque basi insident exscalptis figuris decorae, cujus rei exemplum habes apud Gorium loc. cit. tab. 20. Iidem auctores alias quoque afferunt Etruscorum cipporum formas, iis similes quas Romani vulgo adhibuerunt; tabulas praeterea tegulasque inscriptas ex Etruscis sepulcretis erutas.

[42] Cujus generis quinque stant super mole quadrata apud Albanum, quam alii Curiatiorum sepulcrum vocant, alii Pompeij Magni. Bartolii sep. vet. fig. 1. 2. clar. Riccy *memorie storiiche d'Alba-longa e d' Albano* pag. 134.

[43] Vide supra pag. 91. 92.

extra Graeciam, occurrunt rotundae columellae, adjecto interdum capitulo [44]. Materies marmor album est: pauciores hodie supersunt e tiburtino lapide, ad viam poni soliti, terminorum modo ad sepulcri spatium inscripto pedum numero definiendum [45]. Hi capitulo destituti in curvum verticem exire solent. Frequentius autem quam cippos intra sepulcra atque in fronte aediculae adhibuerunt tabulas sive abacos lateresve e marmore, parietibus affigendos aut ante urnas ollasve muro inclusas ponendos. Interdum et in ipsis urnis vel in urnarum operculis defuncti nomen exararunt, quod et ab Etruscis maxime usitatum reperimus; parique consilio in arcis seu sarcophagis [46]. Hoc quidem ab antiquis Graecis factum non invenio: apud Romanos stante republica in usu fuisse, discimus inprimis ex arcis inventis in Scipionum sepulcro. Post illud tempus exempla quae prostant, admodum rara sunt: usque dum scalptura ad barbariem vergente denuo increbescant inscriptiones tum Graecae tum Latinae in sarcophagis [47]. Eodem autem saeculo institutum videtur arcis uti pro monumentis publicis, quas solito majores parvisque domibus comparandas, elate posuerunt in agris juxta vias: cujus rei exempla tum Italia subministrat tum et Syria [48]. A cippis itidem nata reor monumenta grandia quadrilatera, ut parvas turres

---

44 De cippis in Graecia obviis consule Spon *voyage* tom.2. pag.150. 191.192. *inscr.* tom.2. pag. 9. 20. 30. 31. Caylus *rec. d' ant.* tom. 2. tab. 73 — 76. tom. 6. tab. 47 — 65. pag. 163. Maffei museum Veronense pag.47. sq]. Paciaudi monumenta Peloponnesiaca tom. 2. pag. 179. sqq. Romani cippi passim occurrunt apud scriptores de antiquitatibus. Vide inter alia Boissardi antiqu. Roman. Amadutii monum. Matth. tom.3. Sandrarti *gall. Giustin.* tom.3.

45 Sed nec desunt marmora quae sepulcri terminum declarent, neque cippi e tiburtino lapide ea nota destituti; quibus humilioris conditionis homines usi sunt ad tumulos suos indicandos. Aenea monumenta in sepulcris raro memorata invenio. Quae de *στηλη χαλκη* reperta in tumulo Deiopes narrantur in libro de mirab. auscultat. citato nota 33. fabulosa sunt. Refert autem Dio l. 56. c.33. Augustum res gestas suas aeneis stelis inscribi jussisse et ante mausoleum suum, *προς τῳ ἡρωῳ αυτου*, collocari. Cf. Sueton. in Aug. cap. 102. Monum. Ancyran. apud Chishull antiqu. Asiat. p.165.

46 Vide auctores supra citatos pag.315. not.8.

47 Ex imperatorum aetate nullum conspexi inscriptum sarcophagum antiquiorem conditorio Sexti Varii Marcelli, mariti Soaemiadis, quod inventum in agro Veliterno, nunc servatur in museo Pio-Clementino. Marmor est quadrilaterum, et forma et capacitate arcae comparandum, sed fundo caret, subtus excavatum forma elliptica, cooperculum dicendum rectius quam arca. Scalpturis caret, fronte autem bifariam divisa hinc Latinam epigraphen exhibet, illinc Graecam, quarum utraque sepulti viri nomen et honores exprimit: unicum quod sciam hujus generis monumentum. In aliis praeter inscriptionem scalptae figurae esse solent, quae artis ruditate aevum suum produnt: uno excepto qui prostans in museo Capitolino, cum anaglypho satis eleganti, quod Endymionis fabulam refert, conjungit epigraphen: *D. M. Gerontiae filiae krm*; post erasam scalpturam in fronte operculi incomptis litteris exaratam. Neque defuncti hominis vultum in pulcris arcis expressum memini me vidisse; cum in rudioribus nulla alia res occurrat frequentius. Videntur enim illae, quo tempore rarus adhuc erat marmoreorum sarcophagorum usus, in splendidissimis sepulcris collocatae fuisse, juxta posita imagine, lapideque adjecto qui nomen contineret. Postea commodius visum est in ipsius arcae frontem inserere sepulti hominis memoriam. Tres arcas marmoreas grandes cum epigraphis Latinis, ad primum ut videtur vulgaris aerae saeculum spectantes, erutas e sepulcro prope Bucephalam Macedoniae, commemorat Bellonius lib.1. de mirab. antiqu. oper. praest. cap. 15. De conditorio supra laudato consule: *Observationes in sepulcralem lapidem Sexti Varii Marcelli in agro Veliterno nuper effossum. Romae* 1765. Alias inscriptiones sepulcrales bilingues habes apud Sponium miscell. sect.10. num.37., apud Guascum mus. Capit. t. 3. p.197., et in museo Borgiano titulum olim affixum ante ollam: *Licinia M. Crassi lib. Selene choraule.* *σεληνη χοραυλις*. Gordiani Pii sepulcro in finibus Persidis, titulus additus fuit Graecis, Latinis, Persicis, Judaicis et Aegyptiacis litteris. Capitolin. in Gordianis cap.34.

48 Bartolii sep. vet. fig. 44. Pococke vol. 2. part. 1. l. 2. c.14. pag. 148. part. 2. l. 1. c.13. pag. 75. 48.

diceres, cum faciebus binis amplioribus, quae super mortuos exstructa videmus [49] ;

Scalptas effigies in stelis vetustioris instituti esse putarem quam epigraphas, quamquam nec illarum Homerum meminisse inveniam. Americanae gentes litterarum rudes in stipite super tumulo statuto, figuris ad exsistentium rerum imitationem incompta arte inscalptis, laudes defuncti exprimere solent [50]. Etiam australium insularum indigenae sepulcrales stipites scalptura decorare student, aut statuas ponunt super tumulos in principum virorum memoriam [51] : et Guineenses ad regum potentiam declarandam, in horum sepulcris aulici famulatus imagines more suo e ligno aut ex argilla fictas collocare feruntur [52]. At Graeci quibus mos erat lapideis praesertim monumentis sepulcra designare, mature scribendi artem acceperunt a finitima gente sibi traditam, quo tempore in lapidibus scalpendis parum profecerant; quare minime definire ausim utrum scalptae stelae an scriptae apud eos sint antiquiores. Advertit tamen Pausanias vetustissima signa a se visa in Graecia, stetisse in Coroebi sepulcro in foro Megarensium, videlicet symplegma quo ipse Coroebus repraesentabatur Diram interimens, quae Argivorum infantes a matrum sinu abreptos devorabat, adjecto carmine quo fabula explicabatur : *κοροιβῳ δε εστι ταφος εν τῃ μεγαρεων αγορᾳ· γεγραπται δε ελεγεια τα ες ψαμαθην και τα ες αυτον εχοντα κοροιβον· και δη και επιθημα εστι τῳ ταφῳ κοροιβος φονευων την ποινην. τουτων αγαλματα παλαιοτατα ὁποσα λιθου πεποιημενα εστιν ἑλλησιν ιδων οιδα* [53]. Pariterque in Thyestae tumulo aries erat e lapide, in memoriam agnae aureae, unde initium coeperunt Pelopidarum calamitates [54] : atque

---

[49] Bartolii sep. vet. fig. 43. 47. 48. 49. 52. Pococke vol. 2. part. 2. lib. 4. c. 9. p. 221. tab. 99.

[50] Lafitau tom. 2. p. 416. Sagard p. 287.

[51] Cook primum iter lib. 1. c. 15. t. 4. p. 330. 344. tertium iter l. 2. c. 8. l. 3. c. 11. l. 5. c. 1. t. 1. p. 390. t. 2. p. 351. tab. 25. 33. 34. t. 3. p. 388. tab 60. Forster l. 1. c. 8. 11. l. 2. c. 3. 7. tom. 11. p. 459. tom. 12. p. 195. tom. 13. p. 239. t. 14. p. 258. Hasce imagines eodem appellant vocabulo quo animam hominis, inque iis animam sive umbram defuncti habitare ajunt. Sic Sinenses, ubi ultimum spiritum traxerit aliquis, juxta cadaver perticam erigunt, quae animae pro fulcro sit. Navarette in *Hist. gén. des voy.* tom. 6. p. 150.. Confer supra pag. 351. not. 21. pag. 343. not. 45.

[52] Bosman *voy.* de *Guinée* ep. 13. p. 232. *Hist. gén. des voy.* tom. 4. pag. 147. 152. Jobson apud Purchas tom. 2. pag. 612. Sinenses pariter hominum brutorumque figuras serie disponere dicuntur juxta tumulos. *Hist. gén. des voy.* tom. 6. pag. 151. Comanos autem et Indorum partem ipsius defuncti statuam super sepulcro erigere ajunt. Rubruquis pag. 36. Roger pag. 137. Idem de Yncarum sepulturis refert Zarate in *Hist. gen. des voy.* tom. 13. pag. 570 : ibidemque tom. 12. pag. 553. narratur, moris fuisse apud Mexicanos defuncti regis cineres urna inclusos et in montem Chapaltlepec translatos condere in cella subterranea superstitiosis effigiebus picturata, qua rite clausa tumulo imponebant ligneam regis statuam.

[53] Pausan. l. 1. c. 43. p. 106. Pausaniam hoc aliisque locis lapsum censet Maffejus crit. lapid. l. 2. cap. 1. in Donati suppl. ad thes. Murat. p. 18. 19. epigraphas in vetustissimis sepulcris ejusdem aetatis aestimantem qua vixisse ferebantur antiqui illi heroes. Sed vereor ut veterem scriptorem recte incusaverit, qui dum hujusmodi monumenta recenset, quid ipse de iis cogitet prodere non solet, ex aliis autem indiciis non ita ad credendum pronus agnoscitur. Coroebi sepulcrum enarrans, de inscripto carmine nihil adnotat, nisi quod in eo narrabantur fabulae Psamathes et Coroebi : de statuis autem advertit, se in Graecia nullas e lapide factas vidisse hisce antiquiores, puto quod in iis agnoverit vetustissimum artis modum, non quod factas crediderit fabuloso illo aevo, quo Apollo virgines comprimere solebat, et deorum filii canibus laniandi exponi. Forsan ipsum illud symplegma hominis cum monstro colluctantis, in fortis viri tumulo positum, ortum dedit fabulae, adjecto postea carmine ampliatae : ut in Graecorum mythis multa alia sunt, quae ab antiquis picturis res gestas aut morum praecepta symbolice exprimentibus originem traxisse videntur.

[54] Pausan. lib. 2. cap. 18. pag. 149 : *λιθου εστιν αυτῳ κριος, ὁτι την αρνα εσχε την χρυσην. μοιχευσας του αδελφου την γυναικα.*

in Midae regis monumento, cujus horti celebrantur et fontes ab eo inventi, aenea Nympha adscripto epigrammate lucos fontesque testabatur [55]. Sed ista fabulosae aetatis sunt, nec satis certum videtur sepulcra illa jam tunc fuisse adornata: quemadmodum nec inter barbarorum opera in minori Asia certi quid affirmari potest de famigerato illo sepulcro apud Anchialen Ciliciae, cum effigie viri digitos collidentis ad plausum edendum, cumque epigrammate litteris Assyriis, quod Sardanapali vetustissimi regis esse ferebatur [56]. In rebus autem quae in sepulcris scalpi consueverunt, inter primas referenda reor arma atque utensilia, ut quae ipsa aliquando tumulis imponebantur. Mansit et consuetudo in cujusque hominis sepulcro ea fingere instrumenta, quae vitae institutum artemque, cui nomen dedisset, denotarent, exemplis comprobata, tum ex auctoribus tum e lapidibus qui aevum tulerunt. Ex sphaerae et cylindri indicio Archimedis sepulcrum se agnovisse narrat Cicero tusculanarum libro quinto, capite vicesimo tertio. „ Archimedis ego quaestor, ignoratum a Syracusanis, cum „ esse omnino negarent, septum undique et vestitum vepribus et dumetis inda- „ gavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento

---

[55] Plato in Phaedro tom. 3. pag. 264: εὑρησεις τȢ επιγραμματος ȣδεν διαφεροντα, ὁ μιδᾳ τῳ φρυγι φασι τινας επιγεγραφθαι. εστι μεν τουτο τοδε.

χαλκη παρθενος ειμι, μιδα επι σηματι κειμαι·
οφρ' αν υδωρ τε ναῃ και δενδρεα μακρα τεθηλῃ,
αυτȢ τῃδε μενȣσα πολυκλαυτῳ επι τυμβῳ,
αγγελεω παριȣσι, μιδας ὁτι τῃδε τεθαπται.

Vide Herod. l. 8. c. 138. Pausan. l. 1. c. 4. p. 12. Xenoph. de exped. Cyri l. 1. c. 2. §. 2. Idem epigramma levi mutatione duobusque versibus auctum habetur inter fragmenta Homeri, ex vita ejus quae Herodoto tribuitur, collecta. Cf. Laërt. lib. 1. segm. 89. Dio Chrys. orat. 37. pag. 365. Maffejum lib. cit. pag. 18.

[56] Strab. lib. 14. pag. 988. αγχιαλη μικρον υπερ θαλαττης, κτισμα σαρδαναπαλου φησιν αριστοβουλος, ενταυθα δ' ειναι μνημα του σαρδαναπαλου, και τυπον λιθινον συμβαλλοντα τους της δεξιας χειρος δακτυλους, ὡς αν αποκροτουντα. ενιοι δε και επιγραφην ειναι φασιν ασσυριοις γραμμασι τοιανδε· " σαρδαναπαλος ὁ ανακυνδαραξεω παις αγχιαλην και ταρσον εδειμεν εν ἡμερῃ μιῃ. συ δ' ω ξενε, εσθιε, πινε, παιζε. ὡς τἄλλα τουτου ουκ αξια". του αποκροτηματος (εοικε λεγειν). „ Anchiale paululum supra mare, quam a Sardanapalo conditam Aristobulus ait, ibique Sardanapali esse monumentum, et imaginem lapideam conserentis dextrae manus digitos ac plausum edentis. Sunt qui Assyriis litteris haec ajunt esse inscripta: Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialen et Tarsum una die aedificavit: tu autem hospes, ede, bibe, lude, cum caetera omnia tanti non sint. Plausum scilicet intelligere videtur „. Cf. Athenaeum lib. 2. cap. 7. pag. 529. Arrianum de exped. Alex. lib. 2. pag. 91. Ciceron. tuscul. lib. 5. c. 35. Diodor. lib. 2. cap. 110. Dio Chrysost. orat. 4. pag. 81. Plutarch. de fort. Athen. tom. 2. p. 293. Maffejum lib. cit. pag. 17. Videtur autem hoc idem illud esse monumentum quod in numis suis signaverunt Tarsenses. Super quadrata basi, in qua fictae sunt figurae quatuor choream ducentes, subrigitur pyramis summo vertice aquilam sustinens, in latere autem exscalptam habens effigiem viri imberbis atque nudi, qui tigridis gradientis dorso insistens, sinistra manu bipennem praefert, dextram vero pone caput sublevat. Vide Mus. Pembrock part. 2. tab. 30. n. 4. *Mus. Pio-Clementino* tom. 2. tab. B. num. 11. 12. Fuit itaque Tarsum inter atque Anchialen vetus monumentum, typo modo descripto insignitum et Sardanapali sepulcrum creditum; sed quis fuerit ille Sardanapalus, aut quando vixerit, plane incertum esse arbitror. Nam plures fuere hujus nominis principes, in quibus ille quem ab Arbace superatum narrant, et cujus moribus Assyriam monumenti epigraphen adaptaverunt Graeci interpretes, se ipsum in urbe Nino combussisse dicitur. Quin et Amyntas apud Athenaeum loc. cit. in hoc oppido exstitisse ait tumulum Sardanapali, cum cippo lapideo atque epigrammate ejusdem ac illud argumenti. Sed neque in simulacro, quod ex numis descripsi, is habitus est qui Assyrio regi possit convenire, quare totam monumenti explicationem Graecorum sophistarum commentis accensendam esse suspicor.

„ esse inscriptos acceperam: qui declarabant, in summo sepulcro sphaeram esse „ positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis, est enim ad „ portas Achradinas magna frequentia sepulcrorum, animadverti columellam non „ multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Quo cum „ patefactus esset aditus, ad adversam basin accessimus. Apparebat epigramma „ exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere „. Sic in militum monumentis arma equosque scalptos videmus, in magistratuum fasces, in doctorum virorum sepulcris librorum volumina, Musas et scientiarum insignia: nec humiliores artes a suis tesseris in cippis exprimendis abstinuere [57]. In aliis sepulcris symbola offendimus reconditiora, quae defuncti mores virtutesque et genus vel nomen translatitia significatione denotant. Super Leonide, qui ad Thermopylas inaudita fortitudine irruentium Persarum multitudini restitit, leonis statuam positam narrat Herodotus [58]. Et in columella super Epaminondae tumulo, cui The-

---

[57] Exempla frequenter recurrunt in collectionibus monumentorum atque inscriptionum. Vide inter alios Bartol. vet. sep. fig. 43. 44. 52. Caylus *rec. d'ant.* tom.6. tab.62. num.3. Foggini anaglypha mus. Capitolini tab.9. p.24.28. Maffei mus. Veron. pag.117. num.1. 2. 3. pag 125. n.4. pag.172. n.1. Brunck anal. tom. 3. p. 293. num.666. pag.794. n. 670. Servatur in museo Pio-Clementino cippus quadratus, altus palm. 6, latus quoquoversus $3\frac{1}{2}$, hactenus quod sciam anecdotus, in cujus altero latere fucina conspicitur, in altero officina fabri cultrarii, in fronte legitur: *L. Cornelius Atimetus sibi et L. Cornelio Epaphrai lib. benemerenti ceterisq. libertis lib. posterisque eorum*. In museo Borgiano est lapis tiburtinus oblongus cum epigraphe: *C. Cafurnius C.L. Antiochus lanarius. Veturia C. L. Deutera. monumentum fecit sibi et l. sueis. in fro. p.XV. in. a.p.XX*: adjecto anaglypho dexterarum junctarum, ulnae et arietis. Videntur autem veteres interdum ipsius tumuli forma allusisse ad vitae institutum quo defunctus usus fuerat. Sic in Megaride recenset Pausanias l.1. cap. 41. pag. 100. monumentum Hippolytae Amazonis a Theseo ex Attica pulsae, amazonico scuto simile: *και τε μνηματος σχημα εστιν αμαζονικη ασπιδι εμφερες*. Idem interdum significabant figura inscripti lapidis in sepulcro collocandi, cujusmodi est clypeus marmoreus in aedibus Barberinis ad militis sepulcrum pertinens, cum epigraphe: *D. M. M. Aurelio Vito 7. coh. XIII. urb.*, in quo praeterea scalpta sunt arma varii generis atque captivi.

[58] Herodotus lib.7. cap. 225. narrat Graecos ad Thermopylas, postquam occubuisset Leonides, consedisse in colle faucibus illis opposito, ubi demum omnes trudicati fuerunt: *ὁ δε κολωνος εστι εν τη εσοδῳ, ὁκου νυν ὁ λιθινος λεων ἑστηκε επι λεωνιδῃ.* „ Est iste collis in ingressu, ubi nunc lapideus leo stat super Leonide „. Fuit ibidem polyandrium Graecorum qui cum eo ceciderant et quinque stelae laudes eorum elegiaco carmine praedicantes. Strab. lib. 9. pag. 650. Hunc locum Philostratus in vita Apollonii lib.4. cap.23. appellat monumentum Leonidae, nempe cenotaphium, nam corpus ejus Xerxes in crucem tolli jussit, (Herod. lib. 7. cap.238.) Pausanias autem post annos 40 Spartanis reddidisse fertur, et Lacedaemone sepelivisse prope theatrum: ut mos erat apud Spartanos, si rex peregre vita functus esset, corpus in patriam referre. Plutarch. in Agesil. t.1. p. 612. Proxime vero a sepulcro Leonidae positum erat Pausaniae monumentum, qui ad Plataeas vicerat Persas, et cippus erat in quo scripta nomina et genus eorum qui ad Thermopylas Persarum impetum sustinuerant. Pausanias l.3. cap. 14. pag.240: *του θεατρε δε απαντικρυ παυσανιε τε πλαταιασιν ἡγησαμενε μνημα εστι, το δε ἑτερον λεωνιδε. και λογες κατα ετος ἑκαστον επ' αυτοις λεγεσι, και τιθεασιν αγωνα, εν ᾧ πλην σπαρτιατων αλλῳ γε εκ εστιν αγωνιζεσθαι. τα δε οστα τε λεωνιδε τεσσαρακοντα ετεσιν υστερον ανελομενε εκ θερμοπυλων τε παυσανιε. κειται δε και στηλη πατροθεν τα ονοματα εχεσα, όι προς μηδοις τον εν θερμοπυλαις αγωνα υπομειναν.* Apud Athenienses in via Academiam ducente monumenta erant omnium qui vel terrestri vel navali proelio occubuerant pro patria, iis exceptis qui in Marathonio campo ceciderant; scilicet stelae, quae pugnae locum, ac nomen cujusque et populum declarabant, adjectis interdum versibus elegiacis. Videntur autem omnes qui uno eodemque anno in variis locis pugnaverant in unum contulisse; nominibus secundum tribus in plures stelas distributis, cujusmodi monumentum spectans ad annum ante Christum 457, consistens autem e duabus

bae et libertatem acceptam referebant et Graeciae primatum, clypeus erat cum serpentis effigie, ad declarandum, ab antiquis Spartis e Dircaei draconis dentibus natis genus duxisse virum, quem inter Graecos et bello et pace omnium praestantissimum exstitisse accepimus. Pausanias in Arcadicis: και αυτον αφεντα την ψυχην εθαψαν ενθα σφισιν εγενετο ἡ συμβολη · τῳ δε ταφῳ κιων τε εφεστηκε, και ασπις επ' αυτῳ, δρακοντα εχουσα επειργασμενον. ὁ μεν δη δρακων εθελει σημαινειν, γενους των σπαρτων καλουμενων ειναι τον επαμινωνδαν [59]. In Diogenis sepul-

---

tabulis marmoreis servatis in museo academiae inscriptionum publici juris fecit Maffejus mus. Veron. pag.405: ερεχθειδος. οιδε. εν τοι. πολεμοι. απεθανον. ενκυπροι. εναιγυπτοι. εν φοινικει. εναλιευσιν. εναιγινει. μεγαρο... εν το αυτο ενιαυτο: subjectis quadringentorum fere militum nominibus. Cf. Bimard. in fronte thes. Murat. pag. 42. Neque exteros qui opem tulissent, hoc honore defraudabant, nec servos qui in bello fortiter se gesserant. Qui vero apud Marathonem omnium primi Persarum vim repulerant, eos propter eximiam virtutem in ipso loco sepulcro honoraverunt, cippis separatim positis Atheniensium, Plataeensium et servorum, sejunctim etiam Miltiadis, quamquam in carcere vita functi. Pausan. lib.1. cap. 29. pag. 71: εστι και πασι μνημα αθηναιοις, ὁποσοις αποθανειν συνεπεσεν εν τε ναυμαχιαις και εν μαχαις πεζαις, πλην ὁσοι μαραθωνι αυτων ηγωνισαντο· τουτοις γαρ κατα χωραν εισιν ὁι ταφαι δι' ανδραγαθιαν. οἱ δ' αλλοι κατα την ὁδον κεινται την ες ακαδημιαν, και σφων ἑστασιν επι τοις ταφοις στηλαι, τα ονοματα και τον δημον ἑκαστου λεγουσαι. — στηλην επι τοισδε ἑσταναι την αυτην σημαινει τα ελεγεια, τοις μεν εν ευβοιᾳ τε και χιῳ τελευτησασι· τους δε επι τοις εσχατοις της ασιανης ηπειρου διαφθαρηναι δηλοι, τους δε εν σικελιᾳ. γεγραμμενοι δε εισι ὁι τε στρατηγοι πλην νικιου, και των στρατιωτων ὁμου τοις αστοις πλαταιεις. Ibid. cap.32. p. 79: δημος εστι μαραθων, ταφος δε εν τῳ πεδιῳ αθηναιων εστι, επι δε αυτῳ στηλαι τα ονοματα των αποθανοντων και φυλας ἑκαστων εχουσαι· και ἑτερος πλαταιευσι βοιωτων, και δουλοις· εμαχησαντο γαρ και δουλοι τοτε πρωτον. και ανδρος εστιν ιδιᾳ μνημα μιλτιαδου του κιμωνος, συμβασης υστερον ὁι της τελευτης, παρου τε ἁμαρτοντι, και δι' αυτο ες κρισιν αθηναιοις καταστωντι. Cf. Thucyd. lib.2. cap. 34. Caeterum apud Academiam sepulti etiam erant Athenarum liberatores, & viri alii de patria insigniter meriti. Fuit et hic Platonis monumentum. Pausan. lib.1. c.29. 30.

[59] Lib.8. cap.11. pag.622. Sepultus fuit Epaminondas prope Mantineam, in loco quo victor occubuit; steteruntque in ipsius sepulcro praeter columnam illam stelae duae, altera antiqua cum epigraphe dialecto Boeotica, altera posita ab Hadriano et epigrammate ab eo composito insignis: στηλαι δε εισιν επι τῳ μνηματι, ἡ μεν αρχαια και επιγραμμα εχουσα βοιωτιον, την δε ἑτεραν τε ανεθηκεν αδριανος βασιλευς, και εποιησε το επιγραμμα το επ' αυτῃ. Videtur autem hoc praesertim discriminis esse inter στηλας et κιονας, quod hae pro altitudine sint graciliores, et vertice αγαλμα aliquod sustineant. Nam et rotundas stelas invenimus et magnitudine conspicuas, cujusmodi in Arantidarum sepulcro Pausanias meminit l.2. c.12. p.139. Ubi vero l.2. c.20. p.156. l.7. c.17. p.566. l.8. c.9. p.616. c.30. p.663. aliisque locis loquitur de figuris στηλῃ επειργασμεναις, intelligendum reor de anaglyphis in cippi latere, non ut factum invenio, de statuis vertici impositis. Memorantur etiam in Graecis sepulcris stelarum loco posita labella et mensae, quae quid denotent proprie, in promptu non est dicere. Cicero leg. lib. 2. cap. 26. de Demetrio Phalereo: „ Super terrae „ tumulum noluit quid statui nisi columellam „ aut mensam aut labellum „. Plutarch. in vit. X. orat. tom.2. pag.842. de Lycurgo rhetore: εταφη δε αυτος και των εκγονων τινες δημοσιᾳ. και εστιν αυτων τα μνηματα αντικρυς της παιωνιας αθηνας εν τῳ μελανθιου του φιλοσοφου κηπῳ, τραπεζαι πεποιημεναι, αυτου τε του λυκουργου και των παιδων αυτου επιγεγραμμεναι, και εις ἡμας ετι σωζομεναι. „ Publice sepultus est ipse et „ quidam ex posteris ejus. Suntque eorum mo„ numenta e regione Minervae Paeoniae in hor„ to Melanthii philosophi, mensae elaboratae „ et Lycurgo liberisque ejus inscriptae, quae „ etiam nunc exstant „. Putarem cum aliis labella fuisse vasa patentia inferiis excipiendis parata, aut laterculos marmoreos medio loco incavatos et parvis foraminibus instructos, quales saepe videmus super ollis urnisque: (V. Fabrett. inscr. c.2.) sed ista super terrae tumulum apte collocari non videntur. Unde suborta mihi est suspicio, Graecum vocabulum λουτροφορον, solemne apud Atticos επισημα denotans, de quo not. 61., a Cicerone redditum fuisse labellum. Moneor etiam a V. C. Hirt, qui Campana sepulcreta magna cum diligentia lustravit, dum picta vascula quaerentes terram effodiunt, an-

cro prope Corinthum stetisse fertur columna cum cane e marmore pario [60], in Isocratis autem, quod fuit in Attica, altera cubitorum triginta, super qua Siren alta cubitos septem, suadelae, quae in eo fuerat, argumentum [61]. Multa hujus-

---

tequam ad ipsum sepulcrum veniatur, (cf. supra p. *316.*) in summa terra crebro reperiri dolium grandius rustici operis, ejus fere formae ac sunt quae circa Urbem erui consueta hinc et inde collocata cernuntur in hortis. Utrum vero hujusmodi vasa vocari queant labella, *λουτροφορα*, et utrum credibile sit Graecos iis *επιστηματων* loco usos esse, judicent eruditi. Gutherius de jure Manium l. 2. cap. 24. pag.305. labella interpretatur sarcophagos : sed hos apud Athenienses tumulis impositos fuisse, exemplum non invenio. Mensas in sepulcris, quarum mentio recurrit in inscriptione apud Gruter. pag.850. num.*6.*, feralibus sacris faciendis fuisse destinatas, rati sunt Scaliger ad Festum V. *mensa*, et Kirchman. p.492. Alii pro tabulis accepere, quae monumento affigerentur aut plani ponerentur super tumulis. V. Guther. l. c. pag.304. VV. DD. ad Ciceron. l. c. Hisce obstat quod nec *τραπεζα* nec *mensa* dici solet de tabulis affixis aut verticali positione locatis : lapides autem inscriptos mensae instar sternere super sepulcra, ut nos quidem facimus, a veterum moribus abludere videtur. Contra Scaligerum autem urgeri potest, quod mensas istas anaglypho opere insignitas legimus apud Plutarchum loco mox adducendo nota *61*. Malo tamen ei accedere, hoc quidem pacto, ut *τραπεζας* dictas putem aras quasdam humiles atque latas et brevibus pedibus subrectas, in quarum lateribus essent inscriptiones aut anaglypha, ut illa est quae servatur in museo Pio-Clementino, pulcerrimis anaglyphis circumcirca decora. Quam ad sepulcrum pertinuisse ipsa suadent anaglypha, in quibus et rustici victus simplicitas, et lautior vita Dionyso auctore introducta, et anima adversantium geniorum ministerio a mortalis conditionis faecibus purgata repraesentantur. V. *Mus. Pio-Clement.* tom.4. tab.25.

[60] Laertius lib. *6.* segm. 78 : *ταφηναι τον ανδρα παρα τη πυλη τη φερουση εις ισθμον. επεστησαν τε αυτω κιονα, και επ' αυτω λιθου παριου κυνα.* Cf. Pausan. lib.2. cap.2. pag. 115. Brunck. anal. tom.*3.* pag.268. n.558.

[61] Plutarch. in Vit. X. orator. tom.2. p.838: *εταφη δε μετα της συγγενειας, πλησιον δε κυνοσαργους επι του λοφου αριστερα. — επι μεν ουν τουτων τραπεζαι επησαν ἕξ, αἱ νυν ου σωζονται· αυτω δε ισοκρατει επι του μνηματος επην κιων λ' πηχων, εφ' ου σειρην πηχων ζ' συμβολικως, ὃ νυν ου σωζεται. ην δε και αυτου τραπεζα πλησιον, εχουσα ποιητας τε και τους διδασκαλους αυτου, εν οις και γοργιαν εις σφαιραν αστρολογικην βλεποντα, αυτον τε ισοκρατη παρεστωτα.* „ Sepultus est cum „ gentilibus suis prope Cynosarges in tumu- „ mulo ad laevam.--Horum locis impositae erant „ mensae sex : in ipsius autem Isocratis mo- „ numento columna stabat 30 cubit., super qua „ Siren cub. 7, significatione symbolica, quae „ non exstant amplius. Fuit etiam prope mensa „ habens poetas et magistros ejus : interque „ eos Gorgiam intuentem in globum coelestem, „ adstante ipso Isocrate „. Metellus Nepos in sepulcro Philagri praeceptoris sui corvum posuit lapideum, procul dubio virum Apollini conjunctum indicaturus. Plutarch. in Cicerone t. 1. pag.874. Sic in exiguo marmore invento in sepulcreto villae Corsiniae, ibique asservato, cicadae effigie significari videtur, fœminas duas quarum nominibus inscriptum est, cantus suavitate excelluisse. Athenienses in monumento Leaenae meretricis, quae cum amicos Harmodii et Aristogitonis prodere nollet, in tormentis spiritum efflavit, posuerunt leaenam ex aere, et nomen ejus et fortitudinem significantes. Pausan. lib.1. cap.23. pag. 53. Polyaen. strateg. lib. 8. cap. 45. In Laidis autem sepulcro quod fuit in luco cupressuum ante portam Corinthi, quodque Corinthii inter maxima urbis suae decora referentes in numis expresserunt, leaena arietem prehensum tenens, vim pulcritudinis denotasse videtur imperiumque quod exercet in homines. Paus. lib. 2. cap. 2. pag. 115. Etiam in Romuli inque Faustuli monumentis leones positi fuisse feruntur : (Varro apud schol. Horat. epod. 15. Dionys. aut. Rom. lib.1. cap.87.) atque hujus animalis effigies crebro stetisse in sepulcris, mortis puto omnia vincentis argumentum, jam notavit Ptolemaeus Hephaestionis fab.2. Leo praestantissimi operis, qui est in aedibus Barberinis a sepulcro Tiburtino ablatus dicitur ; (Bartol. vet. sep. fig.49.) nec alia res magis obvia est in sarcophagis quam leones cervum aut aliud quadrupes unguibus stringentes. In sepulcris virginum adolescentiumque, quibus ante contractas nuptias vitae obitus contigerat, Graeci *λουτροφορον* fingere solebant, puerum aut puellam hydriam gestantem, ad indicandum deberi eis lavacrum in nuptiis solemne. Pollux lib. 8. cap.7 : *των αγαμων λουτροφορος τω μνηματι εφιστατο, κορα αγγειον εχουσα υδροφορον.* Harpocr. v. *λουτροφορος* : *εθος δε ην και*

modi occurrunt hodie et in cippis et in sarcophagis, clarius modo, modo obscurius expressa et interpretatu ardua. Mox et vultum defuncti imitari placuit vel protomen vel integram staturam, quod in lapidibus et arcis crebro factum videmus [62]: interdum pro cippo statuam positam legimus in tumulo [63]. Clarorum virorum facta perraro in sepulcris eorum expressa cernuntur: multa autem scalpta occurrunt in hujus generis monumentis, ad defuncti memoriam non spectantia: mortis ac vitae argumenta, deorum heroumque fabulae, ac varia ornamenta: inprimis vascula ad libationes adhiberi consueta in Romanis cippis constanter fere locum obtinent.

§. XXI.

Transeo ad tertium genus, aediculas et septa, mortuorum honori et memoriae consecrata. Est enim et haec vetusta consuetudo, apud agrestes populos

---

τοις αγαμοις αποθανουσι λουτροφορειν, και επι τω μνηματι εφιστασθαι. τουτο δ' ην παις υδριαν εχων. Eodem et spectare conjicio hydrias in sepulcris positas, quae in veterum picturis hinc et inde occurrunt, vulgo pro ossuariis habitae. Hesych. v. *λουτροφορα αγγη: τας υδρειας τοις αποθανουσιν αγαμοις επεμπον· επεμπον δε και εις τους γαμους.* Idem v. *λιβυας: τας μελαινας υδριας επι τοις ταφοις τιθεμενας.* Vide Passer. pict. Etr. in vasc. tom. 3. tab. 272. 293. Winkelm. *mon. ined.* fig. 146. In eorum autem sepulcris, qui aut veneficio aut fato iniquo praemature periisse putabantur, saepe videmus supinas manus imploratae vindictae signum, addita interdum precatione, ut in lapide musei Pio-Clementini, quem habes apud Gruter. p.820. n.1., inque aliis ibid. pag. 1129. n. 1. apud Murator. pag. 26. num. 2. 3. Cf. Paciaudi diatribe in anaglyphum Graecum Demetrii Teti F. et monum. Pelop. tom.2. pag. 232. Multa praeterea offenduntur quae ad nomen defuncti respiciunt, eadem ratione atque in numis reipublicae Romanae familiarum nomina icunculis expressa videmus. Sic in museo Pio-Clementino in cippo Diadumeni fictus est juvenis diadema capiti adaptans: in museo Capitolino in monumento Statilii Apri, aper telo confossus: in museo Borgiano in monumento Antalcidis liberti Augustorum, signum Herculis requiescentis. Varia emblemata in sepulcris explicat Antipater Sidonius apud Brunck. anal. tom. 2. pag. 31. n.87.—93. Cf. ibid. t.3. p.187. n.185. Codin. de orig. Constantinop. p.4. Fabrett. inscr. p.186.

[62] A protomarum frequentia in cippis bustisque derivandum videri, quod protomae *busti* appellentur ab Italis, adnotavit Viscontius in *Museo Pio-Clementino* tom.6. praef. pag.11. Ibidemque pag. 8. advertit, Graecos raro iis usos comperiri, in quorum stelis plerumque integras figuras scalptas cernimus. Consule Pausaniam passim, et inspice monumenta supra citata not.44.

[63] Exempla statuarum iconicarum in sepulcris Graecis afferunt Pausanias lib.1. c.2. pag.6. cap. 43. pag. 106. lib. 3. cap. 24. pag. 273. lib. 5. cap.6. p.389. lib.7. cap. 2. p. 526. lib. 8. c.4. p.606. Cicero orat. pro domo sua, c.43. Conon narrat.43. Zenobius adag. cent.5. n.24. Tementum Epictetae Spartanae apud Maffejum mus. Veron. pag. 14. In sepulcris Romanis Cicero orat. pro Archia cap. 9. Plinius lib.7. c.30. Plutarch. in vita Catonis min. tom.1. pag.794. Strabo lib.5. pag.361. Festus v. *statua*. Petronius satyr. cap.71. Murator. pag. 738. num. 9. pag. 1199. n. 6. Hae magnam partem stetisse videntur super tumulo ut publica monumenta, aut circum sepulcrale aedificium dispositae, cellulis factis in muro exteriore, cujusmodi sepulcrum cum 12 loculis extrorsum patentibus adhuc exstat in via Flaminia ad quintum ab Urbe lapidem. Aliae autem ponebantur intra sepulcrum, aut recte stantes, ut illae quae fuere in monumento Claudiae Semnes, de quibus infra recurret mentio; aut in lectulo decumbentes, ut statua Faeniae Nicopolidis in museo Pio-Clementino, epigraphe addita in fronte lectuli; aut denique jacentes in operculo sarcophagi ad lecti modum facto, quod frequentissimum. Exempla habes apud auctores citatos supra pag. 333. not.45. Notatu digna est in aedibus Rondininiis statua viri togati decumbentis ambabusque manibus tenentis protomen mulieris: pone quam cavum est in lapide ad ollae modulum factum et operculo rotundo tectum, cum inscriptione quae mulieris ossa ibi condi testatur. Ex his enim argui posse videtur, pertinere ad sepulcralia monumenta statuam illam prostantem in aedibus Barberinis, quae utraque manu gestans protomen virilem, sub senioris Bruti nomine innotuit.

quamplurimos obvia, sepulcrum sepi circumdare sive maceria, quo et ferae cadaveribus inhiantes arceantur, et locus designetur manibus sacer atque inaccessus; superque tumulo domunculam texere, tanquam animae receptaculum, quam plerique in conditorio corporis vel circa illud morari putant. Americanae gentes juxta stipitem in defuncti memoriam erectum, parvam casam compingunt e perticis terrae infixis et arborum cortice contectis, ejusdem plerumque formae oblongae qua mapalia sua instruere solent, nonnunquam in conicam figuram collectam [1]. Pariterque Aethiopes occidentales circa Gambiam fluvium, parvis tumulis usi, eos obtegere solent tugurio rotundo coni instar assurgente, addita sepi e spinis [2]. Qui vero Guineam tenent et Congum, nec non Madagascarenses, tumulos includunt quadratis domibus e tabulis sive palis, quas interdum valde spatiosas construunt, ac majori quam viventium aedes cultu dignantur. Nam et tutelarium deorum simulacris instruunt et famulorum imaginibus omnisque generis supellectili: servos praeterea ablegant, qui excubias agant circa sepulcra et curam gerant aedificiorum [3]. Idem fere fit a Tahitensibus, et qui caeteri sunt australium insularum populi, quos mortuos suos intra deorum septa, nec raro in mapaliis ibi sitis defodere, jam supra dictum est [4]. Sunt et in America, complures gentes, quibus domus, in qua principum virorum corpora more suo siccata reponunt, pro templo est, tutelaris dei statua juxta cadavera adsidente, et sacerdotibus ad locum custodiendum constitutis [5]. Apud Mexicanos proceribus pro monumentis erant parvae turres circum templa exaedificatae [6]: quemadmodum et Indi extra Gangem sepulcra sua collocare solent intra septa templorum sive sub tutelarium deorum sacellis [7]; atque veterum Aethiopum pars mortuos circa delubra defodere consueverant [8].

In Asia Sinenses maxime, et qui hujus stirpis populi sunt, sepulcra sua aedificiis decorare solent. Nam circa tumulum, quem in collis latere aggestum arboribusque cinctum tectorio opere induunt, maceriam struunt forma elliptica, cum gentis nomine in maceriae fronte inscripto. Addunt porro conclavia, ubi ad mortuum lugendum et parentalia obeunda conveniunt, ac intimo loco juxta tumulum collocant mensam marmoream, in qua cistae duae, vascula totidem et totidem candelabra, ne mortuo desint cibus potusque et faces, adstante utrinque statuarum cohorte tum homines tum animalia referentium. Habet praeterea quaevis familia andronem, avorum memoriae consecratum, in quo nomina eorum ordine scripta sunt

---

[1] Lafitau tom.2. pag.416. 419. Sagard p.287.

[2] Moore in *Hist. gén. des voy.* tom.3. p.173. Barerius apud Purchas tom.2. pag. 1560.

[3] Bosman epist.13. pag. 232. *Hist. gén. des voy.* tom.4. pag.152. Jobson apud Purchas t. 2. pag. 962. Merolla pag. 212. Flacourt pag. 100. Sonnerat tom. 2. pag. 61. *Voyages de la comp. des Indes* tom. 1. pag. 244. *Hist. gén. des voy.* tom.8. pag.89.

[4] Vide supra pag. 343. not. 45. Confer Cantova *relat. des isles Palaos* in *Hist.gén. des voy.* tom. 17. pag. 370. et Mindana *voy. aux isles Marchesas* ibid. pag.471.

[5] Lafitau tom. 1. pag.167. tom. 2. pag. 389. *Hist. de la Virginie* pag. 266. 295. *Hist. gén. des voy.* tom.14. pag.516. 522. *Rec. des voy. au Nord* tom.5. pag.24. With ritus incol. Virgin. num.22. Garc. de la Vega *hist. des Yncas* t. 1. pag. 309. 312. Peruvianis planities Cayambe, templo quod religiosissime colebant adjacens, idem fere fuit quod Aegyptiis campi Memphitici, inque ea sepeliri ambiebant qui supra vulgarem conditionem essent, quare et hodie ista praesertim provincia magnis tumulis abundat. Ulloa *voy. au Perou* tom. 1. lib. 6. cap. 11. *Hist. gén. des voy.* t.13. pag. 577.

[6] *Hist. gén. des voy.* tom. 12. pag.541. 552. Clavigero tom.2. pag.97.

[7] Laloubere tom.1. pag. 472. 477.

[8] Vide supra pag.267. not.59.

in parietibus, interdum et effigies pictura expressae. Haec privatorum sunt, regum autem mausolea ac templa avis dicata vastae amplitudinis esse feruntur, porticibus atriisque instructa, et omni cultu ambitiose exornata [9]. Indorum quoque secta est, qui sepulcris imponunt sacella diis manibus sacra [10]; licet quae cis Gangem nunc cernuntur sepulcra cum magnificentia structa, Mungalorum aliorumque advenarum opera sint [11]. Mungalis enim Comanisque et aliis septentrionalis Asiae gentibus avita consuetudo fuit mortuos honorare aedificiis, quae imitarentur formam tentoriorum, sub quibus vitam degere solent [12]; quibus postea apud Mungalos in India spatiosa successerunt mausolea [13]: eademque tholorum origo videtur, quos Arabes et Turcae, nomades populi, super claris viris struere consueverunt. Veteres quoque Assyrios usos esse aedificiis sepulcralibus, exemplum habemus apud Herodotum, sepulcrum Nitocris reginae, cujus filium Cyrus regno exuit, Babylone aedificatum supra portam civitatis, atque epigraphe insignitum [14]. Ipse Cyrus sepultus narratur in turre apud Pasargada, quae prisca fuit Persarum metropolis, in celsarum arborum luco, magorum cohorte ad monumenti custodiam destinata, quibus in cibaria quotidie ovis porrigebatur, singulis autem mensibus equus. Fuit enim secundum narrationem Aristobuli, qui Alexandrum in expeditione secutus ipse adiit, substructio solida sustinens aediculam modicam cum aditu angusto, in qua praeter arcam auream cadaver includentem, mensa erat cum poculis et lectulus, omnia ex auro, vestes etiam pretiosae multae et ornamenta gemmis distincta. Inscriptum autem erat epigramma ad hunc modum: „ O homo, ego Cyrus sum, qui Persarum imperium condidi, Asiae rex. Ne „ ergo monumentum mihi invide „. Hoc sepulcrum ab Alexandro honore affectum, postquam is in Indiam abiisset, ab obscuris hominibus expilatum fuit. Strabo libro decimoquinto [15]: *ειτ' εις πασαργαδας ἡκεν ὁ αλεξανδρος· και τουτο δ'ην*

---

[9] Duhalde tom. 2. pag. 126. 407. 455. Gemelli Carreri in *Hist. gén. des voy.* t. 5. p. 483. 493.

[10] Roger pag. 137. P. Vincentius a S. Catharina pag. 299. *Hist. génér. des voyages*, t. 10. pag. 264.

[11] Quod vero ait P. Vincentius pag. 322. in multis Indiae locis occurrere nobilissima mausolea viduarum cum marito crematarum, apud alios peregrinatores non invenio.

[12] Rubruquis pag. 36.

[13] P. Vincent. a S. Cathar. pag. 242. 243.

[14] Herod. lib. 1. cap. 187: *υπερ των μαλιστα λεωφορων πυλεων του αστεος, ταφον ἑωυτῃ κατεσκευασατο μετεωρον επιπολης αυτεων των πυλεων. ενεκολαψε δε ες τον ταφον γραμματα λεγοντα ταδε. " των τις εμευ υστερον γινομενων βαβυλωνος βασιλεων, ην σπανισῃ χρηματων, ανοιξας τον ταφον, λαβετω ὁκοσα βυλεται χρηματα· μη μεν τοι γε μη σπανισας γε, αλλως ανοιξῃ· ου γαρ αμεινον ". — ανοιξας δε τον ταφον (ὁ δαρειος) ευρε χρηματα μεν ου, τον νεκρον δε και γραμματα λεγοντα ταδε. " ει μη απληστος τε εας χρηματων και αισχροκερδης, ουκ αν νεκρων θηκας ανεωγες ".*

„ Supra portam urbis celeberrimam, loco edito atque in superficie istius portae sepulcrum „ sibi exstruxit, atque litteras haec significantes insculpsit: *Si cui regum Babylonis post „ me futurorum fuerit pecuniae penuria, aperto sepulcro sumito: ne tamen non indigens „ temere aperito: non enim id melius.* — Hoc „ monumentum reseravit Darius; in quo non „ quidem pecunias invenit, sed cadaver, et litteras haec dicentes: *Nisi pecuniae esses inexplebilis et turpis lucri cupidus, defunctorum loculos non aperuisses* „. Has inscriptiones, quarum quidem *γνησιοτητα* defendere ego non susciperem, ad Semiramidem refert Plutarchus in apophth. tom. 2. pag. 173. Prolixam autem epigraphen e stele Semiramidis recitat Polyaenus strateg. l. 8. cap. 26., quam Maffejus crit. lapid. pag. 16. merito ut fabulosam rejicit.

[15] Pag. 1061. Etiam de hoc epigrammate dubia res videtur. Graecam ejus interpretationem jubente Alexandro infra adjectam fuisse, auctor est Plutarchus in Alex. cap. 69. tom. 1. pag. 703. Cf. Arrian. de exped. Alex. lib. 6.

βασιλειον αρχαιον. ενταυθα δε και τον κυρου ταφον ειδεν εν παραδεισῳ, πυργον ου μεγαν, τῳ δασει των δενδρων εναποκεκρυμμενον, κατω μεν στερεον, ανω δε στεγην εχοντα και σηκον, στενην τελεως εχοντα την εισοδον. δι' ἡς παρελθειν εισω φησιν αριστοβουλος κελευσαντος του βασιλεως, και κοσμησαι τον ταφον· ιδειν δε κλινην τε χρυσην και τραπεζαν συν εκπωμασι, και πυελον χρυσην, και εσθητα πολλην κοσμον τε λιθοκολλητον. κατα μεν ουν την πρωτην επιδημιαν ταυτ' ιδειν· υστερον δε συληθηναι. — καιπερ φυλακης περικειμενης μαγων, σιτησιν λαμβανοντων καθ' ἡμεραν προβατον, δια μηνος δ' ἱππον. — ὁυτω μεν ουν αριστοβουλος ειρηκε, και το επιγραμμα δε απομνημονευει τουτο· Ω ανθρωπε, εγω κυρος ειμι ὁ την αρχην τοις περσαις κτησαμενος, και της ασιας βασιλευς· μη ουν φθονησης μοι του μνηματος.

Apud Graecos etiam aedificia in sepulcris veteris instituti fuisse, quamquam rarius occurrant, indicio est monumentum Alcmaeonis in Psophide, de quo Pausanias in Arcadicis [16]: τεθαπται δε και αλκμαιων εν ψωφιδι ὁ αμφιαραου, και οι το μνημα εστιν οικημα ουτε μεγεθει ουτε αλλως κεκοσμημενον. περι δε αυτο κυπαρισσοι πεφυκασιν ες τοσουτον υψος ανηκουσαι, ὡστε και το ορος το προς τη ψωφιδι κατεσκιαζετο υπ' αυτων. ταυτας ουκ εθελουσιν εκκοπτειν, ἱερας του αλκμαιωνος νομιζοντες· καλουνται δε υπο των εγχωριων παρθενοι. „ Alcmaeon etiam „ Amphiarai filius in Psophide sepultus est. Ejus monumentum aedificium est ne„ que magnitudine neque ullo ornatus genere insigne. Creverunt autem circa id „ cupressi eousque, ut earum proceritate mons etiam is qui Psophidi imminet, „ obumbraretur. Eas non caedunt, quod Alcmaeoni sacras putant: easdemque „ virgines indigenae appellant „. Etiam in anaglyphis quae Meleagri exsequias referentia prostant in aedibus Barberinis atque in suburbano Pamphiliorum, monumenti loco est aedicula rotunda cum fastigio hemisphaerico [17]. Exemplum vero sepulcri lapidum macerie cincti arboribusque consiti, fere ut sunt Tahitensium coemeteria supra memorata, idem auctor suppeditat [18], Inus heroon in Megaride: κατα δε την ες το πρυτανειον ὁδον, ινους εστιν ἡρωον, περι δε αυτο θριγκος λιθων· πεφυκασι δε επ' αυτῳ και ελαιαι. Cui non dissimile fuit in Aegina septum Aeaci [19]: εν επιφανεστατῳ της πολεως, το αιακειον καλουμενον, περιβολος τετραγωνος λευκου λιθου. επειργασμενοι δε εισι κατα την εισοδον, ὁι παρα αιακον ποτε υπο των ἑλ-

---

pag. 435. Curt. lib. 10. cap. 1. Eustath. in Dionys. Perieg. v. 1069. Praeter Cyrum alii etiam Persarum reges Pasargadis sepulcra habuere. Strabo lib. 15. pag.1059. Darius autem et qui ei successerunt, sepulti fuere apud Persepolin. Vide supra pag.313. not.2.3.

16 Lib.8. cap.24. pag. 646. Alia exempla habes apud eundem scriptorem lib.1. cap.17. p.39. lib.2. c.13. p.142. l.3. c.16. p.248. c.19. p.259. lib.6. c. 24. p. 515. Narrat Eustathius ad Odyss. Δ. pag. 1498., Ulyssem et Diomedem occiso Philomelide rege Cypri, qui hospites ad luctam provocare solebat, diversorium condidisse super sepulcro ejus.

17 Bartoli admir. Roman. antiqu. vestig. ed. 1693. tab.70. 71. Montfauc. *ant. expl.* tom. 5. tab. 2. In alio apud Gorium inscript. in Etrur. tom. 3. tab.35. quadratum aedificium est e secto lapide cum tecto pyramidali. In minori Asia circa Hierapolin Phrygiae et Alabandam Cariae, etiam in Cypro insula complura sepulcra ad aedicularum modum structas observavit Pocockius: vol. 2. part. 2. lib. 1. cap. 5. 13. pag. 58. 75. part.1. lib.13. c.1. pag.213. Ephesium illud sepulcrum, de quo Petronius satyr. cap. 111., casula fuit cum hypogaeo.

18 Lib.1. cap.42. pag.102.

19 Pausan. lib. 2. c.29. pag. 179. Alia exempla affert idem auctor lib. 2. cap. 15. pag. 144. sepulcrum Opheltae in Nemea: lib. 5. cap.13. pag. 407. Pelopis Olympiae: lib. 10. cap. 24. pag. 858. Neoptolemi prope templum Pythicum. Meminit et Euripides περιβολων λαϊνων in Troad. v.1149.

λην ων σταλεντες. — του περιβολου δε εντος ελαιαι πεφυκασιν εκ παλαιου, και βωμος εστιν, ου πολυ ανεχων εκ της γης· ώς δε και μνημα ὁυτος ὁ βωμος ειη αιακου, λεγομενον εστιν εν απορρητῳ. „ Celeberrimo urbis loco situm est quod Aeaceum appellant, septum quadratum e candido lapide. Juxta aditum exscalpti „ sunt, qui ad Aeacum a Graecis quondam missi venere [20]. — Intra septum oleae „ sunt antiquitus consitae, et ara paullo supra aream eminens. Eam autem aram „ esse monumentum Aeaci, in arcanis traditur „. Fuere etiam Athenis nobiles familiae, quibus pro gentili sepultura loca erant spatiosa muro consepta, uti Buselidum monumentum, cujus meminit Demosthenes in oratione adversus Macartatum [21]: μνηματος οντος κοινου ἁπασι τοις απο του βουσελου γενομενοις· και καλειται το μνημα βουσελιδων, πολυς τοπος περιβεβλημενος, ὡσπερ ὁι αρχαιοι ενομιζον. „ Cum qui a Buselo genus trahunt omnes commune monumentum habeant, „ idque monumentum Buselidarum nominetur, amplum spatium circumseptum, ut „ antiqui facere solebant „. Idemque Romae obtinuisse novimus, nec dubium videtur, quin illa gentilitium sepulcrorum consuetudo reliquis pariter Graeciae Italiaeque civitatibus fuerit communis [22]. De Sicyoniis autem adnotat Pausanias [23], consuevisse eos more sibi peculiari tectum columnis impositum collocare super sepulcris: σικυωνιοι τα πολλα εοικοτι τροπῳ θαπτουσι· το μεν σωμα γῃ κρυπτουσι, λιθου δε εποικοδομησαντες κρηπιδα κιονας εφιστασι, και επ' αυτοις επιθημα ποιουσι κατα τους αιετους μαλιστα τους εν τοις ναοις. επιγραμμα δε αλλο μεν γραφουσιν ουδεν, το δ' ονομα εφ' ἑαυτου και ου πατροθεν υπειποντες, κελευουσι τον νεκρον χαιρειν. „ Sicyonii ad unum fere modum suorum cadavera condunt: corpus terra „ contegunt, deinde lapidea basi superstructa columnas erigunt, quibus fasti- „ gium imponunt, eadem prope specie qua sunt templorum culmina. Inscriptio-

---

[20] Addit rationem, quod cum tota Graecia siccitate laboraret, respondit Pythia, Jovem esse placandum deprecatore Aeaco. Missi igitus ex singulis urbibus ad Aeacum impetravere, ut is Panhellenio Jovi sacris peractis et votis nuncupatis Graeciam imbrium compotem faceret. Cf. lib. 1. cap. 44. pag. 108. Videtur autem, si recte equidem capio mentem Pausaniae, eadem illa Jovis Panhellenii ara pro sepulcro usus Aeacus.

[21] Pag. 1040. Hujus generis etiam fuisse videtur sepulcrum Isocratis, de quo Plutarchus loco citato supra pag. 362. not. 61.

[22] Invenimus eundem morem apud Scandinavos, licet aedificiis non usos in sepulcris. Sed areas circa tumulos lapidibus includere solebant, modo unum modo plura sepulcra comprehendentes, quas *ætthagar* appellabant sive septa gentilitia. Worm. monum. Dan. p. 8. 35. Ihre de runarum in Suecia antiquitate p. 25. 55.

[23] Lib. 2. cap. 7. pag. 126. Winkelmannus *monum. ined.* pag. 191. fig. 144., ubi in gemma veteri, quam de Polyxena interpretatur ad Achillis tumulum immolata, monumentum Sicyonio more structum conspici ait, longius recedit a descriptione quam dedimus e Pausania. Nam sepulcrum quod ibi exhibetur, crepido quidem est quadrata, sed murum sustinet columnis cinctum absque tecto: in media autem area, quam quadratus murus includit, assurgit columna Jonica, cui Psyches icuncula insidet, lugentis more composita, ὀν ποτμον γοωσα. Hujusmodi monumentum hypaethrum fuit illud, quo Neronem in Domitiorum sepulcreto honoratum narrat Suetonius cap. 50: „ In eo monumento solium porphyretici mar- „ moris, superstante lunensi ara, circumseptum „ est lapide thasio „. Propius accedit ad Sicyoniorum sepulcrorum rationem parvum aedificium pictum in vasculo apud Passerium tom. 3, tab. 260.: aëtoma quadratum quatuor columnis subrectum ad angulos, in medio posita ara amphoram sustinente. Apud eosdem meminit Pausanias loc. cit. picturae in sepulcro, rei in Graeca antiquitate rarius obviae: ξενοδικης μνημα εστιν, αποθανουσης εν ωδισι. πεποιηται δε ου κατα τον επιχωριον τροπον, αλλ' ὡς αν τῃ γραφῃ μαλιστα ἁρμοζοι. γραφη δε ειπερ αλλη τις, και ἁυτη εστι θεας αξια.

„ ne vero alia non utuntur, sed nomen defuncti proferentes, omissa patris mentione, illum valere jubent „ [24].

Fuit et hoc antiqui moris apud Graecos, claros viros foeminasque in deorum templis aut juxta ea sepelire, maxime urbium conditores vel caerimoniarum antistites: cujus rei multa exempla affert Theodoretus libro octavo de Graecarum affectionum curatione [25]: *αθηνησιν, ὡς αντιοχος εν τη ενατη γεγραφεν ἱστορια, ανω γε εν τη ακροπολει κεκροπος εστι ταφος παρα την πολιουχον αυτην. και εν λαρισση τη θετταλικη εν τω ναω της αθηνας τον ακρισιον τεταφθαι φησιν. εν δε μιλητω τον κλεομαχον ενδον εν τω διδυμαιω κεισθαι, ειρηκε λεανδρος. την δε λευκοφρυνην εν τω ἱερω της αρτεμιδος εν μαγνησια ταφηναι, ζηνων ὁ μυνδιος εφη. τον εν τελμησσω δε βωμον του απολλωνος, μνημα ειναι τελμησσεως του μαντεως ἱστορουσιν.* Eadem, sed auctiora leguntur apud Arnobium libro sexto adversus gentes [26]: „ In historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terrae: in templo rursus ejusdem quod in arce Larissae est, conditus scribitur Acrisius; Erichthonius Poliados in fano; Dairas et Immarus fratres in Eleusinio consepto, quod civitati subjectum est. Quid? Celei virgines non in Cereris Eleusiniae humationis habuisse perhibentur officia? non in Dianae delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha Laodiceque, quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymaeo Milesio Clearchum dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Leucophrynae monumentum in fano apud Magnesiam Dianae esse, Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula, quae Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem non scriptis constantibus indicatur? Ptolemaeus Agesarchi de Philopatre quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse, litterarum auctoritate declarat „. De virginibus, quae cum ex Hyperboreis sacra attulissent in Delum, illic diem obiere atque in Apollinis fano sepultae fuerunt, auctorem habemus Herodotum, qui libri quarti capite tricesimo quarto et sequenti, Hyperoches et Laodices sepulcrum exstare ait ad fores Artemisii sub oleae arbore: *το δε σημα εστι εσω ες το αρτεμισιον εσιοντι αριστερης χειρος· επιπεφυκε δε ὁι ελαιη*: quae vero jam ante has advenere ex Hyperboreis, Argin et Opin sitas esse pone Artemisium juxta coenaculum Ceïorum: *ἡ δε θηκη αυτεων εστιν οπισθεν του αρτεμισιου προς ηω τετραμμενη, αγχοτατω του κηιων ἱστιητηριου.* Alia sepulcra sub deorum aris aut prope templa posita hinc et inde occurrunt apud Pausaniam aliosque Graecarum rerum scriptores [27]: dum, quod de barbaris gentibus supra adnotavimus, Graeci pariter ambirent, ut reliquiae suae servarentur juxta loca deorum caerimoniis dicata. Etiam aedificia pro monumento structa super sepulcra, inferisque diis ac manibus sacrari solita, nonnunquam ei numini dedicabant quod singulari cultu prosecutus fuerat defunctus, ut Phoenicis filiorumque heroa Musis sacravit Epicteta Spartana, cujus testamen-

---

24 Inscriptionem hisce similem offert tabula marmorea e Paro insula in museum Borgianum adlata: *αρσαμη χρηστε χαιρε.* „ Arsame bone „ vale „: cum anaglypho viri palliati quem puer comitatur. Alias sistunt Maff. mus. Veron. pag. 47. num. 3. Gruter. pag. 778. num. 5. Paciaud. mon. Pelop. t. 2. p. 179. 206. n. 6. p. 236.

25 Opp. tom. 4. pag. 597.

26 Pag. 84.

27 Pausan. lib. 1. c. 18. pag. 43. c. 22. p. 51. c. 41. p. 98. c. 43. p. 103. lib. 2. c. 11. p. 135. c. 20. 21. 22. 30. 33. lib. 3. c. 1. 11. 19. lib. 7. c. 21.

tum in stele exaratum Veronae asservatur in museo publico [28]; nonnunquam ei quod morte ipsius placatum credebatur. Sic cum Pyrrhus Epiri rex in Argivorum urbem irruisset, atque tegulae ictu in caput percussus a muliere occubuisset, Argivi ab ipsa Cerere quae apud eos eximie colebatur, occisum perhibuerunt, aedemque struxerunt Cereri in loco ubi ceciderat, et ossa ejus in ea condiderunt, clypeumque quo ipse usus erat, suspenderunt: aliud autem monumentum aedi-

---

[28] Κατα ταν γεγενημεναν μοι υπο του ανδρος φοινικος εντολαν του και κατασκευαξαμενου το μουσειον υπερ του μεταλλαχοτος αμων υιου κρατησιλοχου και αγαγοντος τα ζωια και τος ανδριαντας εαυτου τε και κρατησιλοχου και τα ηρωια και ωστε κατασκευαξαι με το μουσειον και θεμεν τας τε μουσας και τος ανδριαντας και τα ηρωια μετα δε δυο ετη του απολελειμμενου ετι μου υιου ανδραγορα μεταλλασσοντος τον βιον και εντειλαμενου — θεμεν και υπερ αυτου ως και υπερ του πατρος και του αδελφου τον τε ανδριαντα και το ηρωιον — απολειπω δε το μουσειον των ηρωιων ται θυγατρι μου επιτελεια — ταν δε ιερατειαν ταν μουσαν και των ηρωιων εχετω ο τας θυγατρος μου υος ανδραγορας — ο δε ανδρειος των συγγενων συναγεσθω εν τωι μουσειωι καθ εκαστον ετος εμ μηνι δελφινιωι — και θυετω ται μεν εννεακαιδεκαται ταις μουσαις ται δε εικαδι τοις ηρωσιν φοινικι και επικτηται ται δε αμφ εικαδι κρατησιλοχωι και ανδραγοραι. „ Sicuti vir meus Phoenix mihi praecepit: qui „ et Museum condidit pro defuncto filio nostro „ Cratesilocho, et simulacra statuasque tum „ sui ipsius tum Cratesilochi et heroa facienda „ locavit: rogavitque me ut Museum perficerem, inque eo et Musas et statuas et heroa „ collocarem. Post duos autem annos cum filius qui mihi adhuc supererat, Andragoras, „ vitam cum morte commutaret ac praecepisset, ut ponerem etiam pro ipso aeque ac pro „ patre et fratre statuam et heroon. — Relin- „ quo autem Museum heroum (suspicor enim et hoc loco et eo qui mox sequitur ηρωιων quadratarii errore scriptum esse pro ηρωων) „ filiae meae Epiteliae. — Sacerdotium autem „ Musarum et heroum filiae meae filius Andragoras suscipiat. — Collegium cognatorum „ congregetur quotannis in Museo mense Delphinio, — et sacra faciat die 19 Musis, die „ 20 heroibus Phoenici et Epictetae, die 21 „ Cratesilocho et Andragorae „. Totum testamentum, e quo haec decerpsi, habes apud Gruterum pag. 216., sed accuratius restituit Maffejus mus. Veron. p. 14. sqq., a cujus interpretatione in nonnullis recedendum putavi. Istius autem privatae consecrationis, mortuo a parentibus in heroum numerum relato, et sepulcro heroi nomine cohonestato hinc et inde exempla occurrunt apud Graecos. Privatorum monumenta ηρωα, ηρωα προγονικα appellata habes in inscriptionibus apud Muratorium p. 156. num. 1. pag. 1298. num. 5. Reines. cl. 1. num. 43. Defunctum vero dictum ηρωα, ηρωα επιφανη legimus in lapide musei Veronensis apud Maffejum, pag. 49. num. 8., in Naniano apud cl. Biagi mon. Graeca ex mus. Nan. necrolog. n. 12., adjecto anaglypho juvenis equo gradienti insidentis, ante quem ara luculenta et arbor pomifera serpente cincta. Idem hoc emblema, quo ad Hesperum Solis comitem, Hesperidumque hortos alludi videtur, recurrit in stela musei Veronensis pag. 47. num. 3., eodemque forte spectant anaglypha equitum ibid. p. 49. num. 3. pag. 53. num. 2. Sic Antinous heros in numis Aegyptiis Mercurii habitu eques fingitur. V. *Num. Aeg. imp. in mus. Borgiano* p. 160. 161. Herois vocabulum in epigraphe Latina affert Maffejus lib. cit. pag. 171., sed non satis accurate advertit, juvenibus tantum hoc epithetum concedi, cum in testamento Epictetae, cui nepos erat jam adultus, et ipsa et maritus ηρωες appellentur; atque in alio ejusdem musei lapide pag. 47. num. 3. Asclepiadem D. Augusti medicum, quem adolescentem obiisse non sane credibile est, ηρωα honorent Smyrnaei. *Heroum* pariter in lapide Italo legimus apud Muratorium pag. 889. num. 8., et in alio pag. 1199. num. 6. *templum*: eadem ratione qua Cicero ad Attic. lib. 12. ep. 35. de Tulliae monumento inquit: „ Fanum fieri volo; sepulcri similitudinem effugere studeo, ut maxime assequar αποθεωσιν „. Quem in libro de consolatione scripsisse: „ imaginem filiae eodem se modo consecraturum esse, quo illi a veteribus sint consecrati „: auctor est Lactant. div. inst. l. 1. cap. 15. Sic Regillam uxorem in heroum numerum retulit Herodes Atticus, et monumentum ei struxit Athenis fano simile, testante lapide qui inventus in Triopio Herodis ad viam Appiam nunc exstat in Villa Burghesia, Marcelli carmine inscriptus:

ου μεν γαρ θνητη ατυρ ουδε θεαινα τετυκται
τουνεκεν ουτε νεων ιερον λαχεν ουτ ετι τυμβον
ουδε γερα θνητοις ατυρ ουδε θεοισιν ομοια
σημα μεν οι νηωι ικελον δημωι εν αθηνης
ψυχη δε σκηπτρον ραδαμανθυος αμφιπολευει.

ficarunt in foro ubi rogo impositus fuerat, ex albo lapide cum anaglypho elephantos referente, et quibus aliis rebus Pyrrhus ad bellum fuerat instructus. Pausasanias in Atticis [29]: *αργειοι ου γυναικα την αποκτεινουσαν πυρρον, δημητρα δε φασιν ειναι γυναικι εικασμενην. — και σφισιν εστι του θεου χρησαντος, ενθα ὁ πυρρος ετελευτησεν, ἱερον δημητρος, εν δε αυτῳ και ὁ πυρρος τεθαπται*. Et in Argolicis [30]: *το οικοδομημα λευκου λιθου κατα μεσον μαλιστα της αγορας, ου τροπαιον επι πυρρῳ τῳ ηπειρωτῃ, καθα λεγουσιν οἱ αργειοι, καυθεντος δε ενταυθα του νεκρου, μνημα και τουτο ον ἑυροι τις, εν ᾧ τα τε αλλα ὁσοις ὁ πυρρος εκεχρητο ες τας μαχας, και οἱ ελεφαντες εισιν επειργασμενοι. τουτο μεν δη κατα την πυραν οικοδομημα εγενετο· αυτα δε κειται του πυρρου τα οστα εν τῳ ἱερῳ της δημητρος, παρ᾽ ᾧ συμβηναι οἱ και την τελευτην, εδηλωσα εν τῃ ατθιδι συγγραφῃ. του δε της δημητρος ἱερου τουτου κατα την εσοδον, ασπιδα ιδειν πυρρου χαλκην εστιν υπερ των θυρων ανακειμενην* [31].

Consueverunt etiam Romani sepulcra dedicare diis superis, atque ipsos defunctos simulacris in formam deorum honorare, cujus rei luculentum testimonium habemus monumentum nuper detectum in via Appia, ubi in quadrato aedificio arcis ollisque instructo, medium locum tenebat ara inscripta: *Fortunae Spei Veneri et memoriae Claud. Semnes sacrum*. In fronte autem aedificii legebatur in lapide: *Claudiae Semne uxori et M. Ulpio Crotonensi fil. Crotonensis Aug. lib. fecit. Huic monumento cedet hortus, in quo tricliae viniola puteum aediculae, in quibus simulacra Claudiae Semnes in formam deorum, ita uti cum maceria a me circumstructa est. H. M. H. N. S.* Simulque inventa fuerunt fastigia quatuor marmorea, in quorum uno scalpta erat imago Claudiae, cum nomine adscripto, in reliquis cernebantur attributa Fortunae, Spei, Veneris, et sacrificiorum apparatus: praeterea statua Claudiae modicae magnitudinis eo habitu quo Spes dea fingi solet. Colligebatur autem ex indiciis haud ambiguis, monumentum pertinere ad tempora Trajani Augusti [32].

---

[29] Lib. 1. cap. 13. pag. 33.

[30] Lib. 2. cap. 21. pag. 158.

[31] Forte et huc trahendum, quod super Minois reliquiis, cujus domum propter iram Veneris dira perpessam ferunt, Veneris fanum conditum narratur. Diodor. l. 4. cap. 79: *οἱ μεν συνεστρατευμενοι το σωμα του βασιλεως εθαψαν μεγαλοπρεπως· και διπλουν ταφον οικοδομησαντες, κατα μεν τον κεκρυμμενον τοπον εθεσαν τα οστα, κατα δε τον ανεῳγμενον εποιησαν αφροδιτης νεων. ὁυτος δ᾽ επι γενεας πλειους ετιματο, θυοντων των εγχωριων ὡς αφροδιτης οντος του νεω. κατα δε τους νεωτερους καιρους κτισθεισης μεν της των ακραγαντινων πολεως, γνωσθεισης δε της των οστεων θεσεως, συνεβη τον μεν ταφον καθαιρεθηναι, τα δ᾽ οστα τοις κρησιν αποδοθηναι, θηρωνος δυναστευοντος των ακραγαντινων.* „Militiae „socii corpus regis magnifice sepeliunt, et „duplex illi sepulcrum exstruunt, cujus in„teriore loco ossa condunt, apertiore Vene„ris templum erigunt. Quod ceu peculiariter „Veneri consecratum per multas aetates, sacri„ficantibus ibi Siculis, in honore fuit. Post „urbe Agrigentinorum condita, ubi ossium „illic positus innotuit, haec quidem Creten„sibus remissa, monumentum autem subla„tum fuit, cum Theron Agrigentinis imperaret„. Sed cogitare etiam possumus de Venere Epitymbia, quam Nemesin vocaverunt Athenienses, Romani autem Libitinam, quae peculiari munere animas inferiarum gratia ex Hade commeantes custodire putabatur. Vide Plutarch. quaest. Rom. t. 2. p. 269. Harpocrat. v. *νεμεσεια*. Schol. Reisk. ad Demosth. p. 111.

[32] Et Ulpiorum nomen et capillitii modus in duabus virorum statuis ibi repertis ei similis qui occurrit in numis statuisque Trajani, in muliebribus figuris ut in Plotina, Crotonensem Trajani Aug. libertum designabant. Altera ex illis statuis basin subjectam habebat, e cujus epigraphe intelligebatur, repraesentari filium Crotonensis, cujus mentio fit in inscriptione supra adducta. Prope eundem locum erutus fuit cippus cinerarius cum anaglypho Dianam venatricem referente, vultu facto ad similitudinem puellae quam ibi sepultam testabatur inscriptio:

Apud Romanos enim tum stante republica tum maxime sub imperatoribus, solemnis fuit aedicularum usus in sepulcris, quas plerumque quadratas vel ex quadrato oblongas, rarius rotundas aut polygonos construere solebant, jam una testudine, jam duplici concameratione, mortuorum reliquiis modo in subterraneo loco conditis, spatiis ex topho excisis, uti in Scipionum sepulcro videmus ad portam Capenam, modo in fornicibus sub terra concameratis, modo et supra terram loculis paratis in ipsis aedicularum parietibus. His aream adjiciebant maceria seu muro cinctam, cum atriis, hortis, puteisque ac pergulis, ubi parentales coenas celebrarent cognati; nec non diaetam sive tabernam in usum servorum qui sepulcro invigilarent. Ipsasque aediculas plastica exornabant ac pictura, anaglyphis etiam atque statuis. In fronte autem sive aediculae sive maceriae, lapide affixo aut cippo juxta adstituto, heri vel conditoris nomen et familiae jura inscribebant; reliquorum defunctorum memoriam epigraphis tradentes cujusque loculo adjectis [33]. Hanc sepulcrorum magnificentiam salse ridet Petronius in satyrico [34], eandemque

---

D. M. Sacrum Deanae et memoriae Aeliae Proculae. P. Aelius Asclepiacus Aug. lib. et Ulpia Priscilla filiae dulcissimae fecerunt. Inventa autem haec fuere una cum aliis monumentis sepulcralibus in vinea S. Sebastiani extra moenia, anno 1792 mense novembri, et nunc servantur in aedibus Alteriorum. De reliquo hic consecrationis modus, dum pro lubitu quisquis mortuos suos diis aut heroibus assimilaret, atque attributis eorum instructos fingeret, etsi in scriptis monumentis raro memoratus, Romanis saltem inde a secundo post Christum saeculo familiaris fuisse agnoscitur e sarcophagorum scalptura, in quibus crebro recurrunt dii heroesque vultu defunctum referentes. Rarius hoc in cippis observavi, quamquam nec in illis sit insolens. Servatur in museo clariss. praesulis Casalii inter selecta antiquae artis cimelia operculum cippi cinerarii, in cujus fronte scalptae sunt protomae duae, altera mulieris habitu atque attributis Isiacis, altera virilis palliata cum capite raso, manu tenens palmae ramum, Aegyptii Mercurii symbolum. Statuam defuncti ad habitum dei Liri formatam, commemorat Apulejus metam. lib. 8. pag. 239.

33 Consule inscriptiones, inter alias thes. Gruter. pag. 299. n. 1. p. 383. n. 4. p. 579. n. 8. p. 640. n. 2. p. 636. n. 12. pag. 672. n. 1. p. 672. n. 1. pag. 809. n. 2. pag. 862. n. 5. pag. 896. n. 14. pag. 964. num. 2. pag. 1108. num. 6. Murator. pag. 301. n 4. pag. 318. num. 1. pag. 885, n. 5. 7. pag. 907. n. 3. pag. 1013. n. 5. pag. 1138. num. 3. pag. 1199. n. 6. pag. 1310. n. 1. pag. 1359. n. 12. p. 1366. n 9. p. 1371. n. 5. Donat. suppl. p. 312. n. 3. p. 348. n. 9. p. 393. n. 13. p. 411. n. 6. Fabrett. inscr. c. 1. Gorii inscr. in Etrur. tom. 1. p. 98. n. 56. pag. 154. n. 80. pag. 383. n. 140. p. 459. n. 16. tom. 3. p. 296. n. 434. Ejusd. columbar. lib. Liviae. Cl. Oderici dissertt. et adnott. in inscr. ined. pag. 322. n. 10. Bartolii vet. sepulcra fig. 3. sqq. Vide etiam Gutherium de jure manium lib. 2. cap. 20. — 31. Kirchman. lib. 3. cap. 13. — 22., ubi multa habes utilia, nonnulla quibus non sine cautela utendum.

34 Cap. 71: „ Aedificas monumentum meum, quemadmodum te jussi? Valde te rogo ut secundum pedes statuae meae catellam fingas et coronas et unguenta et peractas omnes pugnas, ut mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere. Praeterea ut sint in fronte pedes centum, in agrum ducenti. Omne genus etiam pomorum volo sit circa cineres meos et vinearum largiter. Valde enim falsum est, vivo quidem domos cultas esse: non curari eas ubi diutius nobis habitandum est. Id ideo ante omnia adjici volo: *Hoc monumentum heredem non sequatur*. Caeterum erit mihi curae, ut testamento caveam, ne mortuus injuriam accipiam. Praeponam enim unum ex libertis sepulcro meo, custodiae causa. —— Horologium in medio, ut quisquis horas inspiciet, velit, nolit, meum nomen legat. Inscriptionem quoque vide diligenter, si haec satis idonea tibi videtur: *C. Pompejus Trimalchio Maecenatianus huic* rel. „. Horologia in sepulcris si alibi memorantur, me hactenus fugit, crebro autem scalpta cernuntur in sarcophagis, ad humanae vitae spatium designandum: eademque ratione in monumentis posita videntur. De locis autem culturae destinatis in ipso sepulcrorum septo, praeter inscriptiones, ubi frequenter hortorum mentio fit, (V. not. praeced. et supra pag. 341. not. 35.) Papinianum habemus ICtum digest. l. 18. tit. 1. n. 73. „ Intra maceriam sepulcrorum hortis vel caeteris culturis loca pura servata,

Cicero perstringit libro secundo de legibus capite vicesimo sexto, docens Athenis repetita lege cohibitam fuisse: „ De sepulcris nihil est apud Solonem amplius, „ quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat: poena est si quis bustum aut „ monumentum aut columnam violarit. Sed post aliquanto propter has amplitudi- „ nes sepulcrorum quas in Ceramico videmus [35], lege sanctum est, ne quis se- „ pulcrum faceret operosius quam quod decem homines effecerint triduo: neque id „ opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi. Sed „ ait Demetrius Phalereus increbuisse eam funerum sepulcrorumque magnificen- „ tiam, quae nunc fere Romae est, quam consuetudinem lege minuit ipse. Su- „ per terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altio- „ rem, aut mensam, aut labellum „.

§. XXII.

Sic praemissis quae in reliquarum gentium consuetudinibus maxime notabilia visa sunt, dicendum est de sepulcrorum monumentis apud Aegyptios. Hos autem vel stelis super sepulcra positis, vel terrenis tumulis ad spectabilem molem aggestis usos non reperio, quandoquidem nec regionis natura ut facerent permisisse videtur. Nam dum corporum conservationi studerent, conditoria ab agris Nilo adjacentibus et annua aestuatione obrutis opus fuit removere, ad rupes cavernosas et ad altos campos in montium radicibus; ubi a turbinibus agitata arena non patitur in duraturos aggeres conformari, nec manuales lapides in promptu sunt tumulis altius attollendis a natura parati. Sed neque cippos ponere in illis campis e re erat, arenae vorticibus mox occultandos; nec antra in rupium lateribus parata et advoluto saxo occlusa cippis denotari indigebant. Quare cum lapidum pro signo erectorum in sepulcris apud Aegyptios nulla utilitas fuisse appareat, nec sepulcrales stelae in hujus gentis annalibus memorentur, nequaquam probabilem existimo eorum sententiam, qui obeliscos accensent sepulcrorum monumentis [1]. Nam si olim coepissent Aegyptii in tumulis statuere modicos lapides,

---

„ si nihil venditor nominatim excepit, ad „ emptorem pertinent „. Hortos autem cum Priapi tutelae commendare moris esset, inde explicandam reor inscriptionem musei Veronensis pag. 87. n. 4. *Dis Manibus C. H. C. locus adsignatus monimento in quo est aedicla Priapi. in fr. p. LXX. in ag. p. LXX.*

[35] De Ceramico extra urbem hic sermonem haberi, dubio caret, cum perrara apud Athenienses essent sepulcra intra urbem, nec ipse Cicero obtinere potuerit ut Marcellus in urbe sepeliretur: (Famil. lib. 4. epist. 12.) obstante lege Solonis, quam adducit lib. 2. de leg. c. 23. Recte igitur Suidas v. κεραμεικος, duos fuisse ait, unum in urbe, alterum extra, quamquam de hoc altum sit silentium apud Pausaniam, neque alium habeamus veterem scriptorem qui situm ejus indicet. Conf. Spon *voyage* tom. 2. p. 193. Ubi vero Suidas ait in eo sepeliri solitos qui pro patria occubuissent, suspicionem movet, viam quae Academiam ferebat hoc nomine fuisse insignitam. Sed Pausanias, qui multus est in hujus viae monumentis enarrandis, nullum hic adnotat magnificum sepulcrum, splendidissima autem quae erant apud Athenienses, invenit ad sacram viam, quae Eleusin ducebat. In his maxima atque ornatissima erant, Rhodii cujusdam viri qui Athenis inquilinus vixerat, & Pythionices meretricis, quam Harpalus Macedo, postquam ab Alexandro profugus Athenas venisset, uxorem duxit, et tam deperdite amavit, ut mortuae monumenum fecerit, inter omnia quae Pausania scribente residua erant ex veteri Graecia, maxime spectabile: *παντων ὁποσα ἑλληνιν εστιν αρχαια, θεας μαλιστα αξιον.* lib. 1. cap. 37. pag. 89.

[1] Contra hos jam supra disputavimus sect. 3. cap. 6, §. 3. pag. 168. sqq.

ut apud varias gentes usu receptum adnotavimus, tunc quidem credibile putarem excrevisse aliquando sepulcrorum stelas ad eam quae obeliscorum magnitudo est: quoniam vero cippis omnino abstinuisse videntur in sepulcris, ut in his obeliscos positos credamus, nihil est quod suadeat.

Diodorus quidem bibliothecae libro primo capite vicesimo septimo, quem locum supra dedimus [2], stelas commemorat in sepulcris Isidis et Osiridis, sed extra Aegypti terminos in Nysa Arabiae positas, neque Aegyptios auctores secutus, sed Graecos qui Aegyptios mythos suo ingenio indulgentes adornare solebant. Nam Aegyptii Osiridem suum in ipsa Aegypto sepultum tradebant, Isidis autem nullum agnoscebant sepulcrum. Graeci vero, quibus solemnis erat stelarum usus in tumulis, stelas quas in Nysa Osiridi et Isidi dicatas exstare acceperant ab Aegyptiis, deorum sepulcra denotare fabulabantur. Quare ex iis quae hoc loco refert Diodorus, nil argui posse existimo circa ritus sepulcrales Aegyptiorum. De iis autem stelis hieroglyphice inscriptis, altis pedes quinque usque ad septem, latis duos, quas in Arabia Niebuhrius reperit, magno numero positas in monte ascensu difficili, nonaginta circiter millibus passuum a Suez dissito, ubi Aegyptiae cujusdam coloniae coemeterium fuisse arbitratur, alio loco dicendum erit: hic monuisse sufficit diligentissimum illum peregrinatorem nullum certum argumentum attulisse, quo eos lapides accipiamus pro cippis sepulcralibus [3]. Quod vero adtinet ad sarcophagos lapideos, quos Pocockius a se conspectos narrat circa Copton oppidum sub divo tanquam pro monumentis positos, jam supra adverti nil certi statui posse de aetate ac loco eorum [4].

In universum sarcophagi, domi servari aut intra sepulcra poni soliti, quamquam conditoriis rectius accenseantur quam monumentis, tamen singulis familiis domesticorum monumentorum loco steterunt, quod de ipsis quoque cadaveribus asserit Diodorus. Incertum quidem est quid repraesentet vultus in arcarum superficie scalpi consuetus, qua super re nimis festinanter pronuntiatum invenio hactenus. Aliis enim ex rei natura visum est, exhiberi in quavis arca imaginem individui hominis in ea sepulti: neque amplius quaesiverunt. Alii qui vultus lineamenta in variis arcis magnam inter se cognationem prae se ferre observaverunt, non de alio cogitasse putant Aegyptios quam generatim exprimere humani vultus speciem. Advertendum autem erat, minora illa lineamentorum discrimina, ex quibus cujusvis hominis vultus agnoscitur, non facile incurrere in oculos, ubi totius faciei habitus diversus sit ab eo quem quotidie intueri solemus: quo fit ut alienae gentis picturae, quamquam individuos homines referant, primo obtutu nobis appareant inter se esse similes. Ideoque opus est magnum Aegyptiarum arcarum numerum inter se conferre, et diligenter exquirere, utrum vultuum diversitates consilio sint delineatae ad singulos homines dignoscendos, an ab artis modo et scalptorum ingenio pendeant: quod a nemine factum comperio. Quantum vero hactenus arguere potui sive ex ipsis monumentis a me inspectis sive ex ectypis, haec mihi probabilior videtur sententia, Aegyptios scalptores cujusvis hominis vultum imitatos esse in sarcophagis, non quidem accurata diligentia, ut

---

[2] Pag. 39.

[3] Niebuhr *reisebeschreibung nach Arabien* t. 1. p. 235. tab. 44. 45. 46. Ejusdem *description de l' Arabie* pag. 347.

[4] Vide supra pag. 328. not. 35.

minutissimas quasque partes exprimerent, sulcosque et rugas provectae aetatis indicia, sed principalium tantum lineamentorum ratione habita, ut pictores faciunt, quando viventium icones ad idealem prototypon accommodare dicuntur. Figurae autem atque notae hieroglyphicae, quas in sarcophagis conspicimus, quantum nunc hac de re judicium ferri potest, non singulorum hominum res gestas narrare, sed e gentis religione depromptae esse videntur.

Inter privata monumenta praecipuum locum occupat, et quantum sciam unici exempli est, ara e granite nigro canescente, quae exstat Velitris in museo Borgiano, viginti duo mumiarum figuris insignis; figura quadrilatera oblonga, altera ex faciebus amplioribus, quam anticam appellare possis, ad obliquam lineam inclinata, reliquis lateribus recte sectis ad libellam. Alta est palmos duos cum sextante, longa palmos tres et uncias septem cum semisse, lata ad basin palmum cum besse et semuncia, in summo vertice uncias undecim, sed dempta figurarum in antica scalptarum prominentia, uncias septem cum dimidia. Nam in facie oblique inclinata, quam anticam appellavi, scalptae sunt mumiarum effigies novem, elato opere prostantes, vultu obverso, imberbes, cum calantica caput obtegente, ac reliquo corpore consueto involucro in unum truncum collecto. In aversa facie novem pariter mumiae caelatae sunt, in brevioribus faciebus binae: sed anaglypho minus elato, atque a latere conspiciendae, de reliquo praefatis similes. In hisce mumiis, quae anticam occupant altae sunt uncias viginti et unam, reliquae uncias viginti. Habent autem priores singulae in pectore hieroglyphicas notas ordine horizontali exaratas et ovato schemati inclusas, quas nomen cujusque exprimere diceres, nisi in quinque ex illis mumiis eadem inscriptio repetita deprehenderetur, in reliquis quatuor altera itidem repetita. Infra pectus usque ad pedes porrigitur eorundem characterum columna, diverso in unaquaque notarum contextu. Reliquae mumiae ovato illo schemate destituuntur, singulae uno notarum ordine verticali insignitae. Infra mumias margo sive abacus relinquitur planus, quinque unciarum altitudine, quem in antica inque faciebus huic contiguis occupat notarum series continua, ordine horizontali: in postica laevis est. Adest praeterea in unoquoque e brevioribus lateribus notarum columna in area ante mumias perscripta: atque summam lapidis superficiem implent versus horizontales duo. Hanc aram ab homine Aegyptio in cognatorum sive amicorum memoriam diis inferis dicatam puto, in crypta vel in sacello ante Isidis Osiridisve simulacrum ita collocandam, ut quae imagines in antica facie scalptae sunt, simulacro essent obversae, oculis ad numen velut adorando elevatis; reliquae etiam eodem tendere viderentur. Quae enim sunt in brevioribus lateribus, conversae sunt ad angulos anticae; ex iis autem quae posticam faciem obtinent, quinque ad dexterum angulum spectant, quatuor ab his aversae ad sinistrum: quo fit ut nulla ex iis alteram respiciat, sed cunctae oculos dirigant ad rem extra lapidem constitutam. Caeterum vultus in omnibus juvenilis est, neque alter ab altero admodum diversus, quare definire non audeo, utrum singulos ad vivum repraesentare voluerit artifex, an figurarum solummodo numero totidem defunctos amicorum memoriae deorumque benevolentiae commendare. Hieroglyphici characteres in abaco atque vertice lapidis, etiam in undecim mumiis quae partem occupant dexteriorem, sinistrorsum spectant, qui vero sunt in reliquis mumiis undecim dextrorsum.

§. XXIII.

Quae autem hactenus innotuerunt publica monumenta, Aegyptiorum sepulcra denotare consueta, aut rupium facies sunt scalpro complanatae, aut aediculae seu templa, aut pyramides, minores aliae, aliae majores, de quibus singulatim disserere nunc aggredimur.

Aegyptiorum sepulturam plerumque fuisse in montium lateribus aut in cryptis arena occultatis, jam e praecedentibus patet; dum et reliqua regio Nili aestuationibus obnoxia corporibus servandis parum apta esset, et illa quae in Aegypto est frugiferae humi inopia, Aegyptiorum sapientibus suasisse videatur, ut eandem quam Plato legem sancirent, ne in terra arbori plantandae vel semini jaciendi idonea mortuum corpus inferretur [1]: *θηκας δε ειναι των χωριων όποσα μεν εργασιμα μηδαμου, μητε τι μεγα μητε τι σμικρον μνημα· ά δε ή χωρα προς τουτ' αυτο μονον φυσιν εχει, τα των τετελευτηκοτων σωματα μαλιστα αλυπητως τοις ζωσι δεχομενη κρυπτειν, ταυτα εκπληρουν. τοις δε ανθρωποις όσα τροφην μητηρ ουσα ή γη προς ταυτα πεφυκε βουλεσθαι φερειν, μητε ζων μητε τις αποθανων στερειτω τον ζωνθ' ήμων*. Ex sepulcrorum autem loco atque situ aestimanda etiam est sepulcralium monumentorum, quibus ea gens usa est, natura atque indoles, quod jam supra monuimus de cippis disputantes. Scilicet ubi in montibus sepeliebant, cavernae ostio rite occluso atque munito, rupis faciem, sive qua parte adibatur sepulcrum, sive qua maxima esset transeuntium frequentia, muri instar complanabant, columnisque et scalptis figuris ornabant, adjecta epigraphe hieroglyphicis notis concepta, qua tum defuncti hominis res gestas exprimerent, tum fausta ei precarentur, animamque inferis diis commendarent: utrumque enim in sepulcris fieri consuevisse intelligitur e Diodori narratione de monumento Osymandyae [2], quemadmodum et in exsequiis utrumque facere solebant [3].

Rupium latera hoc modo adornata in Aegypto hinc et inde notaverunt peregrinatores, nonnulla etiam delineata exhibuerunt, maxime in monte Esselsele versus Ombos et Syenen, in cujus vicinia olim fuere Apollonopolis major atque Phthontis, ubi magnam sepulcralium antrorum copiam inveniri retulit Sicardus [4]. Duas in hoc loco rupium facies aeneis formis expressit Pocockius, alteram, in qua sunt quinque cavernarum ostia aequis spatiis distantia, nullo quidem ornatu conspicuam, sed plane sectam ad libellam et angusta coronide undique circumdatam [5]; alteram quatuor cellulis, forte ad simulacra collocanda distinctam, quarum antae hieroglyphicas inscriptiones praeferunt, singulae autem decorantur coronide, cujusmodi esse solent templorum coronides, et binis columnis utrinque

---

[1] Leg. lib. 12. opp. tom. 2. pag. 958. „ Sepulcra vero sint, nullibi in locis culturae aptis, „ nec magna nec parva monumenta. Ubi vero „ solum a natura ad hoc tantum paratum est, ut „ mortuorum corpora minimo superstitum incommodo occultet, ea loca implentor. Quae „ autem tellus mater dotavit ut cibum ferant hominibus, iis nemo aut vivus aut mortuus vivum aliquem e nobis privato „.

[2] Diod. lib. 1. cap. 48. 49.

[3] Id. lib. 1. cap. 92. Vide supra pag. 290.

[4] In *Nouveaux memoires des missions de la comp. de Jesus au Levant*, tom. 7. pag. 168.

[5] *Descript. of the East*, vol. 1. tab. 25.

rupi adhaerentibus [6]. Nordenius autem in eodem monte complurium rupium frontes delineavit, quarum nonnullae similes apparent iis quas jam descripsimus; in aliis ingens est hieroglyphicorum multitudo, modo exaratorum in quadratis spatiis in saxi superficie, modo in loculis profundius incisis, modo in cellarum parietibus atque columnis: in nonnullis grandiores figurae scalptae sunt ac statuae rupi affixae [7]. Occurrit in his scalptura valde memorabilis, quae exprimitur in Nordenii tabula CXXV, illi fere respondens quam Diodorus in Osymandyae sepulcro in eo conclavi exstitisse narrat, ubi positae fuerunt regis reliquiae. Nempe calcareae rupis facies ad quadratae cellae modum parum profunde exsecta, parietem offert longum pedes fere octodecim, altum pedes sex, in cujus dextera parte exscalptae prostant quatuor statuae, ad humanae staturae modulum, in uno subsellio sedentes, dorso adhaerente parieti, facie autem oblique conversa sinistrorum: quas deorum simulacra esse vix dubito, sacrificio quod in sinistra muri parte exhibetur placandorum. Harum quae medium locum tenent viriles sunt, capite gestantes velamen pone humeros defluens, collo ut videtur torquem, infra umbilicum vestem ad pedes promissam et hieroglyphicorum linea verticali insignem. Manus pectori decussatim applicatas lituum et flagrum tenere suspicor, licet haec attributa non expressa sint in icone. Mulieres autem quae utrinque adsident, caput de more calantica tectae, veste pariter hieroglyphicorum linea decora, alternis manibus virorum humeros amplectuntur, alternas demittunt in gremium. A sinistris proximo loco sunt characteres hieroglyphici, quinque columnis exarati, quos excipit ara sive mensa pede graciliore subrecta, et omnifariis donis in altum cumulum congestis onusta, juxta adstitutis taedis duabus cum serpente singulis obvoluto. Sequuntur summo loco hieroglyphicarum notarum columnae pariter quinque, infra quas vir scalptus est, capite velatus more Aegyptio, et supparo indutus ab umbilico usque ad pedes, qui ad aram accedens dextra porrecta indicare videtur se dona illa diis sacrata offerre, hieroglyphicis juxta exaratis, quibus dedicationis verba contineri dixeris. Comitantur eum viri duodecim statura minores, in tres ordines distributi, quorum primus eodem quo ille habitu preces recitare videtur, alii succincti victimas ducunt, bovem, hircum sive orygem, anserem, gallum numidicum, alii fruges portant floresque, lancem onustam, et ferculum hemisphaericum duorum hominum humeris suffultum. Denique infimo loco serie continuata a deorum pedibus usque ad angulum cellae, duodecim viri stant succincti, manibus pectori admotis, omnesque ad aram conversi, scilicet octo dextrorsum, quatuor autem sinistrorsum, qui adorantium turbam repraesentare videntur; notis hieroglyphicis, quae singulis adjectae sunt, precationum formulas continentibus. Exhibuit praeterea idem Nordenius prospectum montis Elkofferi prope Siut sive Lycopolin, ubi spectantur cryptae amplissimae et omnium ornamentorum genere decorae, ante quas ingentia spatia muri instar complanata sunt, januisque ac fenestris instructa [8]. Sicardus etiam in epistola Cairi data [9] delineatam sistit faciem rupis in monte Tuna in limite Thebaidos atque Heptanomidos, in

---

[6] Ibid. tab.47. lib.2. cap.4. pag.114.

[7] *Travels in Egypt and Nubia*, vol. 2. tab. 123. 124. 125. pag.63. 64.

[8] Ibid. tab.84. pag.23. Cf. supra pag.281.

[9] *Lettre au Comte de Toulouse* in *Nouveaux memoires des miss.* tom.2. pag. 268. tab. 5. Habes etiam apud Montfaucon *antiqu. expl.* suppl. tom.2. post tab.51. p.173., qui memoria lapsus e P. Bernati relatione desumptum ait.

arcuatae cellae modum excisam ad quinque pedum profunditatem, latam pedes quinquaginta, altam totidem, cujus medio loco Solis effigies exscalpta est eadem fere ratione ac nos nunc fingere solemus, humano vultu radios undequaque emittente, qui jam longius jam brevius diffusi fulgidum nimbum ferme viginti pedum diametro efficiunt circumcirca. Inferius cernitur ara humilis sed satis ampla, cum triplici denûm lignorum strue, quarum singulis victima incumbit aries, septem amphoris ante aram appositis. A sinistris adstant sacerdotes duo pileati, humana magnitudine, tunica induti et cincti, qui manibus super aram elatis numen adorant: qui autem pone eos accedunt viri duo eodem habitu, statura minores, singuli gestant scyphos binos ad libationes faciendas. A dexteris quatuor figurae stant ab ara aversae, temporis injuria capite manibusque mulctatae, caeterum statuarum instar elaboratae et dorso tantum pedibusque saxo adhaerentes. Pone viros illos minores sive camillos quadratum spatium est hieroglyphicis characteribus refertum, atque in reliqua area hinc et inde occurrunt inscriptiones hieroglyphicae. Sed totum opus aevum prae se fert multo recentius quam illud quod modo descripsi e Nordenio: quamquam non ausim asserere cum Montfauconio [10], Persicum ritum hic expressum esse. Nam et ipsi veteres Aegyptii Solis numen impense venerati sunt; figurarum autem habitus, ut in delineatione non satis accurata, neque Persicus tuto potest affirmari neque Aegyptius. Conspici quoque in opposito Nili latere solemne sacrificium exscalptum in monte Tehene prope Antinoopolin, auctor est idem Sicardus [11]. Inque eodem latere in finibus Savadi e regione nomi Heracleopolitae, ubi fuere latomiae Arabicae atque nunc spectatur ingens cryptarum numerus, quarum nonnullae sepulcris inservisse agnoscuntur, grandes figuras pictas vidit in externa rupis facie, velut custodes aut averruncos genios, utrinque ab ostio antri pulcris picturis decori. Nempe ad dexteram januae vir pictus est crocodilo insistens et utraque manu sceptrum tenens, quem comitatur mulier thyrsigera: ad sinistram autem alter vir stans super crocodilo, dextera gestat gladium, sinistra facem ardentem [12]. Occurrunt praeterea in Thebaide, inprimis circa Syenen et Philas [13], multis in locis in granitici saxi rupibus hominum effigies insculptae et inscriptiones hieroglyphicae, quae ad sepulcra spectare non videntur, sed eventuum memoriae aut deorum honori esse dicatae. In his repetitum cernitur sedentis viri simulacrum, cui alter flexis genubus dona porrigit, ut saepe videmus in obeliscis aliisque Aegyptiae artis reliquiis, numini in religione consecratis.

Antiquissimi autem instituti hoc esse arbitror monumentorum genus apud Aegyptios [14], post primaevam ruditatem quam imaginari nobis possumus, atque

---

[10] Loc. cit. pag. 174.

[11] In *Nouv. memoires des miss.* tom. 5. p. 215.

[12] Ibidem tom. 2. pag. 220. Ipsum antrum quadratum est, longum pedes 24 vel usque 30, latitudine minori: inque pariete qui contra ostium spectat loculus est sive cella, lata ped. 4, alta 7. Lacunar, parietes, cella, omnia picta sunt eo colorum splendore, eaque suavitate, inquit Sicardus, ut nisi quis oculis inspexerit, credere nequeat. Cernitur hic omne florum genus, omnium artium instrumenta, omnigenae figurae cerebrosae atque symbolicae. In uno pariete aves conspicis, quaecunque Nilum frequentare solent, cassium indagine inclusas: in altero piscium multitudo retibus capitur.

[13] Norden tom. 2. pag. 71. 75. 84. tab. 130. Pococke vol. 1. lib. 2. cap. 5. pag. 119. 120. tab. 48. 50.

[14] Simili ratione, sed majori cum magnificentia, regum suorum monumenta adornaverunt veteres Persae. Nam inter Persepolitana sepulcra, de quibus dixi supra §. 17. pag. 315.

eam simplicitatem cujus exemplum attuli e Pocockio, paulatim excultum et amplificatum. Postea praeter columnas et scalpturas ipsi rupi adhaerentes, adjicere pla-

---

not.3. ea, quae sunt in monte Rahmed apud Cilminar, singula frontem habent e rupe complanatam, paucorum pedum profunditate intus recedentem, et figurarum copia humanam staturam aequantium condecoratam, stupendae altitudinis, ut Chardin quidem ait pedum 130, ut Lebrun 70, ex iconum vero indicio 9 staturas sive pedes 54 non excedentis. Est autem unaquaeque ex iis frontibus in duas quasi compages divisa, quarum inferior lata pedes 70, repraesentat planum aedificium cum janua et epistylio, in quo sunt leonum effigies, quatuor columnis ad trium hominum altitudinem subrecto, quarum capitulis binae adhaerent protomae bovinae: adstantibus hinc et illinc tribus satellitum ordinibus. In superiori compage, patente pedes 40, suggestum conspicitur quadratum monstruosae speciei animalibus ornatum in angulis, in cujus fronte scalpti sunt duo ordines virorum quatuordenûm, qui telamonum vice funguntur. Super suggestu ara collocata est ignita, cui globus imminet: e regione autem ftat vir barba promissa, talari veste indutus, qui ad aram conversus sinistra manu arcui innititur, dextram sublevat erga simulacrum in aëre suspensum, quod superiore sui parte virum barbatum refert, inferius in avem exit, alis unguibusque et cauda explicatis, ut Aegyptii vulturem fingunt naturae symbolum. Utrinque autem in margine compagis terni sunt satellitum ordines. Hisce monumentis in omni ferme re similes sunt antrorum frontes in monte Achtopeh sive Naxirustam, nisi quod sub inferiore compage tertia addita est plana atque rasa, ejusdem latitudinis ac suprema compages, quo fit ut tota facies crucis formam induat. Artis modus in omnibus is est qui observatur in ruderibus Cilminar. Sunt autem apud Naxirustam aliae scalpturae multae in ipsa rupe, diversae indolis, figurarum habitu et ornamentis quam proxime accedentes ad numos Sassanidarum, qui post secundum vulgaris aerae saeculum Persis imperare coeperunt, litteris juxta exaratis partim ex eo genere quod Persepolitanum appellamus, partim ex eo quod occurrit in numis modo dictis. Viros hic conspicis atque mulieres, equites peditesque, pugnas, foedera, reges cum satellitio, et similia. Vide auctores citatos supra pag. 313. not. 3. Cryptae his adjectae nondum innotuerunt: forsan cenotaphia putari possunt, cum eo aevo constans fuisse videtur Persarum mos cadavera bestiis tradere. Vide supra §. 13. pag. 249. not. 8., ubi de Parsis omnino citandus erat Niebuhr *reisebeschr.* t. 2. pag.50. 151. In aliis quoque montibus Persidis multa inveniri hujus generis monumenta, veterum res geftas exprimentia docet Kaempfer amoen. exot. fasc. 2. relat. 6. pag. 361. 364. 365. Sic de Semiramide e Ctesia narrat Diodorus lib. 2. cap.13. *το βαγιστανον ορος εστι μεν ἱερον διος, εκ δε του παρα τον παραδεισον μερους, (ὁν κατεσκευατε σεμιραμις,) αποτομαδας εχει πετρας εις υψος ανατεινουσας σταδια ιζ΄. ὁυ το κατωτατον μερος καταξυσασα, την ιδιαν ενεχαραξεν εικονα, δορυφορους άυτη παραστησασα ρ΄. επεγραψε δε και συριοις γραμμασιν εις την πετραν, ὁτι σεμιραμις τοις σαγμασι τοις των ακολουθουντων υποζυγιων απο του πεδιου χωσασα τον προειρημενον κρημνον, δια τουτων εις την ακρωρειαν προσανεβη.* „ Bagistanus mons Jovi sacer est, et a latere paradisi, quem fecit Semiramis, praeruptas habet petras, quae ad 17 stadia in altum porriguntur. Hujus radicibus abrasis, suam insculpsit imaginem et 100 sibi stipatores adjunxit. Literis quoque Syris rupi inscripsit, quod Semiramis per sarcinas jumentorum ipsam sequentium, ex campo ad ardua montis congestas, in jugum usque evasisset „. Occurrunt et hodie in Arabia ad montem Sinai, inque Siberia et in Scandinavia rupes figuris litterisque insignitae. Pococke vol. 1. lib. 3.cap.3. pag. 148. tab. 54. 55. Niebuhr *reisebeschr.* to.1. pag. 250. tab. 49. 50. Court de Gebelin *monde primitif* tom. 3. tab. 19. Strahlenberg *descr. de l'emp. Russien* tom. 1. pag.310. tom.2. pag.201. 202. Wormii monum. Dan. pag.91. Suhm *samlinger til den Danske historie* tom. 2. fasc. 3. Graecorum sepulcrorum frontes scalpturis in saxo nativo decoratas, in Syria adnotavit Pocockius vol. 2. part. 1. lib.2. cap. 8. pag.134. cap. 14. pag. 147. cap. 22. pag. 184. Quin et integrae moles quadratae cum columnis epiftyliis atque fastigio e solida rupe sectas in Palaestina offenduntur, (V. supra §. 19. pag.346. not.52) atque in minori Asia. Pococke vol. 2. part. 2. lib. 1. cap. 5. pag. 58. De Syracusanis sepulcris vide supra §. 17. p.315. not.7. Insigne monumentum in rupis latere spectatur in monte Albano prope lacum, ubi vetus Alba fuisse putatur, loco nunc dicto Palazzolo: spatium quadratum planum, conspicuae magnitudinis duplo longius quam altum, in quo exscalpta prostant ornamenta consularia. Supra id gradus sunt exsecti, quibus olim forsan superstructa fuit aedicula, in ipsa autem rupe parva crypta est, in qua inventae fuere duae arcae sepulcrales. Piranesi *antichità d'Albano* pag.7. 3. tab. Riccy *memorie stor. d'Albano*

cuit atria porticusque e lapidibus structas ante cavernae ingressum, ut factum cernitur in eo aedificio, quod Nordenius delineavit prope Garbe Girge in Nubia [15]: eodemque modo decoratum fuisse antrorum aditum, in quibus Thebaeenses reges sepulti fuere, credere suadet Diodorus supra adductus, licet nunc atriorum nulla supersint certa indicia [16].

§. XXIV.

Aliud monumentorum genus, pyramides, in ea potissimum Aegypti parte occurrunt, ubi pro sepulcris fuerunt cryptae subterraneae, in campis sabulosis effosae, ac certis familiis hominumve ordinibus addictae. Hae enim ut denuo possent inveniri, quandoque nova funera inferri postularet occasio, necesse erat firmia aedificia super iis erigere, ne instabilis arena, quam in illa regione ventorum impetus in nubes collectam circumagere solet, locum obrueret aditumque praecluderet. Plurima adhuc conspiciuntur hujusmodi aedificiorum rudera circa Busirin et Saccaram, forma plerumque quadrata et oblonga, in quorum medio putei sunt, olim profunde acti, nunc saxis quae tegebant amotis, arena fere oppleti [1]. Ea vero ubi altius attollere studuerunt Aegyptii, fastigiumque addere, ne in ipsa strue arenae subsiderent, ultro sese obtulit figura pyramidum [2], qua

---

pag. 73. Unicum hoc quod sciam sui generis in Latio nunc superest, complura autem in silva Ciminia, ubi olim fuit Ferens Thuscorum oppidum, Vitruvio laudatum a lapicidinis lib. 2. cap. 7., aliquot abhinc annis investigavit V. C. Cajetanus Marinius, quorum notitiam ab humanissimo viro mecum communicatam, lectori jucundam fore confido. A Viterbio sex aut septem millibus passuum ad septentrionem abest silva dicta *di Malano*, ubi inter confragosas rupes multa supersunt veterum hominum sepulcra, quadratis spatiis ad arcas urnasque locandas passim exsectis in scopulorum verticibus arte complanatis, aut intra cellulas quae sunt in eorundem lateribus. Gradus etiam multis in locis excisi sunt in rupium latere, adscensum praebentes ad sepulcra. Est inter alia saxum quadratum modicae magnitudinis, cujus superior pars scalpro ita est elaborata ut aedificium imitetur generis Thuscanici e lapidibus pulvinorum instar tumentibus coagmentatum. Ab eo 100 passibus distat majoris molis saxum, quadratum pariter, sed scabrosum excepto latere meridionali, cujus inferior pars in gradus secta est totam ejusdem latitudinem obtinentes, superior exacte complanata insignitur epigraphe pulcris litteris incisa: *D. Coelius D.L. Alexander. Quintia P. L. Hilara*. In plano vertice tres loculi sunt, inque latere septentrionali scala. Sunt alia saxa, quorum frontes ad aediculae instar sectae sunt cum fastigio atque acroteriis: alia super loculo arcuato exaratum habent nomen defuncti et vitae spatium, ad hunc modum: *Heros V. A. XXV.*

[15] Vol. 2. tab. 152.

[16] Vide supra §. 14. pag. 281. 282. not. 14.

[1] Pococke vol. 1. lib. 1. cap. 5. pag. 41. Norden tom. 1. pag. 76. Vansleb. pag. 138. 142.

[2] Nolo longus esse in oppugnandis scriptorum de pyramidum origine conjecturis. Iis qui pyramides a sepulcrorum tumulis ortum traxisse putant, adversantur quae supra monui §. 22. pag. 372, quae nisi essent, sane pedibus irem in hanc sententiam: nam quae apud reliquas gentes occurrunt sepulcra forma pyramidali non aliam originem habere videntur. V. sup. §. 19. p. 338. 343. illis exceptis quae sequiori tempore in Aegyptiarum pyramidum imitationem facta agnoscuntur. Pocockius loc. cit. pag. 48. aliique complures, pyramidum in Aegypto institutum inde repetunt quod coeptum sit nativos colles lapide convestire: sed quaero, utrum in ea Aegypti parte, ubi occurrunt pyramides, in plano campo exstent colles nativi, ea magnitudine et ea formae opportunitate, ut facile in animum sibi inducerent homines lapidibus eos contegere. Quod vero ajunt nonnulli, in ima parte maximae pyramidis inveniri saxum nativum, id ut verum sit, non originem pyramidis declarat, sed operarum compendia, dum circumfodiendo relinqueretur in medio tuber, qui universae moli pro basi seu pro imo nucleo esset. Qui pyramidis figuram ad ignis aut radii similitudinem, aut ad mysticas rationes significandas excogitatam arbitrantur, nobis negotium non facessunt.

nullam nobis possumus imaginari, minori artis sumptuumque impendio stabilem atque conspicuam: quare et populos plerosque qui grandibus aedificiis operam navarunt, natura magistra pyramides struxisse comperimus, saltem inclinatis molium frontibus usos [3]. Inprimis Aegyptii, qui ligni inopia laborantes fornicibus

---

[3] De aggeribus in sepulcris apud quamplurimas gentes ad pyramidum formam accedentibus, sermo fuit supra §.19. Sed occurrunt etiam apud varios populos aedificia diis colendis destinata, quae quoniam solidae structurae sunt et frontibus exsurgunt inclinatis, pyramidibus comparari possunt. Memoratur in novissimo itinere Cookii lib. 3. cap. 1. tom. 3. pag. 387. tab. 68. in Owhyhi insula, agger lapideus seu lapide convestitus, quadratus, longitudine pedum 160, latitudine 80, frontibus obliquis ad 56 pedum altitudinem evectus, cujus plana summitas deorum caerimoniis consecrata, sepimento instructa erat, et muro qui aream in duas partes dividebat, atrium ut videtur et adytum, aede praeterea majori duabusque aediculis, ara atque statuis. Nec dissimili ratione Mexicani deorum suorum sacella collocaverunt super quadratis substructionibus sensim diminutis, quas pyramides appellare solent Americanarum rerum scriptores. Ubi enim Herreram audiamus, decad. 2. lib. 7. cap. 17. pag. 196. et in *Hist. génér. des voyages* tom. 12. pag. 541., magnum templum, quod fuit in urbe Mexicana, area erat quadrata muro sex pedes alto circumstructa, ea amplitudine ut anguli ad sclopetae ictum distarent ab invicem. In media autem area moles erat quadrata, lata singulis frontibus in imo pedes 90, in vertice 40, alta circiter 80: e pluribus structionibus obliquis graduum instar sibi superpositis coagmentata, et scala instructa in latere occidentali graduum 114, sive ut alii retulere 130. Huic insistebant arae duae altae palmos quinos, et sacella duo: supra quae erat lignea structura tribus contignationibus sublevata. Iconem habes apud Lorenzana *historia de Nueva España* fig.1. et in *Relazione della città di Temistitan Messico d' un gentiluomo del Cortez* apud Ramusium tom. 3. fol. 307. Ipsa moles terra aggesta erat et latere ad solem cocto contecta: nec aliud fuit famigeratum illud templum Cholulense, cujus ambitum quartam leucae partem collegisse refert Torquemada, altitudinem pedes 240, licet opere ad finem non perducto. Robertson *storia d' America* tom. 4. p. 58. 317. Torquemada *de la monarquia Indiana* lib. 3. cap. 19. tom. 1. pag. 281. Codex Vatic. n. 3738. iconem ejus sistit fol. 10. *terg.* Quae hodie ejus supersunt reliquiae non aliud esse quam terrenum aggerem, affirmat Gemelli *giro del Mondo* tom. 6. pag. 227. Idem pag. 198. describit duas moles *Cu* dictas a Mexicanis, a se inspectas prope vicum Teotiguacan, quas olim Solis Lunaeque simulacra colossalia sustinuisse refert, eodemque tempore Ulmechitarum regum sepulturae fuisse destinatas. Erant autem colles e terra pyramidum modo facti, figura quadrata oblonga, gradibusque instructi ab imo ad verticem. Altera, quae Soli sacrata dicebatur, longa erat palmos 975, lata 650, alta 250: altera longa 650, lata 515, alta 200. Quam proxime ad Mexicana delubra accedit templum Beli apud Babylonios, qui soli inter veteres populos Aegyptiorum opera aemulati comperiuntur. Descriptionem ejus affert Herodotus lib. 1. cap. 181: *εν δε τῳ ἑτερῳ φαρσεϊ της πολιος διος βηλου ἱρον χαλκοπυλον, και ες εμε τουτο ετι εον, δυο σταδιων παντη, εον τετραγωνον. εν μεσῳ δε του ἱρου πυργος στερεος οικοδομηται, σταδιου και το μηκος και το ευρος. και επι τουτῳ τῳ πυργῳ αλλος πυργος επιβεβηκε, και ἑτερος μαλα επι τουτῳ, μεχρις ου οκτω πυργων. αναβασις δε ες αυτους εξωθεν κυκλῳ περι παντας τους πυργους εχουσα πεποιηται. μεσουντι δε κου της αναβασιος εστι καταγωγη τε και θωκοι αμπαυστηριοι, εν τοισι κατιζοντες αμπαυονται οἱ αναβαινοντες. εν δε τῳ τελευταιῳ πυργῳ νηος επεστι μεγας· εν δε τῳ νηῳ κλινη μεγαλη κεεται ευ εστρωμενη, και οἱ τραπεζα παρακεεται χρυσεη. αγαλμα δε ουκ ενι ουδεν αυτοθι ενιδρυμενον, ουδε νυκτα ουδεις εναυλιζεται ανθρωπων, οτι μη γυνη μουνη των επιχωριων, την αν ὁ θεος ἑληται εκ πασεων, ὡς λεγουσι οἱ χαλδαιοι, εοντες ἱρεες τουτου του θεου. φασι δε οἱ αυτοι τον θεον αυτον φοιταν τε ες τον νηον και αμπαυεσθαι επι της κλινης. — εστι δε του εν βαβυλωνι ἱρου και αλλος κατω νηος, ενθα αγαλμα μεγα του διος ενι κατημενον χρυσεον· και οἱ τραπεζα μεγαλη παρακεεται χρυσεη, και το βαθρον οἱ και ὁ θρονος χρυσεος εστι. — εξω δε του νηου βωμος εστι χρυσεος· εστι δε και αλλος βωμος μεγας.* „ In altera civitatis plaga Jovis Beli „ templum est aereis portis, id quod mea etiam „ nunc aetate exsistit, duorum undecunque „ stadiorum amplitudine, quum sit quadratum. „ In templi medio turris solida, stadii longitu- „ tudine simul et latitudine, cui alia superim- „ posita turris, et huic subinde alia, ad octa- „ vam usque. Ascensus in eas forinsecus per „ orbem circa singulas turres tendens factus est: „ Ascendenti per eum in medio est diverso- „ rium, sellaeque ad quiescendum factae, in

camerisque vix nisi in antris e solido saxo exsectis usi reperiuntur, aedium vertices non alio pacto potuerunt in fastigium educere, quam lapidibus in cumulum si-

---

„ quibus ascendentes sedent ac conquiescunt. „ In postrema turri templum est magnum, in „ quo lectus est magnus splendide stratus, et „ apposita illi mensa aurea. Statua tamen ibi „ nulla est posita: neque hic noctu cubat hominum aliquis, praeter mulierem solam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, uti „ narrant Chaldaei hujus dei sacerdotes. Narrant autem ipsi illi, deum ipsum et venire in „ templum et in lecto conquiescere. Porro in „ templo aliud etiam est sacellum inferius, ubi „ magna est Jovis statua aurea sedens, eique „ mensa magna aurea apposita, simul et gradus „ et thronus aureus. Extra sacellum altare est „ aureum, atque praeter hoc aliud altare ingens „. Qua materie structum fuerit, non commemorat Herodotus, at cap. 179. 186. docet Babylonia opera fuisse e latere coctili asphalti ope connexis, idemque de Beli templo expresse tradit Arrianus lib. 7. de exped. Alex. pag. 480., narrans praeterea, destructum fuisse a Xerxe e Graecia reduce, Alexandrum autem capta Babylone de eo instaurando cogitasse, sed morte praeventum esse: *ὁ του βηλου νεως εν μεσῃ τῃ πολει ην, μεγεθει τε μεγιστος, και εκ πλινθου οπτης εν ασφαλτῳ ἡρμοσμενης. τουτον τον νεων, ὡσπερ και τα αλλα ἱερα των βαβυλωνιων, ξερξης κατεσκαψεν, ὁτε εκ της ἑλλαδος οπισω απενοστησεν· αλεξανδρος δε εν νῳ ειχεν ανοικοδομειν.* In eo vero, quod a Xerxe eversum narret, recedit a fide Herodoti, qui post Xerxem Babylonem invisit, neque praeter aureum colossum ab eo e templo ablatum memorat c. 183. Quare rectius scripsisse videtur Diodorus l. 2. c. 9. templum Beli, quod ipse a Semiramide conditum Chaldaeis speculae usum praestitisse ait ad astra observanda, sub Persarum imperio parvi habitum, sensim cessisse tempori. Plinius autem lib. 6. cap. 26. veterem auctorem describens, quae de sua aetate vere dixisse credi potest Herodotus, perperam transfert ad Flaviorum saeculum: „ Durat ibi „ adhuc Jovis Beli templum, qui inventor fuit „ sideralis scientiae „. Curtio lib. 5. cap. 1. dicitur Beli regia: Strabo autem lib. 16. p. 1073. templum convertit in sepulcrum, eam puto ob causam quod reliquae pyramides quae sibi innotuerant sepulcra essent: *εστι δε και ὁ του βηλου ταφος αυτοθι, νυν μεν κατεσκαμμενος, ξερξης δ' αυτον κατεσκαψεν, ὡς φασι. ην δε πυραμις τετραγωνος εξ οπτης πλινθου, και αυτη σταδιαια το υψος, σταδιαια δε και ἑκαστη των πλευρων· ἡν αλεξανδρος εβουλετο ανασκευασαι. πολυ δ' ην εργον και πολλου χρονου. αυτη γαρ ἡ χους εις ανακαθαρσιν μυριοις ανδρασι δυοιν μηνων εργον ην.* „ Ibi etiam Beli se„ pultura est, nunc eversa, quod fecisse Xer„ xes fertur. Pyramis autem erat quadrata, ex „ latere coctili structa, stadii altitudine, cujus „ quodque latus stadium obtinebat. Hanc Ale„ xander instaurare voluit, sed multi res labo„ ris erat et multi temporis: nam ad expurgan„ dam duntaxat terram 10000 hominum duo„ rum mensium opus erat „. Videtur etiam de hujus generis pyramide, scilicet diis consecrata et per scalas ascensum praebente, locutus esse Xenophon lib. 3. de exped. Cyri cap. 4. §. 5., ubi narrat prope Larissam Mediae ad Tigrim fluvium stetisse pyramidem lapideam, latam ped. 100, altam 200, in qua consederat magna barbarorum turba, qui adventante exercitu timore perculsi eo confugerant. Caeterum Chaldaeos qui teste Herodoto jam adducto, in templorum ambitu juxta aedem turrim exstruxere, imitati videntur Indi Coromandelenses, ita tamen ut singulis templis duas turres quadrato lapide structas, sive ut ajunt pyramides, adjungerent, ima parte pervias, quarum major aditum praeberet ad septum, minor ad ipsam aedem. Vide Legentil *voyage dans les mers de l'Inde* t. 1. pag. 243. sqq. qui et delineatam exhibet pyramidem majorem templi Vilnurensis duabus leucis dissiti ab oppido Pondichery, omnium quas ipse in India viderat maximam. Scilicet e binis quae ibi spectantur, altera aedi adjecta alta est ped. 64, scalptis figuris onusta a summo ad imum; altera, cujus altitudo efficit ped. 87., ima parte lata est ped. 50, in vertice 25, post planam basin altam ped. 18, et janua quadrata 9 pedum amplitudine instructam, assurgens gradibus 11, quorum singulis applicata est monstrificarum effigierum series. Est praeterea in cujusvis gradus fronte fenestra, quod suspicari facit intrinsecus ascendi usque ad verticem, et caerimonias ibi peragi, licet hoc memoratum non inveniam. Esse etiam in regno Bengal, inprimis in oppido Benares, parvas pyramides diis dicatas, sub quibus sunt meatus subterranei, disco e dissertatione cl. Wilford in *Asiatick researches* t. 3., qua Aegyptiorum Indorumque mores comparat, atque Indos Aegyptiorum magistros exstitisse pro viribus asserit, epitome mihi transmissa a Walkero, viro amicissimo. Pariter in Carnatico atque in regnis Arracan et Pegu templorum vice fungi turres quasdam sive pyramides jam fastigiatas jam carentes fastigio, auctores habeo cl. Burrow in *Asiatick researches* tom. 2. pag. 477. Sheldon in Hist. gen. des voy. tom. 9. pag. 68. et Sonnerat

bi impositis, qui ut sustinerentur a subjacente aedificio, opus erat hoc etiam aggeris instar densari atque stabiliri, angustis spatiis intus relictis, quae et aditum praeberent ad cryptas, et deorum simulacris vel mortuorum arcis collocandis inservirent. A parvis inde pyramidibus, quae singulis cryptis imponi consueverunt, progressi sunt sensim ad excelsas illas moles, quibus regum corpora illata legimus, quae incredibili sua amplitudine mortalium vires excedere videntur, soliditate autem quae iis propria est, atque figurae simplicitate, et coeli intemperiem vincunt et barbarorum impetus frustrantur, meritoque jam olim praecipuis mundi miraculis adscriptae fuerunt. Accessit ad magnitudinem materiae pretium, superficies cum arte laevigata, troicus lapis et thebaicus sive aethiopicus pyramidibus tegendis arcessiti, meatusque et conclavia singulari artificio concinnata et marmore ac granite amicta. Nonnullis colossi impositi fuerunt in summo vertice, neque scalpturis et notis hieroglyphicis caruisse videntur frontes, quamquam nunc superficie fere destructa harum nulla compareant vestigia. Atria autem quadrata, tanquam vestibuli loco structa ante pyramides, nonnullis in locis adhuc observantur, et viae lapidibus stratae quae eo ducebant.

Multus de iis sermo est apud veteres scriptores, multaque feruntur fabulosa et dissona: id tamen ex omnibus colligere est, constantem apud Aegyptios traditionem pro sepulcris eas agnovisse; quin et ipsum nomen inde manasse videri supra adnotavimus [3*]. Neque recentes peregrinatores, ubi singula spectes, satis inter se conveniunt, sed in universum observata eorum eo collimant, non potuisse pyramides alii usui inservire, atque in vanum adnixos esse qui eas vel ad deorum cultum vel ad mysticas significationes, vel denique ad physicas aut astronomicas utilitates traducere studuerunt. Quare missis quae hac super re in diversas sententias disputaverunt hodierni scriptores complures [4], in medium afferam prae-

---

voyage aux Indes lib. 4. cap. 2. tom. 2. pag. 46. Describit Burrow l. c. maximam hujus generis molem sibi compertam, sitam in provincia Hadjipor, quam dei Mahadeo simulacrum esse arbitratur. Ea structa est e lateribus, et aevo valde corrupta: inferiore autem sui parte usque ad altitudinem ped. 93, conum imitatur, cujus ima diameter ped. 363; superior pars forma cylindrica altitudine colligit ped. 65, diametro 64, desinens in fastigium ut videtur hemisphaericum. Haec sunt quae de hujusmodi molibus deorum cultui consecratis comperi hactenus, quamquam de ea quam ultimo loco memoravi, incerta res sit, et Tibetanorum ac Siamensium consuetudo istum honorem conferre in mortuos suspicari faciat hic quoque agi de defuncti viri monumento. Quae vero a peregrinatoribus appellantur pyramides, circa Talapoinorum templa positae in Pegu atque Siam, rectius ad obeliscorum genus videntur referendae.

3* Vide sect. 3. cap. 1. §. 5. pag. 131. Longius ab Aegyptiae linguae genio abesse videtur etymologia, quam proponit Volney *voyage en Syrie et en Egypte* tom. 1. pag. 251. *Bur-amit* caverna mortualis.

4 Praecipuas recentium scriptorum opiniones recenset et ludibundus destruit Alb. Lud. Fr. Meister, in egregia commentatione architectonica, *de pyramidum Aegyptiarum fabrica et fine*, in Nov. commentar. Societatis scientiarum Gottingensis vol. 5. class. phys. pag. 192. sqq. Auctoribus ibi adductis alios adde quos citat. cl. Beck *anleitung zur kenntniss der algem. vveltund völkergeschichte* tom. 1. pag. 168. sqq. Adde etiam Legentil, Burrow et Wilford ll. cc. nota praecedente, quorum ultimus cordato sane consilio de Aegyptiarum pyramidum usu et origine Brachmanum doctores consuluit in oppido Benares, atque ab iis rescivit, pyramides fuisse templa, quorum maximum sacratum erat deae Padmadevi, et subterranea fossa e Nilo deducta instructum, nec non puteo, quo festis diebus aquam haurirent sacerdotes, et labrum in pyramidis centro constitutum ea implerent, additis padmae sive loti floribus, deae illi speciali munere dicatis. Idem ex sacro quodam Indorum libro certior factus est, Memphiticas pyramides conditas fuisse a rege Rucmavatsa; is enim tres montes ex auro, argento atque unionibus congessisse narratur, quibus py-

cipua veterum auctorum loca, ac compendiaria narratione exponam, quae hac nostra aetate viri fide digni de pyramidibus in Aegypto retulerunt.

Plinius, quae e variis scriptoribus raptim collegerat, satis confuse tradit naturalis historiae libro tricesimo sexto, capite duodecimo: „ Dicantur obiter et „ pyramides in eadem Aegypto, regum pecuniae otiosa et stulta ostentatio. Quippe cum faciendi eas causa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus aut „ aemulis insidiantibus praeberent, aut ne plebs esset otiosa [5]. Multa circa hoc „ vanitas illorum hominum fuit, vestigiaque complurium inchoatarum exstant. „ Una est in Arsinoite nomo, duae in Memphite non procul Labyrintho, totidem ubi fuit Moeridis lacus, hoc est fossa grandis. Sed Aegyptus inter mira ac memoranda narrat harum cacumina extrema, quae eminere dicuntur. Reliquae tres, quae orbem terrarum implevere fama [6], sane conspicuae undique „ adnavigantibus, sitae sunt in parte Africae, monte saxeo sterilique, inter Memphim oppidum et quod appellari diximus Delta [7], a Nilo minus quatuor mil-

---

ramides illas significari facile vident Indicarum rerum periti. Legentil ex obscoeno amuleto quod collo appensum gestant Indorum mulierculae, quodque aliis cum Tau Aegyptio comparare placet, pyramidum significationem eruit: a cujus sententia non procul abludit Burrow, dum pyramides in Aegypto, nec non eas quas ad nostram usque aetatem latentes in Hibernia detexit nuperorum Phoenicum solertia, et turrim Babelicam, ac quaecunque in Indiis occurrunt moles sublimiores, Mahadeo dei signa renunciat. Caeterum adversus eos qui pyramides Aegyptias sepulcra esse negant, nuper disputavit Volney *voyage en Syrie et en Egypte* tom. 1. pag. 248. sqq. Neque inter peregrinatores aliquem invenio qui ab illa sententia discesserit, praeter Shawium, de quo vide Meisterum l. c.

[5] Aristoteles polit. lib. 5. c. 11. de tyrannorum artificiis disserens, et advertens multos id sibi propositum habuisse, ut populum nec otiosum esse sinerent nec divitem, exempla affert pyramides in Aegypto, Cypselidarum donaria, Olympieum a Pisitratidis conditum, et Polycratis opera in Samo: *παραδειγματα δε τουτου αἱ τε πυραμιδες αἱ περι αιγυπτον, και τα αναθηματα των κυψελιδων, και του ολυμπιου ἡ οικοδομησις υπο των πεισιστρατιδων, και των περι σαμον εργα πολυκρατεια. παντα γαρ ταυτα δυναται ταὐτον, ασχολιαν και πενιαν των αρχομενων.* Quibus fere gemina habet Theophrastus l. 2. *περι καιρων* apud Suidam v. *κυψελιδων*. Hoc autem minime adversari eorum sententiae qui pyramides pro sepulcris habent, jam adnotavit Meisterus in commentatione supra citata; liquet etiam e reliquis exemplis ab Aristotele adductis, nam quodvis ex illis operibus alium praeterea habebat finem sibi proprium. Neque philosophus hoc loco aliud dixit de pyramidibus, quam quod Herodotus, cui sepulcra putantur, jam olim dixerat, recte an prave in hac Aegyptiae historiae obscuritate vix aliquis definiet. Vide locum mox adducendum. Jam supra advertimus pag. 293. not. 4. non satis probabilia esse quae feruntur de populari in pyramidum conditores odio, neque sane, si Diodorum audiamus aliosque qui scripsere de Aegyptiorum politia, ea erat veterum regum illimitata potestas, ut populum se invito ad talia opera adigere potuissent. Sed pyramides non solum, verum etiam obelisci, et quae in Aegypto adhuc exstant aedificia atque colossi, satis demonstrant, eam fuisse illius gentis indolem, ut in quavis re ad summum atque extremum adniterentur, et ea quae extra hominum vires collocata videbantur efficere appeterent. Notatu quoque dignum est, licet non magni ponderis, quod Arabum traditiones reges qui pyramides condidere ut justos viros celebrant atque de civium felicitate augenda apprime sollicitos. Murtadi pag. 67.

[6] Confer Propert. l. 3. eleg. 2. Martial. de spectac. epigr. 1. l. 8. ep. 36. Epigramma incert. auct. apud Brunck tom. 3. pag. 219. n. 318. Tacit. ann. lib. 2. cap. 61. Spartian. in Sever. cap. 17. Hygin. fab. 223. Anonym. de incredibil. num. 2. Philonem Byzantium de VII orbis spectac. in Gronov. thes. tom. 8. pag. 2654. qui articulum de pyramidibus ita claudit: *η γαρ ανθρωποι δια των τοιουτων εργων αναβαινουσι προς θεους, η θεοι καταβαινουσι προς ανθρωπους.* „ Enim „ vel homines per hujusmodi opera ad deos „ adscendunt, vel dii descendunt ad mortales „.

[7] Minus recte lib. 5. c. 9. in geographia Aegypti recenset Plinius „ inter Memphim et Arsinoiten nomon in Libyco turres, quae pyramides vocantur „. Nam Memphis sita fuit

„ lia passuum, a Memphi septem millia quingentos, vico apposito quem vocant „ Busirin, in quo sunt assueti scandere illas [8]. Ante has est Sphinx, vel magis „ narranda, quasi silvestre numen accolentium. Amasin regem putant in ea con„ ditum [8 *], et volunt invectam videri: est autem saxo naturali elaborata et lu„ brica. Capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes colligit, lon„ gitudo pedum centum quadraginta trium est, altitudo a ventre ad summam „ apsidem in capite sexaginta duo. Pyramis amplissima ex Arabicis lapicidinis „ constat. Trecenta sexaginta sex hominum millia annis viginti eam construxis„ se produntur, tres vero factae annis septuaginta octo et mensibus quatuor. „ Qui de iis scripserint, sunt Herodotus, Euhemerus, Duris Samius, Arista„ goras, Dionysius, Artemidorus, Alexander Polyhistor, Butorides, Antisthe„ nes, Demetrius, Demoteles, Apion [9]. Inter omnes eos non constat a qui„ bus factae sint, justissimo casu oblitteratis tantae vanitatis auctoribus. Ali„ qui ex his prodiderunt, in raphanos et allium ac cepas mille sexcenta talenta „ erogata. Amplissima octo jugera obtinet soli, quatuor angulorum paribus „ intervallis per octingentos octoginta tres pedes singulorum laterum, latitudo [9 *]

---

inter Arsinoiten nomon et famigeratas illas pyramides. Danville pag. 138. sqq. Pococke vol. 1. lib. 1. c. 5. pag. 40. Bruce *travels* tom. 1. p. 53. 55. *63. 66.* Sunt quidem qui Memphin stetisse putant, ubi nunc Giza est, sed hoc si fuisset, non inter Memphin et Delta erant pyramides, verum Memphis inter pyramides et Delta.

8 Auctoris mentem non satis assecuti videntur recentiores, Danville *mem. sur l'Egypte* p. 147. Pococke vol. 1. p. 43. Meister p. 213. Nostra quidem ea est sententia pyramides scalis instructas fuisse forinsecus, cujusmodi illae sunt quae occurrunt in maximae pyramidis parte interna, angusta quaedam foramina, sive incisurae pedibus figendis paratae, per quas non sine labore et periculo ascendebatur ad verticem, sed quibus assueti Busiridis incolae duces se et adjutores praestabant advenis, ubi quis molium fastigium adire cuperet. Advertit enim Diodorus loco mox adducendo, in secunda pyramide in uno ex lateribus ascensum incisum fuisse: inque ejusdem summa parte, quae adhuc integra durat, observavit Nordenius ejusmodi foramina: vol. 1. pag. 75. Caeterae pyramides, quae apud Gizam sunt, extimis lapidibus nunc destituuntur, neque gradus in iis incisos commemorat Diodorus; sed de prima sive maxima adnotat, angustum spatium planum relictum fuisse in vertice, quod sciri non potuisset, si vertex fuisset inaccessus. Meminit ascensus in pyramidum verticem Philo Byzantius libro citato supra not. *6.*, scriptor quidem exiguae auctoritatis, nec Constantini aevo ut videtur antiquior: *και το μεν της αναβασεως μεγεθος ὁδοιποριας εχει κοπον, ἡ δ' επι της κορυφης στασις σκοτει τας οψεις των εις τα βαθη καταθεωρουντων*. Ait etiam Gravius in pyramidographia, quem alii descripsere, dixisse Proclum lib. 1. in Timaeum, quod sacerdotes Aegyptii ad astrorum cursum observandum pyramides ascendere consuevissent. Ista ego quidem frustra ibi quaesivi, neque in alio ex Procli libris me legisse memini; sed negare nolo exstare in loco qui hactenus meam fugit diligentiam. Advertere autem opus est, haec si scripsit Proclus, etiam si recte scripserit, minime obesse nostrae sententiae, pyramides sepulcra fuisse. Nam ut Beli templum astronomis inservire potuit, ita quoque sepulcrum Cheopis.

8 * Non possum hic cogitare de Amasi illo, quo regnante Cambyses Aegyptum invasit. Nam hujus sepultura fuit in oppido Sai in templo Neithidos, Herod. lib. 2. cap. *169.* Sed de eo accipio Amasi sive Amosi, cujus meminit Diodorus infra citandus nota 29. Advertit Harduinus in mss. nonnullis pro *Amasin* inveniri *Armain*. Pro *lubrica* quod mox sequitur alii legunt *rubrica*: sunt et peregrinatores qui rubri pigmenti reliquias in sphinge superesse ajunt. Vide infra. Pro *summam apsidem* ante Harduinum legebatur *summum apicem*. In quibusdam libris pro *LXII* est *LXXII*.

9 De scriptoribus hic citatis vide Heynium *antiquarische aufsätze* fascic. 2. p. 110. — 113.

9 * Ita Dalecampus et editores veteres, quos in hac voce omnino sequendos duxi. Harduinus enim, cujus recensionem expressi in reliquis, ubi scribit: *altitudo a cacumine pedes XV. S.* atque interpretatur, *XV millia pedum cum semisse*: nimis longe ab omni probabilitatis specie abest. Pedum numerum nonnulli exprimunt *XXV*, alii *XVII*.

,, a cacumine pedes quindecim cum semisse . Alterius intervalla singula per
,, quatuor angulos pares , septingentos triginta septem et semissem comprehen-
,, dunt . Tertia minor quidem praedictis , sed multo spectatior , Aethiopicis la-
,, pidibus , assurgit trecentis sexaginta duobus pedibus inter angulos . Vestigia
,, aedificationum nulla exstant . Arena late pura circum , lentis similitudine ,
,, qualis in majori parte Africae . Quaestionum summa est , quanam ratione in
,, tantam altitudinem subvecta sint caementa [10] . Alii enim nitro ac sale adagge-
,, ratis cum crescente opere , ac peracto fluminis irrigatione dilutis ; alii lateri-
,, bus e luto factis in privatas domos distributis : Nilum enim non putant rigare
,, potuisse , multo humiliorem . In pyramide maxima est intus puteus octoginta
,, sex cubitorum , flumen illo admissum arbitrantur . Mensuram altitudinis ea-
,, rum omniumque similium deprehendere invenit Thales Milesius , umbram me-
,, tiendo qua hora par esse corpori solet [11] . Haec sunt pyramidum miracula : su-
,, premumque illud , ne quis regum opus miretur , minimam et his , sed lauda-
,, tissimam , a Rhodope meretricula factam . Aesopi fabularum philosophi con-
,, serva quondam et contubernalis fuit , majore miraculo tantas opes meretricio
,, esse conquisitas quaestu ,, .

Strabo auctor inprimis diligens , quae in Aegypto ipse resciverat , succincte exponit geographiae libro decimoseptimo , de Memphi scribens : *τετταρακοντα δ᾽ απο της πολεως σταδιους προελθοντι ορεινη τις οφρυς εστιν , εφ᾽ ᾗ πολλαι μεν πυραμιδες εισι , ταφοι των βασιλεων · τρεις δε αξιολογοι · τας δε δυο τουτων και εν τοις ἑπτα θεαμασιν καταριθμουνται . εισι γαρ σταδιαιαι το υψος , τετραγωνοι τῳ σχηματι , της πλευρας ἑκαστης μικρῳ μειζον το υψος εχουσαι . μικρῳ δε και ἡ ἑτερα της ἑτερας εστι μειζων . εχει δ᾽ εν υψει , μεσως πως των πλευρων , λιθον εξαιρεσιμον · αρθεντος δε συριγξ εστι σκολια μεχρι της θηκης . αὑται μεν ουν εγγυς αλληλων εισι τῳ αυτῳ επιπεδῳ · αποτερω δ᾽ εστιν εν υψει μειζονι της ορεινης ἡ τριτη πολυ ελαττων ταιν δυοιν , πολυ δε μειζονος δαπανης κατεσκευασμενη . απο γαρ θεμελιων μεχρι μεσου σχεδοντι μελανος λιθου εστιν , εξ ὁυ και τας θυιας κατασκευαζουσι , κομιζοντες πορρωθεν απο των της αιθιοπιας ὁρων · ὁς τῳ σκληρος ειναι και δυσκατεργαστος πολυτελη την πραγματειαν παρεσχε . λεγεται δε της ἑταιρας ταφος γεγονως υπο των εραστων , ἡν σαπφω μεν ἡ των μελων ποιητρια καλει δοριχαν , ερωμενην του αδελφου αυτης χαραξου γεγονυιαν , οινον καταγοντος εις ναυκρατιν λεσβιον κατ᾽ εμποριαν · αλλοι δε ονομαζουσι ροδοπην* [12] . — *ἑν δε τι των ὁραθεντων υφ᾽ ἡμων εν ταις πυραμισι παραδοξων ουκ αξιον*

---

[10] Varias rationes quibus ad pyramides erigendas usi putari possint Aegyptii , docte exsequitur Meisterus in commentatione supra citata , Nov. comm. soc. Gotting. vol. 5. pag. 211. sqq.

[11] Confer Laërtium lib. 1. segm. 27. Plutarchum in VII sapient. conviv. tom. 2. pag. 147. Cf. Pauw *rech. sur les Eg.* tom. 2. pag. 60. Aliis hoc memorabile visum est , quod certa diei hora , pyramidum umbra in ipsa mole absumeretur . Lucian. in Toxari §. 27. tom. 2. pag. 536. Hygin. fab. 223. Solin. polyhist. cap. 35 , Auson. idyl. 3. Cassiodor. variar. lib. 7. epist. 7. De echo in pyramidibus quater vel quinquies repetita vide Plutarchum de placit. philos. lib. 4. cap. 20. tom. 2. pag. 903. et confer Paulum Lucam *voy. en 1699.* tom. 1. pag. 66.

[12] Pag. 1161. ,, Quadraginta stadiis ab urbe
,, est montanum quoddam supercilium , in quo
,, stant multae pyramides , regum sepulturae .
,, Earum tres memorabiles sunt : duae inter
,, septem orbis spectacula adnumerantur . Sin-
,, gulae altitudine stadii , figura quadrata , alti-
,, tudinem habentes paulo majorem quolibet la-
,, tere . Una ex iis alteram mole paululum ex-
,, cedit ; et in alto , medio fere latere lapidem

παραλιπειν . εκ γαρ της λατυπης σωροι τινες προ των πυραμιδων κεινται · εν τουτοις δε ἑυρισκεται ψηγματα και τυπῳ και μεγεθει φακοειδη · ενιοις δε ὡς αν πτισμα ὁιον ἡμιλεπιστων υποτρεχει . φασι δε απολιθωθηναι λειψανα της των εργαζομενων τροφης [13] . — *περι το μεταλλον των λιθων , εξ ὡν ἁι πυραμιδες γεγονασι , περαν εν τῃ αραβιᾳ τρωικον τι καλειται πετρωδες ἱκανως ορος , και σπηλαια υπ᾽ αυτῳ , και κωμη πλησιον και τουτοις και τῳ ποταμῳ , τροια καλουμενη* [14] . Idem de Labyrintho : *επι τελει δε της οικοδομιας ταυτης πλεον η σταδιον επεχουσης , ὁ ταφος εστι , πυραμις τετραγωνος , ἑκαστην τετραπλεθρον πως εχουσα την πλευραν , και το υψος ισον · ιμανδης δ᾽ ονομα ὁ ταφεις* [15] .

Inter omnes autem qui pyramidum historiam tradiderunt , maxima auctoritas tribuenda videtur Herodoto , antiquissimo scriptori , quem et reliqui magnam partem descripserunt , quamquam hac in re multa ab interpretibus sibi obtrudi passus appareat . Is historiarum libro secundo Aegyptiorum regum res gestas exponens , ait : *μεχρι μεν νυν ραμψινιτου βασιληος ειναι εν αιγυπτῳ πασαν ευνομιην ελεγον , και ευθηνεειν αιγυπτον μεγαλως · μετα δε τουτον , βασιλευσαντα σφεων χεοπα ες πασαν κακοτητα ελασαι . κατακλησαντα γαρ μιν παντα τα ἱρα , πρωτα μεν σφεας θυσιεων απερξαι · μετα δε , εργαζεσθαι ἑωυτῳ κελευειν παντας αιγυπτιους . τοισι μεν δη αποδεδεχθαι , εκ των λιθοτομιεων των εν τῳ αραβιῳ ουρεϊ , εκ τουτεων ἑλκειν λιθους μεχρι του νειλου · διαπεραιωθεντας δε τον ποταμον πλοιοισι τους λιθους , ἑτεροισι εταξε εκδεκεσθαι , και προς το λιβυκον καλευμενον ορος , προς τουτο ἑλκειν . εργαζοντο δε κατα δεκα μυριαδας αν-*

„ habet exemptilem : eoque sublato obliqua fistula est usque ad loculum . Atque eae inter „ se proximae in eodem sunt plano . Ulterius „ in majore montis altitudine eſt tertia , multo „ primis duabus minor, majore tamen impensa „ structa . Nam ab ipsis fundamentis usque fere ad medium constat ex nigro lapide , ex quo „ mortaria faciunt , ab extremis Aethiopiae „ montibus delato : qui cum et durus sit et operatu difficilis , reddidit opus sumtuosum . „ Haec dicitur meretricis sepultura , ab amantibus facta . Hanc mulierem Sappho poetria „ Doricham vocat , et fratris sui Charaxi amicam , cum is Lesbium vinum negotiator Naucratim portaret : alii eam Rhodopen nominant „ . Pergit inde fabellam narrare de Rhodope meretrice et de rege aliquo Memphitico , quae ad rem nostram non pertinet . Supra , ubi ait majorem esse altitudinem quam latitudinem , pro *μειζον* legendum esse *μειον* , probabili conjectura affirmat Pocockius pag.43. Ubi vero de ostio loquitur in media mole , non de altitudine accipiendum reor , ut ab omnibus factum invenio , sed de latitudine , interpunctione addita post *υψει* , atque elliptica ratione dicto *των πλευρων* pro *ἑνος των πλευρων* . De situ pyramidum advertit ipse pag. 1160. manifeste conspici eas in monte cui imposita erat Babylon Aegyptia ad Nili latus orientale , ut parum distantes in opposito latere fluvii : *αφορωνται ενθαδε τηλαυγως ἁι πυραμιδες εν τῃ περαιᾳ εν μεμφει , και εισι πλησιον .*

[13] Pag. 1162. „ Sed unum de miris rebus a „ nobis in pyramidibus visum , haud quaquam „ praetereundum est . Acervi quidam lapidum „ frustulis dolando detritis ante pyramides jacent . In his lapilli et forma et magnitudine „ lentis inveniuntur ; quidam ut hordei grana , „ quae semidecortita eminent . Narrant reliquias ciborum , qui operariis dati fuerant , in „ lapidem induruisse „ . Subjungit in aliis quoque locis extra Aegyptum inveniri lapillos lentiformes .

[14] Pag. 1162, „ Circa loca , ubi lapides effodiuntur , ex queis pyramides factae sunt , „ mons quidam est nomine Troicus satis petrosus , et speluncae sub eo , et pagus his ac „ flumini proximus nomine Troja „ . Hanc ait esse coloniam Trojanorum qui cum Menelao in Aegyptum venere .

[15] Pag. 1165. „ In fine hujus aedificii , quod „ plus stadio occupat , est sepultura quaedam , „ pyramis quadrangula , cujus quodlibet latus „ pedum fere est 400 , et altitudo par . Sepulti „ nomen est Imandes „ . Epitomas Strabonis pro *Imande* constanter habere *Mainden* , advertit Xylander in adnotationibus . Cf. Hudson. geogr. minor. tom. 2. pag. 220.

θρωπων αιει την τριμηνον ἑκαστην. χρονον δε εγγενεσθαι τριβομενῳ τῳ λαῳ, δεκα μεν ετεα της ὁδου κατα την ἑιλκον τους λιθους, την εδειμαν, εργον εον ου πολλῳ τεῳ ελασσον της πυραμιδος, ὡς εμοι δοκεειν. της μεν γαρ μηκος εισι πεντε σταδιοι, ευρος δε δεκα οργυιαι, υψος δε, τη υψηλοτατη εστι αυτη ἑωυτης, οκτω οργυιαι· λιθου τε ξεστου και ζωων εγγεγλυμμενων. ταυτης τε δη τα δεκα ετεα γενεσθαι, και των επι του λοφου, επ᾽ ὁυ ἑστασι ἁι πυραμιδες, και των υπο γην οικηματων, τας εποιεετο θηκας ἑωυτῳ εν νησῳ, διωρυχα του νειλου εσαγαγων. τη δε πυραμιδι αυτη χρονον γενεσθαι εικοσι ετεα ποιευμενη· της εστι πανταχη μετωπον ἑκαστον οκτω πλεθρα, εουσης τετραγωνου, και υψος ισον· λιθου δε ξεστου τε και ἡρμοσμενου ταμαλιστα· ουδεις των λιθων τριηκοντα ποδων ελασσων [16]. εποιηθη δε ὡδε αυτη ἡ πυραμις αναβαθμων

---

[16] Cap.124. „ Ad Rampsinitum usque regem „ ajebant in Aegypto viguisse legum praestantiam, et praeclare omni copia eam floruisse. „ Post hunc autem, qui in regno successit, „ Cheopem in omnem pravitatem fuisse prolapsum. Omnibus namque eum templis obseratis primo Aegyptiis ne sacrificarent interdixisse: deinde jussisse, ut sibi laborarent omnes Aegyptii; aliis assignando ut ex „ lapicidinis Arabici montis saxa exciderent, „ et ad Nilum traherent; aliis ut transmisso „ navibus flumine illa acciperent, et ad montem qui dicitur Libycus traherent. Faciebant „ autem opus 100000 hominum, ternis semper mensibus singula. Tempus autem quo „ populus attritus fuit, fuisse decennale circa „ viam, per quam traxerunt saxa, quam struxerunt; opus ut mihi videtur non multo minoris molitionis quam ipsa pyramis. Cujus „ longitudo est 5 stadiorum, latitudo cubitorum 40; altitudo, ubi altissima ipsa sui est, „ 32 cubitorum, lapide polito et animalibus „ insculptis. Illi 10 annos fuisse insumptos, „ tum illis quae in clivo, supra quem pyramides stant, et subterraneis aedibus, quas fecit sibi repositoria in insula, introducens „ Nili fossam. Verum in ipsa pyramide hac facienda annos 20 absumptos: cujus singulae „ frontes, nam est formae quadratae pari altitudine, sunt 800 pedum, saxo dolato accuratissimeque coagmentato, in quo nullum „ est minus 30 pedum „. Hinc hausit Mela quae habet lib. 1. c. 9: „ Pyramides tricenûm „ pedum lapidibus exstructae, quarum maxima, tres namque sunt, 4 fere soli jugera „ sede sua occupat, totidem in altitudinem „ erigitur „. Nempe πλεθρον, quod Herodoto lib.2. cap.149. mensura est pedum 100, dimidiae jugeri parti par censuit Mela, quamquam alii integrum jugerum πλεθρον reddidere. V.Arbuthnot tabul. mensur. p.53. 58. Quod de lapidum magnitudine ferunt, verum credi potest de extimis illis, qui nunc desiderantur: nam quos residuos invenere peregrinatores multo minores sunt, ut infra dicetur. De lapicidinis Arabicis, unde advecti fuere, quas nonnulli perperam ad rubri maris viciniam removerunt, inquit Herodotus cap. 8: απο ἡλιουπολιος ανω ιοντι, στεινη εστι αιγυπτος. τη μεν γαρ της αραβιης ορος παρατεταται, φερον απ᾽ αρκτου προς μεσαμβριης τε και νοτου, αιει ανω τεινον ες την ερυθρην καλεομενην θαλασσαν· εν τῳ και λιθοτομιαι ενεισι, ἁι ες τας πυραμιδας κατατμηθεισαι τας εν μεμφι. „ Ab Heliopoli autem superiora petenti „ Aegyptus angusta est; nam ab una parte mons „ Arabiae praetentus est, ab aquilone ferens „ ad meridiem atque ad austrum, semper sursum tendens ad marè quod rubrum vocatur. „ In eo sunt lapicidinae, ad pyramides quae „ sunt apud Memphin excisae „. Ex iis lapidibus efflorere salsuginem, qua sensim corrumpantur pyramides, advertit idem cap. 12: ιδων κογχυλια τε φαινομενα επι τοις ορεσι, και ἁλμην επανθευσαν· ὡστε και τας πυραμιδας δηλεεσθαι. De situ pyramidum atque Mempheos praeclarus locus est c.97., ubi Nilum aestuantem describens inquit: πορθμευονται ων, επεαν τουτο γενηται, ουκετι κατα τα ρεεθρα του ποταμου, αλλα δια μεσου του πεδιου. ες μεν γαρ μεμφιν εκ ναυκρατιος αναπλωοντι, παρ᾽ αυτας τας πυραμιδας γινεται ὁ πλοος. „ Nec jam, cum hoc contigit, per „ alveos fluminis, sed per medium campi transmittuntur. Ex Naucrati quidem si ascendas „ Memphin versus, juxta pyramides ipsas fit „ navigatio „. A pyramidibus ad septentrionem tendenti primum occurrit veteris Aegypti oppidum memorabile Latopolis, quae forsan ratio est ut Stephanus Byzantinus scripserit: λητους πολις, πολις αιγυπτου. εστι δε μοιρα μεμφιδος, (scil. regionis Memphiticae) καθ᾽ ἡν ἁι πυραμιδες, (και) λητους ἱερον. αλεξανδρος εν γ᾽ περι αιγυπτου. το εθνικον λητοπολιτης. Sed suspicor Stephanum prave intellexisse Alexan-

τροπον , τας μετεξετεροι κρωσσας , ὁι δε βωμιδας ονομαζουσι . τοιαυτην το πρωτον επει τε εποιησαν αυτην , ηειρον τους επιλοιπους λιθους μηχανησι ξυλων βραχεων πεποιημενησι · χαμαθεν μεν επι τον πρωτον στοιχον των αναβαθμων αειροντες · ὁκως δε ανιοι ὁ λιθος επ᾽ αυτον , εις ἑτερην μηχανην ετιθετο , ἑστεωσαν επι του πρωτου στοιχου · απο τουτου δε επι τον δευτερον ἑιλκετο στοιχον , επ᾽ αλλης μηχανης . ὁσοι γαρ δη στοιχοι ησαν των αναβαθμων , τοσαυται και μηχαναι ησαν · ειτε και την αυτην μηχανην , εουσαν μιην τε και ευβαστακτον , μετεφορεον επι στοιχον ἑκαστον , ὁκως τον λιθον εξελοιεν · λελεχθω ἡμιν επ᾽ αμφοτερα , καταπερ λεγεται . εξεποιηθη δ᾽ ων τα ανωτατα αυτης πρωτα , μετα δε τα ἑπομενα τουτων εξεποιευν , τελευταια δε αυτης τα επιγαια και τα κατωτατω εξεποιησαν . σεσημανται δε δια γραμματων αιγυπτιων εν τῃ πυραμιδι , ὁσα ες τε συρμαιην και κρομμυα και σκοροδα αναισιμωθη τοισι εργαζομενοισι · και , ὡς εμε ευ μεμνησθαι , τα ὁ ἑρμηνευς μοι , επιλεγομενος τα γραμματα , εφη , ἑξηκοσια και χιλια ταλαντα αργυριου τετελεσθαι [17] . ——— ες τουτο δε ελθειν χεοπα κακοτητος , ὡστε χρηματων δεομενον την θυγατερα την ἑωυτου κατισαντα επ᾽ οικηματος , προσταξαι πρησσεσθαι αργυριον ὁκοσον δη τι · ου γαρ δη τουτο γε ελεγον . την δε τα τε υπο του πατρος ταχθεντα πρησσεσθαι , ιδιῃ δε και αυτην διανοηθηναι μνημηιον καταλιπεσθαι , και του εσιοντος προς αυτην ἑκαστου δεεσθαι , ὁκως αν αυτῃ ἑνα λιθον εν τοισι εργοισι δωρεοιτο . εκ τουτων δε των λιθων εφασαν την πυραμιδα οικοδομηθηναι , την εν μεσῳ των τριων ἑστηκυιαν , εμπροσθεν της μεγαλης πυραμιδος · της εστι το κωλον ἑκαστον ὁλου και ἡμισεος πλεθρου [18] . βασιλευσαι δε τον

---

drum Polyhistorem , cui forte sermo erat de Latonae templo inter Memphin et pyramides , *εν μοιρᾳ μεμφεως* , uti ipsas pyramides *εν μεμφει* positas dixerunt Strabo aliique . Fieri etiam potest ut idem illud Serapidis inferaeque Isidis templum , de quo supra disseruimus pag. 306. , ab aliis Latonae sacrum diceretur , quae saltem apud Graecos tenebrarum dea est , nec multum distat a Scotia Hecate , de qua supra pag. 307. Sed ita pauca sunt et obscura quae nobis innotuerunt de Buto Aegyptiorum dea , quam Latonam reddunt Graeci , ut quid Aegyptiis illa significaverit definire non ausim . Caeterum mira est affinitas inter nomen ejus atque vocabulum quo mortuorum repositoria denotabant Aegyptii , nobis traditum ab Hesychio : *βουτοι , τοποι παρ᾽ αιγυπτιοις , εις ὁυς ὁι τελευτωντες τιθενται .*

[17] Cap. 125. ,, Fuit autem sic extructa haec ,, pyramis in speciem graduum , quas quidam ,, scalas , quidam arulas vocant . Posteaquam ,, eam primo talem fecerant , attollebant reliquos lapides machinis factis e brevibus lignis ,, ab humo in primum ordinem graduum levantes . Ubi ad hunc lapis adscenderat , alteri ,, machinae imponebatur , quae in ipso primo ,, ordine stabat . Ab hoc deinde in alterum ordinem trahebatur , super alteram machinam . ,, Nam quot erant ordines graduum , totidem ,, quoque machinae erant , sive etiam eandem ,, machinam , quae erat una et facilis ad ferendum , transferebant ad unumquemque ordinem , quoties saxum exemerant . Dictum esto ,, a nobis in utrumque , sicut dicitur . Effecta ,, sunt igitur ita prima ejus quaeque altissima : ,, deinde sequentia absolverunt : novissima vero quae solo sunt juncta et infima peregerunt. ,, In ipsa pyramide per litteras Aegyptiacas signatum est , quantum in raphanum , cepas ,, et alia erogatum sit operantibus , et quod interpres earum litterarum , postquam legerat , ,, ut probe reminiscor , ajebat in summa 1600 ,, talenta pecuniaę esse ,, . Quae hic de inscriptione narrantur , nonnullis pro argumento fuere , ab Hebraeis exstructam fuisse hanc pyramidem , siquidem Aegyptii a cepis alliisque abstinuisse feruntur . Mihi quidem , vera sit an ficta illa inscriptio , ex Herodoti verbis id potius videtur arguendum , eo scribente cepam atque allium fuisse inter communissima Aegyptiae plebis cibaria . Caeterum Josephus ant. Judaic. l. 2. cap. 5. ut reliqua in Aegypto grandia opera , sic pyramides quoque ab Hebraeis ad id coactis aedificatas putat .

[18] Cap. 126. ,, Quin et eo flagitii venisse ,, Cheopem , ut pecunia defectus , filiam suam ,, in lupanari prostituerit , imperans quantumcunque faceret quaestum ; non enim dice-

χεοπα τουτον αιγυπτιοι ελεγον πεντηκοντα ετεα · τελευτησαντος δε τουτου, εκδεξασθαι την βασιληιην τον αδελφεον αυτου χεφρηνα. και τουτον δε τῳ αυτῳ τροπῳ διαχρασθαι τῳ ἑτερῳ · τα τε αλλα, και πυραμιδα ποιησαι, ες μεν τα εκεινου μετρα ουκ ανηκουσαν · ταυτα γαρ ων και ἡμεις εμετρησαμεν. ουτε γαρ υπεστι οικηματα υπο γην, ουτε εκ του νειλου διωρυξ ἡκει ες αυτην, ὡσπερ ες την ἑτερην, ρεουσα. δι' οικοδομημενου δε αυλωνος εσω νησον περιρρεει, εν τῃ αυτον λεγουσι κεισθαι χεοπα. υποδειμας δε τον πρωτον δομον λιθου αιθιοπικου ποικιλου, τεσσερακοντα ποδας υποβας, της ἑτερης τὠυτο μεγαθος εχομενην, της μεγαλης οικοδομης. ἑστασι δε επι λοφου του αυτου αμφοτεραι, μαλιστα ες ἑκατον ποδας υψηλου. βασιλευσαι δε ελεγον χεφρηνα ἑξ και πεντηκοντα ετεα [19]. ταυτα ἑξ τε και ἑκατον λογιζονται ετεα, εν τοισι αιγυπτιοισι τε πασαν ειναι κακοτητα, και τα ἱρα χρονου τοσουτου κατακλησθεντα ουκ ανοιχθηναι. τουτους υπο μισεος ου καρτα θελουσι αιγυπτιοι ονομαζειν, αλλα και τας πυραμιδας καλεουσι ποιμενος φιλιτιος, ὁς τουτον τον χρονον ενεμε κτηνεα κατα ταυτα τα χωρια [20]. μετα δε τουτον βασιλευσαι αιγυπτου μυκερινον ελεγον, χεοπος παιδα · τῳ τα μεν του πατρος εργα απαδειν · τον δε τα τε ἱρα ανοιξαι, και τον λεων τετρυμενον ες το εσχατον κακου, ανειναι προς εργα τε και θυσιας · δικας δε σφι παντων βασιληων δικαιοτατας κρινειν [21]. — πυραμιδα δε και ὁυτος απελιπε-

„ bant quantum. Eamque cum patris jussa fecisse, tum vero privatim de relinquendo monumento cogitasse; itaque singulos ad se intrantes orasse, ut sibi ad opera singulos lapides donarent, Ex his lapidibus ajebant structam fuisse pyramidem quae stat in medio trium ante pyramidem magnam, cujus unumquodque latus 150 est pedum „. Videtur haec pyramis ea esse quam sphingem inter et maximam pyramidem observaverunt Nordenius et Pocockius.

[19] Cap.127. „ Regnasse hunc Cheopem annos 40 dicebant Aegyptii: eoque defuncto excepisse regnum fratrem ejus Chephrenem, et hunc eodem alteri instituto usum, cum in aliis tum vero in facienda pyramide, non tamen quae ad mensuram fraternae adcederet; eas namque et nos sumus dimensi. Nam subterranea non subsunt conclavia, neque fossa derivatur in eam ex Nilo, quemadmodum in alteram, fluens, ubi exstructo canali introrsum insula circumluitur, in qua jacere ipsum Cheopem ajunt. Sed cum primam compagem ex Aethiopico lapide diversicolore struxisset, demptis pedibus 40 magnitudine alteri parem fecit, scilicet magnae illi fabricae. Stant autem ambae super eundem tumulum, 100 fere pedes celsum. Porro 56 annos regnasse Chephrenem ajebant „. Consule de hoc loco Strothii Aegyptiaca part. I. pag. 107., quem majori ex parte secutus, nihil mutavi in contextu, interpunctionem autem posui post εχομενην, quam post μεγαθος collocat Strothius.

[20] Cap.128. „ Hi 106 anni supputantur, quibus Aegyptii in omni pravitate versati sunt, et templa tanto tempore occlusa non licuit aperiri. Hos reges Aegyptii prae odio ne nominare quidem volunt, sed pyramides vocant pastoris Philitidis, qui ea tempestate pecudes per haec loca pascebat „. Latet in his obscurus mythus, quem ipse Herodotus primis tantum labiis degustaverat. De Hycsos, qui Aegyptum subjugavere, hic cogitare non possum: nam hi breve tempus Memphin tenuerunt, neque hujusmodi aedificia sunt pro nomadum ingenio. Num pastor ille Philitis ipse est Osiris Philensis, cui mortuorum domicilia consecrata fuere? Vocabulum ϣⲱⲥ, quod proprie pastorem denotat, poetis autem atque sacerdotibus regem significabat, eadem ratione qua Homero reges dicuntur ποιμενες λαων, opportunam occasionem praebere potuit interpretibus, pecudes fingendi pascentes in campis alta arena undique obtectis, nec ullo vegetationis germine dotatis. Forsan reverentia erga sacratissimas moles in causa fuit, ut conditorum nomina tacerent Aegyptii, dum eas appellarent ⲛⲓϩⲁⲣⲉⲙ ⲛⲧⲉ ⲡⲓϣⲱⲥ ⲛⲫⲓⲗϩⲉ, *arces regis Philensis*, nec cuivis proderent, qui veterum regum in illis sepulti jacerent.

[21] Cap.129: „ Post hunc regnasse in Aegypto dicebant Mycerinum Cheopis filium, eumque paterna perosum facta, et templa reserrasse, et populo ad ultimum calamitatis afflicto dedisse veniam eundi ad opera et sacrificia: quinetiam super omnes reges justitiam ipsis exercuisse „.

το , πολλον ελασσω του πατρος , εικοσι ποδων καταδεουσαν κωλον ἑκαστον τριων πλεθρων , εουσης τετραγωνου · λιθου δε ες το ἡμισυ αιθιοπικου . την δη μετεξετεροι φασι ἑλληνων ροδωπιος ἑταιρης γυναικος ειναι , ουκ ορθως λεγοντες [22] . — μετα δε μυκερινον γενεσθαι αιγυπτου βασιλεα ελεγον ὁι ἱρεες ασυχιν . — υπερβαλεσθαι δε βουλομενον τουτον τον βασιλεα τους προτερον ἑωυτου βασιλεας γενομενους αιγυπτου , μνημοσυνον πυραμιδα λιπεσθαι εκ πλινθων ποιησαντα . εν τῃ γραμματα εν λιθῳ εγκεκολαμμενα ταδε λεγοντα εστι · Μη με κατονοσθης προς τας λιθινας πυραμιδας . προεχω γαρ αυτεων τοσουτον , ὁσον ὁ ζευς των αλλων θεων , κοντῳ γαρ υποτυπτοντες ες λιμνην , ὁ τι προσχοιτο του πηλου τῳ κοντῳ , τουτο συλλεγοντες πλινθους ειρυσαν , και με τροπῳ τοιουτῳ εξεποιησαν [23] . — της δε γωνιης τελευτωντος του λαβυρινθου , (ὁν εποιησαντο ὁι δυωδεκα βασιλεες , ολιγον υπερ της λιμνης της μοιριος , κατα κροκοδειλων καλεομενην πολιν μαλιστα κῃ κειμενον ·) εχεται πυραμις τεσσερακοντοργυιος , εν τῃ ζωα μεγαλα εγγεγλυπται · ὁδος δ' ες αυτην υπο γην πεποιηται [24] . — εν μεσῃ τῃ λιμνῃ (τῃ μοιριος καλεομενῃ) μαλιστα κῃ ἑστασι δυο πυραμιδες , του υδατος υπερεχουσαι πεντηκοντα οργυιας ἑκατερη · και το κατ' υδατος οικοδομηται ἑτερον τοσουτον · και επ' αμφοτερησι επεστι κολοσσος λιθινος , κατημενος εν θρονῳ . ὁυτω ὁι μεν πυραμιδες εισι ἑκατον οργυιεων · ὁι δε ἑκατον οργυιαι δικαιαι εισι σταδιον ἑξαπλεθρον [25] .

---

[22] Cap. 134. „ Pyramidem et hic reliquit, „ longe minorem paterna, quovis latere 20 pedibus 300 pedum mensura breviorem, caeterum quadrangularem, ad medium usque lapide Aethiopico. Hanc quidam Graecorum „ volunt esse Rhodopis meretricis, non recte „ sentientes „. Prolixus est in hac opinione refellenda, inde potissimum quod multis saeculis post structas pyramides vixerit Rhodopis, quodque divitiae ejus, quarum decimam partem deo in Delphis obtulerat sua aetate adhuc cospiciendam, nullo pacto respondissent impensis in pyramidem faciendis. Habemus autem hic manifestum indicium, Graecos jam ante Herodotum historiam pyramidum variis modis turbasse, atque ex Aegyptiorum traditionibus prave intellectis aut data opera commutatis, eam quae ad nos pervenit consarcinasse, qua veriorem Manethone deperdito invenire amplius non datur. Hoc e Manethonis fragmentis intelligitur, Rhodopin illam ab interpretibus creatam esse ex Nitocride Aegypti regina, cui nonnulli hanc pyramidem tribuebant. Videntur autem hinc Arabes ansam arripuisse, ut in una ex pyramidibus genii loco habitare dicerent mulierem nudam insignis pulcritudinis, quae aspectu suo homines amore insanire faciat. V. *L' Egypte de Murtadi par Vattier* pag. 64.

[23] Cap. 136. „ Post Mycerinum Aegypti regem fuisse dicebant sacerdotes Asychin. — „ Hunc superiores ipso reges Aegypti antecellendi cupidum, reliquisse memoriam sui pyramidem lateritiam, incisis saxo litteris in „ haec verba: *Ne me ad saxeas pyramides exigendo diminueris, quae tantum illis praecello quantum Jupiter caeteris diis. Nam fundum lacus conto verberantes, quicquid luti conto adhaerescebat, id colligentes, lateres duxerunt, et me isto modo elaborarunt* „. Qui hanc inscriptionem Graeci hominis figmentum dixerit, me non habebit adversantem.

[24] Cap. 148. „ Angulo quo finit labyrinthus, „ (quem duodecim reges una constituti fecerunt paulo supra lacum Moeridis,) adhaeret „ pyramis 160 cubitorum, in qua grandia sunt „ insculpta animalia, in quam iter sub terram „ factum est „. Cf. Strabonem lib. 17. p. 1165. supra adductum pag. 386. Plinius supra citatus pag. 384., ubi pyramidem memorat in nomo Arsinoite, de hac videtur intelligendus, nam Arsinoe est crocodilorum civitas, prope quam Diodorus lib. 1. cap. 89. stetisse ait labyrinthum cum pyramide. At libro 36. cap. 13. de labyrintho disserens, quem in nomo Heracleopolite fuisse ait, in eo notat „ pyramides complures se- „ nos a radice muros obtinentes „: sive ut in libris mss. se invenisse ait Harduinus „ senas „ radicum oras obtinentes „. Quod utrumque non satis intelligo.

[25] Cap. 149. „ In medio ferme lacu qui Moeridis dicitur, stant duae pyramides, orgyas „ 50 ex aqua exstantes, altero tanto aedificii „ aquis tecto. Super quarum utraque lapideus „ est colossus in solio sedens. Ita pyramides

Huic jungendus est Diodorus, in multis quidem eum secutus, sed qui et alios auctores consuluit, et ipse pyramides vidit : *χεμβης ὁ μεμφιτης ηρξε μεν ετη πεντηκοντα, κατεσκευασε δε την μεγιστην των τριων πυραμιδων, των εν τοις ἑπτα τοις επιφανεστατοις εργοις αριθμουμενων. ἁυται δε κειμεναι κατα την λιβυην, της μεμφεως απεχουσι σταδιους ἑκατον και εικοσι, του δε νειλου πεντε προς τοις τετταρακοντα. τῳ δε μεγεθει των εργων και τῃ κατα την τεχνην χειρουργιᾳ θαυμαστην τινα καταπληξιν παρεχονται τοις θεωμενοις. ἡ μεν γαρ μεγιστη, τετραπλευρος ουσα τῳ σχηματι, την επι της βασεως πλευραν ἑκαστην εχει πλεθρων ἑπτα, το δ᾽ υψος πλειω των ἑξ πλεθρων. συναγωγην δ᾽ εκ του κατ᾽ ολιγον λαμβανουσα μεχρι της κορυφης, ἑκαστην πλευραν ποιει πηχων ἑξ. πασα δε στερεου λιθου κατεσκευασται, την μεν εργασιαν εχοντος δυσχερη, την δε διαμονην αιωνιον. ουκ ελαττονων γαρ η χιλιων ετων, ὡς φασι, διεληλυθοτων εις τον καθ᾽ ἡμας βιον, ὡς δε ενιοι γραφουσι, πλειονων η τρισχιλιων και τετρακοσιων, διαμενουσι μεχρι του νυν ὁι λιθοι την εξ αρχης συνθεσιν και την ὁλην κατασκευην ασηπτον διαφυλαττοντες. λεγεται δε τον μεν λιθον εκ της αραβιας απο πολλου διαστηματος κομισθηναι, την δε κατασκευην δια χωματων γενεσθαι, μηπω των μηχανων ἑυρημενων κατ᾽ εκεινους τους χρονους. —— τριακοντα μεν γαρ και ἑξ μυριαδες ανδρων, ὡς φασι, ταις των εργων λειτουργιαις προσηδρευσαν, το δε παν κατασκευασμα τελος εσχε μογις ετων εικοσι διελθοντων* [26]. *τελευτησαντος δε του βασιλεως τουτου διεδεξατο την αρχην ὁ αδελφος κεφρην, και ηρξεν ετη ἑξ προς τοις πεντηκοντα. ενιοι δε φασιν ουκ αδελφον αλλ᾽ υιον παραλαβειν την αρχην, ονομαζομενον χαβρυιν. συμφωνειται δε παρα πασιν, ὁτι ζηλωσας ὁ διαδεξαμενος την του προβασιλευσαντος προαιρεσιν, κατεσκευασε την δευτεραν πυραμιδα, τῃ μεν κατα την τεχνην χειρουργιᾳ παραπλησιαν τῃ προειρημενῃ, τῳ δε μεγεθει πολυ λειπομενην, ὡς αν της εν τῃ βασει πλευρας ἑκαστης ουσης σταδιαιας. —— αναβασιν δ᾽ εχει δια μιας των πλευρων εγκεκολαμμενην* [27]. *των δε βασιλεων, των κατασκευασαντων αυτας ἑαυτοις τα-*

„ sunt 100 orgyarum, quae juste sunt stadium „ pedum 600 „. Hodie in Moeridis lacu parva insula est, in qua varias veterum aedificiorum ruinas conspici, duas imprimis super reliquas eminentes, ab accolis accepit P. Lucas : *Voy. en* 1714. pag. 298. Europaeos homines hanc insulam adiisse, nuspiam me legisse memini.

[26] Biblioth. lib. 1. cap. 63. „ Chembes patria „ Memphites 50 annos imperavit, et trium pyramidum, quae inter septem clarissima orbis opera numerantur, maximam eduxit. Sitae illae versus Libyam, a Memphi stadia „ 120, et a Nilo 45 absunt. Magnitudo in his „ operum et manuum solertia mirificum contemplantibus stuporem afferunt. Nam maxima ex iis, cum sit quadrilatera, unoquoque „ latere in basi continet pedes 700, altitudine „ efficit plus quam 600 pedes : paulatim autem „ ad verticem usque contrahens latera senis cubitis absolvit. Tota facta est e solido lapide, „ elaboratu quidem difficili, sed durationis perpetuae. Cum enim non pauciores mille anni, quidam plures quam 3400 annotant, ad „ vitae nostrae tempestatem effluxerint, saxa „ pristinam compagem, totamque structuram „ incorruptam servant. Hic lapis per magnam „ locorum distantiam ex Arabia deportatus esse „ dicitur, et aggerum adminiculo, machinis „ tunc nondum inventis, opus surrexisse ferunt „. Subjungit nullum apparere aggerum illorum vestigium, neque reliquias lapidum in loco politorum : quare Aegyptiorum nonnullos fabulam obtrudere, quod cum aggeres e sale et nitro constarent fluvius immissus eos liquerit. Cf. Plin. lib. 36. cap. 12. supra pag. 385. Pergit Diodorus ostendens hominum multitudine effectum tum ut attollerentur tum ut auferrentur aggeres, „ Nam 360 virorum millia, ut ajunt, „ ministeriis hisce incubuerunt, totumque opus „ vix 20 annorum spatio consummatum est „.

[27] Cap. 64. „ Denatum hunc regem in imperio secutus est germanus Cephren. Sunt, „ qui non fratrem, sed filium nomine Chabryim regno potitum tradunt. Hoc sane om-

φους, συνεβη μηδετερον αυτων ταις πυραμισιν ενταφηναι. τα γαρ πληθη δια τε ταλαιπωριαν την εν τοις εργοις, και δια το τουτους τους βασιλεις ωμα και βιαια πολλα πραξαι, δι' οργης ειχε τους αιτιους, και τα σωματα ηπειλει διασπασειν, και μεθ' υβρεως εκριψειν εκ των ταφων. διο και τελευτων ἑκατερος ενετειλατο τοις προσηκουσιν εν ασημῳ τοπῳ και λαθρα θαψαι το σωμα. μετα δε τουτους εγενετο βασιλευς μυκερινος, ὁν τινες μεχερινον ονομαζουσιν, υιος ων του ποιησαντος την προτεραν πυραμιδα. ὁυτος δ' επιβαλομενος τριτην κατασκευαζειν, προτερον ετελευτησεν, ηπερ το εργον ελαβε συντελειαν. της μεν γαρ βασεως ἑκαστην πλευραν υπεστησατο πλεθρων τριων, τους δε τοιχους επι μεν πεντεκαιδεκα δομους κατεσκευασεν εκ μελανος λιθου τῳ θηβαϊκῳ παραπλησιου, το δε λοιπον ανεπληρωσεν εκ λιθων ὁμοιων ταις αλλαις πυραμισιν. —— επιγεγραπται δε κατά την βορειον αυτης πλευραν ὁ κατασκευασας αυτην μυκερινος. τουτον δε φασι μισησαντα την των προβασιλευσαντων ωμοτητα, ζηλωσαι βιον επιεικη και προς τους αρχομενους ευεργετικον.[28] — εισι δε και αλλαι τρεις πυραμιδες, ὡν ἑκαστη μεν πλευρα διπλεθρος υπαρχει, το δ' ὁλον εργον παραπλησιον τῃ κατασκευῃ ταις αλλαις, πλην του μεγεθους. ταυτας δε φασι τους προειρημενους τρεις βασιλεις ταις ιδιαις κατασκευασαι γυναιξιν. —— περι δε των πυραμιδων ουδεν ὁλως ουδε παρα τοις εγχωριοις ουδε παρα τοις συγγραφευσι συμφωνειται· ὁι μεν γαρ τους προειρημενους βασιλεις κατασκευασαι φασιν αυτας, οἱ δε ἑτερους τινας. ὁιον την μεγιστην ποιησαι λεγουσιν αρμαιον, την δε δευτεραν αμωσιν, την δε τριτην μαρωνα. ταυτην δ' ενιοι λεγουσι ροδωπιδος ταφον ειναι της ἑταιρας[29]. —— φασι τινες, των αρχαιων τινα βασιλεων τον προσαγορευομενον μηναν πολιν κτισαι πλησιον τῃ μοιριδος καλουμενῃ λιμνῃ, ονομασαντα κροκοδειλων· ενταυθα δε και τον ταφον ἑαυτῳ κατασκευασαι, πυραμιδα τετραπλευρον επιστησαντα· και τον θαυμαζομενον παρα πολλοις λαβυρινθον οικοδομησαι[30]. —— ἡ λιμνη την προσηγοριαν απο του

„ nium consensu affirmatur, quod successor „ prioris institutum aemulatus, pyramidem alteram extulerit, artificio quidem structurae „ priori assimilem, sed magnitudine longe inferiorem. Cujuslibet enim basis latus sta- „ dium tantummodo obtinet „. Pergit de inscriptione prioris pyramidis eadem fere affirmans quae Herodotus, nisi quod pro cepe et allio substituit vocabulum λαχανα. Inde reversus ad secundam pyramidem ait: „ In uno late- „ re adscensum habet incisum „.

[28] Ibid. „ Has licet sepulturae suae destinas- „ sent reges, accidit tamen ut neuter inibi „ conderetur. Plebs enim, propter laborum „ molestias regumque crudelitatem et violen- „ tiam illis infensa, cadavera e monimentis se „ eruturos, et discerpta ignominiose abjectu- „ ros, interminabatur. Quamobrem moriens „ uterque, ut in obscuro cadavera loco funerarent, amicos jusserunt. Post hos Myceri- „ nus rex fuit, aliis Mecherinus vocatus, ejus „ qui priorem pyramidem condidit natus. Qui „ tertiam aggreſſus, ante perfectum opus vita „ fungitur. Unumquodque basis latus ad 300 „ pedes fundavit: parietes vero ad 15 compa- „ gem usque e nigro saxo, quod Thebaico simile „ est eduxit; reliquum vero lapide, quo pyra- „ mides aliae constructae erant, explevit. In „ latere boream versus inscriptus eſt auctor „ Mycerinus. Hic priorum, ajunt, regum „ saevitiam detestatus, vitam humanitati et „ moderationi ac beneficentiae erga subditos „ addictam coluit „.

[29] Ibid. „ Sunt etiam aliae pyramides tres, „ quarum unumquodque latus 200 pedum est, „ et totum opus praeter magnitudinem caeteras „ structuras imitatur. Has praefati tres reges „ uxoribus suis fecisse perhibentur. —— At „ de pyramidibus nullus omnino, nec apud indigenas nec inter scriptores, est consensus. „ Alii a regibus supra memoratis, alii ab aliis „ eductas memorant. Maximam scilicet Ar- „ maei, secundam Amosis, tertiam Maronis „ opus esse. Hanc nonnulli Rhodopidos mere- „ tricis sepulcrum esse dicunt „. Hoc loco pro αμωσιν alii habent αμασιν, αμμωσιν, αρμωσιν: pro μαρωνα alii ιναρωνα, ιναρον, ινδρων.

[30] Cap. 89: „ Ajunt nonnulli, veterum re- „ gum quendam, qui Menas nominatur, urbem „ cocodilorum nomine aedificasse juxta lacum

κατασκευασαντος εχει, καλουμενη μεχρι του νυν μοιριδος λιμνη. ὁ δ' ουν βασιλευς ορυττων ταυτην, κατελιπεν εν μεσῃ τοπον, εν ᾧ ταφον ῳκοδομησε και δυο πυραμιδας, την μεν ἑαυτου, την δε της γυναικος, σταδιαιας το υψος· εφ' ὧν επεστησεν εικονας λιθινας, καθημενας επι θρονου· νομιζων δια τουτων των εργων αθανατον ἑαυτῳ καταλειψειν την επ' αγαθῳ μνημην [31].

Apud Manethonem memorantur pyramidum conditores, Venephes primae dynastiae rex quartus, quo imperante fames fuit in Aegypto, et pyramides structae sunt circa Cochomen; Suphis Memphites, secundus rex quartae dynastiae, qui maximam pyramidem, Cheopi adscriptam ab Herodoto, aedificari jussit, atque cum initio deorum contemptor exstitisset, postea ad saniorem mentem reversus sacrum librum scripsit, quem maximi faciunt Aegyptii; et Nitocris regina Memphitis e sexta dynastia, omnium mulierum sui temporis pulcherrima et generosissima, quae tertiam pyramidem condidit. Ita enim ex Africani epitome refert Georgius Syncellus in chronographia [32]: μετα νεκυας τους ἡμιθεους πρωτη βασιλεια καταριθμειται βασιλεων οκτω, ὧν πρωτος μηνης θεεινιτης· —— τεταρτος ουενεφης υιος κενκενους ετη κγ', εφ' ου λιμος κατεσχε την αιγυπτον μεγας. ὁυτος παρα κωχωμην ηγειρε πυραμιδας. —— τεταρτη δυναστεια μεμφιτων συγγενειας ἑτερας, βασιλεις οκτω. ά σωρις ετη κθ'. β' σουφις ετη ξγ', ὁς την μεγιστην ηγειρε πυραμιδα, ἡν φησιν ἡροδοτος υπο χεοπου γεγονεναι. ὁυτος δε και υπεροπτης εις θεους εγενετο, και (μετανοησας) την ἱεραν συνεγραψε βιβλον, ἡν ὡς μεγα χρημα εν αιγυπτῳ γενομενος εκτησαμην. —— ἑκτη δυναστεια βασιλεων ἑξ μεμφιτων, ὡν ά οθωης. —— ς' νιτωκρις, γεννικωτατη και ευμορφοτατη των κατ' αυτην γενομενη, ξανθη την χροιαν, ἡ την τριτην ηγειρε πυραμιδα, εβασιλευσεν ετη ιβ'.

Neque illud negligendum est quod tradit Aristides rhetor [33], accepisse se a sacerdotibus in Aegypto, aeque mirandam esse infra terram structionem pyramidum ac supra solum: quo dicto eos respexisse puto ad vias subterraneas et cryptas, mortuis condendis ad stupendam profunditatem effossas sub pyramidibus: των πυραμιδων τας μεν κορυφας ὁρωντες εκπληττομεθα, το δ' αντιπαλον και υπο γης ἑτερον τοσουτον ον ηγνοηται· λεγω δε ά των ἱερεων ηκουον.

§. XXV.

Recentiores qui Aegyptum adierunt, singuli fere pyramides, quae apud Gizam et Busirin spectantur, describere aggressi sunt; multi etiam retulerunt de

---

„ qui Moeridis dicitur: ubi et sepulcrum sibi „ fecerit, cui imposita pyramis figurae quadra„ tae, et labyrinthum struxerit, qui magnae „ est apud multos admirationis „. Pro τετραπλευρον legere mallem τετραπλεθρον: ita enim Strabo loc. cit. supra pag. 386. Magis etiam intererat indicari magnitudinem pyramidis quam figuram: nam hanc apud Aegyptios quadratam fuisse jam satis notum erat.

[31] Cap. 52. „ Lacus nomen habet ab aucto„ re, hodieque dictus lacus Moeridis. Rex „ qui eum effodit, locum in medio reliquit, in „ quo sepulcrum et duas pyramides, unam si„ bi, alteram uxori, stadii altitudine exstru„ xit, iisque lapideas effigies in throno residen„ tes imposuit, quod immortalem virtutis me„ moriam his monimentis ad posteros se pro„ pagaturum existimaret „.

[32] Pag. 54. 56. 58. Eadem fere ex Eusebii epitome sistit pag. 55. 57. 58., ubi pro παρα κωχωμην legitur περι κωχωνην. De Suphide autem: ὁς και υπεροπτης εις θεους γεγονεν, ὡς μετανοησαντα αυτον την ἱεραν συγγραψαι βιβλον, ἡν ὡς μεγα χρημα αιγυπτιοι περιεπουσι.

[33] In oratione Aegyptiaca opp. tom. 2. p. 363. edit. Jebb.

iis quae exstant circa Saccaram et Dasjur, et usque ad Meduu et Davara porriguntur. Sed plurima est inter eos dissensio, ac sane arduum conciliare alterum alteri, aut inter varias narrationes eligere quae credi possit ad ipsam rem quam proxime accedere. Utendum videtur praecipue libris Gravii, Thevenoti, Pocockii et Nordenii, qui plurimas inspexerunt, et diligenter notaverunt res a se observatas; nonnulla accuratius tradiderunt Niebuhrius aliique quos passim adducimus[1].

Quae ad austrum sitae sunt aevi injuriam magis sensere quam quae Gizae adjacent, unde major earum arguitur antiquitas, quamquam et illae multum passae sint; nonnullae etiam funditus vastatae, vix agnoscuntur amplius. Ex iis autem quae aevum tulere, nonnullae lateritio opere factae narrantur, quaedam e parvis lapidibus congestae; major pars praeter nucleum, quem alii ex lapidum frustulis caementitio opere coagmentatis, alii saltem ex parte e solida rupe constare affirmant, structae sunt e sectis lapidibus magnis, naturae calcareae, albis, non admodum duris, sed compactis et tenacibus: ejusdemque generis lapide ad egregiam polituram laevigato vestitae fuerunt pyramidum superficies, nunc maximam partem fracto et ablato. Nonnullas in ima parte granite et basalte ornatas fuisse,

---

[1] Greaves (qui pyramides visitavit anno 1639.) *pyramidographie*, in Thevenot *relations de divers voyages* tom. 1. Pococke (an. 1738) *description of the East* vol.1. lib.1. c.5. 6. 7. lib.2. cap.1. pag. 40—53. 57. 60. 66. 69. tab. 8. 16. 22. Norden (a. 1737) *travels in Egypt and Nubia* tom.1. pag.65 — 95. tom. 2. pag.6.—10. tab. 41. — 51. 60. — 67. Niebuhr (a.1762) *reisebeschreibung nach Arabien* tom.1. pag.190—200. tab. 5. Thevenot (a. 1957) *relation d'un voyage fait au Levant* tom.1. part.2. cap. 5. 6. pag.240— 258. P. Sicard (a. 1718) *lettre au Comte de Thoulouse* in *Nouveaux mémoires des missions au Levant* tom.2. pag. 276. —280. et *discours sur l'Egypte* c.8. ibid. tom.7. pag. 170. D' Anville *mémoires sur l'Epypte ancienne et moderne* num. 14. pag. 138. — 149. num. 15. pag.159. 160. cum tabulis geographicis Aegypti veteris et hodiernae, ad pag. 1. 131. 218., e quibus locorum distantias mutuatus sum. Caeteri quibus usus sum auctoribus, sunt; Saeculi XIII, Murtadi *l'Egypte*, *trad. de l'Arabe par Vattier* pag.61. 64. sqq. Saeculi XIV, Abulfedae descriptio Aegypti, arabice et latine curante Michaelis pag.13. Saeculi XV, Alexandri Ariosti dialogus de peregrinatione ad terram sanctam circa ann. 1476. cod. membr. ms. in museo Borgiano, fol. 74. Saeculi XVI, Petri Martyris de Angleria legatio babylonica fol.89. Bellonius de admir. operum antiqu. praestantia lib.1. cap.3—6.8. et rerum in ext. prov. conspect. observation. lib. 2. cap.42—46. Principis Radzivil peregrinatio Hierosolymitana pag. 161. sqq. Prosper Alpinus rerum Aegyptiacarum, libro 1. cap.6. pag. 29. Evesham apud Hackluyt *navigations and discoveries of the English nation* tom.2. pag.281. Villamont *voyages* cap. 13. pag. 654. sqq. Saeculi XVII, Sandys *journey* lib.2. pag. 127. sqq. Pietro della Valle *viaggi* tom.1. epist.11. pag.244. sqq. De Breves *relation de voyage* pag. 275. sqq. Monconys *journal de voyage* tom. 1. pag. 183. sqq. Bremond *viaggi* lib.1. cap.14. pag. 66. sqq. Vansleb *relation d'un voyage en Egypte* pag. 136. sqq. 151. 152. De Chazelles apud Du Hamel histor. acad. Scientiarum lib. 4. cap.2. §. 10. pag.395., et apud Fontenelle *hist. du renouvellement de l'acad. des scienc. et eloges historiques des academiciens* tom.2. pag.57. Du Mont *voyages* tom.2. epist.9. pag.272. sqq. Gemelli Careri *giro del mondo* tom. 1. lib. 1. cap. 7. pag. 71. Corn. le Brun *voyage au Levant* cap. 36. pag. 192. sqq. cap. 37. pag.207. tab.80. 83. 84. apud quem habes etiam observata Meltoni. Saeculi XVIII, Paul Lucas *voyage en 1699.* tom. 1. num. 5. pag. sqq. 145. *voyage en 1714.* tom. 2. lib. 4. pag.95. 103. 128. 248. sqq. 301. Maillet *description de l'Egypte, par le Mascrier* pag. 219. sqq. 275. Jauna *état present de l'Egypte* p.1270. sqq. Van Egmont *travels* tom 2. cap.6. pag. 84. sqq. Shaw *voyages* tom. 2. cap. 5. pag. 144. sqq. Bruce *travels* tom. 1. pag. 40. 51. sqq. 78. Savary *lettres sur l'Egypte* tom.1. epist.17. 18.19. 21. pag.182. sqq. pag. 257. sqq. Volney *voyage en Syrie et en Egypte* tom. 1. c.19. pag.244. sqq. His addendi peregrinatores qui mihi ad manum non sunt: Perry *view of the Levant*, Hasselquist *reise nach Palaestina*, Tott *mémoires sur les Turcs et les Tartares*, Fourmont *description des plaines d' Heliopolis et de Memphis*, Davidsoni tabulae pyramidum, quarum meminit Brucius pag.40.

indicio sunt pauci lapides molium frontibus adhuc adhaerentes, et fragminum cumuli qui eas circumjacent. Quadratae sunt omnes et quatuor mundi cardinibus obversae, sed binis plerumque lateribus amplioribus praeditae: frontibusque planis ac inclinatis continuo assurgunt ad fastigium acutum. Hoc tamen fastigio nonnullae destituuntur, incertum utrum vetustate diminutae, an quod ab initio essent vertice complanato. Neque in omnibus planae sunt frontes, sed nonnunquam in zonas sive praecinctiones aliquas distributae, velut per gradus elevantur; nonnunquam latera curvari videntur. Multae notantur exiguae magnitudinis, laterum amplitudine centum pedes non superantes: majoris molis circiter viginti supersunt, in quibus quae maxima est, latitudine obtinet pedes forme septingenos, altitudine quingentos; quamquam in ea aestimanda multum discrepent auctores.

Duas pyramides prope vicum Davara sitas decem millibus passuum a Fium ad meridiem, e longinquo se prospexisse refert Pocockius, collibus similes, et audivisse ab eorum finium incolis, aedificatas esse e latere ad solem indurato, et cellis arcuatis per tres ordines distributis instructas forinsecus [2]. Eundem vicum Sicardo duce Havara appellat Danvillius [3], et canali apponit qui e Nilo fluit in lacus.

---

[2] Pococke l. c. pag. *66.* P. Lucas a Benisouef tendens ad Fium, post trium horarum iter procul conspexit pyramidem vico Danera adjacentem, quae rotunda esse videbatur atque portis sive arcubus per quatuor ordines dispositis instructa. Deinde post duas horas alteram, sed ita vastatam ut pro monticulo accipi posset. *Voyag. en* 1714. pag. 244. 301. tab. post pag. 242. Loculi illi sive arcus in superficie pyramidis plane abludere videntur ab Aegyptiorum genio, quin et ab ipsa pyramidum natura. Saltem res nova sunt, in qua nisi viro diligenti qui cominus examinaverit, fides haberi nequit. Fieri enim potest, ut aliud non sint quam foramina post evulsos grandes lapides relicta in caementis, cujusmodi saepe videmus in Romanarum molium ruderibus, e longinquo non dissimilia loculis ordinatim dispositis. Neque de rotundis pyramidibus hactenus certi quid compertum est.

[3] Pag. 160. Idem in charta geographica Aegypti hodiernae, a Moeridis lacu sive Birket-il-kerun 12 milliariis ad occasum brumalem ponit El-herem-medaje-el-hebgad sive pyramidem equi, quo nomine Pocockius pag. 60. indicari ait monticulum solitarium aliquo modo referentem figuram pyramidis. Sed vocabulum *harem* seu *herem*, licet proprie accipiatur de pyramidibus, tamen ad varias praeterea aedificiorum ruinas videtur translatum, nec certum putari potest pyramidis indicium, ut nunc in Italia multa sunt rudera absque certa ratione templa appellata. Ad vicum Bijamuth dimidia leuca distantem a Fium oppido notavit Pocockius pag. 57. tab. 22. duorum aedificiorum rudera, accolis Harem appellata, quae et ipse pyramides fuisse putat, singularis quidem constructionis. Nempe agnovisse sibi visus est murorum vestigia quibus includebantur quadrata spatia pedum circiter centenûm denûm, inque utriusque spatii medio loco vidit quadratam pilam 10 sectorum lapidum structionibus assurgentem; in uno autem ex iis spatiis angulum solidum e 5 ejusmodi lapidum ordinibus constantem, et obliquis faciebus convergentem. Inde arguit in utroque aedificio imam tantum basin continuatis lapidibus compactam fuisse, deinde angulis atque centro solida structura eductis, et vacuis spatiis relictis circa pilam, quae pro centro esset, grandes lapides transversim impositas desiisse in fastigium acuminatum. Sed ex Vanslebii itinerario pag. 260. scimus, unam ex iis pilis quas vidit Pocockius, superiori saeculo sustinuisse statuam colossalem e lapide granitico, capite pedibusque truncatam; et circa pilam stetisse aras minores quinque, forte inclusas septo quadrato, cujus quidem non meminit Vanslebius, uti nec alterius aedificii adjacentis. Ipsa autem pila forma erat quadrilatera oblonga, lata, qua parte maxime patebat, pedes 30, alta 25, ex 10 grandium lapidum ordinibus. Itaque hic non cogitandum videtur de pyramidibus, sed de septis ubi collocata erant deorum simulacra. Eas vero non moror pyramides, quas in Thebarum ruinis se vidisse fabulatur Lucas, primi itineris tom. 1. pag. 145., in quibus una alta ped. 1400. Neque fidendum est Arabicorum librorum interpretibus, qui vocem *berbe* seu *birabi* saepe reddunt pyramidem, cum templum significet: unde factum ut apud Echmim pyramis memoretur a Murtadi gallice converso p. 61. Vide supra pag. 132. not. 20.

cum Moeridis, meminitque pyramidis ei adsitae, duodecim ferme milliariis a fluvio ad occidentem, totidem a Fium ad ortum brumalem, in Heracleopolitae nomi finibus, ubi quaerenda videtur Cochome Manethonis [4]. Septemdecim inde millibus passuum amplius in septentrionem apud vicum Medun infra Nilopolin veterum, pyramis est in radicibus montis Libyci septem milliariis a Nilo dissita [5], pariter structa e latere igni non admoto. Magnitudinem ejus proditam non invenio, quandoquidem nemo e peregrinatoribus eam adiisse videtur: refertur autem inter magnas moles. Nomen ei imposuere pseudo-pyramidis, eo quod ubi ventum sit ad mediam fere altitudinem, rectis inde assurgat lateribus, posteaque frontibus denuo inclinatis, sive ut alii ferunt per gradus coarctatis, in fastigium exeat [6].

Reliquus tractus, in quo pyramides confertas spectari narrant, incipit apud Dasjur viginti millibus passuum a Medun ad septentrionem, atque inde porrectus e regione Succarae atque Metrahenni, ubi Memphis fuit, usque fere ad latitudinis borealis gradum tricesimum, longitudine obtinet millia passuum quatuordecim, exigua quidem latitudine. Nam velut una serie positae sunt in campo altiori, infra Libycos montes occidentali Nili littori objectos, ubi fuisse sepulcra Memphitica supra docuimus. Qui campus apud Dasjur a Nilo distat milliariis fere quinque, paulo amplius apud Saccaram, ultra Busirin vero e regione insulae Iddahab milliariis septem cum dimidio [7]. Inter has pyramides quae prima occurrit ad meridiem, campis a Nilo rigari solitis imminens, ac loco quam caeterae minus elato, facta est e grandibus lateribus, in quibus qui maximi sunt, longitudinem habent pollicum quindecim, latitudinem septem, crassitiem quatuor et dodrantis, argilla stramine comminuto permixta atque ad solis radios excocta. Haec multum detrimenti passa, nunc in imo latere septentrionali continet pedes londinenses centum quinquaginta septem, in occidentali ducentos et decem: altitudine autem efficit pedes centum quinquaginta, e quinque zonis composita, quae singulae altae sunt pedes triginta, latae decem, plana area relicta in summo vertice, cujus bina latera colligunt pedes quadragenos ternos, bina tricenos et quinos [8]. Inde tendentibus ad occasum aestivum post bis mille passus magna est py-

---

4 Vide supra pag. *393*.

5 Unam tantum pyramidem apud Medun commemorant Nordenius tom. 1. p. 81. tom. 2. pag. 10. Pocockius pag. *69*. et Sicardus tom. 2. pag. 276., quae e Thebaide Cairum navigantibus prima se spectandam offert. Lucas autem *voy. en* 1414. pag. 242. ait, se Nilo vectum complures pyramides prospexisse apud Safa-meidon sitas, quae altae videbantur pedes circiter 400, quamquam fastigio carentes.

6 Descripsi ut sistitur a Pocockio tab. 19., qui Nilo praetervectus delineavit, ab indigenis autem accepit, totam molem constructam esse e latere. A Coptis appellari ait magnam, ab Arabibus falsam pyramidem. Nordenius autem inquit arenae collem esse, cui imposita pyramis lateritia, e tribus vel quatuor gradibus compacta, quorum infimus 20 pedes altus apparebat. Inspice tabulam *67*. Eandem ita describit Brucius pag. 78. „ Inter Suf et Woodan sita est pyramidum ultima, quam pseudo-pyramidem „ appellant; collis enim lateribus ad pyramidis „ modum inclinatis, molem sustinet lateritiam „ in fastigium desinentem atque perfecte conservatam „.

7 Inspice Danvillii tabulam ad pag. *131*. ubi tamen Memphis nimium ad septentrionem atque ad ortum admota videtur. Cf. Pococke pag. 40. Bruce pag. 55. *63*. Maillet pag. 275. Herod. lib. 2. cap. 97. supra pag. 387. not. 16. Ichnographiam pyramidum Saccarensium exhibet Pocockius tab. 18. prospectum tab. 8.

8 Pococke pag. 53., qui solus inter peregrinatores mihi compertos hanc pyramidem descripsit. Caeteri prorsus ignoraffe videntur. Appellatur autem ab indigenis Ktoube-el-Mensji a vico Dasjur-mensji prope adjacente. Multum injuriae passa est, maxime in lateribus orien-

ramis e sectis lapidibus, ampla singulis lateribus pedes circiter sexcenos, alta trecentos triginta quinque, lateribus supra medium altitudinem compressis ac velut incavatis, summo autem vertice in obtusiorem formam coëunte. In hujus latere septentrionali foramen conspicitur viginti septem pedibus a basi remotum per quod aditus patere videtur, ab Europaeis hominibus hactenus non tentatus. Structuram ubi spectas, eadem est quam de Cheopis pyramide tradit Herodotus, graduum modo facta, quorum quivis duorum pedum spatio procurrit in lateribus. Hi gradus conteguntur politis lapidibus, altis pedes duos cum triente, sed obliqua facie pedum duorum et dimidii, qui ultra gradus porriguntur pedes quatuor cum semisse, lati in fronte pedes duos [9]. Adjacet ab oriente pyramis oblonga, binis lateribus colligens pedes centenos et septuagenos, binis ducenos et denos [10]. Quae vero ad boream mille passibus distat, maxima est inter pyramides australes, alta pedes trecentos quadraginta quinque, sive palmos quadringentos septuaginta quatuor, lata pedes circiter sexcenos et sexagenos, palmos nongenos, paullo ut videtur amplior in fronte septentrionali quam in orientali. Desideratur in ea acutum fastigium, relicto in vertice plano spatio, cujus septentrionale latus colligit pedes viginti, orientale quindecim. Caeterum structura eadem fere est ac in illa quam descripsimus. Facta enim est e sectis lapidibus, distributis per gradus centum quinquaginta sex, quorum infimi alti sunt pedes tres, summi pedes duo. Hos contegunt grandiores lapides substantiae densioris ac durioris, pedibus quatuor procurrentes ultra angulos graduum. In boreali autem latere ad tertiam fere altitudinis partem, ostium patet, latum pedes tres et pollices quinque, altum pedes quatuor cum sextante: estque meatus declivis ejusdem amplitudinis, ubi foraminibus in pavimento incisis descenditur in penetrale, longum pedes viginti duo et dimidium, latum undecim cum dextante, altum plus quinquaginta. Sed ad altitudinem pedum decem et semissis sensim coarctatur latitudo, duodenis utrinque lapidum ordinibus procurrentibus pollices quinos, et fornicis speciem efficientibus, cujus summum verticem claudit exiguum spatium planum. Porro in pariete qui januae objacet, triginta pedibus supra pavimentum ostiolum est ad parvam cellam aditum praebens. Ad dextram autem prope januam brevi meatu pergitur in aliud penetrale, praefato adjacens ab occasu, eique in omnibus consimile, cella pariter adjecta in alto. Vestiuntur ambo albis

---

tali atque occidentali. Esse autem hanc eam quam Herodotus Asychi tribuit, inde conjicio quod de Memphiticis pyramidibus disserens illam quoque commemoret. Vide supra pag. 390. not. 23.

[9] Pococke pag. 52. tab. 19. fig. F. G. H. I. Norden tom. 2. pag. 8. tab. 61. fig. 3. Observat Pocockius interiorem quoque molis fabricam, iis in locis ubi extimi lapides ablati sunt, e sectis pariter lapidibus factam conspici: cavitatem autem sive depressionem laterum, inde derivatam videri quod superior pars politis lapidibus non sit contecta. Caeterum licet multis in locis fracta sit, tamen ad verticem non posse ascendi, nec sine periculo perveniri usque ad ostium. Vanslebius pag. 151. et Meltonus apud Lebrun pag. 207. hanc pyramidem factam esse ajunt ad speciem tentorii, quod satis bene convenit cum delineatione Pocockiana. Ubi vero Meltonus narrat se ostium ejus intrasse, atque in ea invenisse cameram vacuam, et Vanslebius idem affirmat de uno ex comitibus suis, uterque hanc confudisse videtur cum altera de qua mox dicendum. P. Fulgentius de Tovars apud Gemellium pag. 74. latitudinem ejus prodit ped. 631.

[10] Pococke pag. 53. Admodum vastata est, quo factum ut a caeteris peregrinatoribus non memoretur. Majori autem Pocockius diligentia usus est in Saccarensibus pyramidibus enarrandis, quam reliqui omnes qui mihi ad manum sunt, eumque secutus sum, nisi ubi expresse cito alium auctorem.

lapidibus, amplitudinis tripedalis, eximie laevigatis, in commissuris autem relicto canaliculo semipollicari in acutum angulum desinente. Haec Pocockius [11]. Thevenotus vero, qui in hac pyramide describenda magna cum diligentia versatus videtur, refert amplam esse pedes parisienses sexenos quadragenos ternos, et gradatim assurgere grandium lapidum structionibus centum quadraginta octo. Ostium inveniri in latere septentrionali ad quartam partem altitudinis, undecim pedibus amplius distans ab occidentali angulo quam ab orientali. Meatum per quem descenditur ad penetralia, longum esse pedes ducentos sexaginta septem, latum tres cum dimidio, altum quatuor; eum vero qui ab angulo prioris penetralis pergit ad alterum, longum pedes novem cum semisse, latum altumque esse pedes ternos. E penetralibus anterius longum inveniri pedes viginti quinque cum dimidio, latum undecim; alterum pari latitudine longum pedes viginti unum, porrectum inter orientem atque occidentem. Inque hujus pariete occidentali, januae opposito, ad altitudinem pedum viginti quatuor et bessis, fenestram esse sive ostiolum quadratum per quod aditus datur ad meatum satis spatiosum, longum pedes tredecim cum sextante, ducentem in penetrale, longum pedes viginti sex et dodrantem, latum viginti quatuor et pollicem unum; eadem ratione ac inferiora penetralia fornice tectum acuto atque praealto, sed pavimenti loco habens saxum naturale atque scabrosum, in cujus medio est spatium planum et depressum [12].

Ab his pyramidibus, quibus a vico Dasjur nomen imposuere Arabes [13], duobus millibus passuum pergitur ad septentrionem ad pyramides Saccarenses, ubi primo loco occurrit basis pyramidis, alta pedes quadraginta sex, lata in fronte boreali ducentos septuaginta tres, in orientali ducentos et octo, in summo margine quadraginta pedibus angustior quam in imo: nam tertia supra basin structione coarctatur pedibus decem, reliquis structionibus pedali tantum spatio recedentibus.

---

[11] Pag. 51. 52. tab. 19. fig. C. D. E. Nordenius tom.2.pag.8. hanc paulo minorem apparere inquit quam alteram quam modo descripsimus. Sistit etiam sectionem ejus tab.61. fig. 2., sed parum accuratam, siquidem nec ipse hasce pyramides adiisse videtur. Quae de conclavibus editiore loco sitis tradit Pocockius, accepit a viro cujus nomen tacet, qui scala e funibus facta illuc ascendit: ipse enim eo non penetravit.

[12] Thevenot p. 258. Intelligimus hinc imum saltem hujus pyramidis nucleum rupis partem esse: illud autem spatium depreſſum quod observatur in conclavi superiori, sarcophago defigendo destinatum fuisse conjicio, quem olim Arabes fregerint et frusta abstulerint, pavimenmento pariter rupto atque comminuto. Petrus de Valle pag. 251. inferiores cameras visitavit, de superiori autem audivit ab indigenis, exstare ibi arcam sepulcralem, quam tamen probabile est jam ante ejus aetatem fuisse ablatam. In hoc praesertim a Thevenoto dissentit Pocockius, quod duo esse refert penetralia loco editiore, quodque inferiora conclavia parallela delineavit, cum e narratione Thevenoti unum porrectum sit a septentrione ad austrum, alterum ab oriente ad occidentem. Monconys pag. 195. eadem fere habet quae Thevenot: ostium conclavis superioris 18 tantum pedibus elatum esse ait super pavimento inferioris, se autem illuc non ascendisse. Bremond pag. 74. de more exscripsit Thevenotum, nec semper probe intellexit. Etiam quae secundum observationes P. Fulgentii narrat Gemellius pag. 74. ad verbum consentiunt cum Thevenotianis. Caeterum altitudo in hac pyramide minor, ratione habita latitudinis, quam in iis quae Gizae objacent, in causa fuit ut imperfectam putarent nonnulli, in quibus est Dumont pag. 297. Duarum pyramidum prope Dasjur meminit Sicardus tom. 2. p. 276. e quibus altera altitudine aequet eas quae sunt apud Gizam.

[13] Murtadi pag. *66. 67.* loquitur de duabus pyramidibus apud Dasjur, quarum genii sint senes duo nigro colore. In harum prima sepultum esse conditorem Hargib filium Saurid, qui Aegyptum tenuit quinta generatione ante diluvium Noachi.

Facta autem est e lapide parum duro, conchyliis referto: singuli lapides longi sunt pedes septem, alti quatuor cum dimidio, quae et graduum altitudo est. Sedem Pharaonis appellant Arabes; incertum utrum principium sit pyramidis non terminatae, an disjectae molis reliquiae [14]. Adjacet ei quadrata pyramis pedum ducenûm: nec procul absunt consimilis molis rudera. Inde ad septentrionem tendentibus spatiosus campus est, olim ut videtur fossa ac vallo cinctus, ad quem a Saccara oppido ad ortum sito per declivia ascenditur, via magnis lapidibus strata, cujus latitudo est pedum triginta quinque. In ejus campi parte septentrionali per puteum aditus patet ad cryptam in qua servantur medicata avium cadavera, adjacentibus ab ortu aestivo complurium quadratorum monumentorum ruderibus, atque pyramide fere destructa, circiter sexagenûm pedum amplitudine. Ab austro autem integra pyramis est, alta pedes centum quinquaginta, lata ad septentrionem trecentos, ad orientem ducentos septuaginta quinque; sex zonis exstructa, quae singulae intus recedunt pedes undenos, altae ad libellam pedes vicenos quinos, inclinata autem facie tricenos quinos. Vertex ejus planus est, amplus margine septentrionali pedes quinquaginta cum semisse, orientali viginti duos cum semisse. Coagmentata est opere caementitio e parvis lapidibus calce et arena connexis, ut fere sunt pyramides circumjacentes, lapides autem politi, quibus frontes vestiuntur alti sunt pollices quindecim. Arabes foraminibus factis in ima praecinctione ostium invenire frustra tentaverunt [15]. Circumcirca humi jacent fragmina marmoris e rubro flavoque variegati: nec procul absunt putei per quos descenditur ad cryptas mumiarum, craniis ossibusque late per campum dispersis, parvisque averruncorum geniorum sigillis. Porro ad occidentem et meridiem parvo spatio distant quinque pyramides non magnae, quae vertice obtuso atque rotundo, angulis forte aevi vetustate absumptis, colliculis similes apparent. Harum una latere septentrionali colligit pedes octoginta, latere orientali centum: reliquae minores sunt. Advertit praeterea Pocockius altam illam atque saxeam planitiem, in cujus margine orientali conditae sunt pyramides, arena obtegi ad quinque vel sex pedum altitudinem, ipsam autem quatuor vel quinque millium passuum latitudine extendi ad montes occidentales. Porro a Saccara quatuor fere millibus passuum ad septentrionem tres supersunt pyramides, ejusdem fere magnitudinis ac illa quam Mycerino regi adscribunt veteres: et prope has complurium molium cernuntur rudera informia [16]. Eas non adiere peregrinatores quorum libros evolvere licuit: videtur autem harum una esse, quam inter vicos Abunumerus et Manielmusa Nilo vectus Nordenius delineavit, quinque praecinctionibus rectilateris assurgentem ad planum

---

14 Pococke pag. 50. tab. 21. fig. G. Cf. Vansleb pag. 157.

15 Pococke pag. 49. 50. tab. 21. fig. F. Minus accurate Nordenius tom. 1. pag. 82. tab. 61. fig. 1. e quatuor zonis, iisque rectilateris compositam exhibet, ac desinentem in planum spatium, cujus latitudo ad basin est fere, ut 2 ad 5. Sicardus tom. 2. pag. 279. refert, se Nilo vectum vidisse apud Saccaram magnam pyramidem, cui adjacebant duae minoris moduli, altera ex albo lapide structa, altera e nigro: deinde amplius ad septentrionem alias duas, nigram alteram, alteram albam: Arabes autem tradere, aedificatas esse a rege cui duae erant uxores, alba et nigra. Vansleb pag. 151. et Melton apud Lebrun pag. 207. apud Saccaram et Dasjur quindecim pyramides exstare ajunt, in quibus tres magnitudine spectabiles.

16 Pococke pag. 49. Meminit earum Lucas *voy. en* 1714. pag. 96., narrans se vidisse tres pulcras pyramides sitas inter Saccaram et Gizam. De iisdem intelligendus videtur Sicardus tom. 2. pag. 280., ubi inquit in planitie Mocanan multas conspici pyramides.

verticem; qui tertiam fere baseos partem exaequat latitudine[17]. Ab eodem autem oppido circiter novem millibus passuum ad occasum aestivum, spectantur pyramides illae omnium celeberrimae, quibus nunc nomen est ab oppido Giza, Cairo e regione opposito.

Scilicet a Giza ubi quatuor millibus passuum perrexeris ad occasum hiemalem, canalis est a Nilo deductus, a quo incipit via per agros humiles substructionibus sublevata et secto lapide munita, latitudine pedum viginti, longitudine passuum mille quingentorum, duobus in locis ponte super fossas transvecta. Quae licet nunc maxima saltem ex parte Arabum manu facta appareat, tamen veteris viae ab Herodoto memoratae cursum indicare videtur, forsan instaurata a barbaris ut avehérent lapides, quibus advehendis ab antiquo rege fuerat destinata[18]. Desinit autem ad pedem collis seu campi saxei ad centum, sive ut retulit Niebuhrius centum septuaginta pedum altitudinem supra subjacentes agros elati, in quo pyramides conditae sunt[19]. Nempe Libyci montis radices hoc loco promontorii instar procurrunt ad ortum brumalem, mox iterum pergunt ad meridiem versus Busirin et Saccaram, atque ad Dasjur tendunt Nilo propius admotae. Rupis eadem natura est ac lapidis e quo sunt pyramides; nempe calcarea est, modica duritie, petrefactis lenticularibus et numismalibus interspersa, atque mobili arena obtecta; occurruntque in ea hinc et inde latomiarum vestigia[20]. Multas olim pyramides fuisse in promontorio ad Gizam spectante e ruinis arguitur; quae hodie supersunt in plano campo sex fere millium passuum circuitu. Plurimi praeterea sunt tumuli e secto lapide circumcirca adjacentes, quadrati et oblongi, olim forte pyramidibus figura similes, nunc paucis tantum pedibus super solum assurgentes, in quorum singulis putei sunt ruinis et arena oppleti, per quos olim descendebatur ad cryptas sepulcrorum[21]. Pyramides duodecim vel tredecim adhuc agnoscuntur, in quibus tres notantur mole sua conspicuae. Harum quae a Delta in Thebaidem tendentibus prima

---

17 Norden tom. 2. pag. 6. tab. 61. fig. 4. 18.

18 Maillet p. 220. Pococke p. 42. Norden tom. 1. pag. 80. 89 Niebuhr pag. 193. Pontes insigniti sunt inscriptionibus charactere Arabico hodierno: et viae latera pilis semicircularibus firmata more Saracenico. Sandys pag. 127., ubi narrat scalptas figuras exstare in viae lapidibus, Herodotum descripsisse videtur: nam reliqui peregrinatores nihil hujusmodi de ea adnotaverunt, nisi quod Debreves pag. 275. ait se in pavimento pontis observasse leonem exscalptum. Cf. supra pag. 387. not. 16.

19 Gravius p. 7. aliique altum esse scripserunt ped. 100, Herodotum secuti, cujus verba dedimus supra pag. 389. not. 19. Norden pag. 71. non plus pedibus 80, Volney p. 246. ped. 50, Maillet autem pag. 219. pedes usque 250. Solus Niebuhrius pag. 191. astrolabio mensus altam invenit ped. 170, et supra Nili littora ped. 200 eminere conjicit.

20 Niebuhr pag. 197. 199. Pococke pag. 41. Norden pag. 71. 72. Shaw p. 147. Vansleb pag. 137. 140. Monconys pag. 184. Melton apud Lebrun pag. 198. Maillet pag. 222.

21 Maillet pag. 219. et Norden tom. 1. p. 71. nimium forte tribuentes Aegyptiorum industriae hoc spatium arte complanatum existimant. Vansleb pag. 138., & Melton apud Lebrun pag. 198. pyramides ad certam regulam dispositas fuisse putant, et pari minorum sepulcrorum numero stipatas. Pocockius autem p. 41. tab. 16. eousque sibi indulsit, ut ichnographiam fingeret pyramidum aliorumque aedificiorum in hac planitie ita symmetrice distributorum, ut secunda quae vocatur pyramis velut pro centro esset, reliqua autem omnia, quorum nunc vestigia supersunt, olim bis repetita exstarent. Probabiliorem ichnographiam habes apud Norden tab. 43. Prospectum pyramidum Gizensium dederunt Sandys pag. 128. et Pococke tab. 8. De parvis pyramidibus et de reliquis sepulcris quae hic occurrunt praeter Pocockium l. c. vide inprimis Maillet pag. 259. Vansleb pag. 137. 143. Norden pag. 70. 76.

obvenit, solemni vocabulo magna sive maxima pyramis appellari solet, quamquam ambigatur adhuc utrum eam superet quae a meridie proxime adstituta est. Magnitudinem varie prodiderunt auctores: Gravius mathematicus Anglus, qui in ea metienda magna cum diligentia versatus est, altam affirmat pedes quadringentos nonaginta novem, qui respondent palmis sexcentis octoginta uno, latam in fronte septentrionali circa basin pedes sexcentos nonaginta tres, palmos nongentos quadraginta sex: Niebuhrius altam invenit pedes hafnienses quadringentos quadraginta, palmos sexcentos octodecim, latam in fronte meridionali pedes septingentos decem, palmos nongentos nonaginta septem cum semisse [22]. Latera an sint perfecte aequalia nondum constat, aliis affirmantibus, negantibus aliis: ad oculum quadratae apparent magnae pyramides, neque conditores aliud quaesivisse reor [23]. Sum-

---

[22] Greaves pag. 7. 8. Niebuhr pag. 196. Recte animadvertit Savary pag. 190. videri Niebuhrium nimis detraxisse altitudini pyramidis, quae si aliqua fides haberi potest graduum numero atque magnitudini, uti produntur a scriptoribus, Gravianam quoque mensuram excedere debeat. Qui enim ad verticem adscenderunt, gradus invenere ut minimum 207, in quibus multi sunt 3 pedum altitudinem superantes, nulli infra pedes 2: quare singulis tuto tribui posse videantur ped. $2\frac{1}{2}$, ipsi autem pyramidi $517\frac{1}{2}$. Sunt tamen alii qui gradus tantum notaverunt 206 et 205, atque in universum quae de gradibus hisce retulerunt peregrinatores nimis vaga sunt, quam ut hac in computatione 15 aut 20 pedum ratio haberi possit: quare Gravium non multum a vero distare atque pyramidis altitudinim pedibus circiter 500 definiri existimo. Subjicio mensionum syllabum auctiorem eo quem dedit Savary, latitudinem, altitudinem atque gradus secundum scriptorum relationes exhibentem.

	latitudo	*altitudo*	*gradus*
Herodotus l.2. c.124.	ped. 800	ped.800	—
Diodorus l.1. c.63.	— 700	-plus 600	—
Strabo l. 17. p. 1161.	— 600	-plus 600	—
Plinius l.36. c. 12.	— 883	———	—
Philo Byzant. p. 2657.	— 750	— 450	—
Lewenstein apud Greaves	— ——	———	260
Helfric ibid.	— ——	———	230
Bellonius l.1. c.3.	pass. 325	ped.1000	250
Alpinus pag.29.	ped. 750	— 625	—
Villamont p.654.	—1000	— 992	215
Sandys p.128.	pass. 300	———	205
Debreves p.276.	— 400	———	212
Greaves p. 7. 8. 11.	ped. 693	— 499	207
Thevenot pag.241.	— 682	— 520	208
Monconys p. 194.	— 682	— 480	—
Bremond p.68.	— 628	— 528	210
Vansleb p. 140.	— ——	——	206
Chazelles apud Duhamel	— 690	———	—
Lebrun p. 197.	ped. 704	ped.616	210
Sicard t.7. p.170.	— 670	— 500	220
Maillet pag.253.	— ——	——	208
Egmont p.86.	— ——	——	206
Norden t. 1. pag.71.	— ——	— 500	—
Pococke pag.43.	— ——	——	212
Charlemont apud Niebuhr	— ——	— 444	—
Niebuhr pag. 196.	— 710	— 440	—
Anonym. apud Volney pag. 245.	— 600	— 480	—

Thevenoti mensuras, quas ipse P. Elzear sive Lazaro debere videtur, complures exscripsere, in quibus Dumont p. 272. et P. Fulgentius apud Gemellium pag. 73. Veteres scriptores intelligendi videntur de altitudine obliqua, quam Gravius computat ped. 693. basi aequalem. Veram integrae molis magnitudinem eam esse quam prodit Herodotus, contendit Savary pag. 192. rationibus usus quae nobis non satisfaciunt.

[23] Vansleb pag. 139. 141. affirmat in omnibus pyramidibus binas facies esse latiores, binas arctiores. Etiam ex Pocockii observationibus pag. 43. liquet verticem maximae pyramidis in latere occidentali ampliorem esse quam in boreali. At Vanslebius boreale latus amplius patere ait. Reliqui fere frontes aequales dixerunt. Dubitat tamen Niebuhr pag. 196. Spectare quatuor frontes ad quatuor mundi cardines, inter omnes convenit, quod singulari accuratione effectum asserit Chazellius, de quo supra p. 154. not. 2. Hic notandum superest, scriptores contra quos tunc disputavi, hanc observationem in una tantum pyramide factam tradere, at Duhamelium pag. 394. in pluribus, quod si verum est magnum pondus accedit illorum opinioni. Mirum tamen, Fontenellium qui post Duhamelium scripsit elogium Chazellii, qui nec ignorare potuit maximum rei momentum constitutum esse in repetitis observationibus, de una tantum verba facere. Neque sane quae de pyramidibus e

mum verticem planum invenit Gravius, et quadratum, pedes undique tredecim cum triente. Pocockius autem pyramidis amplitudinem mensus ad tertiam structionem infra verticem, latus boreale reperit pedum viginti sex, occidentale pedum triginta. Advertit idem nullum apparere vestigium statuae, quam ibi positam fuisse putaverunt nonnulli [24]. Ascensum usque ad verticem praebent structiones circiter ducentae et decem, graduum instar factae e quadratis lapidibus grandibus, sine caemento clavisve gravitate sua connexis [25]; e quibus tota moles composita est, excepto ut videtur infimo nucleo, quem nonnulli saxum nativum esse ajunt, alii e lapidum frustulis informibus caemento junctis coagmentatum [26]. Singulae autem

---

Chazellii schedis affert Duhamel, eam prae se ferunt accurationis speciem, ut putare possimus illum in iis examinandis cum diligentia versatum fuisse. En verba ejus: „ Pyramides ipsas „ invisit, et omnium maximae verticem con„ scendit. Prope hanc est alia paulo minor, et „ aliquanto longius sunt aliae tres in eadem li„ nea constitutae, ab ortu in occasum disposi„ tae „. (Aut fallitur hic Chazellius, aut reliqui omnes falluntur.) „ Latera cujusque pyra„ midis a borea in austrum directa, quod uti„ que lineam meridianam prorsus esse immo„ tam evincit. Unum e lateribus basis funiculo „ demetiens invenit 690 pedum; a summo „ vertice ad angulum basis 640: sed altitudini „ desunt 4 aut 5 hexapedae, et latus subjectae „ basis in solo inaequali et in medio se attollen„ te fuit dimensum. Altitudo ad 600 pedes „ exigi potest: basis 4 sunt facies seu 4 trian„ gula aequilatera. Itaque superficies basis erit „ 12100 hexaped. et solidum pyramidis 313590 „ hexap. cubic. „ Fontenelle pag. 57. inquit: *M. de Chazelles étant en Egypte mésura les pyramides, et trouva que les 4 cotés de la plus grande étoient exposés précisément aux 4 régions du monde.*

[24] Pococke p.43. Greaves p. 9. Videtur hic boreale tantum latus mensus esse, cujus latitudo juxta observationem Pocockii erit circiter ped. 14, singulis structionibus utrinque recedentibus pedes ternos. Occidentale autem latus eadem ratione erit ped. 18, qui parum distant a mensura, quam prodidit Thevenotus pag.249., ped. paris. 16 $\frac{2}{3}$, consentiente Lebrunio pag. 196. Minus accurate Sicardus tom. 7. pag. 171. quadratum esse ait ped. 10 vel 12. Debreves p.277. ped. 21. Diodoro scribente verticis amplitudo erat ped. 9, tunc forsan pyramide una structione amplius assurgente. Vide supra p.391. not.26. Etiam ex ea quae nunc suprema est, et 12 lapidibus composita fuisse videtur, duo vel tres lapides hodie desiderantur. Neque exacte complanatum esse verticem, sed e lapidibus nonnullos eminere super reliquos, jam advertit Debreves p.277. De statua ibi posita nil retulerunt veteres: hodierni ex opinione asseruerunt. Vansleb p. 140. sibi visus est observasse foramina clavorum qui plinthum statuae firmaverint. E contrario Nordenius pag.89. nimis fidenter affirmat omnes pyramides eo instituto factas esse ut superne desinerent in fastigium acutum: nam Herodotus supra cit. p.390. not.25. duas commemorat, in quarum vertice positum fuit simulacrum. Putarem tamen maximam illam ab initio fuisse acuminatam, si in eo temporis spatio, quod est Herodotum inter atque Diodorum, casum mihi possem imaginari, quo factum ut summo vertice privaretur. Prospectus quo sole oriente laetantur qui noctu huc ascenderint, descriptionem perpulcram legere est apud Savarium pag. 187.

[25] Norden pag.72. 73. sed qui lapsus videtur, ubi lapides ad prisma sectos ait. Hoc enim, nisi de extimis illis quorum in maxima pyramide nulli supersunt hodie, nemo facile sibi persuadebit. Suspicor etiam de his loqui voluisse Nordenium, sed cogitata sua male exposuisse, ut fere facere solet. E sectis lapidibus constare frontes pyramidum Gizensium, inter omnes convenit. Shaw pag. 147. et Egmont pag. 86. ajunt lapides istos connexos esse ope caementi exiguis lapillis interspersi. Marmore albo olim tectam fuisse asserit Mailletus pag.227. ejusque rei adhuc apparere indicia, parva fragmina gradibus caemento agglutinata. Quod verum esse negat Norden pag.73., humi autem circa pyramidem jacere inquit multa fragmina exigua tum marmoris tum granitae.

[26] Haec sententia est Nordenii pag. 73., asserentis observari hujusmodi structurae clara indicia in pyramidis parte interna, quo loco inter ruinas transitus fit e primo meatu in secundum. E contrario Shawius 148. inquit, se pergentem per angustos illos meatus in duobus locis nativam rupem offendisse, atque inferius conclave et quaecunque sunt infra ostium pyramidis, ex ipsa rupe exsecta videri. Cum eo consentit Egmont pag. 85. inquiens, pyramidem superstructam esse rupi, sectae ad formam dor-

structiones factae sunt ex uno lapidum ordine horizontali, tum altitudine tum latitudine sensim diminutae ab imo ad summum: nam infimae altae esse dicuntur pedes quatuor vel paulo amplius, quinque fere pedum spatio procurrentes; supremae altae pedes duos procurrunt latitudine fere tripedali [27]. Politi lapides, qui frontibus ad obliquam lineam sectis, olim latera pyramidis convestiebant superficie aequali ac laevi, barbarorum rapacitate nunc avulsi sunt, ne uno quidem in sede sua relicto [28]. Etiam qui proxime subjacebant per gradus dispositi, nunc disjecti sunt aut aëris intemperie absumpti. Boreale latus prae reliquis vastatum esse dicitur [29].

---

si camelini, altae ped. 60, quae per basin ejus obliqua directione porrigitur a borea ad austrum. Sed jam Vanslebius pag. 138. 140. affirmavit ipsam pyramidem aliud non esse quam rupem hac forma donatam et lapidibus convestitam, quod liquido appareat in fractura quae est in angulo septentrionem inter atque orientem. His fere gemina e Meltono affert Lebrun pag. 198. Brucius autem pag.40. more suo fidenter asserit, unumquemque qui arenas a pyramidum latere australi removere operae pretium duxerit, inventurum esse rupem ad gradus exsectam; additque in lacunaribus dromi atque conclavis superioris hinc et inde conspici nativi saxi angulos prominentes. Sed haec ita recedunt a reliquorum peregrinatorum observatis et jam per se tam parum probabilitatis habent, ut Brucio credere nequeamus. Illud tamen satis videtur credibile infimum nucleum nativum saxum esse, forte usque ad inferioris conclavis pavimentum: et facile accidere potuit ut calcareus lapis rimosus et stratis petrefactorum intersectus, a Nordenio acciperetur pro opere caementitio. Advertērunt etiam Thevenotus pag. 253. et Mailletus pag. 247. saxum in quo excisus est puteus pyramidis cum antro adjacente, constare lapidum frustulis intermixta arena velut conglutinatis. Caeterum Pocockius pag. 48., licet Shawii opinioni favens, nullam attulit suam observationem qua illa firmaretur. Adversus eos qui pyramidis nucleum rupem esse rentur, disputat Dumont pag. 276.

[27] Vansleb pag. 141. E contrario Gravius pag. 10. gradus ait quo altiores sint eo esse arctiores, quo fiat ut funis a vertice tensus usque ad basin, tangeret uniuscujusque gradus angulum eminentem. Thevenot pag. 242. calculo inito singulis gradibus altitudinem pedum $2\frac{1}{2}$ tribui posse aestimat. Cf. Monconys pag. 184. Lebrun pag.197. Pococke p.43. Alpinus pag.29. infimos gradus altos esse ait ped. 5. Recte advertisse videtur Nordenius pag.88. architectum non certam aliquam ac constantem normam observasse in gradibus, utpote qui politis lapidibus tecti ad oculum non apparebant. Sed ubi altitudine non plus quam 10 pollicibus ab invicem differre ait, nimis abest a reliquis auctoribus. Longitudo lapidum varia est: minimos longos esse ped. 5, maximos ped. 30, auctor est Shaw pag. 146. Sunt qui gradus istos eo fine factos putant, ut per eos ascenderetur ad fastigium: sunt alii qui pyramidi ultimam manum impositam fuisse negant. In illis est Gravius pag. 9.: in his Shawius pag.146. Sed utrisque obstant veteres scriptores, Herodotus inprimis et Diodorus, qui notare non neglexissent, si talis differentia exstitisset inter duas grandes pyramides sibi proxime adjacentes: nam alterius fastigium hodie quoque polito lapide vestitum, argumento est olim totam pyramidem tectam fuisse. Cf. supra pag.384. not.8. Modum quem in pyramidibus tegendis adhibuisse putari potest vetus architectus, ad Herodoti mentem satis bene explicat Pocockius pag.46. tab.16. fig. G., de quo mox infra dicendum. Nescio tamen cur in singulis gradibus tegendis pro uno lapide grandi uti maluerit tribus lapidibus parvis. Hosce autem lapides politos caementi ope gradibus adhaesisse, istiusque caementi reliquias hodie adhuc observari, affirmat Maillet pag. 226. 228. negat Norden pag. 73. Meminit hujus rei Pocockius pag. 43. sed nihil definit.

[28] Pyramidum vastitatem soli aëris intemperiei adscribendam existimat Niebuhr pag. 198., sed non explicavit qui factum ut secundae pyramidis fastigium integrum remanserit et fere intactum. Quod vero Arabes vim iis intulisse negat, cum ejusdem naturae lapides faciliori opera e fodinis Cairo adjacentibus eruere potuissent, non parvi momenti putarem, nisi et Mempheos templa ita funditus essent eversa, lapidesque ad recentia aedificia avecti, ut ubi urbs illa steterit ambigatur hodie, in aliis autem Aegypti partibus nunc parcius habitatis ex eodem lapide perdurarent ingentia aedificia. Alex. Ariostus, qui in Aegypto fuit circa ann. 1476, in libro ms. servato in museo Borgiano fol. 74. expresse refert: „ Hac tempestate Mauri ad eruendos „ lapides quibus aedificent, unam e pyramidi- „ bus diruunt „.

[29] Norden pag. 73. Lebrun pag. 197. Bellon. lib. 1. cap. 3. Sandys pag. 129. Hoc forsan cum

In hoc ostium est, structione a solo decima septima, media ferme fronte, pedibus tamen sexaginta propius admotum ad angulum orientalem; subjacente arenae cumulo, in quo latere suspicor reliquias scalae porticusque quae olim huc ducebant [30]. Supra id lapides ad acutum angulum compositi fastigium fingunt, porticus quam olim adjectam fuisse reor non obscurum indicium; atque in utroque latere interruptis structionum ordinibus relinquitur vacuum spatium haud exiguae capacitatis. Neque enim in molis superficie ostium est, sed pedes aliquot recedit introrsum [31]. Ingressos autem excipit canalis quadratus [32], altus pedes tres cum dimidio, latitudine pari, plano inclinato deorsum tendens circiter pedes octoginta [33], ad locum lapidibus fractis et ab alto lapsis impeditum; ubi a dextris angustum foramen observatur, per quod aditur antrum satis spatiosum et in longum porrectum. Lebrunius se hac pervenisse narrat in cameram magnam et quadratam cum lacunari admodum elevato, pavimento autem ruderibus scabroso [34]. Probabi-

---

Nordenio ad aëris naturam referendum, qui in Aegypto a borea humidior spirat quam ab austro, licet e contrario Alpinus pag.29. afferat, aedificia in Aegypto ab austro maxime vitiari. Sed et inde repetendum videtur, quod cum in hoc latere ostium sit, alios ingressus ab eadem parte sibi aperire tentaverint Arabes. Narrant Thevenot pag. 242. Breves pag. 276. Lucas *voy. en* 1699. pag. 68. Egmont p. 86. aliique, in hoc latere prope angulum orientalem, qua parte peregrinatores conscendere solent pyramidem, inveniri cavum effractum ad instar camerae, quod diversorium appellant, quoniam qui ascendunt, ibi requiescere et vires reficere consueverunt.

[30] Ostium esse supra structionem 16, omnes consentiunt. Quot autem pedum numero supra basin sit elevatum, varie prodiderunt. Norden pag.73. inquit ped. 48, quod vero proximum, cum singulae structiones altae sint circiter pedes 3. Sicardus tom. 7. pag. 171. ait pedes 45, Gravius p.13. ped. 38, Maillet p.230. ped. 100. Quem secutus Savary pag. 192. praeter illos pedes 100, alios 200 prorsus occultari existimat ab arena circa pyramidis basin adaggerata: hoc pacto tuendam ratus fidem Strabonis, qui ostium in medio latere esse inquit, et totam molem altam facit ped. 600. Sed qui fieri potuerit ut illa arenarum aggestio lateret reliquos peregrinatores, inque his Niebuhrium, qui p.195. expresse adnotavit, ad angulos pyramidis cerni infimos lapides saxo nativo impositos, ego non video. Strabonem de latitudinis medio loco intelligendum esse, supra monui pag.386. not.12. Distantiam ostii ab utroque septentionalis lateris angulo primus observavit Thevenot pag. 242. Cumulum illum arena contectum, qui usque ad ostium attollitur, totum a ventis congestum putant: at causam subesse reor, cur hoc potissimum in loco arena constiterit, prolapsa aedificiorum rudera. Deinde ubi video lapides super ostio fastigii instar compositos, & in utroque ejus latere vacuum spatium, multo facilius adducor ut scalam additam fuisse putem porticu tectam, nunc quidem a barbaris vastatam, quam ut cum Shawio pag. 146. ex iisdem indiciis arguam, pyramidis aedificium non esse ad finem perductum.

[31] Delineationes habes apud Sandys pag.130. et apud Norden tab.49. 51. Cf. hunc p. 73. et Petr. de Valle p.246. Lapidem qui ostio epistylii instar superjacet, Thevenot pag. 249. longum esse refert ped.11, latum ped. 8; Lebrun p.193. longum 12, latum 8.

[32] In enarranda pyramidis parte interna inprimis ante oculos habui tabulas Nordenianas 49. 51. et mensuras Thevenoti pag.249. easque quas e Gravio, Sicardo et Mailleto collegit et suis observationibus auxit Pocockius p. 44. Cf. Gravium pag. 13. Sicard tom.7. pag. 171. Maillet pag.230 sqq. Lucas *voy. en* 1714. pag. 129. Egmont pag. 87. Gemelli pag. 71., qui in omnibus fere consentit cum Thevenoto; quod et faciunt Monconys pag.184 Bremond pag. 70. et Lebrun pag. 194. Indiscriminatim usus sum pedibus anglico, gallico, danico: cum persuasum habeam hasce mensuras non ita exacte proditas esse, ut minutarum partium aliqua ratio haberi possit.

[33] Gravius, dum ped. angl. prodit $92\frac{1}{2}$. initium statuit a superficie pyramidis: Thevenot autem incipiens ab ipso ostio, quod introrsum recedere diximus, tradit ped. paris. $76.\frac{1}{2}$: Sicard ped.85, Egmont et Lucas 84, Maillet 100. Altitudinem latitudini parem facit Gravius: Thevenot paulo majorem, scilicet ped. $3\frac{1}{3}$.

[34] Lebrun pag.196. Alii, in quibus est Thevenot, per foramen illud pergi ajunt in syringem satis spatiosam, sed quae effracta videatur,

le etiam videtur in hac parte olim descensum fuisse ad cryptas subterraneas. Has ruinas praetergressus venis ad secundum meatum, priori fere similem, sed spatiosiorem aliquanto, qui ascensu modice acclivi, plano aeque ac in primo meatu ad angulum graduum viginti sex inclinato, porrigitur pedes centum et decem, ad compitum planum amplitudinis pedum quindecim [35]. Canales isti, uti et caeteri qui in pyramide detecti fuere hactenus, undequaque vestiuntur marmore sive alabastro albo flavescente, accurate polito, cum foraminibus incisis in pavimento quae graduum loco sunt [36]. A compito autem supra dicto tres viae patent in intimos pyramidis recessus. Est enim a dextris cellula in qua puteus rotundus trium pedum diametro, iis similis per quos apud Saccaram descenditur ad cryptas, pariterque foraminibus instructus, ubi pedem figas descendendo. Is initio ad perpendiculum effossus, postea oblique tendens ad austrum, deprimitur pedes sexaginta et septem usque ad ostium antri non magni, inter ortum et occasum porrecti; a quo iterum tortuoso descensu pedum centum triginta octo, venis ad locum ruinis sordibusque expletum et obturatum [37]. Alpinus refert se in puteum descendisse passus septua-

---

non arte structa; longam secundum Gravium ped. 89, latam 20, altam 9; secundum Mailletum longam ped. 40, altam 8 vel 10. Scripsere nonnulli inter hujus loci ruinas puteum esse ad hypogaca descendentem: sed isti hoc spatium confudisse videntur cum altero de quo mox dicendum, quandoquidem in eo putei non meminere. Attamen Sandys pag. 129. se in Aegypto audivisse refert, duos esse in pyramide puteos, alterum in fine primi canalis, alterum magis ad austrum: et Breves pag. 277. praeter puteum altiore loco situm, commemorat in fine primi canalis descensum profunde depressum infra basin pyramidis, sed muro praeclusum. Certe in iconismis quotquot vidi, primus canalis pergit infra sequentis meatus ostium, ut Mailletus ait ped. 10, ubi ruderibus videtur oppletus; atque ipsa canalium directio deorsum inde sursum tendentium credere suadet, in hoc loco, ut omnium maxime depresso, olim iter patuisse ad hypogaea. Caeterum circa hunc situm dissonae inprimis sunt et confusae peregrinatorum relationes. Qui de angustiis loquuntur, per quas vix transitus concedatur, intelligendi sunt de arena, quae a ventis per ostium pyramidis huc detruditur. Nam via ante descensum expurgata, facili negotio ab uno meatu pergitur in alterum. V. Thevenot p. 250. Norden p. 74. delusus figmentis Mailleti ex ruinis quae hic offenduntur, patere ait obstructos aliquando fuisse meatus pyramidis. Cf. eundem pag. 78.

[35] Secundum meatum longum prodit Thevenotus ped. 111, Greaves 110, Sicard et Egmont 96, Gemelli 76, Lucas 100. Inclinationem canalium statui graduum 26, secutus Gravium mathematicum atque tabulas Nordenii. Egmont facit grad. 35, Thevenot. grad. 60, cum quo consentire videtur Maillet, inquiens descensum esse valde rapidum. Etiam compiti amplitudinem mutuatus sum a Gravio: secundum Egmont longum est ped. 12, secundum Maillet ped. 10. Norden pag. 74. ait huic compito praeter canales mox memorandos adjacere cellulam sive cameram aditu difficilem et ruinis oppletam. Circa capacitatem meatuum fere consentiunt auctores: solus Gravius secundum meatum altum latumque esse ait ped. 5, cum reliqui priori fere statuant aequalem. Sed notavit etiam Gravius huic canali non ubique eandem esse latitudinem, et Mailletus ait ab Arabibus ita fuisse vastatum ut fere rotundus appareat.

[36] Norden pag. 74. 91. Greaves p. 13. Maillet pag. 230. et alii. Suspicor equidem, quod appellant marmor orientale lucidum, esse alabastrum veterum sive marmor stalactiticum, quo abundat Aegyptus, parte Arabica ubi fuit Alabastron oppidum. Ex hoc enim lapide multa vasa satis grandia in Aegypto reperiri constat: (cf. supra pag. 282.) est et colossea imago Aegyptia in suburbano Albaniorum. Marmor autem statuarium vulgare in Aegypto effodi, nemo quod sciam prodidit: atque ex eo licet varia opera Aegyptia serventur in museo Borgiano, tamen nec ea est copia neque moles, ut de materiae patria aliquid inde arguendum rear.

[37] Sic Thevenotus ex relatione P. Elzear qui eo descendit anno 1652. Conf. Maillet pag. 249. Norden. pag. 74. 78. Puteum rotundum esse advertit Gravius, qui ultra ped. 20 in eum descendere non potuit, arena impeditus. Habitare ajunt in pyramidis recessibus innumeram vespertilionum multitudinem, magnitudinis, inquit Gravius pag. 13. plus quam pedalis, qui excrementis suis omnia coinquinant, et maximum creant intrantibus fastidium.

ginta; donec inveniret duas vias quadratas conjunctas in loco vacuo lapidibusque obturatas, quarum unam ad sphingem ducere deprehendit pyxide nautica, alteram ad magnam pyramidem proxime adjacentem [38]. Esse autem in hujus putei lateribus cryptas complures, in quibus Almamuno Chalipha imperante inventa fuerunt cadavera linteis involuta, produnt annales Arabum: iidemque narrant statim ab ingressu in pyramidem repertum fuisse vas smaragdinum aureis numis plenum, in superiori autem conclavi statuam lapideam, quae cadaver includebat pretiosis lapidibus scalptisque gemmis ornatum [39]. Altera via canalis est quadratus, ut sunt ii quos jam commemoravimus, sed horizontali meatu a compito tendit in austrum, pedes centum et decem [40], ad conclave e syenite lapide factum, longum inter orientem atque occidentem pedes octodecim, latum sedecim, altum undecim cum quadrante, praeter lacunar inclinatis lateribus ad fastigium assurgens pedibus supra solum viginti uno et quadrante [41]. Pavimentum fractum est ac ruderibus impeditum, quod barbari thesauris inhiantes novas vias sibi aperire tentaverunt: et juxta ingressum fossa est, per quam inter ruinas plus viginti passibus deorsum pergi ait Mailletus [42]. In pariete orientali, qui ostio objacet, brevi meatu itur ad

---

[38] Alpinus pag. 31. Is comite usus P. Paulo Bigio, qui ut ipse ait primus puteum purgandum curavit anno 1585, non ulterius descendisse videtur quam ad antrum commemoratum a Thevenoto: et falli Pauwium *recherch. sur les Egypt.* tom. 2. pag. 50. atque Delrosso *ricerche sull'archit. Egiz.* pag. 18., dum eum amplius progressum autumant quam omnes qui post eum venere, atque retulisse quae caeterorum nemini observare licuit. Nam 70 illos passus de gradibus intelligendos reor puteo incisis, et respondere pedibus 67, quos mensura invenit P. Elzear. Nec magni facio observationem de meatuum directione: nam valde dubito Alpinum cum in puteo pyxidem nauticam inspiceret, accurate scivisse ubi sitae essent sphinx et altera pyramis. Errasse etiam videtur, ubi contra ac prodiderunt Gravius ac Pocockius pag. 48. et constans invenitur Aegyptiorum consuetudo, non foraminibus saxo incisis, sed lapidibus eminentibus veluti podiis descendi ait.

[39] Ibn-abd-alhokm apud Gravium pag. 13. Cf. Shaw pag. 156. Ista quidem ut Arabum mos est, qui aurum gemmasque et smaragdos ubique inferciunt, fabulis aucta esse, nemo non videt. Sed quae rei substantia est, quominus veram putem rationes non invenio, cum apprime consentiat cum Aegyptiorum moribus ac veterum scriptorum dictis. Quae autem de pyramide, jubente Almamuno, qui chalifatum tenuit initio saeculi noni, improbo labore et magno sumptu perfossa narrant iidem Arabes, atque singulari solertia explicavit Mailletus, quem Pocockius et Savarius descripsere, ad nugas ablegada esse nullus dubito. Scimus enim e Strabone supra adducto pag. 385. not. 12. ostium pyramidis olim clausum fuisse lapide exemptili, quo sublato obliquus meatus patebat usque ad sepulcrum. Ignoravit etiam Murtadi obturatos illos et impenetrabiles meatus. Nam praeter fossam e Nilo perductam in pyramidem, syringes in ea factas esse narrat pag. 61. per quas aër rueret immani impetu atque fragore. Scilicet Saurid regem, filium Sahaloc et patrem Hargib, qui Aegypto praefuit sexta generatione ante diluvium, hoc artificio cadaver suum immune reddere voluisse ab incendio, quo totam Aegyptum conflagraturam esse praesciverat. Abulfeda pag. 13. inquit: Sunt pyramides ut narrant se„ pulcra veterum: ohe vero quam multa nar„ rantur, quorum non certa fides!„

[40] Sic Gravius. Sicard et Egmont ped. 113, Maillet 118, Lucas 132. In hujus canalis lacunari fissuram esse per totam ipsius longitudinem porrectam, observat Maillet pag. 236.

[41] Ita Egmont, qui mensuras a Sicardo accepisse ait. Minus accurate prodidit ipse Sicardus l. c. Maillet longum esse inquit ped. 17 $\frac{1}{2}$ latum 15 $\frac{10}{12}$; Lebrun longum 18, latum 12; Gravius longum 20, latum 10. Parietes atque fornicem e lapidibus graniticis constare affirmat Norden p. 74. 91. et falli Gravium qui tectorio opere indutos ait. Lacunar autem, quod acutum fornicem appellant, ejusdem naturae esse conjicio, ac illa quibus teguntur Dasjurensis pyramidis conclavia supra descripta, et dromus pyramidis Gizensis mox infra commemorandus; scilicet lapidibus sensim procurrentibus, et angusto spatio plano in summo vertice.

[42] Maillet pag. 237. Norden pag. 74. Incertum videtur utrum hic jam olim angusta via fuerit ad cameram subjacentem, an tota fossa ab Arabibus effracta sit ex solida fabrica.

cellulam, altam pedes octo, latam tres, profundam totidem, cadaveri ut videtur recte collocando destinatam [43]. Caeterum hoc conclave constitutum videtur in centro pyramidis ad eandem fere altitudinem qua est ostium: pariterque in molis meditullio, sed loco altiore, aedificatum est magnum penetrale, ad quod tertia via ascenditur ab eodem illo compito. Initio quidem gradibus incisis in pariete ad utrumque latus ostii canalis illius horizontalis, scandis pedes octo [44]; mox autem excipit dromus ad austrum tendens, meatui oppositus per quem ventum est ad compitum, eademque ac iste obliquitatis ratione. Hujus longitudo est pedum centum triginta sex, latitudo sex cum dextante; sed via incisuris ad pedes figendos instructa, coarctatur subselliis sive podiis, quae sunt ad utrumque parietem, lata pedem et dodrantem, altitudine pari, a summo ad imum continuata. In utroque autem podio cavitates sunt vicenae octonae, pedalis longitudinis, latitudinis et profunditatis plusquam semipedalis, ad distantiam pedum ternûm et pollicum novenûm, quae statuis aut vero sarcophagis infigendis atque parieti applicandis destinatae videntur. Parietes dromi binis lapidum ordinibus complanati, alti sunt supra podia pedes quinque cum quadrante; deinde septem ordinibus ternos pollices procurrentibus, instar acuti fornicis assurgunt usque ad pedes viginti sex supra pavimentum, plano lacunari pedum circiter trium relicto in vertice [45]. Desinit autem

---

43 Maillet pag. 236. Norden. pag. 79. Greaves pag. 13. Narrat Thevenot. pag. 251. se audivisse, fenestram esse prope summam apsidem ad novos canales ducentem, sed quam ipse frustra quaesivit.

44 Norden. pag. 79. Thevenot. pag. 251.

45 Pococke pag. 44. tab. 16. fig. A. B. collat. cum tabulis Nordenii, qui pag. 79. in reliquis quidem consentiens cum Gravio et Pocockio, dromi altitudinem prodit pedum 22. Egmont eandem facit ped. $22\frac{1}{2}$; Sicardus ped. paris. 24; Maillet 25, qui superant ped. Gravianos 26. Idem longitudinem dromi facit ped. 136, Gravius autem ped. 154, Thevenotus et qui eum secuti sunt ped. 162: sed qui intelligendi videntur de tota distantia puteum inter et magnum penetrale. Neque in latitudine definienda consentiunt peregrinatores. Sicardus ait ped. 6, Thevenot $6\frac{1}{2}$, Egmont $6\frac{1}{2}$, Gravius $6\frac{87}{100}$. Podia Thevenotus alta esse ait ped. $2\frac{1}{2}$, Egmont $1\frac{1}{2}$, Gravius $1\frac{717}{1000}$. Foramina in alterutro 28 prodidit Sicardus, in Nordenii tabulis notantur 30. In his olim infixas fuisse statuas suadet etiam Arabum traditio apud Murtadi pag. 61. Dum enim narrant in hac pyramide multas statuas positas fuisse a rege conditore, in ea autem quae apud Dasjur est, non ita: credere faciunt in illa, quo tempore profanata fuit ab Arabibus, simulacra inventa esse, alteram autem iis caruisse. Incisuras in pavimento quinum palmorum spatio ab invicem distare, ait Petr. de Valle p. 248. Circa fornicis modum cum Pocockio convenit Nordenius: Mailletus in hoc tantum dissentit, quod solos quatuor lapidum ordines procurrere ait. Reliqui fere neglecto plano vertice fornicem dixerunt acutum, cujusmodi exhibuit Lebrunius in dromi icone tab. 84., in ipso quidem loco ad facularum splendorem picta, sed parum sane accurata. Prorsus autem a scopo aberrant Pauw lib. cit. tom. 2. pag. 89. et Delrosso lib. cit. pag. 123., ubi hoc argumento utuntur ad probandum, arcus seu veros fornices in usu fuisse apud Aegyptios: nam inveniri in hac regione lacunaria utrinque obliqua sive fornices quos vocant a dorso asini, nec Caylus nec Goguetus, contra quos disputatio instituitur, ignorare potuere. Neque majoris momenti sunt reliqua quae afferuntur de arcubus in Aegypto. Pocockius, inquiunt, reperit arcum Aegyptium in provincia Fium. Sed nil tale uspiam sibi arrogavit industrius pegrinator: ait tantum pag. 62. se inter ruinas illas observasse incerta quaedam rudera, quae arcum indicare videbantur, Aegyptiae fabricae an Graecae Romanaeve non addit, neque omnino de re sibi constare affirmat. Porro, in cryptis hinc et inde laquearia arcuata occurrere dicuntur: sed quid nobis cum cryptis e solido saxo excisis, dum quaeritur utrum arcum construere sciverint Aegyptii? Solus itaque relinquitur Plinius lib. 36. cap. 13. qui nescio ubi legerat, Labyrinthi architectum „ fulsissse trabibus spinae oleo incoctae, dum fornices „ quadrati lapidis assurgerent „. Affirmat praererea omnes Labyrinthos, Aegyptium Cretensem, Lemnium et Clusinum, fornicibu

dromus in planam aream, ejusdem ac ipse latitudinis, longam pedes quinque et dimidium: in cujus vertice, ostium est per quod aditus datur ad parvum conclave nuper detectum a Davidsono Anglo [46]. Hac relicta per canalem rectum, quatuor pedum amplitudine, longum pedes octo, conscenso pavimento editiore venis in vestibulum e lapidé syenite, longum pedes sex cum dodrante, latum quatuor cum semisse, altum decem, in cujus fronte conspicis canaliculos quinque ad perpendiculum scalptos, utrinque autem in lateribus loculos tres, pariterque super ingressu spatium intro recedens. E vestibulo canalis brevis praecedenti par atque e regione oppositus, ad magnum penetrale ducit, qui ultimus est pyramidis recessus, ac conditoris funeri collocando inservisse putatur [47]. Ostium est in latere septentrionali juxta angulum qui spectat ad ortum aestivum, eadem positione ac in conclavi inferiori: quo fit ut longitudo cellae extendatur a dextris intrantium pedes triginta quatuor cum triente, latitudine pedum septemdecim cum sextante, altitudine novemdecim et dimidii [48]. Est enim quadratum oblongum, parietibus recte assurgentibus, senis aequalium lapidum ordinibus, cum lacunari plano e novem lapidibus concinnato, latis pedes quaternos, et per totam cellae latitudinem exporrectis: totum aedificatum e saxo granitico rubro ad splendorem usque laevigato [49]. In hujus parte occidentali sarcophagus est e granite nigro, pavimento infixus, pari a tribus parietibus quibus adjacet distantia, scilicet pedum quatuor cum triente: longus inter septentrionem et meridiem pedes septem, pollices tres et dimidium, latus pedes tres, pollices tres et dodrantem, altus totidem, angulis rectis, operculo nunc quidem carens [50]. Inter sarco-

---

tectos fuisse. Quam autem lubricum sit stare cum solo Plinio, ut moneam opus non est. Plus praesidii praestarent pyramides Davarenses, de quibus supra diximus, si propius inspectae eas ostenderent cellas arcuatas, quas e longinquo observasse sibi visi sunt nonnulli. Illud vero quod supra affirmavimus p. 381., pyramidum institutum inde repetendum videri quod arcubus uti non consueverint Aegyptii, ipsis his quos vocant fornicibus egregie firmari existimo. Nam hujusmodi fornices non proprio pondere connexi, ut nostri fornices sunt, nisi circumstructa mole teneantur et pendentium lapidum pondus aliorsum derivetur, stare nequeunt. Quare cum Aegyptii in sepulcris suis eos adhibere coepissent, coacti fuere aedificiis uti maximopere solidis, quibus cum fastigium addere vellent et figuram quadratam, adinvenerunt fabricam pyramidum.

46 Niebuhr pag. 199. Bruce pag. 40.

47 In vestibulo describendo atque via qua a dromo itur in penetrale, secutus sum Nordenium pag. 74. 79. tab. 49. 51. Altitudinem vestibuli mutuatus sum a Gravio, reliquas mensuras a Pocockio. Caeterum in hac potissimum parte magna est scriptorum dissensio. Thevenotus et alii complures nullam ejus habent rationem, sed a dromo statim ad penetrale describendum transeunt. Sicardus et Lucas omissa vestibuli mentione a dromo ad penetrale pergi ajunt canali plano, longo ped. 21, lato $3\frac{2}{3}$, alto $3\frac{1}{3}$: cum quibus fere consentit Debreves. Gravius prolixus est hoc loco, sed obscurus, quae et causa esse videtur, cur Pocockius qui cum eo stare solet, hic deseruerit. Mailletus p.238. vestibulum altum esse ait pedes 15, et hoc in loco singularis artificii, quo ad penetralis aditum praecludendum usus esset vetus architectus, praeclara deprehendit vestigia. Secundum eundem scriptorem pag. 234. area in summo dromo longa est ped. 8 vel 9.

48 Ita Gravius pag. 15. Thevenotus, Mailletus aliique longum esse ajunt ped. 32, latum 16, altum 19. Sicardus de reliquo consentiens, altum facit ped. 16; Egmont longum 35, latum 17, altum 18; Debreves longum 40. latum 20, altum 30.

49 Ita Gravius l. c. Cf. Maillet p. 241. Thevenot pag. 251. et alii. Lapides qui in lacunari utrinque tenent locum ultimum, binûm tantum pedum latitudinem ostentant, reliqua parte vertici parietis innixa atque occulta.

50 Hic quoque Gravii verba expressi. Vide supra pag. 323. not. 19. Nordenius pag. 86., ubi

phagum et parietem borealem pavimentum effractum est, ac inter rudera sex fere pedum profunditate descendi ajunt ad parvum conclave quadratum [51]. Sunt praeterea in iis parietibus, qui longitudinem penetralis efficiunt, duo foramina parva quatuor fere pedibus supra solum e regione sibi opposita, alterum quadratum et oblongum, alterum rotundum, quae nunc quidem post paucorum pedum profunditatem obturata inveniuntur, sed olim fortassis per totam molem perducta aëri purgando inserviebant [52]: nec improbabile videtur, fuisse in pyramide plura hujusmodi spiramina, ne stagnante mephitide opprimerentur, quibus mandatum esset cadavera illuc deportare. Haec sunt quae in pyramide hactenus observata invenio, sed suspicor multos superesse recessus nondum exploratos. Circa pedem ejus, praesertim ad latus occidentale, ingens est sepulcrorum numerus cum puteis arena ruderibusque oppletis: ad orientale latus adhuc distinguuntur tres parvae pyramides, quarta autem longius distat ad occidentem, opposita angulo magnae pyramidis qui est inter occasum et meridiem [53].

Deinde ubi ab eodem magnae pyramidis angulo passus circiter ducentos progrederis ad meridiem, venis ad angulum secundae pyramidis magnae ortui aestivo objacentem [54]. Haec condita est super tubere exsurgente e campo saxeo, arte secto atque complanato, pedibusque triginta quatuor editiore quam est solum prioris pyramidis [55]; atque ad occidentem et septentrionem, fossa cingitur lata pedes nonaginta, ac rupe ad triginta pedum altitudinem secta ad libellam, in cujus fronte excisa sunt antra quadrata serie continua, ante quae porticum fuisse conjicit Pocockius. Paucae in his observatae fuerunt notae hieroglyphicae [56]: sunt autem

---

negat hunc sarcophagum ac reliquos, qui in pyramidibus deprehenduntur lapides granitici, arte politos fuisse negat, oblitus videtur, se scripsisse p.74. graniten quo vestitur conclave inferius, perfecte laevigatum fuisse.

[51] Sic Lebrun pag. 195. qui se illuc descendisse refert. Norden pag. 75. valde profundum esse ait. Maillet pag.237., Arabes thesaurorum cupidos hanc foveam fecisse putat, quae et Gravii sententia est.

[52] Ita sentit Norden pag.92. Ex hisce foraminibus quod ad boream spectat, Gravius latum esse ait $\frac{7}{10}$ pedis, altum $\frac{4}{10}$: alterum amplius esse et figura fere rotunda. Cf. Maillet pag.242.

[53] Pococke pag.41. tab. 16 Norden pag. 76. tab.43. Thevenot pag.255. Maillet p. 259. Vansleb pag.142. 137. narrat, se adiisse plus quam decem e parvis pyramidibus quae magnis illis adjacent, atque in quavis invenisse puteum quadratum et profundum e vivo saxo exsectum: unde arguit in cunctis pyramidibus, hujusmodi descensus exstare. Idem pag.138. circiter centum pyramides in hac vicinia fuisse existimat, nimirum quod omnia sepulcra super terram elata, quorum hic offenduntur vestigia, pyramidum nomine appellanda censuit. Nec sane improbabile videtur maximam partem ad hanc formam facta fuisse. Affirmat etiam Melton apud Lebrun pag. 198. in quavis pyramide puteum esse; atque in nonnullis observari characteres hieroglyphicos. In tabula Pocockiana conspicitur via strata incipiens a supradicto pyramidis angulo, sed quam auctor symmetriae gratia adjecisse videtur. Cf. eundem pag. 47. In Nordeniana autem signata est via sive agger ab inferiore planitie ad occidentem tendens versus magnam pyramidem, cum magno cryptarum numero ad utrumque latus via.

[54] Niebuhr pag.196. praefatos utriusque pyramidis angulos distare ait pedes 565 sive passus duplices 113. In ichnographia Pocockiana secunda pyramis ped. 1000 distat a prima, totidemque a secunda tertia. Norden p. 70. unamquamque e quatuor magnis pyramidibus a proxime adstituta distare ait passus 400; pag. 75. passus 500 aut 600.

[55] Niebuhr l. c. solus, quod sciam, altitudinem ejus mensus est. Idemque advertit, rupis partem arte ita fuisse comparatam ut pyramidi pro basi esset. Reliqui tantum adnotaverunt, hanc pyramidem priore altiorem apparere, eo quod saxi tubere imposita esset; quamquam ipsum aedificium paulo minus sit.

[56] Greaves pag.19. Maillet pag. 259. Pococke pag.45. Norden. pag.93. tab.43. Supra cryptarum ostia a solo ped. 10. quadrata foramina

aliae cavernae ad ortum brumalem, tum grandium figurarum scalptura tum characteribus hieroglyphicis insigniter decorae, et puteis ad inferiora antra ducentibus instructae [57]. Ante orientale latus pyramidis cernuntur quadrati templi sive vestibuli rudera praegrandibus lapidibus structi [58]. Ipsa magnitudine par esse videtur priori pyramidi: Niebuhrius altam invenit pedes quadringentos quadraginta tres, seu palmos sexcentos viginti duo cum semisse; amplam in latere boreali pedes septingentos et quinque, palmos nongentos nonaginta et semissem [59]. Summus vertex acutus est et integer, et superior pyramidis pars usque ad pedes quinquaginta infra apicem, adhuc contecta est lapidibus accurate laevigatis, qui ad solis radios splendere dicuntur: reliqua pars aeque ac prioris pyramidis latera, ablatis extimis saxis gradus offert per quos ascendi potest [60]. Etiam in vertice qui integer est, gradus incisos observari ait Nordenius, quod mire consentit cum Diodori narratione [61]. Isti autem politi lapides, si recte advertit Pocockius, non ultra gradus procurrunt, ut in pyramidibus apud Saccaram, sed illud tantum implent spatium prismaticum, quod remanebat inter binum graduum angulos: eademque ratione tectam fuisse pyramidem Cheopis, credere faciunt quae narrat Herodotus de modo lapidum sublevandorum [62]. Caementi reliquias, cujus ope firmiter adhaererent gradibus, adhuc conspici affirmant nonnulli, negant alii [63]. Plerique retulerunt, saxo granitico amiciri hujus pyramidis verticem: at Niebuhrius qui solus eousque ascendit, observavit extimos lapides ejusdem esse substantiae calcareae ac interiores pyramidum structiones et rupes quae eas subrigit [64]. Conjicio autem de iis

---

observavit Pocockius, quibus conjicit aliquando infixas fuisse trabes lapideas, subrectas a columnis, quae porticum efficerent ante cryptas. Pergi etiam e primis cryptis in alias interiores, idem animadvertit. Spatium autem quod in rupis facie obtinent, Gravius longum esse ait ped.1400. Radzivil pag. 163. ait has cryptas habere lacunaria velut tabulata, trabibus non quadratis sed semicircularibus ex ipsa rupe exsectis.

[57] Pococke pag.46. Norden pag. 76. De figuris grandibus et de characteribus hieroglyphicis in cryptis quae sunt circum pyramides, vide Vansleb pag.143. et Melton apud Lebrun p.199. Delineationem perquam nitidam cryptae in hac vicinia, scalptis figuris exornatae, ostendit mihi Graves V. C. nuper ex Aegypto redux.

[58] Norden pag.90. Pococke pag.46. Greaves pag. 19 Ante unamquamque e tribus pyramidibus majoribus templi rudera conspici ait Thevenot pag. 255., atque inter ea quae sunt ante secundam pyramidem inveniri fossam, secundum Arabum traditiones via subterranea ducentem in cavitatem sphingis. Cf. Maillet pag. 221.

[59] Niebuhr pag. 196. Pedes 500 altam aestimat Norden pag.71. Etiam Pococke pag. 45. et Lebrun pag. 193. affirmant duas magnas pyramides paris altitudinis sibi visas esse. Reliqui fere hanc paulo breviorem dixere. Thevenot pag. 254. latam esse ait ped. 631; Monconys pag. 194. altam ped.665, latam 631; Dumont pag.275. altam 510, latam 630.

[60] Niebuhr pag. 198. Norden pag. 89. 93. tab. 42. 45. Radzivil pag. 163. Valde autem vastata est hujus molis pars inferior. Arabes eam perfodere tentavisse, auctor est Pococke p. 45. et foramen adhuc conspici in eo loco. Idem pag.46. advertit, circiter centum pedibus infra verticem pyramidem videri dilatatam: puto quia in ea destruenda plus profecere in parte inferiore. Summum verticem integrum esse negat Maillet pag.224.

[61] Norden p. 75. Cf. Diodorum supra p.392. not. 29.

[62] Pococke pag.46. tab.16. fig. G. Cf. Herodotum supra p. 388. not. 17.

[63] Vide supra pag.403. not.27.

[64] Niebuhr pag. 198. Nescio autem qua ratione inductus putaverit, tegentium lapidum scabrositates abrasas fuisse, postquam jam in sede sua essent collocati: cum naturalis ordo is videatur, lapides accurate polivisse, postea pyramidi applicasse. Non lapide vestitam fuisse, sed opere caementitio, affirmant Bellonius observat. lib.2. cap. 43. et Lucas *voy. en 1699.* pag. 71.

lapidibus quibus confectae fuerunt harum molium facies, intelligendos esse veteres scriptores, qui unanimes fere asserunt, lapicidinis in Arabico latere potissimum usos fuisse earum conditores. Nam Troicum lapidem e monte Babyloni adjacente, ubi nunc est arx Cairina, praestantioris naturae fuisse ac politurae magis idoneum, quam reliqui lapides calcarei in Aegypto obvii, inde arguo quod hujus expresse meminerint auctores: ideoque ad pyramides vestiendas hunc praelatum fuisse reor, cum ad molem coacervandam sufficerent saxa ex ipso monte cui superstructae sunt [65]. Nullum in hac pyramide, licet lateribus undique ruptis, apparet ostii indicium, neque unquam aditum in ea fuisse puto supra solum, sed per sphingem illam immanem, quae conspicitur ante mediam pyramidem in latere orientali passibus fere trecentis ab ea remota, subterraneo meatu ventum esse ad intimos molis recessus: quare et Plinius Amasin sive Amosin, a quo nonnulli secundam pyramidem aedificatam affirmabant, in sphinge illa sepultum fuisse narrat [66]. Haec velut totius regionis numen tutelare et adjacentium sepulcrorum custos, sita est in loco multo quam pyramides humiliori, centum passibus distans a campo quem Nilus irrigare solet: nec aliud esse videtur quam ipsius rupis anterior pars in monstri formam expolita. Nunc maxima sui parte arenis obruta est, capite tantum et summo dorso cum pectoris parte eminentibus. Caput longum est pedes septemdecim; inde a mento usque ad solum hodiernum supersunt pedes decem cum dimidio: pectus amplitudine efficit pedes triginta duos; totius autem monstri longitudo est pedum fere centum triginta. In dorso foramen exstat, longum pedes quinque, triginta pedibus distans a cauda, septuaginta quinque a cervice, atque in vertice capitis aliud foramen observari dicitur: ambo nunc arena obturata, olim procul dubio descensum praebebant ad syringas subterraneas. Vultu conversa est ad Nilum et solem orientem, capiteque gestat calanticam laxiorem, cujusmodi tantum non constanter deprehendimus in sphingum simulacris, serpente uraeo super fronte excubante [67]. Ad sinistrum sphingis latus, centum aut amplius passibus ad occasum aestivum parva pyramis est, vi effracta et maximam partem

---

[65] Lapides e quibus structae sunt maximae pyramides, parum duros esse, ac aëri expositos sensim decomponi, asserunt Norden pag. 73. et Niebuhr pag. 198. Hic etiam observat p. 199. naturae esse calcareae, ac petrefactis numismalibus et lenticularibus interspersos. Shaw pag. 147 similes esse ait vitro muscovitico, conchyliisque fossilibus et substantiis corallinis, quibus referti sunt montes Libyae: ejusdemque naturae esse puteum in arce Cairina, quem Josephi appellant, lapicidinas in monte Mocattem, cryptas Saccarenses, sphingem et cavernas quae pyramidibus adjacent. Cf. supra pag. 400. not. 20.

[66] Vide supra p. 384. not. 8.* et p. 392. not. 29.

[67] Pococke pag. 46. Niebuhr pag. 197. Norden tab. 46. 47. Cf. Shaw pag. 157. Sandys pag. 128. Vansleb p. 145. Lebrun tab. 85. Monstri partem quae hodie adhuc conspicitur, structam videri e quinque lapidibus altero alteri superpositis, refert Thevenot pag. 255., sed esse unum saxum atque nativum quatuor venis parallelis distinctum. Idem advertit Maillet pag. 222. subjungens, adhuc cerni reliquias rubri pigmenti, quo sphingis simulacrum olim fuerit obductum. Corpus ejus cum maximam partem arena occultetur, nonnulli acceperunt pro statua sive protome mulieris, atque diversam crediderunt a sphinge cujus meminit Plinius. Inde factum ut Alex. Ariostus fol. 74. et sphingem et Semiramidis effigiem ex albo lapide prope pyramides constitutas scribat; utque Dapper in descriptione Africae tab. adj. ad pag. 64. juxta pyramides praeter sphingem collocet colosseam protomen Rhodopis. Cf. Thevenot. l. c. Lebrun pag. 199. Radzivil pag. 163. Pet. Martyr fol. 89. Monconys pag. 195. Villamont pag. 658. Mailleti opinio, dum sphingem olim aedificio tectam fuisse putat, ejusque aedificii vestigia observasse sibi visus est, non satis videtur probabilis.

diruta : in qua Pocockius duarum januarum quinque pedes ab invicem distantium antas vidit, hieroglyphicis notis inscriptas . In altero autem latere, pari fere distantia ad meridiem, duae sunt, quarum altera saxo quindecim pedes alto superimposita, singulis lateribus colligit pedes centenos quinquagenos [68]. Duas praeterea pone sphingem ad occidentem collocat Nordenius, advertitque omnes parvas pyramides effractas esse et fere destructas. In una ex iis puteum vidit quadratum, adhuc profundum pedes triginta, ima parte arena repletum [69].

A magna autem pyramide, quae secunda appellari solet, ducentis fere passibus ad meridiem, via est, lata passus undecim, longa passus trecentos, magnis lapidibus munita, quae recte pergens ad occasum conducit ad templum sive atrium quadratum, aditui patens ab oriente atque occidente, cujus latitudo inter septentrionem et meridiem est pedum centum octoginta, inter ortum et occasum centum sexaginta. Muri spissi sunt pedes sex, structi e lapidibus quadratis pedum senûm, longis pedes sedecim usque ad viginti duos [70]. Hoc transgressus venis ad pyramidem, quam vocant tertiam, amplam circiter pedes tercentenos, structionibus ferme bipedalibus septuaginta octo, graduum instar ascensum praebentibus ad verticem, qui nunc fastigio carens latus est ad orientem pedes duodecim, ad boream quatuordecim [71]. Aedificata est ex eodem lapide, quo sunt reliquae; at circumjacent multa granitici saxi fragmina, atque in ipsa mole hinc et illinc offenduntur hujus generis lapides longitudine quinquepedali: quo firmatur veterum scriptorum narratio, inferiorem partem contectam fuisse duro lapide ab Aethiopiae finibus advecto [72]. Prope ab hac pyramide ad meridiem tres parvas pyramides conspici ait Pocockius, quarum quae maxime vergit ad orientem singulis lateribus centum pedes colligit; reliquae octogenos septenos, ternis factae

---

[68] Pococke pag.46. Alteram ex his structam videri ait gradibus seu praecinctionibus. Caeterum characteres hieroglyphicos in parvis pyramidibus observavit etiam Vansleb pag. 137.

[69] Norden pag.76. tres parvas pyramides sitas ait ad orientem magnae pyramidis, e quibus duae usque ad fundum eversas: ad occidentem magnum esse earundem numerum, sed omnes fere disjectas: secundae pyramidi 5 aut 6 oppositas cerni, in quarum una puteus ille. Consule ichnographias jam pluries citatas. Idem auctor p. 87. inquit parvas pyramides structas esse e lapide secto, altas circiter ped. 30 aut 40.

[70] Pococke pag.47. Norden pag.75. Advertit idem pag.69. neque in his ruinis neque in illis quae sunt ante secundam pyramidem, ullas scalpturas litterasve inveniri. Viae latitudinem notavit Pocockius, longitudinem Mailletus p.223. a quo mutuatus eſt Jauna pag. 1275., ut reliqua fere quae affert de pyramidibus.

[71] Pococke pag.47. Multo majorem aestimavit Norden pag.75. inquiens 100 tantum pedibus superari a duabus illis maximis. Dumont p.273. latam esse ait ped. 200, altam 150.

[72] Pococke pag.47. Maillet pag. 224. Cf. auctores supra citatos pag.385. pag. 386. not.12. pag. 390. not. 22. pag. 392. not. 28. Niebuhr pag. 199. observat lapides graniticos, quos ipsi moli adhuc adhaerentes deprehendit, non habere frontem obliquam neque ordine compositos videri, sed promiscue infixos conspici inter calcareos: unde arguendum extimos lapides jam cunctos fuisse ablatos. Norden pag. 75. frusta saxi granitici quae circumjacent ad templum sive atrium pertinuisse conjicit, non ad ipsam pyramidem, sed veteres scriptores locutos esse de ea pyramide quam ipse quartam appellat mox memorandam. Sed vereor Nordenium, qui ut in monumentis delineandis omnium videtur accuratissimus, sic in describendis indiligens est et confusus, ex una pyramide duas effinxisse. Meminit Murtadi pag.65. pyramidis coloratae, cui pro custode genio sit senex Nubiensis canistrum gestans capite, manibus turibulum: quod procul dubio accipiendum de pyramide facta e lapide pyrrhopoecilo. Miror Bellonium scripsisse observ. lib.2. cap.44. tertiam pyramidem e basalte, integram esse ac si jam recens exstructa foret.

praecinctionibus, quae singulae altae pedes duodecim procurrunt pedes decem [73]. Harum una esse videtur illa quam Nordenius quartam appellat pyramidem, licet eam a caeteris remotam esse ait ad occasum brumalem, magnitudine autem centum tantum pedibus superari a tertia, factam usque ad mediam sui partem e lapide nigro inter graniten et basalten, superiori parte e lapide calcareo vulgari, cum saxo cubico vertici imposito, quod forsan statuae sustinendae fuerat destinatum [74]. Denique Pocockius pone tertiam pyramidem ad occasum ponit aedificium quadratum et oblongum, ac murum ab eo recta tendentem in septentrionem plus mille passuum itinere: alteriusque muri sive stratae viae vestigia se offendisse affirmat eadem directione procurrentis ante latus orientale secundae pyramidis [75].

Aliae pyramides, praeter eas quas hic enarravi, si adhuc exstant in Aegypto, peregrinatorum diligentiam hactenus effugerunt. Nam quae de hujus generis molibus in superiori Aegypto passim obviis, in primo itinere refert Paulus Lucas, non magni facienda existimo, cum eo vocabulo abusus sit tum ad obeliscos tum ad templorum ruinas designandas [76]. Neque Bellonius dum centum pyramides sibi compertas affirmat, accurate locutus videtur [77]. Sunt tamen multa loca in Aegypto, longius a Nilo remota, quae Europaei nondum adierunt, in quibus insula Moeridis, ubi duas pyramides fuisse ait Herodotus [78]. Et circa eas quoque de quibus jam dictum est, multa adhuc accuratius examinanda supersunt. Nam festinanter inspicere solent peregrinatores, nec facile inveneris, qui observata sua diligenter separet ab aliorum scriptorum notatis, vel a conjecturis quae aut sibi aut aliis placuere; quo fit ut vix et ne vix quidem sciri possit quid quisque experimento facto didicerit, quid ex opinione scripserit, quid ab aliis sit mutuatus. Nobis sermone instituto de monumentis sepulcralibus, hoc inprimis incumbere visum est, ut quantum fieri posset accurate ante oculos po-

---

73 Pococke pag. 47. tab. 16. Maillet pag. 259. Has esse tres illas, in quibus regum uxores sepultas fuisse, tradit Diodorus supra adductus p. 392. not. 29. non improbabili conjectura affirmat Pocockius. In hoc autem fallitur, quod Diodori verba accipit de successoribus Mycerini, cum liqueat eum locutum esse de ipso Mycerino regibusque qui proxime eum antecessere.

74 Advertit Pocockius loc. cit. ex tribus parvis pyramidibus, quae tertiae pyramidi proxime adjacent ab austro, eam quae ad ortum primum locum tenet et cujus figuram sistit tab. 16. fig. P., vulgo appellari quartam pyramidem, Nordenius autem in ichnographia, quartam quam ipse vocat pyramidem pari spatio ad occasum brumalem removet a tertia pyramide atque haec a secunda distat: et pag. 76. 94. affirmat eam a reliquis pyramidibus occultari, ideoque ignorari a plerisque, se autem atque Comitem Sandwich probe observasse, centum pedibus minorem quam tertia. Lapidem e quo sunt structiones inferiores et cujus magna vis ad pedem adjacet, nigriorem esse quam solet granites, cui duritie comparandus, differre autem ab eo quem Romae vulgo dicunt basalten. Quod vero ait in vertice esse saxum cubicum, ita respondet delineationi Pocockianae modo citatae, ut vix dubitandum videatur, utrumque locutum esse de eodem aedificio, quamquam et in situ et in magnitudine differentiant. Ichnographiam Pocockianam nimio symmetriae amore peccare jam monuimus, Nordenius autem in molium magnitudine adnotanda ubique invenitur negligens. Caeterum in pyramidum prospectu quem dedit Pocockius tab. 8. pariterque in eo qui habetur apud Sandys pag. 128. quinque apparent conspicuae magnitudinis moles.

75 Inspice ichnographiam Pocockianam.

76 Conf. supra pag. 395. not. 3.

77 Bellonii observation. lib. 2. cap. 44. Cf. eundem lib. 1. de op. ant. praest. lib. 1. c. 6. 8. Scilicet eodem modo ac Vanslebius, quaecunque vidit in planitie illa aedificiorum rudera, pro pyramidibus accepit. Cf. supra p. 409. not. 53.

78 Vide supra pag. 402. not. 25.

neremus, quae ex autoptarum testimoniis inter se collatis intelligi posse videntur de situ, deque forma et natura pyramidum Aegyptiarum, quibus antiqui homines et immortalem famam sibi comparare rati sunt, et securam sedem, ubi per longum aevum fruerentur laborum requie, quam defunctos manere putabant.

§. XXVI.

Sed et hoc ab antiquo moris fuit apud proceres in Aegypto, ut juxta domos suas sacella aedificarent quae sepulcrorum loco essent. Nam etsi veterum loca de cadaveribus domi servatis apud Aegyptios de temporario conditorio intelligenda esse, supra adstruximus [1]: tamen ipse Diodorus, qui huic maxime favet sententiae, dum affirmat majorum corpora a multis per longam generationum seriem custodiri consuevisse in aediculis pretiosis et frequenter inspici, de domestico sepulcro cogitasse videtur [2]. Quin et peractis exsequiis cadaver ab aliis in sepulcrum invectum inquit, ab aliis in nova aedicula domi structa conditum [3]; ad quem morem forsan respexit Herodotus, ubi ait medicata cadavera poni consuevisse *εν οικηματι θηκαιῳ*, quamvis vocabuli significatio late patens nil certi arguendum offerat [4]. Neque omittenda nobis sunt quae idem auctor tradit de Mycerini regis filia, quandoquidem recentiorum complures eo potissimum exemplo usi inveniantur ad Aegyptiorum funera illustranda. Nempe a patre conditam inquit in bove lignea deaurata, quae posita in regiis aedibus post multa inde saecula se scribente adhuc spectabatur, lampadibus circa eam accensis omnique suffimentorum genere honorata, et singulis annis solemni pompa in publicum efferebatur, quo die Osiridem lugebant Aegyptii [5]: *εοντι δε ηπιῳ τῳ μυκερινῳ κατα τους πολιητας, και ταυτα επιτηδευοντι, πρωτον κακων αρξαι την θυγατερα αποθανουσαν αυτου, την μουνον ὁι ειναι εν τοισι οικιοισι τεκνον. τον δε υπεραλγησαντα τε τῳ περιεπεπτωκεε πρηγματι, και βουλομενον περισσοτερον τι των αλλων θαψαι την θυγατερα, ποιησασθαι βουν ξυλινην κοιλην· και επειτα καταχρυσωσαντα μιν ταυτην, εσω εν αυτῃ θαψαι ταυτην δη την αποθανουσαν θυγατερα. ἁυτη ων ἡ βους γῃ ουκ εκρυφθη, αλλ' ετι και ες εμε ην φανερη, εν σαϊ μεν πολι εουσα, κειμενη δε εν τοισι*

[1] Vide supra pag. 265. 292.

[2] Diod. l. 1. c. 91. supra pag. 254.

[3] Ibid. cap. 92. supra pag. 291.

[4] Herod. lib. 2. cap. 86. supra pag. 251.

[5] Herod. lib. 2. cap. 129: „ Cum autem es„ set in cives clemens Mycerinus, atque ita „ ageret, principium ei malorum contigisse „ obitum filiae, quae domi unica soboles es„ set. Qua clade supra modum cum doleret, „ velletque filiam exellentiori aliquo genere se„ pelire quam caeteri, fecisse ligneam bovem „ cavam, quam cum inaurasset, in ea filiam „ defunctam sepelisse. Neque humo bos haec „ condita est, sed ad meam usque memoriam „ erat conspicua in urbe Sai, in regia in con„ clavi exornato posita. Cui singulis diebus „ omnigenae odores adolentur, noctibus au„ tem singulis pernox incensa lucerna adstat. „ In altero conclavi prope illam bovem imagi„ nes stant concubinarum Mycerini, ut in ur„ be Sai sacerdotes ajebant. Stant enim co„ lossi lignei, numero circiter viginti, nudi „ facti: qui quarum sunt mulierum non pos„ sum dicere, praeterquam quae narrantur „. — Cap. 132: „ Bos quoque cum caeterum cor„ pus operta est purpureo pallio, tum vero cer„ vicem et caput crasso admodum inducta au„ ro: et inter media cornua solis circulus ad „ similitudinem factus adest aureus. Neque „ erecta est bos, sed ingeniculata, magnitudi„ nis quanta est grandis vacca viva. Effertur „ autem e conclavi quotannis. Quando Aegy„ ptii lugent deum in hoc negotio non mihi no„ minandum, tunc et bovem in lucem profe„ runt. Ajunt enim eam morientem orasse „ patrem Mycerinum, ut quotannis semel sol „ eam intueretur „.

βασιληιοισι, εν οικηματι ησκημενῳ. θυμιηματα δε παρ' αυτῃ παντοια καταγιζουσι ανα πασαν ἡμερην· νυκτα δε ἑκαστην παννυχος λυχνος παρακαιεται. αγχου δε της βοος ταυτης εν αλλῳ οικηματι εικονες των παλλακεων των μυκερινου ἑστασι, ὡς ελεγον οἱ εν σαϊ πολι ἱρεες. ἑστασι μεν γαρ ξυλινοι κολοσσοι, εουσαι αριθμον ὡς εικοσι μαλιστα κη, γυμναι εργασμεναι· ἁι τινες μεντοι εισι, ουκ εχω ειπειν, πλην η τα λεγομενα. —— *ἡ δε βους τα μεν αλλα κατακεκρυπται φοινικεῳ ἑιματι, τον αυχενα δε και την κεφαλην φαινει κεχρυσωμενα παχεϊ καρτα χρυσῳ· μεταξυ δε των κερεων ὁ του ἡλιου κυκλος μεμιμημενος επεστι χρυσεος. εστι δε ἡ βους ουκ ορθη, αλλ' εν γουνασι κειμενη· μεγαθος δε ὁσηπερ μεγαλη βους ζωη. εκφερεται δε εκ του οικηματος ανα παντα τα ετεα. επεαν τυπτωνται οἱ αιγυπτιοι τον ουκ ονομαζομενον θεον υπ' εμευ επι τοιουτῳ πρηγματι, τοτε ων και την βουν εκφερουσι ες το φως. φασι γαρ δη αυτην δεηθηναι του πατρος μυκερινου αποθνησκουσαν, εν τῳ ενιαυτῳ ἁπαξ μιν τον ἡλιον κατιδειν.* Sed quamquam haud sane libens Herodoti fidem reprobem, ista tamen nimium distare vereor a reliquis Aegyptiorum moribus, neque apud ipsos Graecos fidem meruisse videntur, quorum praeter Herodotum nemo hujus facti meminit; neque omnino credibile est, mulierculam nullo facinore claram tanti habitam fuisse apud posteros. Suspicor autem veterem scriptorem sive interpretes quibus ipse usus est in Aegypto, Isidis deae simulacrum, lugubribus caerimoniis destinatum, pro regiae juvenis conditorio accepisse: errore inde potissimum nato, quod in sacerdotum mythis Isis, quae luna est, tranquillitatis seu noctis filia appellaretur, quemadmodum in Orphicis noctis filii dicuntur sidera; cum et Mycerini seu Mecherini regis nomen Aegyptiorum idiomate tranquillitatem denotare videtur[6]. Scimus enim Aegyptios pro Iside coluisse vaccae simulacrum deauratum, quod annuis solemnitatibus, dum Osiridem lugerent, nigro peplo obtegere, dum eundem quaererent, pompa septies circum templum ducere solebant. Plutarchus in tractatu de Iside[7]: *μηνος αθυρ αφανισθηναι τον οσιριν λεγουσιν, ὁτε των ετησιων απολειποντων παντπασιν ὁ μεν νειλος υπονοστει, γυμνουται δε ἡ χωρα, μηκυνομενης δε της νυκτος αυξεται το σκοτος, ἡ δε του φωτος μαραινεται και κρατειται δυναμις· εις ὁ οἱ ἱερεις αλλα τε δρωσι σκυθρωπα, και βουν διαχρυσον ἱματιῳ μελανι βυσσινῳ περιβαλοντες επι πενθει της θεου δεικνυουσι· βουν γαρ ισιδος εικονα και γης νομιζουσι· επι τεσσαρας ἡμερας απο της ἑβδομης επι δεκα*

---

[6] ⲙⲉϩ *plenus*, ϩⲉⲣⲓ *quies*, ⲙⲉϩ-ϩⲉⲣⲓ μεχερινος. Diodor. lib. 1. cap.64.

[7] Pag. 446. opp. tom.2. pag. 366: „ Mense „ Athyr Osiridem evanuisse dicunt, quando „ etesiis omnino deficientibus Nilus recedit et „ solum nudatur, nocte autem longiore facta „ tenebrae crescunt, lucisque superatur et tabescit vis. Qua occasione sacerdotes cum „ alios tetricos ritus exercent, tum bovem „ auratam nigro byssino amictu ostentant in luctu deae: bovem enim Isidis et terrae putant imaginem: per quatriduum continuum „ a decima septima mensis die „. Ex orationis contextu satis patere reor, scripsisse Plutarchum *ισιδος εικονα και γης*, non ut hodie legitur, *οσιριδος εικονα και γην*. Quin et Apuleius metam. lib.11. pag. 373. bovis signum a sacerdote humeris gestatum in pompa Isiaca, appellat „ omnipotentis deae foecundum simu„ lacrum „: Macrobius autem saturn. lib. 1. cap. 15. et Clemens strom. lib. 5. cap.7. pag. 671. terram significare volentes Aegyptios in hieroglyphicis, bovis figura uti affirmant. „ Plutarch. ibid. pag. 466. tom. 2. pag. 372: „ Praeterea bovem illam sub solstitium hyber„ num septies circa templum circumferunt: „ vocaturque haec circuitio indagatio Osiridis, „ aquam a sole hieme desiderante dea. To„ ties autem circumeunt, quia septimo mense „ decursus solis ab hyberno ad aestivum sol„ stitium conficitur „. Pompae istius imaginem ruditer fictam e creta coctili habes in collectione Cayliana tom.1. tab. 7. num. 2.

ἑξῆς . —— ετι δε την βουν υπο τροπας χειμερινας ἑπτακις περι τον ναον περιφερουσι · και καλειται ζητησις οσιριδος ἡ περιδρομη , του ἡλιου το υδωρ χειμωνος της θεου ποθουσης . τοσαυτακις δε περιεισιν , ὁτι την απο τροπων χειμερινων επι τροπας θερινας παροδον ἑβδομῳ μηνι συμπεραινει .

Nolo itaque ex illa Herodoti narratione aliquid statuere circa sepulturam Aegyptiorum : istud vero certius constat , ultimos Aegypti reges , qui gentis fuere Saiticae , et pro tutelari numine coluerunt deam Neïthidem , quam Graeci Minervam dicunt , in hujus templo sepultos fuisse juxta aedes regias in urbe Sai , initio facto a Psammeticho , qui dynastiae conditor exstitit . Strabo libro decimoseptimo [8] : ἡ σαις μητροπολις της κατω χωρας , εν ᾗ τιμωσι την αθηναν . εν δε τῳ ἱερῳ αυτης ἡ θηκη κειται του ψαμμιτιχου . „ Sais inferioris regionis me„ tropolis , in qua urbe Minervam colunt : inque hujus templo positum est con„ ditorium Psammitichi „ . Fusius Herodotus libri secundi capite sexagesimo nono supra centesimum : ὁυτω δη αμασις παραδιδοι τον απριην τοισι αιγυπτιοισι . ὁι δε μιν απεπνιξαν, και επειτα εθαψαν εν τῃσι πατρωῃσι ταφῃσι. ἁι δε εισι εν τῳ ἱρῳ της αθηναιης , αγχοτατω του μεγαρου , εσιοντι αριστερης χερος . εθαψαν δε σαϊται παντας τους εκ του νομου τουτου γενομενους βασιλεας εσω εν τῳ ἱρῳ . και γαρ το του αμασιος σημα ἑκαστερω μεν εστι του μεγαρου , η το του απριεω και των τουτου προπατορων . εστι μεντοι και τουτο εν τῃ αυλῃ του ἱρου , παστας λιθινη μεγαλη , και ησκημενη στυλοισι τε φοινικας τα δενδρεα μεμιμημενοισι , και τῃ αλλῃ δαπανῃ . εσω δε εν τῃ παστα̣δι διξα θυρωματα ἑστηκε · εν δε τοισι θυρωμασι ἡ θηκη εστι . „ Ita Amasis Aprien tradidit Aegyptiis , quem isti cum strangulave„ re , paternis in monumentis sepelierunt , quae sunt in templo Minervae , pro„ xime aedem ad laevam manum intranti . Saitae autem cunctos , qui ex illa sua „ praefectura fuere reges , intra templum sepelierunt . Etenim Amasis sepulcrum „ magis procul est ab aede quam illud Apriae ejusque progenitorum . In ejus ta„ men templi aula hoc quoque est , ingens cubiculum lapideum , tum columnis ex„ cultum palmas arbores imitantibus , tum alio sumptu . Intra id cubiculum ge„ mini postes stant , in quibus loculus est „ . Et libri tertii capite decimo : απο-

---

[8] Pag. 1153. Ptolemaei pariter veteres principes imitati in aedium suarum ambitu sepulcrum habuere , scilicet locum conseptum , ubi et Alexandri Macedonis corpus servabatur , et singulis regibus sua erant monumenta . Strabo lib. 17. pag. 1144 : μερος δε των βασιλειων εστι και το καλουμενον σωμα , ὁ περιβολος ην εν ῳ αἱ των βασιλεων ταφαι και ἡ αλεξανδρου . Nomen ei erat Soma sive corpus , forte ab Alexandri cadavere ibi condito , modo vocabulum recte scriptum sit in libris Strabonis . Nam apud Zenobium in adag. cent. 3. num. 94. dicitur Sema sive monumentum , atque a Ptolemaeo Philopatore institutum narratur : πτολεμαιος ὁ φιλοπατωρ εν μεσῃ τῃ πολει μνημα οικοδομησας , ὁ νυν σημα καλειται , παντας εκει τους προπατορας κατεθετο και αλεξανδρον . Fuisse autem in eodem loco templum Isidis , discimus ex historia Cleopatrae . Ea enim sepulcrum sibi construxit et altitudine et pulcritudine praecellens , intra regiam , εν τῳ βασιλειῳ, secundum Dionem lib.51. cap. 8. , procul dubio juxta avita monumenta , sed eodem tempore Isidis templo adjacens. Plutarch. in Antonio c.75. tom. 1. p.950. : αυτη δε θηκας εχουσα και μνηματα κατεσκευασμενα περιττως εις τε καλλος και ὑψος , ἁ προσῳκοδομησε τῳ ναῳ της ισιδος , ενταυθα των βασιλικων συνεφορει τα πλειστης αξια σπουδης . Hoc monumentum Mausoleum dictum fuisse , inque eo stetisse aeneas statuas Neerae et Charmones ancillarum , quae una cum regina mortem sibi intulere , auctor est Zenobius cent. 5. num. 24. Cf. Plutarch. l.c. c.77. 80. 85. Sueton. in Aug. c.17. Lucan. pharsal. lib. 8. v. 694. Aliud magnificum monumentum apud Alexandriam in littore prope Eleusin commemorat Athenaeus lib.3. cap.5. pag. 576. , Stratonices concubinae Philadelphi . Communem Alexandrinorum consuetudinem in

θανων δε ὁ αμασις και ταριχευθεις, εταφη εν τησι ταφησι τησι εν τῳ ἱρῳ, τας αυτος ῳκοδομησατο. „ Amasis vita functus et salitus sepultus fuit in monumentis „ in templo, quae ipse aedificaverat „. At capite decimo sexto de Amasidis corpore, a Cambyse eruto atque post varias contumelias igni exusto, loquitur ac si domi suae sepultus fuisset, fortassis quod deae templum regiis aedibus adjectum esset: καμβυσης δε εκ μεμφιος απικετο ες σαϊν πολιν, βουλομενος ποιησαι τα δη και εποιησε. επει τε γαρ εσηλθε ες τα του αμασιος οικια, αυτικα εκελευε εκ της ταφης τον αμασιος νεκυν εκφερειν εξω. „ Cambyses e Memphi in urbem „ Sain abiit, animo faciendi quae fecit. Etenim simul atque in aedes Amasis in„ gressus est, statim imperavit cadaver Amasis e conditorio efferri „. Advertit porro, Aegyptios negare id accidisse Amasidi, sed plebeii hominis corpus contumelia affectum fuisse, quem Amasis futuri praescius statim ab ingressu in sepulcrum condi jussisset, ipsius autem cadaver in intimo ejusdem recessu collocatum mansisse intactum: τον μεν ανθρωπον τουτον τον μαστιγωθεντα, αποθανοντα εθαψε επι τησι θυρησι της ἑωυτου θηκης, ἑωυτον δε ενετειλατο τῳ παιδι εν μυχῳ της θηκης ὡς μαλιστα θειναι.

Etiam in Labyrintho, qui ad Moeridis lacum situs totius gentis templum et curia erat, praeter sacros crocodilos, veteres quoque reges sepultos fuisse in conclavibus subterraneis, quae ab extero homine inspici nefas esset, idem scriptor accepit ab hujus loci praefectis: τα δε αυτεων υπογαια λογοισι επυνθανομεθα. ὁι γαρ επεστεωτες των αιγυπτιων δεικνυναι αυτα ουδαμως ηθελον, φαμενοι θηκας αυτοθι ειναι των τε αρχην τον λαβυρινθον τουτον οικοδομησαμενων βασιληων, και των ἱρων κροκοδειλων [9]. Quamobrem nonnulli, in quibus est Manetho, Labyrinthum accensent monumentis sepulcralibus [10].

---

hortis sepelire jam adnotavimus e Strabone. V. supra §. 14. pag.285. Hoc ab antiquis Aegyptiis factum non invenio, nisi quod S. Macarius Alexandrinus apud Palladium hist. Laus. pag.44. narrat se visitasse cepotaphium Jannae et Jambrae magorum Pharaonis, in deserto Sceteos novem dierum itinere ab habitationibus dissitum, ibique vidisse paradisum arborum omnis generis, cum puteo atque aedificio e magnis lapidibus: τουτο δε το κηποταφιον γεγονεν παρ' αυτου του ιαννου και ιαμβρου των αδελφων, δι' υπερβολην της μαγικης τεχνης τα πρωτα εχοντων κατ' εκεινου καιρου παρα τῳ φαραω. πολλην δε κεκτημενοι την δυναστειαν την εν αιγυπτῳ, εκ τετραπεδων λιθων εκτισαν το εργον εκεινο, εν αυτῳ μνημα πεποιηκοτες, και χρυσον πολυν αποθεμενοι. εφυτευσαν δε και δενδρα παντοια, και φρεαρ υδατος μεγιστον ωρυξαν· υπιγμος γαρ εστιν ὁ τοπος. ταυτα δε παντα εποιησαν, ελπιζοντες μετα την εντευθεν εκεισε αφιξιν εν τουτῳ τῳ παραδεισῳ τρυφαν. τελος ουν αγνοων την ὁδον αγουσαν επι τον τοπον ὁ μακαριος, στοχασμῳ μονον ηκολουθει τοις αστροις καθαπερ ὁι ναυται. — διοδευσας ουν εκεινην την ερημον πασαν εντος ἡμερων θ', και γενομενος πλησιον του κηπου εκεινου. — εισελθων ουν φησιν εθεασαμην τα παντα, εν ὁις εὑρον και καδον χαλκουν αλυσει σιδηρᾳ κρεμαμενον κατα του φρεατος, λοιπον τῳ χρονῳ αναλωθεντα· και καρπον ροων ουκ εχουσων ενδον ουδεν· εξηρατο γαρ υπο του ἡλιου. Quae de daemonibus refert hic degentibus, ad rem nostram non pertinent: de reliquo satis liquet sermonem hic esse de una ex Oasibus sive beatorum insulis, ab Hammoniaca ut videtur non multum dissita, tunc temporis deserta.

[9] Herod. lib. 2. c.148. Quae Labyrinthi pars supra terram erat ipse visitaverat,et omnem cum Graecorum tum Aegyptiorum aedificiorum magnificentiam superare ait, ne ipsis pyramidibus exceptis. Conditum. refert a duodecim regibus quos Psammetichus imperio exuit, sed qui fuerit aedificii usus, non prodit. Ut templum atque curiam fuisse putem, faciunt inprimis Strabo lib. 17. p. 1165. 1135. et Plinius lib. 36. c. 13.

[10] Manetho apud Syncellum pag.59.60. δωδεκατη δυναστεια διοσπολιτων βασιλεων ἑπτα, ὡν δ' λαχαρης (al. λαβαρις), ὁς τον εν αρσινοΐτῃ λαβυρινθον ἑαυτῳ ταφον κατεσκευασεν. „ Duode„ cima dynastia Diospolitarum regum septem, „ quorum quartus fuit Lachares (*secundum*

Haec enim consuetudo, reges proceresque in aedibus suis aut in tutelaris dei templo sepelire, atque aedificium in quo sepulti fuerant, memoriae eorum consecrare, in causa fuisse videtur, ut quae aliquando fuerant potentium principum regiae, postea cadavere ibi condito monumenta appellarentur: atque unum idemque aedificium et regia esset et templum et sepulcrum. Quod etiam de Osymandeo, omnium quae accepimus monumentorum magnificentissimo, evenisse inde arguo, quod cum sepulcri nomine appellet Diodorus, in eo describendo bibliothecam recenseat et basilicam, deorumque aedem et porticum cum conclavibus circum adjectis, quae aliquando viventium hominum usui inservisse videntur; Strabo autem atque reliqui scriptores, apud quos Memnonium audit, omnino segregent a sepulcris. Esse autem Diodori Osymandeum idem illud aedificium quod a Strabone Memnonium appellatur, in Nili latere occidentali a regiis sepulcris in rupibus excavatis brevi itinere dissitum; atque Osymandyae colossum quem Diodorus commemorat, eum esse quem Memnonem vocaverunt alii, qui etiam nunc cernitur integer, medio fere loco inter Gurnu et Medinet-habu, Jablonskii sententiam amplexus pro certo habeo [11]. Prope etiam adjacent grandium structurarum rudera, et mille inde passibus distant aliae ruinae juxta Gurnu vicum sitae, quas ejus esse suspicor aedificii, in quo Jovis pellices sepultae dicebantur, decem stadiis remoto ab Osymandeo, ac inter sepulcra Thebaeensia primum locum tenente ad septentrionem. Aliter quidem arbitrati sunt viri de Aegyptia antiquitate summopere meriti, Sicardus [12] et Pocockius [13], qui sumptuosissimi templi rudera in orientali fluvii littore spectanda, Osymandyae monumentum appellaverunt, et quae ejus partes hodie servantur, cum Diodori narratione apprime congruere affirmaverunt. Sed hi mentem non advertere ad contextum veteris scriptoris, qui generatim exposita regiorum sepulcrorum magnificentia, de quibus omnes conveniunt sita esse in latere Libyco, testibusque adductis praeter sacerdotes Aegyptios, Hecataeo Abderita aliisque qui sub Lagidae imperio Thebas visitaverant, quo orationem suam exemplo illustret, ad Osymandyae monumentum enarrandum se

---

„ *Eusebium* Labaris), qui Labyrinthum in „ nomo Arsinoite sepulcrum sibi struxit „, Lycias apud Plinium lib. 36. cap. 13., Moeridis sepulcrum renunciat, quem condidisse Labyrinthum atque in pyramide juxta eum sepultum esse narrat Diodorus lib. 2. cap. 89. Sed idem cap. 61., Labyrinthum dicit sepulcrum Mendis sive Marri, quem ibidem in pyramide conditum refert Strabo; et cap. 66. duodecim reges sepulturae causa Labyrinthum aedificasse narrat. Quicunque autem conditor exstiterit, sepulcrum habuisse reor sub pyramide quae aedificio erat adjecta, cui sententiae conciliari etiam queunt verba Herodoti. Confer supra pag. 390. not. 24. Caeterum de Labyrintho praeter loca jam citata vide Diodorum lib. 2. c. 97. Plinium lib. 5. cap. 9. lib. 37. cap. 5. Melam lib. 1. cap. 10. (al. 9.) Spartianum Sever. c. 26. Alciphronem lib. 2. epist. 4. Hodierni peregrinatores cum adivere et descripsere, Paulus Lucas *voyage en* 1714, tom. 2. pag. 262. Granger *voyage en* 1730, cap. 8. pag. 152. Pococke *descr. of the East* vol. 1. lib. 1. c. 7. p. 61. 62. tab. 22. 23. Sicardus in *Nouv. mem. des miss*, tom. 5. pag. 215. sibi visus est trium Labyrinthorum rudera invenisse in Aegypto, ratus Diodorum, qui de Labyrintho tres refert opiniones, totidem aedificia indicare voluisse. Sed veteres scriptores unum tantum in Aegypto memoraverunt Labyrinthum, quem id esse aedificium, cujus reliquias nunc dictas Kesr-Caron prope Moeridis lacum primus detexit Lucas, non valde dubito: quamquam aliter sentiat magnus Danvillius *mem. sur l'Egypte* pag. 162.

[11] *De Memnone* Synt. 2. pag. 104.

[12] In *Nouv. mem. des miss. au Lev.* tom. 5. pag. 225. tom. 7. pag. 161.

[13] *Descr. of the East*, vol. 1. lib. 2. cap. 3. pag. 106.

convertit [14]: απο γαρ των πρωτων ταφων, εν όις παραδεδοται τας παλλακιδας του διος τεταφθαι, δεκα σταδιων φασιν υπαρξαι βασιλεως μνημα του προσαγορευθεντος οσυμανδυου. Hoc reliqua sepulcra regum Thebaeensium, tum operis sumptuositate tum artificum sollertia longe superare ait [15]: του μεν ουν οσυμανδυου του βασιλεως ταφον τοιουτον γενεσθαι φασιν, ός ου μονον δοκει τη κατα την δαπανην χορηγια πολυ των αλλων διενεγκειν, αλλα και τη των τεχνιτων επινοια. Atque in eo esse statuam ex uno lapide omnium per totam Aegyptum maximam, simulacrum viri sedentis in throno, cui hinc et inde adstet mulieris effigies ad genua ejus pertingens: quae ita concinne respondent habitui ac conditioni colossi hodie exstantis, ut minime videatur haesitandum, quin veterem scriptorem de hoc ipso locutum putemus [16].

Sed vero ut probe perspiciamus naturam et modum structurarum, quae antiquissimorum in Aegypto regum memoriae dicatae, omnem superaverunt monumentorum apud caeteras gentes magnificentiam, e re est ultimo loco totam sistere descriptionem quam de Osymandyae sepulcro Diodorus nobis reliquit [17]: τουτου δε κατα μεν την εισοδον υπαρχειν πυλωνα λιθου ποικιλου, το μεν μηκος διπλεθρον, το δ' υψος τετταρακοντα και πεντε πηχων. διελθοντι δε αυτον ειναι λιθινον περιστυλον τετραγωνον, ἑκαστης πλευρας ουσης τετταρων πλεθρων. υπηρεισθαι δε αντι των κιονων ζωδια πηχων ἑκκαιδεκα μονολιθα, τον τυπον τον αρχαιον τροπον ειργασμενα. την οροφην τε πασαν επι πλατος δυειν οργυιων υπαρχειν μονολιθον, αστερας εν κυανω καταπεποικιλμενην. ἑξης δε του περιστυλου τουτου παλιν ἑτεραν εισοδον, και πυλωνα, τα μεν αλλα παραπλησιον τω προειρημενω, γλυφαις δε παντοιαις περιττοτερον ειργασμενον. παρα δε την εισοδον ανδριαντας ειναι τρεις εξ ἑνος τους παντας λιθου (μεμνονος του συηνιτου). και τουτων ἑνα μεν καθημενον υπαρχειν μεγιστον παντων των κατ' αιγυπτον, ού τον ποδα μετρουμενον υπερβαλλειν τους ἑπτα πηχεις· ἑτερους και δυο προς τοις γονασι, τον μεν εκ δεξιων, τον δε εξ ευωνυμων, θυγατρος και μητρος, τω μεγεθει λειπομενους του προειρημενου. το δ' εργον τουτο μη μονον ειναι κατα το μεγεθος αποδοχης αξιον, αλλα και τη τεχνη θαυμαστον, και τη του λιθου φυσει διαφερον, ώς αν εν τηλικουτω με-

---

[14] Lib. I. cap. 47: „ A primis sepulcris quibus Jovis pellices conditas esse traditur, regis Osymandyae, quem vocant, monimentum 10 stadiis abesse ajunt „.

[15] Ibid. cap. 49. „ Ad istum ergo modum Osymandyae regis sepulcrum describunt: quod non modo sumtuum magnificentia, sed artificum etiam industria, longe supergressum alia videtur „.

[16] Norden tab. 110. 111. Pococke tab. 36. 37.

[17] Lib. I. cap. 47: „ Sub introitum esse atrium e vario lapide longitudine ducenûm pedum et altitudine cubitorum 45. Hinc digresso lapideum occurrere peristylion quadratum cujus unumquodque latus quadringenûm pedum, columnarum loco animalibus cubitorum 16 ex uno saxo, figuris ad antiquum morem caelatis, suffultum. Totum vero tectum et lacunar duas orgyas latum, et stellis in caeruleo variegatum, e solido lapide constare. Secundum id peristylion ingressum rursus alium et atrium esse, caetera assimile priori, sed variis elaboratum sculpturis. In hujus aditu tres statuas videri ex uno saxo omnes, Memnonis Syenitae. (Memnonem hunc Syeniten, de quo variae sunt eruditorum sententiae, e glossemate in contextum irrepsisse puto.) „ Harum unam sedere, omnium in Aegypto maximam, quae pedis sui mensura excedat cubitos 7. Reliquas duas ad genua illius repositas, alteram a dextris a sinistris alteram, filiae nimirum et matris, prioris magnitudinem non assequentes. Opus id non tantum ob magnitudinem commendatione dignum, sed etiam ob artem admirandum, et saxi na-

γεθει μητε διαφυαδος μητε κηλιδος μηδεμιας θεωρουμενης . επιγεγραφθαι δ' επ' αυτου · Βασιλευς βασιλεων οσυμανδυας ειμι · ει δε τις ειδεναι βουλεται , πηλικος ειμι και που κειμαι , νικατω τι των εμων εργων . ειναι δε και αλλην εικονα της μητρος αυτου καθ' ἁυτην , εικοσι πηχων μονολιθον · εχουσαν δε τρεις βασιλειας επι της κεφαλης , ἁς διασημαινειν , ὁτι και θυγατηρ και γυνη και μητηρ βασιλεως υπηρξε . μετα δε τον πυλωνα, περιστυλον ειναι του προτερου αξιολογωτερον , εν ῳ γλυφας υπαρχειν παντοιας , δηλουσας τον πολεμον τον γενομενον αυτῳ προς τους εν τοις βακτροις αποσταντας · εφ' ὁυς εστρατευσθαι πεζων μεν τετταρακοντα μυριασιν , ἱππευσι δε δισμυριοις , εις τετταρα μερη διηρημενης της πασης στρατιας , ὡν ἁπαντων υιους του βασιλεως εσχηκεναι την ἡγεμονιαν . και κατα μεν τον πρωτον των τοιχων τον βασιλεα κατεσκευασθαι πολιορκουντα τειχος υπο ποταμου περιρρυτον , και προκινδυνευοντα προς τινας αντιτεταγμενους , μετα λεοντος , συναγωνιζομενου του θηριου καταρληκτικως . υπερ ὡν των εξηγουμενων ὁι μεν εφασαν , προς αληθειαν χειροηθη λεοντα, τρεφομενον υπο του βασιλεως , συγκινδυνευειν αυτῳ κατα τας μαχας , και τροπην ποιειν των εναντιων δια την αλκην · τινες δ' ἱστορουν , ὁτι καθ' υπερβολην ανδρειος ων και φορτικος , ἑαυτον εγκωμιαζειν βουλομενος , δια της του λεοντος εικονος την διαθεσιν ἑαυτου της ψυχης εσημαινεν . εν δε τῳ δευτερῳ τοιχῳ τους αιχμαλωτους υπο του βασιλεως αγομενους , ειργασθαι τα τε αιδοια και τας χειρας ουκ εχοντας · δι' ὡν δοκει δηλουσθαι διοτι ταις ψυχαις ανανδροι και κατα τας εν τοις δεινοις ενεργειας αχειρες ησαν . τον δε τριτον εχειν γλυφας παντοιας , και διαπρεπεις γραφας , δι' ὡν δηλουσθαι βουθυσιας του βασιλεως και θριαμβον απο του πολεμου καταγομενον . κατα δε μεσον τον περιστυλον υπαιθριον βωμον κατεσκευασθαι του καλλιστου λιθου , τῃ τε χειρουργιᾳ διαφορον και τῳ μεγεθει θαυμαστον . κατα δε τον τελευταιον τοιχον υπαρχειν ανδριαντας καθημενους δυο μονολιθους , ἑπτα και εικοσι πηχων . παρ' ὁις εισοδους τρεις εκ του περιστυλου κατεσκευασθαι , καθ' ἁς οικον υπαρχειν υποστυλον , ῳδειου τροπον κατεσκευασμενον , ἑκαστην πλευραν εχοντα διπλεθρον . εν τουτῳ δ' ειναι πληθος ανδριαντων ξυλινων , διασημαινον τους τας αμφισβητησεις εχοντας και προσβλε-

---

„ tura excellens , cum in tam vasta mole neque „ fissura neque labes ulla conspiciatur . Hanc „ vero inscriptionem praeferre : *Sum Osymandyas rex regum : si quis nosse velit , quantus sim et ubi jaceam , meorum aliquid operum vincat* . Aliam insuper imaginem esse „ matris illius seorsim , cubitorum 20 , uno „ saxo constans . In cujus capite tria diademata , quibus significetur , filiam , uxorem et „ matrem regis fuisse . Secundum hoc atrium , „ ajunt , peristylion erat priore memorabilius , „ in quo variae sculpturae repraesentantes bellum cum Bactris , qui desciverant ab eo , gestum ; in quos expeditionem fecisse cum „ 400000 peditum , et 20000 equitum ; exercituque in quatuor agmina diviso , omnibus „ cum imperio filios regis praefuisse memoratur „ Cap. 48 ; „ In primo itaque pariete „ rex videtur murum oppugnans amni circumfluum , in primaque acie cum adversis hostibus quibusdam dimicans , leone socio qui „ terribilem ad modum regi opitulatur . Quod „ pars interpretum de vero leone accipiendum „ esse affirmabat , quem mansuefactum rex „ aluerit , quique ad pugnarum discrimina cum „ eo descendens roboris strenuitate facile in fugam hostes verterit . Pars aliter explicabat , „ quod cum majorem in modum fortis esset et „ insolens , suas ita laudes decantare voluerit , „ imagine leonis animi sui habitum significans. „ In secundo pariete captivi regis trahuntur , „ absque virilibus et manibus effigiati ; quo effoeminatos animos nullasque in periculosis „ negotiis manus habuisse illos , significatum „ videtur . Tertius inde paries omnis generis „ sculpturas et picturas insignes exhibet ; quibus victimae regis et triumphus a bello isto „ actus exprimuntur . In medio peristylio ara „ sub dio ex lapide pulcherrimo constructa „ erat , artificio manuum excellens et magni-

ποντας τοις τας δικας κρινουσι. τουτους δ' εφ' ἑνος των τοιχων εγγεγλυφθαι τριακοντα τον αριθμον, και κατα το μεσον τον αρχιδικαστην, εχοντα την αληθειαν ἐξηρτημενην εκ του τραχηλου, και τους οφθαλμους επιμυουσαν· και βιβλιων αυτῳ παρακειμενον πληθος. ταυτας δε τας εικονας ενδεικνυσθαι δια του σχηματος, ὁτι τους μεν δικαστας ουδεν δει λαμβανειν, τον αρχιδικαστην δε προς μονην βλεπειν την αληθειαν. ἑξης δ' υπαρχειν περιπατον οικων παντοδαπων πληρη, καθ' ὁυς παντοια γενη βρωτων κατεσκευασθαι των προς απολαυσιν ἡδιστων. καθ' ὁν δη γλυφαις εντυχειν ειναι και χρωμασιν επηνθισμενον τον βασιλεα, φεροντα τῳ θεῳ χρυσον και αργυρον, ὁν εξ ἁπασης ελαμβανε της αιγυπτου κατ' ενιαυτον, εκ των αργυρειων και χρυσειων μεταλλων· υπογεγραφθαι δε και το πληθος, ὁ συγκεφαλαιουμενον εις αργυριου λογον, ειναι μνων τρισχιλιας και διακοσιας μυριαδας. ἑξης δ' υπαρχειν την ἱεραν βιβλιοθηκην, εφ' ἡς επιγεγραφθαι, Ψυχης ιατρειον. συνεχεις δε ταυτῃ των κατ' αιγυπτον θεων ἁπαντων εικονας, του βασιλεως ὁμοιως δωροφορουντος, ἁ προσηκον ην ἑκαστοις· καθαπερ ενδεικνυμενου προς τε τον οσιριν και τους κατω παρεδρους, ὁτι τον βιον εξετελεσεν ευσεβων και δικαιοπραγων προς τε ανθρωπους και θεους. ὁμοτοιχον δε τη βιβλιοθηκῃ κατεσκευασθαι περιττως οικον εικοσικλινον, εχοντα του τε διος και της ἡρας, ετι δε του βασιλεως εικονας· εν ᾡ δοκειν και το σωμα του βασιλεως εντεταφθαι. κυκλῳ δε τουτου πληθος οικηματων κατεσκευασθαι, γραφην εχοντων ευπρεπη παντων των καθιερωμενων εν αιγυπτῳ ζωων. αναβασιν τε απ' αυτων ειναι προς ὁλον τον ταφον. ἡν διελθουσιν υπαρχειν επι του μνηματος κυκλον χρυσουν, τριακοσιων και ἑξηκοντα και πεντε πηχων την περιμετρον, το δε παχος πηχυαιον· επιγεγραφθαι δε και διῃρησθαι καθ' ἑκαστον πηχυν τας ἡμερας του ενιαυτου, παραγεγραμμενων των κατα φυσιν γινομενων τοις αστροις ανατολων τε και δυσεων, και των δια ταυτας επιτελουμενων επισημασιων κατα τους αιγυπτιους αστρολογους. τουτον δε τον κυκλον υπο καμβυσου και περσων εφασαν σεσυλησθαι καθ' ὁυς χρονους εκρατησαν αιγυπτου.

„ tudine admiranda. In ultimo pariete duae „ sunt imagines residentes, ex integro saxo 27 „ cubitorum. Juxta quas tres e peristylio in- „ troitus facti, atque inde domus columnis sub- „ structa, ad musici theatri instar, cujus late- „ ra singula pedum 200. In ea multa ex ligno „ statuae; quibus disceptantes in judicio et re- „ spectantes ad juri dicundo praefectos, signi- „ ficantur. Hi numero 30 in uno parietum ex- „ sculpti. In medio est praetor judicii, verita- „ tem clausis oculis collo appensam plurimos- „ que sibi libros adjacentes habens. Hac ima- „ ginum figura ostenditur, judicem esse nihil „ accipere, et judiciorum praesidem ad solam „ respicere veritatem oportere „. Cap. 49: „ Exinde ambulacrum est variis aedificiis refer- „ tum; in quibus omnia esculentorum genera „ quibus summa in fruendo suavitas elaborata „ habentur, Tum affabre sculptus et floride pi- „ ctus rex spectatur, aurum et argentum deo „ offerens; quod annuatim ex omni Aegypto „ de argenti et auri fodinis percepit. Summa „ quoque ad argenti rationem adscripta erat „ 32000 millia minarum. Post haec sacram es- „ se bibliothecam cum inscriptione: *Medicatorium animae:* contiguasque huic omnium in „ Aegypto deorum imagines, rege munus unicuique competens offerente, utque Osiridi et „ collocatis infra assessoribus demonstret, quo- „ modo piam erga deos justamque in homines „ vitam transegerit. Juxta bibliothecam do- „ mus affabre exstructa cum 20 lectisterniis, „ in quibus Jovis et Junonis regisque effigies; „ ubi etiam regis corpus tumulatum videtur. „ Circum vero undique aedes non paucae exsi- „ stunt, quae omnium in Aegypto consecrato- „ rum animalium elegantes picturas exhibent. „ Inde ad totum sepulcrum adscensus; quo su- „ perato aureus est circulus in ipso monimento, „ 365 cubitorum ambitu, crassitie cubitali; „ inscriptique et divisi in singulos cubitos anni „ dies, cum notatione ortus et occasus stella- „ rum naturalis, et significationum quas Aegy- „ ptii astrologi ab illis effici docent. Hic, „ ajunt, circulus a Cambyse et Persis abreptus „ est, quando in ejus potestatem Aegyptus „ pervenit „.

§. XXVII.

Haec sunt quae de Aegyptiorum sepulcris hactenus comperi: caetera autem quae sunt monumentorum genera, hoc loco ne nimium longus fiam enarrare abstineo, maxime cum in sequentibus ultro se offeret occasio de iis disserendi. Sepulcralia enim monumenta, inprimis apud Aegyptios, et quae spectant ad horum ritus funebres, accuratius exponere e re nostra duxi, cum multi sint viri eruditi qui Aegyptios obeliscos in sepulcris positos fuisse putant: similisque ratio impulit ut de saxis divino honore cultis sermonem instituerem fusius. Ad reliqua quod adtinet, post ea quae statim a sectionis initio disputavi, hoc tantum monere superest, a puris rudibusque truncis sensim ventum esse ad stelas pulcra forma inscriptisque litteris nobilitatas, dum ut quaevis gens ad cultiorem vitam transiret, in monumentis ponendis simplicitatem illam ac ruditatem desererent. Nam et perspicuitatis studium, et elegantiae quidam amor, hominibus ut videtur a natura insitus, effecerunt ut singulis monumentis notas imprimerent, quibus declararent occasionem eorum et scopum, utque formae aliquam adderent regularitatem et ornamenta quaedam oculo deliniendo destinata. Columellae aut quadrati cippi rudium lapidum locum obtinuerunt, vel tabulae rite dolatae e ligno lapideve aut aere. Postea et in altitudinem auctae fuerunt columnae, ac cippi facti proceriores, vel cacumine decorati vel coronide, nonnunquam et plinthus subjecta vel stylobates additus. Sed praecipuum discrimen inter primaeva illa monumenta, et ea quae postea successere, illud est, quod signis in iis vel pictis vel scalptis cogitata sua clarius exprimere coeperunt homines.

Initium fuisse tenue vel ipsa docet rei natura: firmatur etiam scriptorum testimoniis vetustique aevi reliquiis, atque experientia eorum qui barbaros populos adierunt. Nonnisi rudi aliquà pictura res adumbraverunt primaevi homines, vel coloribus usi ad lineas ducendas vel scalpro ad eas incidendas. Sensim et lente ad justas effigies exhibendas progressi sunt: inventa ars pingendi ac varia scalpturae genera, statuarumque mirabile artificium. Nec alium ortum habuit scribendi ars, omnium quae humanum ingenium excogitavit nobilissima. A rerum formis exprimendis ad easdem formas abbreviandas transiverunt, a simplici pictura ad tropicam, ac denique metaphoris symbolisque et aenigmatis varie nexis atque complicatis adolevit scriptio hieroglyphica, quae, ubi latiori sensu accipis vocabulum, multis gentibus communis fuit, ubi arctiori, Aegyptiis propria. Duo hinc nata sunt scribendi genera, quae arbitraria seu conventionalia appellari possunt: alterum rebus cogitatis exprimendis accommodatum sine respectu ad formas rerum, cujusmodi sunt Sinensium characteres, et quae vulgo nuncupantur cifrae variae, alterum sonis imitandis destinatum, ut sunt alphabeta quibus nunc utitur cultioris orbis maxima pars. Sinensium characteres ab aliquo hieroglyphicorum genere olim in illa gente usitato ortum traxisse credi possunt: alphabeta non aliter quam ex Aegyptiis notis manasse suadent rationes, quas sequenti capite exponemus.

Jam vero ubi homines pictura scripturaque uti coeperunt ad cogitata sua disertius declaranda, memoriales lapides et quae alia sunt hujusmodi monumenta, non amplius tam arcte et necessarie affixa et velut alligata fuere certis locis eventuum individualitate definitis. Scripta monumenta in quovis loco reponi potuerunt, dum a situ non amplius penderet significatio: rerumque memoriae servandae

ea praesertim loca fuerunt destinata, quae ab aëris viventiumque injuria maxime videbantur immunia, fora curiaeque, templa et speluncae. Diversa inde hoc quoque respectu monumentorum genera. Nempe alia fixa in ipsis locis eventuum natura memorabilibus, ut Sesostridis stelae, cippi in sepulcris et confiniis, tropaea, et quae hujusmodi sunt: alia quae res continebant publicae utilitatis, foedera, leges, ritus, morborum remedia, cultum agrorum, morum praecepta, fastos, deorumve supplicationes, in locis posita maxima hominum frequentia solemnibus, in foris et templis; alia denique, in quibus perscriptae reconditioris indaginis res, scientiarum theoremata, cosmogoniae, obscura oracula et vetustissimae traditiones, in adytis servata vel in antris certo tantum hominum coetui patentibus. Apud Aegyptios tria ista monumentorum genera, stelarum vocabulo comprehensa, referri posse ad nomina Sesostridis, Osiridis, Hermetis, infra comprobare studebimus.

Eorum porro monumentorum, quae in adytis essent reponenda, ne magna esset moles, obstabat situs natura: quae vero in agris collocabantur vel in templis aut foris, pro cujusvis gentis studiis viribusque ad excelsam saepe proceritatem evecta videmus: maxime autem in iis quae in foris aut templis posita essent, molem et pulcritudinem affectasse intelliguntur eorum conditores, et in positione quoque aliquam symmetriam et ordinem. Inde Aegyptii obelisci bini statuti ante templorum ostia, vel quaterni circum aedes sacratissimas, vel autem singuli in sacrarum arearum meditullio, et speciali munere diis in religione dicati. Hoc pacto a primitiva monumentorum notione sensim eo recessere Aegyptii, ut pro ornamento sive pro donario puros quoque erigerent obeliscos, non alia re praeter molem conspicuos, nec nisi templo decorando et amplificando inservientes. Sed ne sic quidem vetus institutum prorsus deseruere, sed memores e stelis natos esse obeliscos, plerumque litteris insigniverunt, quae cum hodie nobis sint ignorabiles, ex loci convenientia atque distributionis modo, et paucis quibusdam figuris, quarum significatum adnotaverunt scriptores veteres, conjectura tantum colligimus, sacris obeliscis inscriptos esse hymnos, deorum epitheta laudesque continentes, et invocantium supplicationes.

Ista autem antequam fusius declarare aggrediar, opus est inquirere in naturam atque ortum litterarum apud Aegyptios, quamobrem ad hoc argumentum pro viribus dilucidandum transeo.

CAPUT SECUNDUM

Litterarum apud Aegyptios usus et origo.

§. I.

De Aegyptiae scripturae indole, varietate et ortu diversimode disceptatum est a viris doctis: nec certum quid et omnibus probatum emersit hactenus. Sunt qui duos scribendi modos ab Aegyptiis inventos existimant, sunt qui tres aut quatuor; sunt et alii qui solas notas hieroglyphicas Aegyptiis proprias fuisse putant, reliquas autem litteras, quae apud eos in usu fuere, aliunde invectas [1].

---

[1] Praecipuam laudem in hac palaestra meruerunt: Mercatus in libro *degli obelischi di Roma*, cap.11. pag. 82— 130. Kircherus *obelisci Pamphilii* lib.2. pag.93. sqq. et *Oedipi Aegyptiaci* tom.3. diatr. prolus. Marshamus *canonis chronici* saec.1. p. 37. sqq. Freret *reflexions*

Inter veteres, qui de Aegyptiis litteris pleniorem accuratioremque quam reliqui notitiam nobis transmisit, Clemens est, presbyter Alexandrinus, qui floruit circa finem saeculi secundi, vir sui temporis eruditissimis accensendus, et qui vetustis ut videtur libris usus, multa quae ad Aegyptum spectant verius distinctiusque exposuit quam invenire est apud caeteros auctores. Locum ejus ex stromatum libro quinto [a], tanquam disputationis basin praemittimus, adjecta interpretatione Potteri, qui auctoris mentem melius videtur assecutus, quam qui post eum in Clementis verba commentati sunt: *αυτικα ὁι παρ᾽ αιγυπτιοις παιδευομενοι πρωτον μεν παντων την αιγυπτιων γραμματων μεθοδον εκμανθανουσι την επιστολογραφικην καλουμενην· δευτεραν δε την ἱερατικην, ᾗ χρωνται ὁι ἱερογραμματεις· υστατην δε και τελευταιαν την ἱερογλυφικην, ἧς ἡ μεν εστι δια των πρωτων στοιχειων κυριολογικη, ἡ δε συμβολικη. της δε συμβολικης ἡ μεν κυριολογειται κατα μιμησιν, ἡ δ᾽ ὥσπερ τροπικως γραφεται, ἡ δε αντικρυς αλληγορειται κατα τινας αινιγμους. ἥλιον γουν γραψαι βουλομενοι κυκλον ποιουσι, σεληνην δε σχημα μηνοειδες, κατα το κυριολογουμενον ειδος. τροπικως δε κατ᾽ οικειοτητα μεταγοντες και μετατιθεντες, τα δ᾽ εξαλλαττοντες, τα δε πολλαχως μετασχηματιζοντες χαραττουσιν. τους γουν των βασιλεων επαινους θεολογουμενοις μυθοις παραδιδοντες, αναγραφουσι δια των αναγλυφων. του δε κατα τους αινιγμους τριτου ειδους δειγμα εστω τοδε· τα μεν γαρ των αλλων αστρων δια την πορειαν την λοξην οφεων σωμασιν απεικαζον, τον δε ἡλιον τῳ του κανθαρου· επειδη κυκλοτερες εκ της βοειας ονθου σχημα πλασαμενος, αντιπροσωπος κυλινδει. φασι δε και ἑξαμηνον μεν υπο γης, θατερον δε του ετους τμημα το ζωον τουτο υπερ γης διαιτασθαι, σπερμαινειν τε εις την σφαιραν και γενναν, και θηλυν κανθαρον μη γινεσθαι.* „ Jam vero qui docen-
„ tur ab Aegyptiis, primum quidem discunt Aegyptiarum litterarum viam ac ra-
„ tionem, quae vocatur epistolographica: secundo autem hieraticam, qua utun-
„ tur hierogrammates; ultimam autem hieroglyphicam; cujus una quidem species
„ est per prima elementa, cyriologica dicta; altera vero symbolica. Symbolicae
„ autem una quidem proprie loquitur per imitationem; alia vero scribitur velut
„ tropice; alia vero fere significat per quaedam aenigmata. Qui solem itaque vo-
„ lunt scribere, faciunt circulum; lunam autem, figuram lunae cornuum formam
„ prae se ferentem, convenienter ei formae quae proprie loquitur. Tropice autem

---

sur les principes généraux de l'art d'écrire, in *Mémoires de l'acad. des inscr.* tom. 6. pag. 609. Shuckford *histoire du monde sacrée et profane*, *trad. de l'Angl.* tom. 1. lib. 4. p. 218. sqq. Warburton *essay sur les biéroglyphes des Egyptiens traduit par Leon. de Malespeines*, e libro cui titulus *On the divine legation of Moyses* lib. 4. sect. 4. tom. 2. part. 1. p. 65. sqq. Jablonskj *prolegomena ad Pantheon Aegyptiorum* §. 50. sqq. Goguet *de l'origine des loix, des arts et des sciences* part. 1. lib. 2. cap. 6. vers. Ital. tom. 1. pag. 135. sqq. M. de Guignes *mémoire dans lequel on essaye d'etablir que le caractère epistolique, biéroglyphique et symbolique des Egyptiens se retrouve dans les caractéres des Chinois, et que la nation Chinoise est une colonie Egyptienne*: et *essay sur les moyens de parvenir à la lecture* et *à l'intelligence des biéroglyphes Egyptiens*: in *Mémoires de l'academie des inscriptions et belles lettres* tom. 29. pag. 1. sqq. tom. 34. pag. 1. sqq. M. Gibert *observations sur l'obélisque interprété par Hermapion*: ibidem tom 35. pag. 670. sqq. M. de Brosses *mechanisme du langage*: libro a multis celebrato, sed quem evolvere mihi non obtigit. M. d' Origny *l' Egypte ancienne* tom. 2. cap. 7. 8. pag. 231. sqq. Court de Gebelin *monde primitif analysé et comparé avec le monde moderne, consideré dans l'histoire de la parole*, tom. 3. lib. 5. pag. 374 sqq. T.C. Tychsen V.C. *über die buchstabenschrift der alten Aegypter*, in *Göttingische bibliothek der alten litteratur und kunst*, an. 1789. num. 6.

[a] Cap. 4. edit. Potter. pag. 657.

,, per convenientiam traducentes et transferentes, et alia quidem immutantes, alia ,, vero multis modis transfigurantes, imprimunt. Regum itaque laudes fabulis de ,, diis immiscentes, anaglyphicis describunt. Tertii autem generis quod fit per ,, aenigmata, hoc sit indicium: alia quidem astra propter obliquam conversio- ,, nem assimilabant corporibus serpentum, solem vero scarabaeo: quoniam cum ,, rotundam ex bubulo stercore effinxit figuram, eam vultu averso convolvit. ,, Ajunt autem hoc quoque animal sex quidem mensibus sub terra, alteram vero ,, partem anni vitam degere super terram, et semen in globum emittere et gigne- ,, re, et non nasci foeminam scarabaeum. ,,

Usi itaque sunt veteres Aegyptii triplici litterarum ratione, epistolographica sive vulgari communisque vitae usibus accommodata, hieratica sive sacerdotali a sacrorum scribis ad libros exarandos adhiberi solita, et hieroglyphica rebus sacro more inscalpendis destinata [3]. De prima secundaque nihil praeterea addit Clemens,

---

[3] Eadem fere est Mercati de Aegyptiis litteris secundum Clementem sententia, sed quem in eo lapsum arbitror, quod hieraticae methodi discrimen a vulgari in hierogrammatum stylo quaerendum existimet, horumque libros a plebe ideo non fuisse intellectos, quod res tradendae obscuris verbis expressae essent et allegoriis mythisque involutae l. c. pag. 105 ʒqq. Istud enim ad *γραμματων μεθοδον* non pertinet, quare ad id respexisse Clementem nullo modo credibile est; a cujus mente etiam in eo discedit Mercatus, quod non symbolicas notas, sed universim hieroglyphicas in tres species subdivisas autumet. Marshamus quoque can. chron. pag. 38 tria distinguit Aegyptiarum litterarum genera, vulgare, sacerdotale et hieroglyphicum, cujus species cyriologica et symbolica: sed quae earum fuerit natura et diversitas explicare supersedit. Symbolicam speciem recte dividit in tres classes, perperam ob hoc reprensus a Warburtono *essay sur les hierogl.* §. 17. Kircherus obel. Pamph. pag. 124. sqq. Clementi ad latus apponit Abenephium Arabem, scribentem: ,, Erant Aegyptiis quatuor ,, litterarum genera; primum erat in usu apud ,, populum et idiotas; secundum apud philoso- ,, phos et sapientes; tertium erat mixtum ex ,, litteris et symbolis sive imaginibus; quartum ,, usurpabatur a sacerdotibus, erantque litterae ,, avium quibus sacramenta indicabant divinita- ,, tis ,,: atque ex utroque colligit fuisse ab antiquo apud Aegyptios quatuor scribendi rationes. Harum primam recenset litteras epistolographicas, quas nunc Copticas appellamus, a Cadmo ex Aegypto in Graeciam advectas; numero olim viginti et unam, praeter alphabeticum usum mysticis etiam symbolis inservientes, postmodum litteris quibusdam a Graecis superadditis auctas usque ad triginta duas. Secundum genus appellat gnomicum sive parabolicum a sapientibus excogitatum ad naturae mysteria condenda, Pythagoricis symbolis simile. Constitisse autem ait certis sententiis et documentis politicis, quae arguto symbolorum apparatu exprimebant; atque hujusmodi esse ea quae Horapollo posteritati reliquit. [Huc quoque revocandas esse fabulas quas de Pherone aliisque regibus narravere sacerdotes, et mystico sensu interpretandas. Porro tertii generis litteraturam fuisse partim e simplicibus litteris partim symbolicis compositum. Scilicet litteras

A. ϣ. V. λ. Φ. χ. ϯ. ϩ. ϫ. N. O. C.

aliasque his similes frequenter conspici inter notas hieroglyphicas; inveniri etiam integra verba Coptica in tabula Bembina, in mumia Petri de Valle, inque aliis monumentis hieroglyphicis: pag. 147. Quartum, sacrum dictum, constare meris symbolis, per animalia, homines, aves, instrumenta, herbas, partes humani corporis, figuras omnis generis mystice expressis, quo sublimia quaevis de deo, angelis seu spiritibus, daemonibus, mundo, homine, aliisque naturae secretis mysteria ac recondita sacramenta, obeliscis, pyramidibus, templorum valvis, exedris, aris, tabulisque insculpebant, unde et postea hieroglyphicorum nomen meruerint. Haec divisio quantum a Clementis verbis distet, quivis videt, secundum autem et quartum genus, si characteres spectes, in quo ab invicem differant non indicat Kircherus: nec tertium genus reperitur nisi in infimi aevi monumentis; nam in obeliscis inque Bembina tabula frustra quaeres litteras alphabeticas. Ubi vero pro scriptionis genere accipis gemmarum illas scalpturas e litteris symbolisque et magicis notis mixtas, recte scripsisse videtur Abenephius, quod in Aegypto exstiterint quatuor

eo quod reliquarum gentium litteris similes essent, alphabeticae, nec summopere a semet invicem diversae, propter hoc tamen distinguendae, quod utraque certae hominum classi certisque rebus agendis esset destinata, cujusmodi litterarum discrimina apud multos populos exstant hodie, et olim exstitisse credibile est. De hieroglyphicis autem, quae tunc saltem temporis et inter populos quibus commercium erat cum Graecis, apud solos Aegyptios inveniebantur, fusius disserere operae pretium putavit, figurarumque exponere varias species ac significandi rationes, quas non separate quidem in diversis scriptionibus, sed omnes indiscriminatim in omnibus iis quae hieroglyphice scribebantur adhibere consueverunt Aegyptii. Quod et effecit tanta cum accuratione ut iis quae ipse tradidit, ad hieroglyphicam methodum noscendam, perpauca addi posse existimem. Ea quidem unde hauserit, ignoratur, at quoniam verba ejus penitiorem produnt hieroglyphicorum characterum cognitionem, non aliter quam diuturno studio acquirendam, neque ab ullo antiquo auctore quotquot aevum tulere tam clare expositam: a viro quodam profecta credo qui Aegyptiae antiquitati omnem suam curam impenderat, Aegyptiorum monumenta curiose scrutatus erat veteresque eorum libros evolverat, potius quam ab ipso stromatum scriptore tot aliis rebus incumbente.

Meminit triplicis scribendi modi apud Aegyptios Antonius Diogenes Thulensium fabularum scriptor, apud Porphyrium de vita Pythagorae [4]: *εν αιγυπτῳ μεν τοις ἱερευσι συνην ὁ πυθαγορας, και την σοφιαν εξεμαθε, και την αιγυπτιων φωνην· γραμματων δε τρισσας διαφορας, επιστολογραφικων τε και ἱερογλυφικων και συμβολικων· των μεν κοινολογουμενων κατα μιμησιν, των δε αλληγορουμενων κατα τινας αινιγμους.* „ In Aegypto cum sacerdotibus vixit Pythagoras, et „ sapientiam didicit, ac linguam Aegyptiorum: litterarum autem tria genera, „ epistolographicas, hieroglyphicas et symbolicas, quarum illae (hieroglyphicae) „ quidem res exponunt imitatione, hae (symbolicae) vero sub aenigmatis qui- „ busdam latenter ostendunt „. At locus ita comparatus est ut nullum fructum ex eo percipere possimus, sive mutilus sit, quod aliquando suspicatus sum [5], sive scriptor Aegyptiarum rerum prorsus imperitus, coeteroquin fabulosus nec de ve-

---

scribendi rationes; alphabeticas duas, vulgarem et hieraticam, tertiam mixtam, ultimam hieroglyphicam. De reliquo Kircheri sententiam de litteris Cadmeis confutavit Renaudotus *mémoires sur l'origine des lettres Grecques*, in *Mémoires de l'academie des inscriptions et des belles lettres* tom. 2. pag. 231. sqq.

[4] Cap. 11. 12. Plerumque haec afferri solent sub nomine Porphyrii, at recte advertit cl. Tychsen l. c. pag. 9., Diogenem esse qui loquitur, ideoque in auctorum recensione locum ei tribuit ante Clementem. Est autem is Antonius Diogenes, qui scripsit *των υπερ θουλην απιστων λογυς κδ'*, fictam historiam omnique veritatis specie destitutam, cujusmodi sunt qui hodie vulgo dicuntur *romanzi*; caeterum incerti aevi homo, quem Photius cod. 166. miro anachronismo ab Alexandri Macedonis tempore parum distare existimat. Nam Antonii Faustinique nomina quae apud eum leguntur abunde probant, vixisse sub Romano imperio, forte non multum a Clementis aetate remotum, quamvis hoc concedere possimus Photio, antiquiorem fuisse Luciano, Apulejo et reliquis qui hujusmodi narrationes concinnaverunt. Neque id satis constat utrum Porphyrii sit liber de vita Pythagorae, an Malchi sophistae Byzantini: qua de re vide Rittershusii praefationem ad annott. in eundem.

[5] Scilicet ubi scripseris: *επιστολογραφικων τε και ἱερ (ατικων και ἱερ) ογλυφικων· (κυριολογικων τε) και συμβολικων· των μεν κοινολογουμενων κατα μιμησιν, των δε αλληγορουμενων κατα τινας αινιγμους*: epitomen habes eorum quae de Aegyptiis litteris tradidit Clemens: et facile cognoscis syllabarum affinitatem quae errandi occasionem offerre potuit librario.

ritate prodenda sollicitus, quae incerta fama nec bene intellecta acceperat, inconsiderate libro suo ingesserit. Dum enim symbolicas notas separat ab hieroglyphicis universae refragatur antiquitati [6], eamque scripturam in limites coërcet ita angustos ut aliud non sit quam simplex pictura, nec litterarum quidem nomen mereri videatur. Unde est quod miremur, eruditissimos viros Clementem e Porphyrio interpretandum et tanquam corrigendum censuisse [7]. Porphyrius quidem mul-

---

[6] Adi praeter Horapollinem, Diodori locum lib. *3.* cap. *4.* mox adducendum; S. Cyrill. lib. *9.* adv. Julian. cujus verba sistimus supra pag. *23*; Amm. Marcell. lib. *17.* cap. *4.* supra pag. *25*; Macrob. saturn. lib. *1.* cap. *19.* *21.* Ut eos omittam qui hieroglyphicorum vocabulo non expresso, hisce similia prodiderunt de litteris Aegyptiis.

[7] Warburtonus l. c. §. *16. 17. 18.* e Clemente qui tres nominat scribendi methodos, epistolographicam, hieraticam, hieroglyphicam; atque e Porphyrio qui tria habet litterarum genera, epistolographicas, hieroglyphicas, symbolicas; arguit quatuor fuisse apud Aegyptios scribendi rationes: 1.) hieroglyphicam, cujus duae species, cyriologica a rerum figuris imitandis, et tropica a notis tropicis dicta; 2.) symbolicam, cujus duae itidem species, simplicior altera et tropica, altera magis mysteriosa et allegorica; *3.*) epistolographicam negotiis popularibus inservientem; 4.) hierogrammaticam rebus quae ad religionem pertinent consecratam. Ex his duas priores usas esse signis figurisque; reliquas litteris alphabeticis. στοιχεια apud Clementem de alphabeti elementis accipit, atque ad methodos epistolographicam hieraticamque refert: et το κυριολογουμενον ειδος cyriologico generi applicat, a Clemente perperam symbolicae scripturae accensito. Deguignius *mem. de l'acad. des inscriptions* tom. *29.* pag. 12. *23.* tom. *34.* pag. *3. 35.* ex iisdem auctoribus cum monumentis atque cum Sinensium methodo collatis, tres conficit Aegyptiae scripturae modos: 1.) epistolographicum seu alphabeticum; 2.) hieraticum vel hierogrammaticum, qui prater litteras alphabeticas, alias quoque rerum figuras abbreviatas et tanquam cursive pictas adhiberet ad sonos compositos sive syllabas exprimendas; *3.*) hieroglyphicum, compositum e figuris accurate delineatis, quae ipsas res significarent vel cyriologice, vel tropice, vel symbolice, atque e litteris alphabeticis figurate pictis, quae linguae sonos exprimerent. Gibertus ibidem tom. *35.* pag. *670* sqq. quatuor colligit scribendi modos: 1.) vulgarem, 2.) sacerdotalem; utrumque litteris alphabeticis, quibus nulla cum hieroglyphicis affinitas, quasque ante Mosis tempora ab Hebraeis receperunt Aegyptii; *3*) hieroglyphicum, pariter alphabeticum et sonis exprimendis accommodatum, sed litteris animalium figuras referentibus, in quibus prima ibis; 4) hieroglyphicum symbolicum, ad res declarandas usum signis cyriologicis, tropicis et aenigmaticis. E diverso Dorignius *Eg. anc.* pag. *235.* 288., cujus ea est opinio Aegyptios non habuisse litteras alphabeticas a se inventas, sed Sesostridem ab Asiatica expeditione reversum Phoenicias litteras Aegypto intulisse, ita interpretatur Clementem, ut quae disserit de litteris hieroglyphicis explicatio sit methodi hieraticae: inque eadem fere sententia versatur Court de Gebelin *monde prim.* tom. *3.* pag. 424. Denique Tychsenius, qui pererudite et magna cum accuratione egit de litteris Aegyptiis, l. c. pag. *9.* 13. 4*5*. 80. alphabetum Phoenicium circa Psammetichi aetatem in Aegyptum adlatum existimans, Aegyptios ad ea usque tempora non alia quam hieroglyphica scriptione usos esse censet, hujusque speciem fuisse methodum hieraticam Clementis, symbolicam dictam Diogeni, sacrorum scribis propriam, quae ex arbitrariis notis constans, fere uti sunt Sinensium characteres, recte appellari potuerit aenigmatica. Etiam Debrosses, qui magna cum laude scripsit de linguarum natura et origine, duo tantum statuit Aegyptiarum litterarum genera, alphabeticum et hieroglyphicum: *méchan. du lang*: tom. 1. pag. *363.* apud Gebelin l. c. pag. *385*. Quod si eo sensu pronuntiavit, ut hieraticam methodum pro alphabeticae scripturae specie accipiat, lubens accedo ejus sententiae, dummodo consentiat, Clementem recte distinxisse hieraticas litteras a vulgaribus atque ab hieroglyphicis. Verumenimvero nisi Clementis verba eo modo interpretemur, quem suggerit orationis ordo et institutum, plane negari potest exstitisse unquam apud Aegyptios litteras alphabeticas: nam praeter Platonem, cujus non magna est in historia auctoritas, nemo exstat vetus auctor qui expressis verbis asserat. Ad epistolas scribendas uti potuerunt notis figurisve, quemadmodum factum novimus a Sinensibus et Mexicanis: atque Porphyrii locus ita accipi potest, imo ab Holstenio ita in latinum conversus fuit, ut illud των μεν κοινολογουμενων κατα μιμησιν

tis in locis eximium se praebet Aegyptiae vetustatis interpretem, sed hic ubi id solum agit ut varias congerat de Pythagorae vita narrationes, inter reliquos transcripsit Antonium illum Diogenem, cujus sane ea esse non potest auctoritas, ut notionem recipiamus de hieroglyphicis nulli antiquo scriptori probatam, utque hoc pacto tria statuamus Aegyptiarum litterarum genera, alphabeticum, hieroglyphicum, symbolicum. Quis enim veterum unquam dixit hieroglyphicam scripturam notis tantum constare quae res quales sunt imitarentur omnibusque essent noscibiles? Quis veterum qui hanc rem attigere, non ea dixit quae illi sententiae e regione sunt opposita? Unum saltem nobis sistant qui affirmet Aegyptiorum hieroglyphica picturam obtulisse cujusmodi offerunt Graeca et Romana anaglypha, dum res cogitatione conceptas ipsarum rerum imitatione ob oculos ponunt. Sed sufficit contulisse quae de hieroglyphicis habet Diodorus libri tertii capite quarto, cum iis quae tradit de scalpturis in monumento Osymandyae libro primo, capite quadragesimo septimo et sequentibus[7*], in utroque secutus antiquos scriptores: ut pateat quam accurate omni tempore hieroglyphica a picturis Aegyptiis discriminaverunt veteres, quae nos hodie plerumque aut male conjungimus aut male distinguimus.

Praeter Clementem equidem et Diogenem sive Porphyrium, auctores non invenio qui triplicem litterarum speciem memoraverint Aegyptiis usitatam, sed hoc nec fidem eorum destruere debet, nec nos inducere ut Clementis verba vel de sui temporis hominibus intelligamus vel ad sensum contextui eorum refragantem deflectamus. Nam Graeci qui scripserunt de rebus Aegyptiis plerumque ea tantum notaverunt quae maxime incurrebant in oculos, quae vero magis recondita erant aut prorsus neglexerunt aut leviter tantum degustarunt, et saepe confuderunt res sua natura diversissimas.

Herodotus libro secundo, capite tricesimo sexto, duos litterarum modos tribuit Aegyptiis, utrasque a dextris ad sinistra exarari solitas, vulgares et sacras: *γραμματα γραφουσι και λογιζονται ψηφοισι, ἑλληνες μὲν απο των αριστερων επι τα δεξια φεροντες την χειρα, αιγυπτιοι δε απο των δεξιων επι τα αριστερα· και ποιευντες ταυτα, αυτοι μεν φασι επι τα δεξια ποιεειν, ἑλληνας δε επ᾽ αριστερα. διφασιοισι δε γραμμασι χρεωνται, και τα μεν αυτων ἱρα, τα δε δημοτικα καλεεται.* „ Graeci litteras scribunt et calculis computant a sinistro ad dextrum manum ferentes: Aegyptii a dextro ad sinistrum; et hoc facientes ajunt se in dextrum, Graecos facere in sinistrum. Litteris duplicibus utuntur, quarum unas sacras vocant, populares alteras „. Sed cum de earum indole et diversitate nihil prodat praeterea, dubium videtur utrum sacrae illae litterae hieroglyphicae credendae sint an hieraticae, hoc est, utrum pro elementis habuerint figuras rerum existentium an alphabeticos typos qualibus nos utimur hodie. Quod ait a dextris scribi ad sinistra cogitare facit de litteris hieraticis; nam hieroglyphicis ea lex non

---

ad epistolographicum genus referatur: „ Quorum illud propriam et communem loquendi consuetudinem imitatur: reliqua per allegorias sub quibusdam aenigmatum involucris sensum exprimunt „. Illae autem viginti-quinque litterae, de quibus Plutarchus loco mox citando, esse potuerunt hieroglyphicae scripturae prima aut sacratissima elementa, sicuti Clemens strom. 5, 7. pag. 671 quatuor simulacrorum meminit quae dicta fuere *τεσσαρα γραμματα*. Quae licet a veritate aliena existimem, tamen eodem jure affirmari posse reor, ac hieraticae litterae Clementi memoratae confundi cum symbolicis, quas ipse data opera ab iis segregavit.

7* Vide supra pag. 419. sqq. et mox pag. 429.

est ; modo exarantur a dextris ad sinistra ; modo a sinistris ad dextra , modo et columnatim pinguntur uti Sinensium characteres . Fortasse Herodotus hieroglyphicas notas , quarum vocabulum apud eum non legitur , litteras appellare noluit, sed typorum englyphorumque nomine complexus est , quibus Aegyptia aedificia decorata fuisse plus uno loco advertit [8] . Verum ne ita existimem , impedimento est quod Aegyptias epigraphas memoret litteris exaratas in lapide ; hactenus autem nullum visum sit saxum Aegyptiis litteris inscriptum antiquitus , quae alphabeticorum typorum speciem prae se ferant [9] ; sed quae in nonnullis occurrunt notae litteris nostratibus primo obtutu affines , attentius examinatae pro hieroglyphicis festinanter scalptis agnoscantur . Quod licet non sufficiat ad negandum , exstitisse aliquando saxa Aegyptia alphabeticis litteris inscripta ; tamen hieroglyphicorum in lapidibus scalptorum infinita fere copia , post tot saeculorum strages hodie adhuc superstes , credere facit Aegyptios in iis inscriptionibus quas lapidibus committerent a vetustissimo illo hieroglyphicorum instituto haud temere recessisse . Suspicor itaque fuisse notas hieroglyphicas quas in Sethonis statua , in pyramidibus Cheopis et Asychis , inque stelis Sesostridis , litteras vocat Herodotus ; in effigiebus autem hujus regis in Jonia prostantibus , sacras litteras Aegyptiorum [10] . Accedit Diodorus , cui sacrae litterae idem sunt quod hieroglyphicae , quique Sesostridis stelas sacris litteris inscriptas perhibet : et omnia eo collimant ut duos characterum modos sub sacrarum litterarum vocabulo confusos putemus ab Herodoto . Scilicet audiverat in Aegypto sacras litteras appellari eas notas quae saxis cernebantur inscalptae ; audiverat quoque litterarum , proprie quidem ita dictarum , quae a dextris scribebantur ad sinistra , duas apud eos esse species , sacras et vulgares . Inde utpote Aegyptiae linguae scripturaeque rudis , hieraticas litteras et hieroglyphicas pro una eademque re accipiendas credidit .

Diodorus autem sive auctor ab eo transcriptus , qui probe noverat hieroglyphicorum naturam , et primus distinctiorem de iis notitiam nobis tradidit , sub vulgarium litterarum nomine utrumque alphabetum , sacerdotale et epistolographicum comprehendisse videtur , quae et dum prima spectes elementa ita inter se affinia fuisse reor , ut nisi curiosius scrutanti pro una eademque re haberi potuerint [11] . Is enim duo pariter litterarum genera Aegyptiis usitata memorat , vulgares ab omnibus indiscriminatim disci solitas , et sacras sacerdotibus proprias : notasque illas in Aegyptiis lapidibus obvias modo sacras litteras vocat, modo hieroglyphicas , modo Aethiopicas ; atque ab Aethiopibus inventas esse docet , et in Aethio

---

[8] Lib. 2. cap. 124. de substructione viae munitae quae ducebat ad pyramidem Cheopis : cap. 136. de propylaeis templi Vulcani Memphitae ab Asyche conditis : cap. 138. de propylaeo et septo templi Bubastios ; cap. 148. de Labyrintho duodecim regum opere et de pyramide ei adjacente : cap. 153. de cubili Apidis a Psammeticho structo . Meminit pariter picturae Aegyptiae lib. 2. cap. 73. 46.

[9] Quae enim offenduntur in Memnonis statua vulgares litterae Aegyptiae , huc non pertinent , cum non ab operis conditore incisae sint , sed aevo multo sequiore a peregrinatoribus , quo praesentiam suam testarentur . Idem dicendum de inscriptionibus Sinaiticis , e quibus nonnullae eodem charactere exaratae videntur .

[10] Lib. 2. cap. 141. 125. 136. 102. 106. collat. cum Diodor. lib. 1. cap. 55. Vide supra p. 32. 40.

[11] Potterus quidem in annotationibus ad locum Clementis putat Diodorum sub sacrarum litterarum appellatione complexum esse hieraticas atque hieroglyphicas : at scriptor ille nimis bene instructus videtur de hieroglyphicorum characterum indole quam ut confunderet cum scriptura alphabetica .

pia vulgarium litterarum vice functas, in Aegypto vero a solis sacerdotibus intellectas. Eam autem esse hujus scriptionis naturam, ut typi quibus utitur similes sint animalibus cujusvis generis, membris praeterea humani corporis, instrumentisque, praesertim fabrilibus, quibus non voces repraesentarentur e syllabis compositae, sed ipsarum figurarum expressa specie et metaphorica significatione cogitata declarentur. Libro primo, capite octogesimo primo inquit: *παιδευουσι δε τους υιους όι μεν ίερεις γραμματα διττα, τα τε ίερα καλουμενα και τα κοινοτεραν εχοντα την μαθησιν. —— το δ' αλλο πληθος των αιγυπτιων εκ παιδων γραμματα επ' ολιγον διδασκονται*[12], *ουχ άπαντες, αλλ' οί τας τεχνας μεταχειριζομενοι μαλιστα*. Libro tertio, capite tertio et sequenti: (*φασιν οί αιθιοπες*), *τας τε των αγαλματων ιδεας και τους των γραμματων τυπους αιθιοπικους υπαρχειν* (*τοις αιγυπτιοις*). *διττων*[13] *γαρ αιγυπτιοις οντων γραμματων, τα μεν δημωδη προσαγορευομενα παντας μανθανειν, τα δ' ίερα καλουμενα παρα μεν τοις αιγυπτιοις μονους γινωσκειν τους ίερεις, παρα των πατερων εν απορρητοις μανθανοντας, παρα δε τοις αιθιοψιν άπαντας τουτοις χρησθαι τοις τυποις. —— περι δε των αιθιοπικων γραμματων, των παρ' αιγυπτιοις καλουμενων ίερογλυφικων, ρητεον, ίνα μηδεν παραλειπωμεν των αρχαιολογουμενων. συμβεβηκε τοινυν τους μεν τυπους υπαρχειν αυτων όμοιους ζωοις παντοδαποις και ακρωτηριοις ανθρωπων, ετι δ' οργανοις, και μαλιστα τεκτονικοις. ου γαρ εκ της των συλλαβων συνθεσεως ή γραμματικη παρ' αυτοις τον υποκειμενον λογον αποδιδωσιν, αλλ' εξ εμφασεως των μεταγραφομενων και μεταφορας μνημη συνηθλημενης. γραφουσι γαρ ίερακα και κροκοδειλον, ετι δ' οφιν, και των εκ του σωματος των ανθρωπων οφθαλμον και χειρα και προσωπον, και έτερα τοιαυτα. ό μεν ουν ίεραξ αυτοις σημαινει παντα οξεως γινομενα, δια το ζωον τουτο των πτηνων σχεδον υπαρχειν οξυτατον · μεταφερεται τε ό λογος ταις οικειαις μεταφοραις εις παντα τα οξεα, και τα τουτοις οικεια, παραπλησιως τοις ειρημενοις. ό δε κροκοδειλος σημαντικος εστι πασης κακιας. ό δε οφθαλμος, δικης τηρητης, και παντος του σωματος φυλαξ. των δε ακρωτηριων ή μεν δεξια τους δακτυλους εκτεταμενους εχουσα σημαινει βιου πορισμον, ή δ' ευωνυμος συνηγμενη τηρησιν και φυλακην χρηματων. ό δ' αυτος λογος και επι των αλλων τυπων των εκ του σωματος, και των οργανικων, και των αλλων άπαντων. ταις γαρ εν έκαστοις ενουσαις εμφασεσι συνακολουθουντες, και μελετη πολυχρονιῳ και μνημη γυμναζοντες τας ψυχας, έκτικως έκαστα των γεγραμμενων αναγινωσκουσι*. „ Sacerdotes duo litterarum genera, tum quas sacras vocant, tum quae communiorem habent disciplinam, pueros docent. ——
„ Vulgus Aegyptiorum a puerili aetate litteras strictim docentur, non omnes, sed
„ ii potissimum qui artibus incumbunt. —— Ajunt Aethiopes et statuarum ef-
„ figies et litterarum formas apud Aegyptios esse Aethiopicas. Cum enim duplices
„ sint Aegyptiis litterae, ab omnibus promiscue disci quas vulgares appellitant;
„ sacras autem quas nominant a sacerdotibus tantum, secreta parentum disciplina
„ traditas cognosci: hisce autem apud Aethiopes indiscriminatim uti omnes. —De
„ litteris Aethiopicis et his quas hieroglyphicas Aegyptii nominant, aliquid dicen-
„ dum est, ne quid de priscis rebus omittatur. Evenit itaque ut figurae earum variis
„ animalibus et hominum membris instrumentisque, fabrilibus potissimum, similes

---

[12] Sic Stroth *Aegyptiac*. part.2. pag.167: reliqui *διδασκουσι*.

[13] Stroth l. c. pag.213: reliqui *ιδιων*,

„ essent . Nam apud eos ars litteraria non compositione syllabarum, sed descri- „ ptarum imaginum significatu et translatione per exercitationem memoriae in- „ sculpta, subjectam orationem exprimit et absolvit. Jam enim accipitrem, cro- „ codilum, serpentem: jam de corpore humano aliquid, puta oculum, manum, „ faciem, pingunt, et id genus alia. Accipiter illis cuncta quae celeriter fiunt „ significat; quod avis haec omnes fere alias velocitate superet: atque ratio con- „ gruis metaphoris ad omnia subita et his affinia, perinde ac si verbis expressa „ forent, applicatur. Crocodilus omnis malitiae index est. Oculus justitiae ser- „ vator, ac totius corporis custos. Inter extrema corporis membra, dextra ex- „ pansis digitis victus suppeditationem, sinistra contracta conservationem facul- „ tatum et custodiam denotat. Eadem se extendit ratio ad caeteras quoque cor- „ poris et instrumentorum formas, et ad reliquas omnes. Dum enim in unoquoque „ significationes abditas sequuntur, animosque diuturno studio et memoriae cultu „ exercitatos intendunt, exacte singula figuris adumbrata legunt et intelligunt„. Idem auctor sacris litteris, id est hieroglyphicis inscriptas expresse narrat stelas Osiridis et Isidis in Nysa Arabiae [14]; stelas Sesostridis in victoriae memoriam erectas [15]; et execrationem Menae quam in Thebaei Jovis templo scribi jussit Tnephachthus [16], in stele exaratam, ut auctor est Plutarchus in tractatu de Iside [17]. Easdem autem litteras intelligendas esse ubi inscriptiones prodit lapidibus incisas non definita litterarum specie, jam inde approbatur quod in harum numero sint scalpturae obeliscorum Sesostridis [18].

Strabo bis tantum, quod sciam, sacrarum litterarum meminit apud Aegyptios: libro decimo sexto [19], ubi quae narrat de Sesostridis stele in Dira Aethiopiae ab Eratosthene mutuatus videtur; et libro decimoseptimo [20], ubi sacerdotes ait in sacras litteras referre consuevisse quaecunque reconditioris essent eruditionis. De obeliscis autem narrans quae Thebis constituti fuerunt, inscriptiones tantum memo-

---

14 Lib. 1. cap. 27. supra pag. 39.

15 Lib. 1. cap. 55. supra pag. 40.

16 Lib. 1. cap. 45. supra pag. 45. not. 4.

17 Pag. 395. tom. 2. pag. 354. supra pag. 44.

18 Lib. 1. cap. 57. supra pag. 4. Id genus sunt epigrammata quae templis a se conditis inscribenda curavit Sesostris, lib. 1, cap. 56; et quae legebantur in pyramidibus Chemmidis et Mycerini, cap. 64; inque statua et bibliotheca Osymandyae, cap. 47. 49. De aurea stele in Panchaea bis mentionem injiciens Diodorus, lib. 5, cap. 46. litteris inscriptam ait, quas sacras vocant Aegyptii, in fragmentis autem libri 6, Panchaeis litteris. Vide supra pag. 40.

19 Pag. 1114. supra pag. 41. una cum altero loco Strabonis lib. 17. pag. 1138, ubi in stelis Sesostridis *αναγραφας* fuisse ait, suppressa sacrarum litterarum mentione.

20 Pag. 1139. Scilicet miratur Strabo, quod post expeditiones Sesostridis et Cambysis, natura Nili nondum satis cognita esset, *και ταυτα των ἱερεων φιλοπραγμονεστερον αναφεροντων εις τα ἱερα γραμματα και αποτιθεμενων ὁσα μαθησιν περιττην επιφαινει*: ubi *ἱερα γραμματα* sacros commentarios, *ἱερας αναγραφας*, significare videntur, quemadmodum apud Josephum contra Apion. lib. 1. c. 26., qui documenta quibus usus Manetho modo *ἱερα γραμματα* vocat, modo *αναγραφας*, modo *βιβλους*; et apud Plutarchum de Iside pag. 507. tom. 2. pag. 383., dum unguentum *κυφι* compositum perhibet *γραμματων ἱερων τοις μυρεψοις αναγινωσκομενων*. Sic quoque incertum mihi videtur quo sensu accipienda sint verba Diogenis Laertii lib. 9. segm. 49., ubi ait Democritum scripsisse *περι των εν Βαβυλωνι και εν Μεροη ἱερων γραμματων*. Caeterum Lucanus Pharsal. lib. 10. vers. 179. 206. ea quae ad Nilum spectant adytis insculpta perhibet; et Galenus adv. Julian. c. 1. supra p. 46., Achilles Tatius supra pag. 48., aliique artes et scientias stelis incidi consuevisse: unde *ἱερα γραμματα* apud Strabonem hoc quoque loco accipi potest de hieroglyphicis.

rat, litterarum genere non indicato [21]: quod et facit Tacitus in Thebarum descriptione, annalium libro secundo [22]. Idem annalium libro undecimo [23] duplicem scribendi rationem tribuit Aegyptiis: nam et primos per figuras animalium sensus mentis in saxis effinxisse scribit, et litteras ab iis inventas perhiberi quas postea Phoenices Graeciae intulerunt. Etiam ex Plinio duo Aegyptiarum litterarum genera colligere datur, siquidem libro tricesimo sexto [24] obeliscorum scalpturas Aegyptias litteras vocat, et libro septimo [25] Aegyptios inter eos recenset quibus adscribi solet alphabeticae scripturae inventio. Isti quidem scriptores nil satis clari produnt hac de re: faciunt tamen contra eos qui alphabetum sero e Phoenice in Aegyptum advectum putant. Est et Lucani locus Pharsaliae libro tertio [26], quem in medium attulerunt omnes fere qui de Aegyptiorum litteris disputare instituerunt:

Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum volucresque feraeque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Ex quo si aliquid discimus, hoc est, Aegyptios in lapideis monumentis pro litteris usos esse figuris animalium, ad libros scribendos adhibuisse typos alphabeticos. Sic quoque S. Cyrillus libro nono adversus Julianum [27], Martianus Capella satyrici libro secundo [28], et Ammianus Marcellinus libro decimoseptimo ac libro vicesimo secundo [29], eam scribendi rationem, quae animalium figuris ad res exprimendas utebatur, *in obeliscis et stelis*, inque templorum et adytorum parietibus usitatam testantur; cui praesertim rei inservisse characteres hieroglyphicos, jam et e nominis etymo colligere licet. Quod vero sequioris aevi scriptores nonnulli, Heliodorus [30], Ruffinus [31], et interpres Origenis [32], hieroglyphicas litteras appellent hieraticas, hoc non facere contra Clementem, qui diserte unum genus distinguit ab altero, facile mecum sentient eruditi.

De libris Aegyptiis, qui jam ab Herodoto laudantur, libri secundi capite centesimo, quorumque mentio crebro recurrit apud Diodorum, Manethonem, aliosque, adjecto saepe sacrorum epitheto [33], non adnotaverunt auctores quo litterarum genere scripti fuerint: at hieraticis litteris exaratos fuisse, credere suadet tum major hujus scriptionis facilitas, tum Manethonis locus apud Syncellum, quem supra produximus et integritati reddere tentavimus. Is enim quomodocunque sit

---

[21] Lib. 17. pag. 1170. supra pag. 6.
[22] Cap. 60. supra pag. 19.
[23] Cap. 14.
[24] Cap. 8. supra pag. 11.
[25] Cap. 56.
[26] Vers. 221.
[27] Vide supra pag. 23.
[28] V. supra pag. 50.
[29] V. supra pag. 25. et pag. 50. not. 1.
[30] Aethiopic. lib. 2. pag. 116. lib. 4. pag. 174. edit. Bordelot. confer Diodor. lib. 3. c. 3.
[31] Hist. eccles. lib. 2. cap. 26. 29. collat. cum Socrat. hist. eccl. lib. 5. cap. 7. Sozomen. hist. eccl. lib. 7. cap. 15. Theophan. chronogr. p. 61.
[32] Comment. in epist. ad Rom. p. 495. opp. Origen. tom. 4. ed. Paris. 1733. Ammiano Marcellino lib. 22. cap. 15. supra pag. 50. hieroglyphica dicuntur litterae hierographicae, modo Valesius pro *hieroglyphicas litteras*, quod olim legebatur, recte reposuit *hierographicas*.
[33] Sistimus infra elenchum librorum Aegyptiorum a Graecis Romanisque auctoribus laudatorum.

constituendus, hoc saltem docet alio litterarum genere in lapidibus uti consuevisse Aegyptios, alio in libris. Primus Hermes, inquit Manetho, praedictiones ex astris sacra dialecto sive poetica oratione conceptas stelis incidit litteris hieroglyphicis, secundus Hermes stelarum epigrammata in communem dialectum et pedestrem sermonem conversa hieraticis litteris in libros transtulit atque in adytis reposuit[34]. De priore Hermete et de hieroglyphicis intelligendus est Hermeticorum auctor, dum litteras a Mercurio occulte traditas ait, dein ab Osiride et Iside obeliscis inscriptas stelisque, quarum pars in publico propositae, pars denuo occultae[35]. De secundo autem Plato in Philebo et in Phaedro[36], ubi alphabeticas litteras a Theuth inventas et Thamo regi expositas narrat, atque artem quandam grammaticam ab eo concinnatam. Quae quamvis ab hodiernis scriptoribus inter mythos referri so-

---

[34] Χρηματισας εκ των εν τῃ σηριαδικῃ γῃ κειμενων στηλων, ἱερᾳ φησι διαλεκτῳ και ἱερογλυφικοις (pro ἱερογραφικοις) γραμμασι κεχαρακτηρισμενων υπο Θωθ, του πρωτου ἑρμου, και ἑρμηνευθεισων μετα τον κατακλυσμον εκ της ἱερας διαλεκτου εις την κοινην (pro ἑλληνιδα) φωνην γραμμασιν ἱερογραφικοις (pro ἱερογλυφικοις), και αποτεθεισων εν βιβλοις υπο του αγαθου δαιμονος υιου, του δευτερου ἑρμου, πατρος δε του ταθ, εν τοις αδυτοις των ἱερων αιγυπτȣ. V. supra pag. 36. not. 3. Gratulor equidem mihi Jablonskium summum virum Manethonis locum eodem fere modo constituisse Panth. Aegypt. lib. 8. c. 5. §. 19. tom. 3. pag. 184: at in hoc nequeo cum eo sentire quod ἑλληνιδα profectum suspicetur ab ipso Manethone, qui ad Ptolemaei Graecorumque gratiam captandam rem aliter quam erat repraesentare voluerit. Nam crassa istiusmodi et αμουσος adulatio minime accommodata erat eleganti ingenio Ptolemaei Philadelphi, qui et ipse in veteri historia nimis versatus credi debet, quam ut impostorem non argueret virum, comminiscentem Aegyptias res antiquissimo tempore Graece scriptas fuisse Aegyptiis litteris. Universim autem non video, quibus indiciis usus Jablonskius Manethonem adulatorem exagitet, eique maxime attribuat patriae religionis et patriorum morum quae sub Graecis evenit depravationem. Venit et in subsidium nostrae conjecturae Josephus libro 1. contra Apionem, cap. 14. docens, Manethonem scriptum reliquisse, se patriam historiam a sacris Aegyptiorum commentariis in Graecum convertisse: γεγραφε ἑλλαδι φωνῃ την πατριον ἱστοριαν, εκ των ἱερων ὡς φησιν αυτος μεταφρασας: et cap. 26: ὁ μανεθως ȣτος, ὁ την αιγυπτιακην ἱστοριαν εκ των ἱερων γραμματων μεθερμηνευειν υπεσχημενος, μεχρι μεν τουτων ηκολουθησε ταις αναγραφαις. et cap. 16: υπερ ὡν δε ὁ μανεθως ουκ εκ των παρ' αιγυπτιοις γραμματων, αλλ' ὡς αυτος ὡμολογηκεν, εκ των αδεσποτως μυθολογουμενων προστεθεικεν. Itaque audiendi non sunt Warburtonus l. c. §. 30. et cl. Tychsen l. c. p. 33, qui Manethonem ad historiam suam concinnandam Graecis libris usum putant post Psammetichi aevum conscriptis. Manetho enim qui scripsit in tanta litterarum luce, ridendum se praebuisset, si libros, de quorum recenti aetate constaret omnibus, Mercurio tribuisset a diluvio parum distanti, aut si quae Graeca erant, vel hieroglyphicis vel hieraticis litteris scripta dixisset. Warburtonus quidem utroque loco legendum censet ἱερογραφικοις, argumentis usus, quod adjectum γραμμασι litteras significet alphabeticas, quodque dialectus non nisi hujusmodi characteribus exprimi possit. Ad primum vero quod attinet, Diodorus l. c. hieroglyphica appellat γραμματα, Clemens l. c. γραμματων μεθοδον, Porphyrius itidem aliique quos supra adduximus, hieroglyphicas litteras memoravere: neque alium invenio veterem scriptorem praeter Lucianum in Hermotimo §. 44. tom. 1. pag. 786 qui αιγυπτιων χαρακτηρας excludit a γραμματων appellatione. De secundo jam notarunt viri docti, διαλεκτου vocabulum apud veteres non semper eam habere significationem, qua usurpatur a grammaticis, ubi distinguunt Atticam, Jonicam, caeteras: sed quemcunque loquendi modum vel universo populo vel civitati alicui vel hominum classi proprium, dialectum appellari, neque ex solo syllabarum sono definiri dialectum, sed ex universa pariter dicendi ratione. Qua re animadversa, facile intelligimus qui fieri potuerit ut in hieroglyphicis scriptionibus diversae agnoscerentur dialecti. At vero ἱερογλυφικοις γραμμασι inscriptas fuisse prioris Mercurii stelas, quas secundus Hermes Ammoni regi exposuit, docet quoque Jamblichus libro de mysteriis sect. 8. c. 5. collat. cum sect. 1. c. 5. supra pag. 48. 49.

[35] V. supra pag. 20.

[36] Opp. tom. 2. pag. 18. tom. 3. pag. 274.

leant, nec nobis omni sui parte historico sensu accipienda videantur, istud tamen ex iis evinci posse existimo, habuisse Aegyptios Platone scribente litteras alphabeticas sibi proprias, quas a suae gentis homine inventas asserebant. Nequaquam enim adducor ut putem scripsisse eum rem a veritate prorsus alienam de populo cui tunc crebrum erat cum Graecis commercium. Frequentem vero tunc temporis et communem fuisse in Aegypto litterarum usum, idem innuit legum libro septimo [37], ubi de mathematicis disciplinis sermonem habens inquit: *τοσαδε τοινυν ἑκαστα χρη φαναι μανθανειν τους ελευθερους, ὁσα και παμπολυς εν αιγυπτῳ παιδων οχλος ἁμα γραμμασι μανθανει*. „ Oportet igitur liberos homines ea discere, quae etiam „ magna puerorum turba in Aegypto una cum litteris discit „. Hae litterae cujusmodi fuerint, intelligimus e verbis Herodoti atque Diodori supra adductis [37*]: scilicet alphabetum demoticum, quod cum natura sua non multum distaret ab hieratico, simul cum eo ad secundum Hermetem referebant; altero autem, ut jam monuimus, in epistolis maxime utebantur, altero in libris. Sunt quidem qui e Clemente Alexandrino, in Hermeticorum librorum recensione, scribente [38]: *τον ἱερογραμματεα τα τε ἱερογλυφικα καλουμενα, περι τε της κοσμογραφιας και γεωγραφιας, της ταξεως του ἡλιου και της σεληνης* —— *ειδεναι χρη*: „ hierogram„ matem oportet scire et ea quae vocantur hieroglyphica, et mundi descriptio„ nem et geographiam, et ordinem solis et lunae „ *rel*: arguendum putant, hierogrammatum libros scriptos fuisse hieroglyphicis, eoque utuntur documento ad comprobandum hieraticam methodum adhibuisse notas hieroglyphicas idemque esse quod symbolicum genus dicitur apud Porphyrium [39]. At vero ni fallor verborum sensus is est, in hierogrammatum libris praeter alia comprehensam fuisse interpretationem hieroglyphicorum, ex quo etiam si alia deessent indicia colligere posse mihi videor, ipsos libros non fuisse hieroglyphicis notis exaratos.

Exstitere tamen libri quoque Aegyptii hieroglyphicis picti, sed rariores, puto, et sacratissimis mysteriorum ritibus reservati; ubi antiquissimam consuetudinem immutare nefas habebatur. Hujusmodi libros, una cum aliis hieratico more scriptis, inspexit Apulejus, quo tempore Cenchreis apud Corinthum suscepit mysteria Isidis: „ Injecta dextra, inquit metamorphoseon libro undecimo [40], „ senex comissimus ducit me ad ipsas fores aedis amplissimae, rituque solemni „ apertionis celebrato ministerio, ac matutino peracto sacrificio, de opertis adyti

---

37 Tom.2. pag. 819.

37* Vide pag.428. 430.

38 Strom. lib.6. cap.4. pag. 757.

39 Ita quidem sentit eruditissimus Tychsen l. c. p. 9. 13. 14. in Clementis loco interpretando secutus Fabricium, bibl. Gr. l.1. c.11. §. 5. tom.1. pag. 85. ed. Harles., qui decem libros Hermeticos hierogrammatum curae demandatos hieroglyphicos dictos autumat, et nulla urgente necessitate pro *τα τε ἱερογλυφικα καλουμενα* reponit *τα ἱερογλυφικα καλουμενα*. Nobis autem tutius visum est veterem sequi lectionem, atque auctoris verba eo sensu accipere quo acceperunt Marshamus can.chron. saec. 10. pag.242; Lambecius prodr. hist. lit. pag.137; Jablonskius proleg. ad Panth. Aeg. cap.2. §.41. Sed etiamsi demus Fabricio, *τα ἱερογλυφικα* titulum esse decem illorum librorum, opus non est ut hieroglyphicis litteris exaratos putes, siquidem ipse Tychsenius pag. 31. prophetae libros, dictos *τα ἱερατικα*, non hieraticis symbolicisve litteris scriptos vult, sed vulgaribus. Scilicet hieratici libri appellebantur qui res continebant ad sacerdotium spectantes; hieroglyphici forsan ii qui ad hieroglyphica interpretanda et rite sculpenda scitu erant necessarii, cujusmodi sane sunt magna pars earum scientiarum quas in hierogrammatum libris traditas narrat Clemens.

40 Pag.386 edit. in us. Delph.

„ profert quosdam libros litteris ignorabilibus praenotatos, partim figuris cu-
„ juscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim
„ nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a cu-
„ riosa profanorum lectione munitos. Indidem mihi praedicat quae forent ad usum
„ teletae necessario praeparanda. „ Haud enim dubium mihi videtur loqui Apulejum de duplici litterarum specie, hieroglyphica et alphabetica, licet aliter sentire viros doctos non ignorem [41]. Animalium figurae compendiosa verba suggerentes, mihi sunt hieroglyphica; in iis vero quae statim subdit Apulejus, graphice describit sacerdotales litteras, nempe characteres alphabeticos, ipsi apices dictos, nexuum varietate ita contortos condensosque ut ii quoque qui prima eorundem elementa novissent a librorum lectione prohiberentur. Quae ubi expendo ante oculos mihi versatur fascia illa lintea, quam ex suo museo publici juris fecit Caylus, certissimum quod hactenus innotuit hieraticae scriptionis lipsanon [42].

In utroque Aegyptiorum alphabeto eundem fuisse reor elementorum numerum et ordinem, sed hieraticas litteras elegantiores, pictisque figuris magis similes, modo in nexus collectas modo pro exigua sonorum diversitate variatas; unde factum ut quae supersunt Aegyptia monumenta alphabetice inscripta typorum numero superent alphabetum vigintiquinque litterarum, quod Aegyptiis tribuit Plutarchus in tractatu de Iside [43]: *ποιει δε τετραγωνον ἡ πεντας αφ' ἑαυτης, ὁσον των γραμματων παρ' αιγυπτιοις πληθος εστι, και ὁσων ενιαυτων εζη χρονον ὁ απις*: „ Quadratum porro quinarius producit a se, quantus est numerus lit-
„ terarum apud Aegyptios, et quot annis vixit Apis „. Ab eodem discimus primae litterae nomen fuisse ab ibide, convivalium problematum libro nono [44]; *ἑρμης λεγεται θεων εν αιγυπτῳ γραμματα πρωτος ἑυρειν· διο και το των γραμματων αιγυπτιοι πρωτον ιβιν γραφουσιν, ὡς ἑρμῃ προσηκουσαν· ουκ ορθως κατα γε την εμην δοξαν, αναυδῳ και αφθογγῳ προεδριαν εν γραμμασιν αποδοντες*. „ Mer-
„ curius primus deorum in Aegypto traditur invenisse litteras, ideoque ibin
„ Aegyptii signum primae faciunt litterae: non recte, meo quidem judicio, mu-
„ to vocisque experti animali primum locum in litteris referentes „. Quas litteras omnes fuisse consonantes, suadent tum quae infra disputabimus de alphabeticarum litterarum origine, tum vetustarum gentium consuetudo, et Copticae linguae indoles, ubi tantum non pro scriptoris libitu permutantur et omittuntur vocales. Frustra enim e libro de interpretatione, qui Demetrii Phalerii nomen mentitur, docuerunt nonnulli, septem vocales quibus Graeca lingua utitur exstitisse antiquitus in Aegypto. Ait quidem auctor ille [45], sacerdotes Aegyptios septem vocalium continuato sono solitos fuisse numen celebrare: *εν αιγυπτῳ δε και τους θεους υμνουσι δια των ἑπτα φωνηεντων ὁι ἱερεις, εφεξης ηχουντες αυ-*

---

[41] Warburtonus l. c. §.26, Deguiginus *mem. de l'ac. des. inscr.* tom. 34. pag. 5. et Tychsenius l. c. pag. 13. libros Apulejo memoratos hieroglyphicis scriptos fuisse existimant, sed ita abbreviatis ut plane similes essent Sinensium characteribus. Quorum sententiae ne accedam, hoc tantum obstat quod nullum hactenus conspexi Aegyptium monumentum ejusmodi characteribus insignitum, nisi forte est fascia illa Cayliana, in qua alphabeticas litteras agnoscit ipse Tychsenius p. 18. Quae autem exempla adfert pag. 13., cujus generis multa monumenta prostant etiam in museo Borgiano, non magis differunt a scalpturis obeliscorum, quam epistola schedave festinanter exarata a diplomate calligraphice picto.

[42] *Recueil d'antiquités* tom. 5 tab.26—29.

[43] Pag. 472. tom.2. pag.374.

[44] Cap.2. tom.2. pag. 738.

[45] Pag.68. edit Victor. Florent.1594.

τα· και αντι αυλου και αντι κιθαρας των γραμματων τουτων ὁ ηχος ακουεται υπ' ευφωνιας. ὡστε ὁ εξαιρων την συγκρουσιν, ουδεν αλλο η μελος ατεχνως εξαιρει του λογου και μουσαν. „ In Aegypto autem et deos septem vocalibus sa-„ cerdotes celebrant, deinceps ipsas sonantes; et pro tibia et pro cithara litte-„ rarum harum sonus auditur ob suavitatem vocis, quam in se habent. Qua-„ propter qui eximit concursum vocalium, nihil aliud quam cantum eximit ex ora-„ tione et musam „. Sed hoc ita accipio, usitatam fuisse sacerdotibus in Aegypto cantus quandam rationem, sola oris dilatatione accentuumque et spirituum intensione modificatam, sine litteris syllabisque distincte prolatis [46]. Qui mos natus videtur e barbarorum hominum consuetudine, qui numen salutaturi in confusos prorumpere solent ululatus, gaudiumque suum et gratum animum testari sonis inarticulatis [47]. Inde et Graecorum *αλαλαγμοι* et *ολολυγμοι* in sacrificiis supplicationibusque solemnes [48]: apud Aegyptios vero inarticulati quidam hymni a sacerdotibus ita artificiose modulati ut concentus suavitate percellerent audientes. Hoc Graeci dixerunt *δια των ἑπτα φωνηεντων υμνειν*, et sacram illam modulationem in gemmis Graeco-aegyptiis septem vocalium typis saepe videmus expressam [49]; quamquam septem illas Graecorum vocales non fuisse in lingua Aegyptia, jam inde arguitur quod apud Coptos Υ puri nullus omnino usus sit.

Eorum autem sententia, qui epistolographicam scripturam Clementi et Porphyrio memoratam de Copticis litteris intelligunt, et Plutarchum ad harum numerum respexisse putant, mihi quidem perexiguam prae se ferre videtur veritatis speciem; nec video quo pacto conciliari possit cum Aristide, qui Plutarcho recentior, Clemente autem paullo antiquior, Aegyptias voces Graecis litteris scribi posse negat [50]: *επει εγωγε ηκουσα εν αυτῳ κανωβῳ των ἱερεων ου του φαυλοτατου, ὁτι μυριοις ετεσι προτερον η μενελαον εκεισε προσχειν, το χωριον ὁυτως ωνομαζετο. και ουκ αντικρυς μεν ελεγε τὁυνομα τουτ' αυτο, ὡς απογραψαι γραμμασιν ἑλληνικοις, αλλ' ην μεν ὡσπερ εμφερομενον και περιτρεχον, αιγυπτιον δε και*

---

[46] Eadem fere sententia est Jablonskii proleg. ad Panth. Aeg. §. 25. Aliam vero hujus rei explicationem habes apud Court de Gebelin l. c. pag. 114. et apud cl. Didymum Taurinensem litterat. Copticae rudim. pag.44.

[47] Vide *histoire générale des voyages* l.14, c.4. §.2. tom.5. p. 174. Forte ad hoc alludere voluit Nicomachus Gerasenus harmon. enchirid. lib. 2. pag 37. apud Meibom. inter ant. mus. auct.: *ὁτ' αν μαλιστα οἱ θερινοι το θειον σεβαζωνται, σιγμοις τε και ποππυσμοις και αναρθροις και ασυμφωνοις ηχοις συμβολικως επικαλουνται*: ubi vox *θερινοι* crucem fixit criticis, quorum alii *τυρρηνοι*, alii *θεουργοι*, alii *θεριμοι* reponendum censuerunt. V. Meibom. in annott. Gale in notis ad Dem. Phaler. et Jablonsk. loco modo citato. Subit conjectura legi posse *οἱ ορεινοι*, et scriptoris verba accipi de feris hominibus vitam tolerantibus in montium jugis saltibusque, quos inarticulatis et discordantibus sonis, sibilisque et stridoribus numen demulcere dixerit.

[48] Vide Spanhemii observationes in hymn. Callimachi pag.478. 646.

[49] Insignis in hoc genere est magnes lapis in dactyliotheca Borgiana, formae quadratae, altera parte sistens figuram Harpocratis loto insidentis, altera parte septem sonos vocales, non quidem ut plerumque fit ad alphabeti ordinem dispositos, sed arcana quadam ratione coordinatos atque repetitos, forte ad musicam aliquam efficiendam, vel mysticam seu astrologicam harmoniam significandam; hoc modo

ΙΕΟΥΩΗΙΑΗΑΙΗΩ
ΤΟΥΙΕΟΥΩΗΙΑΗΑΙ
ΗΩΥΟΕΟΥΩΗΙΑ
ΗΑΙΗΩΥΟΥΩΗΙ
ΑΗΑΙΗΩΥΩΗΙΑ
ΗΑΙΗΩΗΙΑΗΑ
ΙΗΙΑΗΑΙΑΗΑ
Η

[50] Aristid. orat. Aegyptiaca pag.360. tom.2. opp. edit. Jebb.

δυσγραμματον μαλλον . τοδ' ουν ἡμετερα φωνη δηλουν εφη χρυσουν εδαφος . „ Nam „ ego quidem in ipsa urbe Canopo de sacerdote quodam non infimo cognovi, „ multis ante saeculis quam appelleret eo Menelaus , locum nomen hoc habuis- „ se . Neque tamen hoc idem nomen diserte proferebat , ut Graecis litteris scri- „ bi posset , verum ut quasi alluderet , et Aegyptium esset , ac minus posset „ commode scribi . Jam illud nostra lingua sonare dicebat aureum solum „ . Sane si Marco Antonino Romanum imperium tenente jam adscivissent Aegyptii alphabetum Copticum , et linguam suam accommodassent Graecis litteris , vocabulum *καΐνουβ* non ita *δυσγραμματον* visum foret Aristidi . Sero itaque nec ante tertium post Christum natum saeculum pro veteri Aegyptiorum alphabeto novum substitutum fuisse , maxima ex parte Graecum , probabilior mihi videtur sententia , donec prolata fuerint nova documenta [51] , quamquam non sim nescius , characteribus , quibus Coptorum libri exarati sunt , a Copticae linguae magistris originem tribui multo vetustiorem [52] .

§. II.

Clementis loco explicato et triplici Aegyptiorum scriptura pro viribus vindicata , ad singularum methodorum naturam exponendam pergo . Primo loco dicendum est de scriptura hieroglyphica , quam apud Aegyptios unam tantum fuisse reor , non plures species , uti plerisque placuisse supra adnotavimus . Unam enim oculis offerunt monumenta , eadem ratione qua in Graecorum libris una tantum

---

[51] Conjicio primos id instituisse Evangelii in superiori Aegypto praecones , qui idiomate usi ex Aegyptiis Graecisque vocabulis composito , neque Graeco alphabeto neque Aegyptio sermonem suum satis commode exprimere potuerunt : unde cum nova lingua quam Copticam dicimus novum quoque natum alphabetum . Hoc quando fieri coeptum sit , aliis definiendum relinquo ; at gentiles in Aegypto novum alphabetum , si unquam , saltem tarde adscivisse ex Aristidis loco colligo . Initium autem factum esse in Thebaide , tum inde arguo quod Thebaica dialectus rudior sit et magis abundet Graecis vocabulis , tum quod in Thebaicis libris scribendi ratio parco vocalium usu propius accedere videatur ad vernaculum scribendi modum . Cultior dialectus Memphitica Graecas voces magnam partem eliminavit , vocalibusque in Aegyptiis vocabulis certa sede adsignata lectionem reddidit faciliorem et clariorem .

Reperiuntur quidem gemmae Alexandrinae nonnullae , quae una cum Aegyptiae superstitionis imaginibus voces praeferunt Coptico more scriptas : cujusmodi est phylacterion Peirescianum apud Kircherum in obelisco Pamphil. pag. 147. ; atque sardonyx in dactyliotheca Borgiana, cum cynocephalo qui stans elatis manibus lunam adorare fingitur , (cf. Horapoll. l. 1. cap. 15) adscripto lunae nomine ⲓⲟϩ . uti Copti scribere solent . Sed has pertinere ad tertium quartumve saeculum , suadet rudis scalpturae indoles et certo artis charactere destituta . Nimirum postquam apud Christianos in Aegypto usu probari coeperant litterae Copticae , gentilibus etiam Graeco-Aegyptiis commodum visum est , nonnunquam iis uti ad Aegyptia vocabula distinctius reddenda quam fieri poterat litteris Graecis communibus .

[52] Didymus Taurinensis V. C. litteraturae Copticae rudimento pag. 14., Copticam scripturam sub Ptolemaeorum imperio introductam putat , quae et opinio fuit Montfauconii . Nec multum dissentit Bonjurius , ab Alexandri Macedonis regno epocham earum ducens . Lacrozius autem , et eruditissimus senex , qui novam vitam addidit litteraturae Aegyptiae , P. Augustinus Antonius Georgius , circa Psammetichi tempora Graecas litteras a Graecis in Aegypto colonis , Jonibus praesertim et Caribus , traductas existimant ad Aegyptias voces exprimendas . Vide *Fragmentum Evangelii S. Johannis Graeco-Copto-Thebaicum ex Veliterno Museo Borgiano opera et studio F. Aug. Ant. Georgii*, praefat. pag. 43. sqq.

lingua occurrit, quamquam pro locorum temporumque distantiis, scriptorum praeterea ingenio et tractandarum rerum indole varie modificata. Hanc vero ex Aegyptiis monumentis et veterum auctorum effatis colligo hieroglyphicorum characterum naturam, quod signa quaedam sint signorumque syntagmata, rerum quae cogitatione concipiuntur imitamenta, quae ad litterarum instar singulatim ordinata in series sive versus, animi sensus, factorum idearumque seriem exprimant. Id enim hieroglyphicis proprium est ut quoad figuram pictura sint, quoad ordinem litterae: atque hoc pacto distinguuntur et a Sinensium characteribus hodiernis, qui non sunt rerum effigies, et a Mexicanorum aliorumque barbarorum picturis, ubi figurae non ad litterarum instar singulatim exarantur, sed dispositione una ad alteram referuntur. Neque scalpturae picturaeque Aegyptiae, quae figuris actione aut dispositione inter se junctis et connexis factum aliquod exprimunt, sive historicum sive mythicum sive allegoricum, magis sunt scriptura appellandae, quam Graecorum anaglypha et tabulae pictae, a quibus nulla alia re differunt quam ea quae est Aegyptiam inter et Graecam artem diversitas [1]. Ideoque quae hujusmodi figurae cernuntur in obeliscorum summitatibus et circa pedem eorum inscalptae, non satis recte dicuntur hieroglyphica, nisi dum brevitatis gratia et pro recepta vulgo consuetudine omnia ea quae in templis sacrisque monumentis pinxerunt Aegyptii sub hieroglyphicorum nomine complectamur [2]. Herodotum Diodorumque Aegyptias litteras accurate distinxisse ab anaglyphis supra animadverti: neque de his cogitasse existimo auctorem a Clemente transcriptum, ubi hieroglyphicos characteres dividit in cyriologicos et symbolicos: cum contra omnem sit loquendi usum, figuras, quae actione sua junctim referunt historiam fabulamve, γραμματων μεϑοδον appellare. Consentanea etiam est nostris rationibus unica illa hieroglyphicae inscriptionis interpretatio quae reperitur apud Graecos scriptores, famigerati illius epigrammatis in Aegyptiorum templorum propylaeis incisi: Infans,

---

[1] De hieroglyphicis multi multa scripserunt, cujusmodi fuerint, quot genera eorum, quae singularum notarum significatio, reliqua: sed neminem invenio qui a primis orsus principiis, e monumentis veterumque dictis exacte definire instituerit, quae sit illa res quam scripturam hieroglyphicam Aegyptiorum appellaverunt Graeci scriptores. Inde est quod plerumque hieroglyphica confundimus cum picturis et anaglyphis Aegyptiis, rudesque picturas quascunque intellectu difficiles, et symbola quaecunque atque aenigmata hieroglyphicis accensemus, et Mexicanorum imagines Sinensiumque characteres cum iis conjungimus. Quae omnia definitione data ultro dissipantur, atque argumentum certis limitibus circumscriptum explicandum proponitur. Reprehendit Warburtonum Court de Gebelin pag. 384., quod post operosas disquisitiones nullam protulerit claram notionem hieroglyphicorum, & culpam in temporum conditionem rejicit, sermonis natura et progressu nondum satis cognitis. Sed ipse longe a scopo relinquitur, ubi hieroglyphicam scripturam definiturus ait pag. 381., convenire inter omnes, quod sit methodus cogitata exprimendi pictarum rerum subsidio, *peinture des idées par les choses*. Nam si aliud non sunt hieroglyphica, nulla fere gens est, quae iis non sit usa: veteres autem scriptores, a quibus accepimus hieroglyphicorum vocabulum, miro modo velut de composito nugati sunt, solis Aegyptiis ea tribuentes. Dorignius vero qui recte advertit pag. 281., solos Aegyptios usos esse hieroglyphicis, quid sint ista hieroglyphica explicare omisit, atque ex iis quae de hoc argumento disputat, naturam eorum parum compertam habuisse arguitur.

[2] Sic in obeliscorum recensione scalpturarum et hieroglyphicorum vocabulis usus sum indistincte, quemadmodum Plinius aliique obeliscorum scalpturas nullo facto discrimine Aegyptias litteras dixerunt: eas autem quae vera scriptura sunt, characteres appellavi et notas symbolicas, reliquas vocavi figuras historicas.

Senex, Accipiter, Piscis, Hippopotamus: *Nascentes*, *Morientes*, *Deus Odit Impudentiam*: ubi singulis verbis singulae respondent notae, quemadmodum in libris nostratibus singula litterarum syntagmata singulis respondent vocabulis [3]. Praeterea Herodotus [4], Diodorus [5], Theo Smyrnaeus [6], Plutarchus [7], aliique Aegyptiorum monumentorum epigraphas, quas hieroglyphicis characteribus exaratas fuisse adstruere conati sumus [8], connexa oratione reddunt atque ad instar contextus scriptionis alphabeticae.

Recte autem Clemens hieroglyphica signa pro varia significandi ratione in plures classes distribuit, quarum primam dixit cyriologicam, alteram symbolicam, subdivisam in notas cyriologumenas, tropicas et aenigmaticas. Accuratius forte ad unum genus retulisset cyriologicas et cyriologumenas, in hoc tantum diversas quod priores integrae sint et absolutae, secundae in compendium redactae ideoque symbolis similes: et in symbolicis notis distinxisset tropicas, aenigmaticas et phoneticas. Discimus enim ex Horapolline unam fuisse hieroglyphicorum speciem, quae ex sono significabat, phonetica itaque appellanda sive vocalis, quam Clemens cum expresse non memoraverit sub aenigmatum nomine complexus credi potest. Variae praeterea excogitari possunt subdivisiones atque exemplis comprobari; sed quia omnes apte referri queunt ad quinque illa genera, cyriolo-

---

[3] Plutarchus de Iside pag. 436. tom. 2. p. 363. *εν σαϊ γουν εν τῳ προπυλῳ τȣ ἱερȣ της αθηνας ην γεγλυμμενον βρεφος, γερων, και μετα τȣτο ἱεραξ, εφεξης δε ιχθυς, επι πασι δε ἱππος ποταμιος. εδηλȣ δε συμβολικως· " ω γινομενοι και απογινομενοι (ὁ θεος μισει αναιδειαν". δηλοι γαρ το βρεφος την γενεσιν, την φθοραν) δε ὁ γερων· ἱεραχι δε τον θεον φραζȣσιν· ιχθυι δε μισος, ὡσπερ ειρηται, δια την θαλατταν· ἱππῳ ποταμιῳ δε αναιδειαν· λεγεται γαρ αποκτεινας τον πατερα, τῃ μητρι βια μιγνυσθαι.* Quae uncis inclusa sunt, desiderantur in libris Plutarchi, sed jubente contextu restituuntur e Clemente Alexandrino, qui stromatum lib. 5. cap. 7. pag. 670. inquit: *ναι μην και εν διοσπολει της αιγυπτȣ επι τȣ ἱερȣ καλȣμενȣ πυλωνος διατετυπωται, παιδιον μεν γενεσεως συμβολον, φθορας δε ὁ γερων, θεȣ τε αυ ὁ ἱεραξ, ὡς ὁ ιχθυς μισȣς, και κατ' αλλο παλιν σημαινομενον ὁ κροκοδειλος αναιδειας. φαινεται τοινυν συντιθεμενον το παν συμβολον δηλωτικον ειναι τȣδε. " ω γινομενοι και απογινομενοι, θεος μισει αναιδειαν."* ,, Diospoli quoque in Aegypto, ,, in sacro quod dicitur vestibulo, expressa ,, erant, puer signum nativitatis, senex interitus, et rursus dei symbolum accipiter ,, atque odii piscis, praeterea crocodilus alio ,, quodam sensu impudentiam denotans. Videtur ergo universum hoc symbolum simul ,, positum hoc significare: *O qui nascimini et* ,, *interitis, deus odio habet impudentiam* ,,. Memoria lapsus videtur Clemens, dum pro hippopotamo impudentiam significante, cujus rationem reddit Plutarchus, consentientibus Horapolline lib. 1. c. 56. et Damascio apud Photium pag. 1048., substituit crocodilum. Quodvero inscriptionem illam Thebis exstitisse ait, cum secundum Plutarchum in Sai esset, non turbat. Nam Aegyptiis solemne fuisse unam eandemque sententiam in pluribus locis repetitam proponere, jam ex obeliscis patet.

[4] Lib. 2. cap. 106. supra pag. 33. 34. c. 136. supra pag. 390. cap. 141. de Sethone: *και νυν ȣτος ὁ βασιλευς ἑστηκε εν τῳ ἱρῳ τȣ ἡφαιστȣ λιθινος, εχων επι της χειρος μυν, λεγων δια γραμματων ταδε· " ες εμε τις ὁρεων, ευσεβης εστω."* ,, Eoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque haec ,, per litteras dicens: *In me quis intuens, pius* ,, *esto* ,,.

[5] Lib. 1. cap. 27. supra pag. 39. cap. 47. supra pag. 419. cap. 55. supra pag. 40.

[6] Mathem. Platon. lib. 2. cap. 47. supra pag. 45.

[7] De Iside pag. 396. tom. 2. pag. 354: *το δε εν σαϊ της αθηνας, ἡν και ισιν νομιζȣσιν, ἑδος επιγραφην ειχε τοιαυτην. " εγω ειμι παν το γεγονος και ον και εσομενον· και τον εμον πεπλον ȣδεις πω θνητος απεκαλυψεν"*. ,, Quod Sai est Minervae, quam candem cum Iside arbitrantur, ,, fanum hanc habebat inscriptionem: *Ego* ,, *sum omne quod exstitit, est, et erit: meumque peplum nemo unquam mortalium detexit.* ,,

[8] Vide supra pag. 429. 431. 432.

gicas, cyriologumenas, tropicas, aenigmaticas, phoneticas, de hisce dicam singulatim, varietates si aliquae obveniunt velut in transitu indicaturus.

Cyriologicum genus explicatione non indiget: nam secundum hoc rem mente conceptam pingebant qualis oculis se conspiciendam offerebat, cujusmodi figuras *πρωτα στοιχεια*, prima elementa vocat Clemens, exempla vero afferre necessarium non duxit; neque crebro de hoc hieroglyphicorum genere locuti inveniuntur reliqui scriptores, utpote de re jam per se manifesta. Attamen huc pertinet pars epigrammatis Saitici modo adducti, ubi infantis figura cyriologice significabat vivere incipientes, senis effigies denotabat morti vicinos. Saepe etiam in monumentis in notarum serie visuntur deorum regumque et sacerdotum effigies curiose pictae, eodem habitu iisdemque cum attributis, quae comitari eas assolent, dum vel separatae proponuntur in statuis vel cum aliis figuris conjunctae in anaglyphis. Harum significatum ut plurimum cyriologicum esse existimo, ut ipsos deos, ipsos reges sacerdotesque repraesentent [9]: qui autem sunt characteres minoris dignationis, brutorum effigies, utensilia et ejus generis reliqua plerumque symbolice significare. Nam longe majorem esse symbolicarum notarum numerum ex ipsius rei natura facile intelligimus, cum paucae sint ideae quae directe nudeque exprimi possint pictura.

Secundum genus, vel juxta Clementem symbolicae classis prima species est notarum cyriologumenarum, quae res exprimendas figura quidem sistunt ipsis proprie tributa, sed paucis tantum simplicibusque lineis circumscripta, nec vera rei qualis existit effigie, sed notionis quam de ea concipimus aliqua velut adumbratione. Exempla affert Clemens solem sub circuli vel disci forma repraesentatum, lunam sub figura lunata. Maxime enim hoc notarum genere usi inveniuntur ad significanda corpora, quae vel pingi non possunt cyriologice, vel pro scripturae instituto haud satis commode, cujusmodi sunt mundus et mundi partes, coelum, astra, elementa, regiones, fluvii, civitates, reliqua. Ideoque res quas ratione cyriologumena exprimere coeperunt, nunquam cyriologice pictae occurrunt inter characteres hieroglyphicos, neque cyriologica signa unquam observavi in cyriologumena transformata. Sic solem in hieroglyphicis nunquam videmus cyriologice expressum, nec hominis figura occurrit cyriologumena. Hujusmodi breves rerum imagines, quas mathematicas figuras appellare possis, multas cernimus in hieroglyptarum operibus: sed utrum significatum habeant cyriologumenum, in singulis scitu plerumque est perdifficile. Enimvero ubi in obelisco Campensi inque Lateranensi globum sive discum scalptum cernimus, quem ambit serpens clavem gestans pectori appensam, satis videtur probabile, globo illo coelum sive universum significari ratione cyriologumena, cujus animum, divinam mentem, aenigmatice exprimit serpens, ut mundi imperium clavis. Quare in obeliscis aliisque monumentis, dum symplegma istud pingitur juxta accipitrem, facile mihi persua-

9 Secundum Horapollinem lib. I. cap. 3., Isis dea sub mulieris specie picta, modo ipsam deam significat, modo annum sive anni proventus: *ενιαυτον βυλομενοι δηλωσαι, ισιν, τυτεστι γυναικα, ζωγραφυσι· τω δε αυτω και την θεον σημαινυσιν*. Nam illud *γυναικα* reddendum esse simulacrum muliebre, qualis pingi solet Isis, neque hic cum Jo. Corn. Pauwio in adnott. pag. 276. cogitandum de appellativo foeminae vocabulo, quod Aegyptiis esset *ισις*, ex sequentibus patere reor.

deo, eo indicare voluisse inscriptionis auctorem, quod deus ille quem sub accipitris figura adoraverunt veteres Aegyptii, mundi animus sit et gubernator. Caeterum quod dixi de notis cyriologice significantibus, non magnum earum numerum occurrere inter hieroglyphica, idem dicendum est de cyriologumenis, cum res sint longe plures quae non nisi tropice exprimi possunt alienarum figurarum ministerio, quam quibus propria sua sit figura, atque in hisce ipsis multae sint quae tropice significantur aptius, denique quaecunque cogitatione concipiuntur pro scribentis lubitu tropice vel aenigmatice enunciari queant. Ubi vero significatu seposito lineamenta tantum spectamus, cyriologicae notae atque cyriologumenae junctim efficiunt hieroglyphicae scripturae elementa, quam aliis figuris constare praeter eas quae res vel per integram picturam imitantur vel per compendium, neque ex monumentis probari potest neque ex veterum auctorum dictis. Nam Deguignius dum in monumentis Aegyptiis inter hieroglyphicas notas invenisse sibi visus est characteres aliquos alphabeticis similiores quam imitativis, opinioni indulsit nullo idoneo argumento firmatae [10]. Neque assentire possum cl. Tychsenio, qui hierogrammateas usos putat signis arbitrariis cujusmodi sunt Sinensium characteres [11]. Eadem autem ratione qua Clemens cyriologicas notas *πρωτα στοιχεια* appellat, cyriologumenae dici possunt δευτερα στοιχεια, tamquam natae ex archetyporum quorundam reductione, postea pariter ac cyriologicae ad tropicas aenigmaticasque significationes traductae.

Tertium genus, quod est notarum tropicarum, hieroglyphicae scriptionis partem constituit longe maximam. Hieroglyphi enim figurarum significationes traducentes et transferentes, per affinitatem vel convenientiam, per coëxistentiam, subsequentiam et causalitatem, ipsasque figuras modo leviter immutantes, modo multifariam transformantes, quaecunque mente concipiebant tropice enunciabant. Hujus classis sunt plurima eorum quae interpretatus est Horapollo, quaeque exposita leguntur apud Herodotum, Diodorum, Clementem Alexandrinum, Ammianum Marcellinum, aliosque. Sic synecdochice partem pro toto pingebant, pro turba tumultuante virum armatum sagittas jaculantem [12], pro belli acie manus duas telum et arcum tenentes [13]. Metonymice pingebant fumum ascendentem pro igne [14], palmae ramum vel cavam lunam pro mense [15], stellam pro vespera et pro nocte [16],

---

[10] *Mém. de l'acad. des inscr.* tom. 34. pag. 3.

[11] Lib. cit. pag. 13.

[12] Horapoll. lib. 2. cap. 12.

[13] Id. lib. 2. cap. 5.

[14] Id. lib. 2. cap. 16.

[15] Scilicet quod luna deorsum vergente mensis completur, palma autem, ut ferebant Aegyptii, singulis mensibus ramum procreat: quare et annum significare volentes, palmae arborem pingebant, utpote quae duodecim ramorum proventu annum definire credebatur. Horapollo lib. 1. cap. 3. 4. Saepe recurrit in obeliscis luna dimidiata deorsum conversa, adjectis interdum lineis rectis, quae mensium numerum denotare credi possunt. Ab ea autem palmae significatione quam nobis tradidit Horapollo, derivatum videtur quod in Aegyptiorum sacerdotum pompa horoscopus manibus gestaret palmae ramum atque horologium, astrologiae symbola: (Clemens strom. lib. 6. cap. 4. pag. 757.) quodque Aegyptius Mercurius eodem attributo uti soleat in monumentis.

[16] Horap. lib. 2. cap. 1. *αστηρ παρ' αιγυπτιοις γραφομενος, ποτε μεν θεον σημαινει, ποτε δε δειλην, ποτε δε νυκτα, ποτε δε χρονον, ποτε δε ψυχην ανθρωπυ αρρενος.* „Depicta Aegyptiis stella nunc deum significat, nunc crepusculum, nunc noctem, nunc vero tempus, interdum etiam hominis masculi animam„.

crocodilum pro Nilo et pro aqua potabili [17], ignem et aquam pro puritate [18], scalam pro obsidione [19], oculum pro visu, aurem pro auditu [20], linguam et oculum pro sermone [21], atramentum et calamum pro litteris [22], digitum pro dimensione [23], dextras junctas pro concordia [24], dextram exporrectam pro victus acquisitione, sinistram clausam pro pecuniae custodia [25]. Mixte e synecdoche et metonymia pro fortitudine pingebant virilem naturam, pro ignavia muliebrem [26], pro labore et opera cornu bovis [27]. Metaphorice autem quae pingebantur per affinitatem vel similitudinem ad varias significationes traducta, infinita paene sunt. Sic oculus transfertur ad custodem significandum [28], apis ad populum regi obsequentem,

---

[17] Crocodilus Nili comes jam satis notus est e numis Alexandrinis atque e jacentis fluvii statuis; quin et in Romana pecunia conspicitur crocodilus subacti fluvii symbolum. Quoniam vero Aegyptii Nilum suum, ut olim Graeci Oceanum, omnium fluviorum patrem et omnis potabilis aquae scaturiginem existimabant, universim pro aqua et pro ipso humido elemento accipere consueverunt. Aelian. anim. histor. lib. 10. cap. 25: εικαζεσι τον κροκοδειλον υδατι. Itaque in polymorphis Aegyptiorum simulacris inter varia capita quae dei vultum circumdare solent, crocodilus aquam significare credi potest. Inde quoque factum, ut solis navigium, si Porphyrio fides est, collocarent super crocodilo, innuentes solem cursum conficere per aërem humidum et dulcem, potabili aquae similem. Porph. apud Euseb. praep. evang. lib. 3. c. 11. p. 115. ἡλιον δε σημαινεσι ποτε μεν δι' ανθρωπε επιβεβηκοτος πλοιε επι κροκοδειλε κει ενε. δηλοι δε το μεν πλοιον την εν υγρῳ κινησιν ὁ δε κροκοδειλος ποτιμον υδωρ εν ᾧ φερεται ὁ ἡλιος. εσημαινετο τοινυν ὁ ἡλιος δι' αερος υγρε και γλυκεος την περιπολησιν ποιεισθαι. Mihi quidem hujusmodi figurarum complexus in Aegyptiis monumentis nondum obvenit: crebro autem Aegyptios deos, quos illud aevum omnes ad solem lunamque referebat, aut navigio vectos cernimus, aut crocodilo insistentes. Quare vectius scripsisse suspicor Clementem strom. lib. 5. cap. 7. pag. 670.: αιγυπτιων οἱ μεν επι πλοιε, οἱ δε επι κροκοδειλε τον ἡλιον δεικνυεσι σημαινεσι δε ὁτι ὁ ἡλιος δι' αερος γλυκερε και υγρε την πορειαν ποιεμενος γεννᾳ τον χρονον, ὁν αινισσεται ο κροκοδειλος δια τινα αλλην ἱερατικην ἱστοριαν., „ Ex Aegyptiis alii quidem „ in navigio, alii vero super crocodilo solem „ ostendunt. Significant autem, quod sol per „ aërem dulcem et humidum ingrediens gignit „ tempus, quod aenigmatice denotat croco- „ dilus per quandam aliam sacerdotalem fa- „ bulam „. Nam ipsa baride Nilo propria aër potabili aquae assimilabatur: idemque crocodilo significari poterat, insimulque adludi ad labentia saecula atque aevi edacitatem. Videmus etiam in numis Graeco-aegyptiis crocodilum temporis symbolum a Saturno falcigero manu gestatum. *Numi Aeg. imper. musei Borgiani* pag. 169. num. 61. tab. 10.

[18] Horap. lib. 1. cap. 43. Scilicet quod aqua et igne lustrationes fieri solebant.

[19] Horapollo lib. 2. cap. 28: κλιμαξ πολιορκιαν, (δηλοι) δια το ανωμαλον. „ Scala obsi- „ dionem significat, quod inaequalis sit „. Frustra hic subjicitur ratio longe petita, cum res per se clara sit, et vulgari etiam sermone *scalas admovere* urbem oppugnare denotet. Saepe enim Horapollini aliisque hieroglyphicorum expositoribus accidit, ut occultam sapientiam investigare satagentes, in rebus facilibus atque obviis remotas causas quaererent.

[20] Clemens strom. lib. 5. cap. 7. pag. 671.

[21] Horap. lib. 1. cap. 27.

[22] Id. lib. 1. cap. 38.

[23] Id. lib. 2. cap. 13.

[24] Id. lib. 2. cap. 11.

[25] Diodor. lib. 3. cap. 4. supra pag. 430. Occurrunt quidem frequenter in hieroglyphicis et clausae manus et apertae: sed ubi dextrorsum spectant notae, manus insculptae constanter sinistrae sunt, ubi sinistrorsum spectant, constanter dextrae. Caeterum sinistram manum porrecta palmula aequitatis indicium esse ait Apuleius metam. lib. 11. pag. 372. „ quae ge- „ nuina pigritia, nulla sollertia praedita, vi- „ debatur aequitati magis apta quam dextera „.

[26] Herod. lib. 2. cap. 102. Diod. lib. 1. c. 55. Maneth. apud Sync. pag. 59. supra p. 33. 37. 40.

[27] Horap. lib. 2. cap. 17.

[28] Diod. lib. 3. cap. 4: ὁ οφθαλμος, δικης τηρητης, και παντος τε σωματος φυλαξ. „ Oculus „ ipsis est observator justitiae, et totius cor- „ poris custos „. Hunc justitiae, et providentiae oculum in sceptris expressum gestabant reges sacerdotesque Aegypti, scilicet in capite cucuphae avis, quo sceptrorum vertices constanter insignitos videmus. Atque de hoc sceptro, Aegyptiis atque Aethiopibus solemni,

industrium et fortem [29], accipiter ad energica et velocia quaecunque [30], leo ad fortitudinem [31], bos ad agriculturam [32], crocodilus ad rapacitatem et furorem [33], upu-

---

quod αρατροειδες sive aratriforme appellat Diodorus lib. 3. cap. 3., quodque in hieroglyphicis saepe occurrit ad reges deosque significandos, intelligendi sunt veteres auctores, qui oculo et sceptro Osiridem indicari ajunt; nam sceptrum alia ratione conjunctum cum oculo non invenio nisi in infimi aevi gemmis quas Abraxas appellare solent. S. Cyrillus lib. 9. contra Julianum pag. 299: το γαρ τοι θειον, την ανωτατω και υπερ παντα φυσιν, καταδηλουν εθελοντες, γραφουσιν οφθαλμον, ορθην αυτῳ ραβδον υποστησαντες· ιν' εν ταυτῳ νοηται το πανδερκες αυτης και μην το βασιλικον αξιωμα. „ Numen enim, ut supremam naturam et super omnia elevatam, demonstrare volentes, pingunt oculum, baculum erectum ipsi supponentes: ut cogitatione insimul concipiatur omniscientia ejus atque regia dignitas „. Plutarchus de Iside pag. 398. 465. tom. 2. pag. 354. 371: τον βασιλεα και κυριον οσιριν, οφθαλμῳ και σκηπτρῳ γραφουσιν. — τον δε οσιριν αυ παλιν οφθαλμῳ και σκηπτρῳ γραφουσιν, ὡν το μεν την προνοιαν εμφαινει, το δε την δυναμιν. „ Regem et dominum Osirin oculo et sceptro pingunt, quorum alterum providentiam denotat, alterum potestatem „. Macrobius Saturnal. lib. 1. c. 21: „ Osirim Aegyptii ut solem esse asserant, quoties hieroglyphicis suis litteris exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirim monstrant, significantes hunc deum solem esse, regalique potestate cuncta sublimem despicere, quia solem Jovis oculum appellat antiquitas „. Haec quidem pro istius saeculi genio: de reliquo sceptra illa, quorum originem ab utensilium ornandorum lubidine repetendam existimo, (cf. Aristoph. in avib. v. 508.) ad symbolicas et mysticas significationes fuisse traducta patet ex Horapoll. lib. 1. cap. 55., Synes. orat. Aegypt. 1. pag. 114., Suid. v. πριαπος, et αντιπελαργειν, Schol. Aristoph. ad aves v. 1354. Porpyr. de antro Nymph. pag. 115. Artapan. apud Eus. de pr. ev. lib. 9. cap. 27. pag. 435.

[29] Horap. lib. 1. cap. 62.: λαον προς βασιλεα πειθηνιον δηλουντες, μελισσαν ζωγραφουσι. και γαρ μονον των αλλων ζωων, βασιλεα εχει, ῳ το λοιπον των μελισσων ἑπεται πληθος, καθο και ὁι ανθρωποι πειθονται βασιλει. αινιττονται δε εκ της του μελιτος (εργασιας, και) εκ της του κεντρου του ζωου δυναμεως, (ὁτι χρη τον λαον) χρηστον ἁμα και ευτονον ειναι, προς (εναντιωσιν) και διοικησιν. Longius a vero, saltem a commoda et consentanea significatione abest interpretatio Ammiani Marcellini lib. 17. c. 4. supra p. 25. regem ape denotari asserentis, praesertim cum apum princeps careat aculeo. Neque omnino assentire possum viris doctis, qui verba in Horapollinis libris deficientia, a nobis parenthesi inclusa, ita instauranda rati sunt, ut et ipsi de rege sermo esset, secus ac postulat totius orationis ordo. Vide editionem Pauwianam p. 77. 217. 346. Caeterum cum in obeliscis praeter scarabaeum unum tantum occurrat animal ex insectorum aligerorum classe, hoc illud esse reor quod apem appellarunt interpretes, quamquam figura nonnihil differat ab apibus nostratibus, aliisque papilio visum sit, aliis formica alata.

[30] Diodor. lib. 3. cap. 4. supra pag. 430. Consentit Horapollo, cui lib. 1. cap. 6. accipiter praestantiam et victoriam, sublimitatem et humilitatem, sive impetum sursum deorsumque significat. Exque eodem fonte manasse videtur, quod eo solem ac ventum denotarent, sanguinem, animam, deum, Martem et Venerem, sive rerum principium activum atque principium passivum illi conjunctum, quamquam Horapollo lib. 1. cap. 6. 7. 8. lib. 2. cap. 15. alias praeterea subnectat rationes aenigmaticas, ad quas Aegyptios insimul respexisse facile mihi persuadeo. In universum enim strenuae virtutis summaeque potestatis ac numinis symbolum fuit: (cf. supra pag. 439. not. 3. et Plutarch. de Iside pag. 464. tom. 2. pag. 370.) ideoque in omnibus fere obeliscis inscriptionis initium fit ab accipitre, quamquam variis diis dicatis. Sequiori autem Aegyptiae religionis aetate ad solem inprimis referebatur, atque ad Osiridem, quem et ipsum solem putabant plerique. Porphyr. de abstin. lib. 4. pag. 375. Plutarch. de Isid. pag. 465. tom. 2. pag. 370. A sole autem ad ignem significandum translatus fuisse videtur: Aelian. anim. hist. lib. 10. c. 25.

[31] Clemens strom. lib. 5. cap. 7. pag. 671: αλκης μεν και ρωμης συμβολον αυτοις ὁ λεων, ὡσπερ αμελει γης τε αυτης και γεωργιας και τροφης ὁ βους, ανδρειας τε και παρρησιας ὁ ἱππος. Fortitudinem, robur, vigilantiam et terrorem, atque praestantia quaecunque leone significari docent etiam Horapollo lib. 1. cap. 17. — 21., Plutarchus de Iside pag. 444. et quaest. lib. 4. cap. 5. tom. 2. pag. 366. Neque aliunde repetendum puto, quod iisdem affirmantibus tum ad solem tum ad Nilum referatur leo, quodque Ori thronus et sacrorum fontium canales ac tubi leonum imaginibus ornari consueverint: licet postea alia accesserint sacerdotum aenigmata, a praefatis auctoribus memorata. Spectari ho-

pa ad pietatem erga parentes [34], hippopotamus ad injustitiam et impudentiam [35], reliqua. Egregie etiam advertit Clemens, tribuendum esse metaphorico signorum

---

die Romae quatuor grandia leonum simulacra Aegyptia, quae in Iseo olim fontibus inservière, in vulgus notum est: occurrunt etiam in Graecorum monumentis leoninae facies aquam evomentes. Sed nec documenta desunt, quibus firmetur fides Horapollinis, Ori sive Solis thronum leonibus stipatum fingi: κεφαλην εχει μεγαλην το ζωον, και τας μεν κορας πυρωδεις, το δε προσωπον στρογγυλον, και περι αυτο ακτινοειδεις τριχας, κατα μιμησιν ἡλιου· ὁθεν και υπο τον θρονον του ωρου λεοντας υποτιθεασι, δεικνυντες το προς τον θεον του ζωου συμβολον. „ Caput magnum habet hoc animal, et pupillas quidem „ ignitas, faciem vero rotundam, et circum„ quaque radiorum more sparsos pilos, ad so„ lis similitudinem: unde et sub solio Ori leo„ nes supponunt, hujus animalis cum hoc deo „ affinitatem demonstrantes „. Prostat Romae in museo Kircheriano parva statua dei sedentis in throno, quem duo leones subrigunt; sed ex Aegypti aevo infimo, arte jam ad barbariem devergente. Antiquius multo praestantiusque monumentum servatur Velitris in museo Borgiano, thronus ex aere, simulacro quod e nobiliori metallo factum fuisse conjicio, collocando destinatus, ac multifariis Aegyptiae sapientiae symbolis excultus, in quibus sunt duo leones excubias agentes ante thronum. Est praeterea in eodem museo parvum sigillum aeneum informis dei, quem Vulcanum Memphiten esse reor, duobus leonibus basidis loco insistens. Nempe leonis protomen ad ignem quoque significandum traductam fuisse, posticam vero partem ad aquam, docet Aelianus anim. hist. l. 12. cap. 7. Caeterum probabile est ad solem spectare sigilla Aegyptia, quae cum virili forma conjungunt vultum leoninum; cujusmodi duo sunt in museo Borgiano e creta coctili, tertium ex aere affert Caylus *recueil* tom. 4. tab. 7. n. 4. 5. Quae vero frequentius obveniunt, muliebres statuae cum capite leonino, Isidem repraesentare videntur, sive quatenus luna est a sole collustrata, sive quatenus est tellus Aegyptia a Nilo foecundata. Sunt hujus generis simulacra pleraque in museis Borgiano, Kircheriano, Naniano, Cayliano, inque villis Albania et Burghesia: omnium autem quod vidi maximum prostat Augustae Taurinorum in museo regio, cui suppar illud quod spectatur Alticchieri prope Patavium in hortis N. V. Angeli Quirini.

[32] Clemens loc. cit. Macrob. saturn. lib. I. cap. 19. „ Terram Aegyptii hieroglyphicis lit„ teris cum significare volunt, ponunt bovis „ figuram „. Conf. supra pag. 415. not. 7. Inde est quod agriculturae genium repraesentari existimem fragmento grandis statuae, pulcerrimi operis, e granite nigro rubris venis interstincto, quod servatur inter cimelia Aegyptia musei Pio-Clementini. Nempe bovinum caput est virilis corporis trunco insidens, cum sceptro aratriformi, quod manu gestabat, ante pectus applicato. Sed et ipsum Nilum, quem agrorum foecundatorem et omnium proventuum auctorem, velut Triptolemum aliquem, (V. Athenaeum lib. 5. cap. 8. pag. 203.) venerabantur Aegyptii, hoc modo fingi consuevisse, patet ex anaglypho Aegyptio in museo Borgiano, ubi vir bovino capite praeditus e bybli trunco exsurgens utraque manu liquoris rivulos effundit e vasculis, quos excipit adorantium turba. Neque Apidis cultus, et reliquorum qui in Aegypto erant sacri boves, aliam originem habuisse videtur, quam agrorum colendorum studium.

[33] Horap. lib. I. cap. 67. Diod. lib. 3. cap. 4. Alias hujus animalis significationes prodit Horap. lib. I. cap. 68. 69. 70. lib. 2. cap. 80. 81. aenigmaticas autem rationes, propter quas numini assimilabatur, affert Plutarchus de Iside pag. 498. tom. 2. pag. 381. Cf. supra not. 17.

[34] Horap. lib. I. cap. 55: ευχαριστιαν γραφοντες, κουκουφαν ζωγραφουσι· διοτι τουτο μονον των αλογων ζωων, επειδαν υπο των γονεων εκτραφη, γηρασασιν αυτοις την αυτην ανταποδιδωσι χαριν. εν ῳ γαρ υπ' αυτων εξετραφη τοπῳ, νεοσσιαν αυτοις ποιησας, τιλλει αυτων τα πτερα, τροφας τε χορηγει, μεχρις ου πτεροφυησαντες οι γονεις βοηθειν ἑαυτοις δυνηθωσιν. ὁθεν και των θειων σκηπτρων κουκουφα προτιμησις εστιν. „ Gratum indicantes „ animum, cucupham pingunt; propterea „ quod solum hoc ex mutis animantibus, po„ steaquam a parentibus educatum fuerit, iis„ dem senio confectis parem refert gratiam. „ Quo enim loco ab ipsis enutritum est, eo„ dem nidum ipsis exstruit, pennisque eorum „ evulsis cibum subministrat, donec renatis „ plumis parentes sibi ipsi opem ferre queant. „ Unde et divinorum sceptrorum cucupha in„ signe esse solet „. Frustra hoc loco Pauwius in adn. pag. 377. e lexicis graeco-barbaris adstruere conatur, κουκουφαν intelligi debere de noctua, de qua nil hujusmodi memoratur a scriptoribus, neque e monumentis colligere datur. Falluntur pariter Suidas et scholiastes Aristophanis, locis citatis supra not. 28., qui alter alterum describentes, Aegyptiorum sceptra ciconiae capite decorari affirmant. Constans

usui, quod in Aegyptiorum annalibus regum gesta cum deorum mythis reperiantur complicata, quod confirmatur praesertim ex ea quae apud Herodotum legitur antiquissimorum regum historia, Sesostridis, Mycerini, Rhampsiniti aliorumque, ita commixta cum mythis de Iside et Osiride, ut quid ad historiam, quid ad fabulam pertineat, vix discerni possit.

Aenigmaticae notae, quas cum Clemente quarto loco ponimus, proprie quidem ad praecedens genus pertinent, ob hoc tantum a tropicis notis distinguendae, quod signum longius distet a re significata, obscura quadam vel ficta convenientia, metaphorisve varie coacervatis ad eam relatum. Itaque aenigmatica clas-

---

enim horum ornamentum caput avis est, quae pro upupa aut saltem affini volucri facile agnoscitur. Venit et in subsidium Aelianus anim. hist. lib. 10, cap. 16, ubi quae Horapollo hic de upupa, et c.53. de vulpansere, animali liberorum amantissimo asserit, paucis verbis complexus inquit: *αιγυπτιοι τιμωσι χηναλωπεκας και εποπας, επει οι μεν φιλοτεκνοι αυτων, οι δε προς τους γειναμενους ευσεβεις*.

[35] Vide supra pag. 439. not. 3. Inde et Typhonem sive Baby, deorum adversarium, quem omnis mali omnisque pravitatis complexum exsecrabantur Aegyptii sub hippopotami figura, vinctum plerumque et subactum, repraesentabant. Plutarch. de Iside pag. 464. tom. 2. pag. 371. Porphyr. apud Euseb. praep. evang. lib. 3. cap. 12. pag. 116. Simulacrum dei Apollonopolitae, quod hoc loco describit Porphyrius, scilicet viri capite accipitrino, lancea confodientis Typhonem hippopotamo assimilatum, expressum conspicitur inter emblemata tabulae e steatite serpentino servatae in museo Borgiano: *ἱερακοπροσωπος ανθρωπος ζιβυνῃ χειρουμενος τυφωνα ἱπποποταμῳ εικασμενον*. Atque in eodem museo in alia ejusdem generis tabula, pariterque in trunco statuae nudae miri artificii e basalte, symbolis ac notis undequaque inscalptae, videmus accipitrem pileatum hippopotamo insistentem: quo aenigmate simili ratione pravum genium a deo subactum indigitari conjicio, licet aliam ejus interpretationem ex ethicorum sententiis adstruat Plutarchus. Inquit enim loc. cit: *εν ἑρμουπολει τυφωνος αγαλμα δεικνυουσιν ἱππον ποταμιον, εφ᾽ ου βεβηκεν ἱεραξ οφει μαχομενος· τῳ μεν ἱππῳ τον τυφωνα δεικνυντες, τῳ δε ἱερακι δυναμιν και αρχην, ἡν βιᾳ κτωμενος ὁ τυφων πολλακις, ουκ ανιεται ταραττομενος υπο της κακιας και ταραττων*. „ Apud Hermupolin simulacrum ostenditur Typhonis, equus fluvialis, cui accipiter insistit cum serpente dimicans: equo Typhonem indicante, accipitre vim et principatum, quibus vi potitus ille saepenumero, non desistit prae malitia turbatus atque turbans „. Distare haec videntur ab Aegyptiorum genio, quibus serpentem pravitatem significasse apud neminem invenio, neque hactenus in eorum monumentis accipitrem vidi cum serpente dimicantem. Sed illum, qui in typo Hermopolitano accipitri adstitutus fuit, uti crebro cernitur in obeliscis aliisque monumentis Aegyptiis, aeternam numinis virtutem, ipsamque de malo daemone victoriam indigitasse reor. Cf. Horap. lib. 1. cap. 1. Aelian. anim. hist. lib. 10. c. 31. Diod. lib. 3. c. 3. Caeterum ad Horapollinis lib. 1. cap. 56. recte adverterunt Phasianinus et Hoeschelius in notis pag. 216. auctorem, qui hippopotami ungues duo, injustum et ingratum denotantes, infimo loco positos ait, respexisse ad sceptra Aegyptiis usitata, descripta a Suida et a scholiaste Aristophanis; atque insulse eos ridet Pauw ibid. pag. 342. Millies enim in monumentis occurrunt sceptra illa, supremo vertice upupae capite insignita, de quo Horapollo cap. 55., infima autem parte bifurcata unguibus deorsum vergentibus simili. Unde Synesius aegypt. 1. pag. 114: *ου γαρ ενιαυτους αλλα μηνας εφη τους ἑιμαρτους ειναι, εν ὁις τα αιγυπτια σκηπτρα ανατειναι μεν τας χηλας των θηριων, κατω δε ἑξει των ἱερων ορνεων τα κρανη. συμβολον αρρητον τουτο. και επεγινωσκε μεν την γραφην ὁ ξενος εγκεκολαμμενην οβελοις τε και ἁγιοις σηκοις*. „ Non enim annos esse dicebat hospes, sed menses divinitus definitos, in quibus Aegyptia sceptra sursum attollant ungues belluarum, deorsum vero ferant sacrarum avium capita. Erat hoc symbolum occultum, legebatque hospes scripturam obeliscis et sacris septis insculptam „. Cf. supra not. 35. In obelisco Sallustio cernitur hippopotamus septem stellis circumseptus, quem pro ursa coelesti positum esse, eoque Typhonem septentrionalis plagae dominum atque tyrannum indicari, tantum non pro certo habeo. Habitare in ursae sidere Typhonis animam, ac boreale clima Osiridi fatale putari, auctorem habemus Plutarchum de Iside p. 418. 435. tom. 2. p. 359. 363. Praeterea si asterismi inventa fuere ab Aegyptiis, probabile sane videtur hippopotami signum aliquando ursae locum obtinuisse.

sis a tropica exacte separari nequit, nec operae pretium est disputare utrum certus aliquis character tropicis accensendus sit an aenigmaticis. Clemens exemplum sistit scarabaeum solis symbolum, a multis scriptoribus memoratum. Rotundam enim figuram effingens e stercore bubulo, vultu averso convolvit; neque ad gignendum foemina indiget, siquidem in eo genere nullum existit sequioris sexus animal, sed semine in ipsum illum globum immisso procreat: praeterea sex mensibus super terram degit, reliquo anno sub terra [36]. Horapollinem autem si audiamus, non solem primitus denotat scarabaeus, sed substantiam natura sua unicam et incomparabilem, insimulque patrem et creatorem atque omnia quibus mascula vis gignendi inest, ipsum demiurgum et mundi animum, inde solem quem mundi animum et mundanarum rerum patrem tum Aegyptii tum Graeci venerati sunt. Sistam verba ejus ex hieroglyphicorum libro primo capite decimo, quae et Aegyptiorum aenigmatum modum egregie declarant, et symbolum nobis explicant in illa gente celeberrimum [37], praecipuis Apidis tauri notis accensitum [38], atque

---

[36] Supra pag. 424. Plin. lib. 30. cap. 11: „ Scarabaeum, qui pilulas volvit. Propter „ hunc Aegypti magna pars scarabaeos inter nu„ mina colit, curiosa Apionis interpretatione, „ qua colligit solis operum similitudinem huic „ animali inesse, ad excusandos gentis suae „ ritus „. Plut. de Is. pag. 497. tom. 2. p. 380: *ασπιδα δε και γαλην και κανθαρον ετιμησαν, εικονας τινας εν αυτοις αμαυρας, ώσπερ εν σταγοσιν ἡλιε, της των θεων δυναμεως κατιδοντες. — το δε κανθαρων γενος εκ εχειν θηλειαν, αρρενας δε παντας αφιεναι τον γονον εις την σφαιροποιεμενην υλην, ἡν κυλινδεσιν αντιβαδην ωθεντες, ώσπερ δοκει τον ερανον ὁ ἡλιος εις τεναντιον περιστρεφειν, αυτος απο δυσμων επι τας ανατολας φερομενος.* Eadem sententia est Porphyrii de abst. lib. 4. pag. 376. Caeterum de scarabaeis pilulariis, quorum variae species occurrunt in Aegypto, Graecia, Italia, Hispania, inque Americae provinciis Pensylvania et Carolina, vide Aelian. anim. hist. lib. 10. cap. 15. Plut. de Is. p. 399. tom. 2. pag. 355. Plin. lib. 11. cap. 28. Aristot. anim. hist. lib. 5. c. 9. De Geer *mémoires pour servir à l'histoire des insectes* tom. 4. p. 311. tab. 18. fig. 14. Catesby *histoire naturelle de la Caroline* append. pag. 11. tab. 11.

[37] Frequenter recurrit scarabaeus in anaglyphis Aegyptiis atque inter notas hieroglyphicas, tum in obeliscis atque templis, tum in sarcophagis, mumiis, statuis, anulis signatoriis aliisque monumentis. Sed et innumera fere sunt sigilla et amuleta Aegyptia ad hujus animantis figuram expolita, quae frequenter inveniri in medicatis cadaveribus, supra adverti p. 262. not. 46. Quo in genere, ut reliqua taceam, in museo Borgiano prostant plus quinquaginta, quae, exceptis undecim, in basi incisas habent inscriptiones hieroglyphicas aut symbola Aegyptiorum. In his unus est scarabaeus omnium quos comperi maximus, longus uncias $3\frac{9}{10}$, lat. $2\frac{8}{10}$ e lapide, ex quo nullum praeter hoc monumentum Aegyptium conspexi hactenus, porphyrite viridi durissimo, ea accuratione eaque elegantia scalptus, ut praeter eos qui sunt in Campensis obelisci vertice nullus ei possit comparari; et hieroglyphicorum lineis decem horizontalibus pulcherrime inscriptus in basi, alio praeterea eorundem characterum versu marginem baseos ambiente. Per latitudinem ejus foramen transactum est, uti fere esse solet in scarabaeis, quo possent funiculo immisso de collo suspendi aut brachio adalligari, aut vero aureo clavo infixo includi in anulum. Caeteri qui sunt in hoc museo atque in Cayliano, Naniano, Kircheriano, molis diversitate descendunt a longitudine unciarum $3\frac{1}{2}$ usque ad semuncialem: maxima pars magnitudine aequant gemmas signatorias vulgares. Subjecta esse solet basis plana et ovata ejusdem formae ac ipsum animal est, figuris incidendis destinata; qua inter eos qui sunt in museo Borgiano tres tantum carent. Plerumque ruditer ficti sunt scarabaei, etiam illi in quorum basi notae occurrunt cum diligentia exaratae: quo fit ut raro in iis agnoscas exactam sacri scarabaei formam, capitis ambitu semilunari ac duabus incisuris a margine introrsum tendentibus in tria scutula diviso notabilem, quorum quod medio loco est in quatuor exit velut aculeos radiorum instar porrectos, interjectis canaliculis tribus ab extremo ore pergentibus ad frontem. Dentes non apparent, neque antennae, nec barbulae. Elytra ambiuntur margine elatiori instar taeniae, caeterum laevia sunt: rarius occurrunt scarabaei striati, ad aliud genus ut videtur referendi, formae rotundioris cum quatuor aut

in Campensis obelisci cuspide summum locum tenens : μονογενες δε δηλουντες, η γενεσιν, η πατερα, η κοσμον, η ανδρα, κανθαρον ζωγραφουσι. μονογενες μεν,

---

quinque canaliculis in ore, cujusmodi in museo Borgiano septem sunt, quorum duo tantummodo ostentant symbola basi incisa. Est in eodem museo nani pueri sigillum e creta coctili, e Cabirorum Memphiticorum prosapia, (V. Herod. lib. 3. cap. 37.) capiti impositum gestans scarabaeum striatum; pariterque Aegyptii sacerdotis statua ingeniculata tabulam praeferens cui incumbit ejusdem generis animal. Striati etiam sunt, quos in tabula Bembina super capite habent Isis et leontomorphos dea; et quem super quadrata pila sustinet pastophorus apud Caylus tom. 4. tabula 3. Sigillum praeterea scarabaeum ex hoc genere referens idem attulit tom. 7. tab. 10. num. 3. 4., longum uncias circiter $3\frac{1}{2}$, scalpturae, ut in icone quidem apparet, non adeo elegantis, sed cum hieroglyphicis notis perpulcris in decem versus distributis in basi, atque una notarum lineola in dorso animantis. Alius scarabaeus habetur apud eundem tom. 5. tab. 7. n. 4. 5. cum elytris caetera quidem laevibus, sed duabus lineis hieroglyphicorum verticalium insignitis; adjectis in basi novem versibus horizontali ordine, uti in reliquis, exaratis. Ibidemque n. 1. 2. 3. tertius sistitur, cui pro capite est vultus imberbis calanticatus, forsan Isidis deae, cum undecim versibus hieroglyphicorum in basi. In museo Borgiano inter scarabaeos striatos unus est figura oblongiori, basi carens, cum ventre aeque ac dorso ad naturam expolito, oris loco praeditus capite humano, quod Harpocratem repraesentasse videtur, et loco pedum anteriorum humanis brachiis instructus, longus uncias $3\frac{1}{2}$ e talco ollari viridi. Cui simile monstrum conspicitur in tabula Bembina, nec non aliud cum quatuor alis explicatis in sarda Graeco-aegyptio apud Caylus tom. 6. tab. 8. n. 1. Pariterque in eo Insularis obelisci fragmine quod servatur in museo Borgiano, de quo supra pag. 82., exscalptus est scarabaeus cum pectore, brachiis atque capite humano ad Harpocratis morem cincinnato, elytris puris, alis expansis et cauda ut videtur accipitrina: pro quo Kircherus locis ibi citatis perperam exhibuit aquilam lunae falcatae insistentem. Denique in eodem museo in pectore dextro statuae pulcherrimae e basalte nigro, undequaque refertae symbolis atque characteribus hieroglyphicis mira arte exscalptis, cernitur polymorphus genius, cui thoracis loco scarabaeus est, caput humanum imberbe sex animalium protomis cinctum et triplici pileo decorum, brachia quatuor et pedes et genitalia hominis, quatuor alae explicatae et cauda accipitris. De reliquo sacer ille scarabaeus elytris laevibus, quem descripsi ex Campensis obelisci cuspide, in Europa quod sciam non reperitur: ad alterius autem speciem in ejusdem gentis monumentis obvii quam proxime accedit scarabaeus pilularius striatus niger, in agro Romano atque in reliquo Latio haud infrequens. Tertium genus quod ingenti copia occurrit in Italia, Hispania, Pensylvania et Carolina, coloris nigri cum splendore caerulescente sive purpurascente, elytra quidem habet laevia, sed capitis forma prorsus differt ab eo quem inter numina coluerunt Aegyptii, incisuris atque canaliculis in ore destitutus. Vide de Geer et Catesby supra citatos. Praeterea in Carolina, teste Catesby, in consortio pilularii vulgaris rarius observatur alius molis aliquanto majoris, fronte gerens parvum cornu recurvum, capite viridi et tanquam inaurato, dorso rubro et splendente, reliquo corpore viridi fusco. Itaque quatuor habemus scarabaeorum pilulariorum genera, vulgare, variegatum striatum, et sacrum.

[38] Plinius lib. 8. cap. 46. „ Bos in Aegypto „ etiam numinis vice colitur, Apim vocant. „ Insigne ei in dextro latere candicans macula „ cornibus lunae crescere incipientis: nodus „ sub lingua quem cantharum appellant „. Cum quo fere consentit Porphyrius apud Euseb. praep. ev. lib. 3. cap. 13. pag. 117.: σεληνη δε ταυρον ανεθεσαν, ὁν απιν ονομαζουσι· μελανα μεν και αυτον υπερ τας αλλας, φεροντα δε σημεια ἡλιου και σεληνης, ὁτι και της σεληνης το φως εξ ἡλιου. ἡλιου δε σημειον το μελαν του σωματος, και ὁ υπο τη γλωττη κανθαρος· σεληνης δε συμβολον το τε διχοτομον και αμφικυρτον. Herodotus autem lib. 3. cap. 28. diversa ratione tradit Apidis γνωρισματα, inter alia cantharum illum sive scarabaeum super lingua collocat: εχει δε ὁ μοσχος ὁυτος, ὁ απις καλεομενος, σημηια τοιαδε· εων μελας, επι μεν τῳ μετωπῳ λευκον τετραγωνον, επι δε του νωτου αιετον εικασμενον, εν δε τη ουρη τας τριχας διπλας, επι δε τη γλωσση κανθαρον. „ Habet hic vero vitulus qui appellatur Apis haec signa: est „ bene niger, in fronte album figurae quadratae, in tergo effigiem aquilae, in cauda duplices pilos, in lingua scarabaeum „. Falli in his Herodotum, pariterque lapsum esse Aristagoram Apidis notas recensentem, ex Aegyptiorum ore asserit Aelianus anim. hist. lib. 11. cap. 10., quas numero esse viginti no-

ὁτι αυτογενες εστι το ζωον, υπο θηλειας μη κυοφορουμενον· μονου γαρ γενεσις αυτου τοιαυτη εστιν. επειδαν ὁ αρσην βουληται παιδοποιησασθαι, βοος αφοδευμα λαβων, πλασσει σφαιροειδες παραπλησιον τῳ κοσμῳ σχημα· ὁ εκ των οπισθιων μερων κυλισας απο ανατολης εις δυσιν, αυτος προς ανατολην βλεπει, ἱνα αποδω το του κοσμου σχημα. αυτος γαρ απο του απηλιωτου εις λιβα φερεται· ὁ δε των αστερων δρομος, απο λιβος εις απηλιωτην. ταυτην ουν την σφαιραν κατορυξας, εις γην κατατιθεται επι ἡμερας εικοσιοκτω, εν ὁσαις και ἡ σεληνη ἡμεραις τα δωδεκα ζωδια κυκλευει· υφ' ἡν απομενον ζωογονειται το των κανθαρων γενος. τῃ ενατῃ δε και εικοστῃ ἡμερᾳ ανοιξας την σφαιραν, εις υδωρ βαλλει. ταυτην γαρ την ἡμεραν νομιζει συνοδον ειναι σεληνης και ἡλιου, ετι δε και γενεσιν κοσμου. ἡς ανοιγομενης εν τῳ υδατι, ζωα εξερχεται, τουτεστιν ὁι κανθαροι. γενεσιν δε δια την προειρημενην αιτιαν. πατερα δε, ὁτι εκ μονου πατρος την γενεσιν εχει ὁ κανθαρος. κοσμον δε, επειδη κοσμοειδη την γενεσιν ποιειται. ανδρα δε, επειδη θηλυκον γενος αυτοις ου γινεται. εισι δε και κανθαρων ιδεαι τρεις. πρωτη μεν αιλουρομορφος και ακτινωτη, ἡνπερ και ἡλιῳ ανεθεσαν δια το συμβολον. φασι γαρ τον αρρενα αιλουρον συμμεταβαλλειν τας κορας τοις του ἡλιου δρομοις. υπεκτεινονται μεν γαρ κατα πρωι προς την του θεου ανατολην, στρογγυλοειδεις δε γινονται κατα το

---

vem atque explicatu difficiles. Ipsa autem si inspicimus vetustissima quae noscuntur Apidis simulacra, in hoc aliquo modo consentiunt cum narratione Herodoti, quod in fronte ostentent triangulum aequilaterum inversum, ubi forsan pro *τριγωνον* librariorum incuria *τετραγωνον* substituit; in dorso super lumbis vulturem utroque pede anulum tenentem, alis expansis, quem Graecus scriptor facili errore aquilam appellavit: etiam in cauda spissi pili indicari solent. Scarabaeus autem in iisdem expressus est in summis armis, capite conversus ad collum tauri, alis utrinque explicatis: quod suspicari facit Herodotum Aegyptiae vocis ambiguitate seductum, signum istud ab humeris removisse ad linguam, et sequioribus Graecis ansam praebuisse nodum fingendi sub lingua, cantharum dictum. Certe Strabo lib. 17. pag. 1160. alia non acceperat signa Apidis quam albas maculas in fronte et corpore nigri bovis: *διαλευκος το μετωπον και αλλα τινα μικρα τε σωματος, τα δε αλλα μελας· ὁις σημειοις αει κρινουσι τον επιτηδειον εις την διαδοχην*. Has autem maculas more suo ad sacra symbola significanda traducebant, et mysticis rationibus accommodabant sacerdotes Aegyptii: quod et pro varia temporum conditione vario modo factum credi potest. Quae Herodoto scribente quatuor tantum signa erant, circa Aeliani aetatem forsan ad viginti novem excreverant, inque his praecipuum locum tenebat luna falcata, quae et ab ipso commemoratur, (*και το μηνοειδες της σεληνης κατηγορει σχημα συνιστι μερος αλλο.*) et a Plinio Porphyrioque jam citatis; conspicitur quoque in numis Alexandrinis in latere Apidis, atque in parvo hujus bovis sigillo ex aere, operis rudioris nec valde antiqui, quod servatur in museo Borgiano. Hoc reliquis notis destitutum est, nisi quod discum gestat inter cornua. Tria autem quae sunt in eodem museo vetustiora Apidis simulacra, atque illud quod sistit Caylus tom. I. tab. 12., omnia ex aere, praeter notas supra memoratas in collo monile gestant, in dorso instratum ad retis modum textum; et inter cornua discum Solis, (cf. Herod. lib. 2. c. 132. supra p. 414.) ante quem excubat aspis divinitatis symbolum. Cur autem inter Apidis signa maxime celebraverint scarabaeum et vulturem, ratio in aperto est. Nam uti scarabaeus activum rerum principium denotat, sic vultur passivum, e quorum conjunctione cuncta procreari rebantur. Vide mox not. 43. Ideoque Vulcanum, id est ignem, motorem aëris significare volentes, scarabaeum pingebant et vulturem: Minervam vero, sive aërem ab igne motum, significabant vulture et scarabaeo. Horap. lib. I. cap. 12. *ἡφαιστον δε γραφοντες, κανθαρον και γυπα ζωγραφουσιν· αθηναν δε γυπα και κανθαρον. δοκει γαρ αυτοις ὁ κοσμος συνεσαναι εκ τε αρσενικου και θηλυκου. επι δε της αθηνας την γυπα γραφουσιν. ὑτοι γαρ μονοι θεων παρ' αυτοις, αρσενοθηλεις υπαρχουσι.* Pari quoque argumento in fronte Apidis imaginabantur sibi triangulum inversum utpote rerum matricem ac generationis solemne symbolum. Vide Porphyrium apud Euseb. praep. ev. lib. 3. cap. 7. pag. 98. supra pag. 22.

μεσον της ἡμερας, αμαυροτεραι δε φαινονται δυνειν μελλοντος του ἡλιου. ὁθεν και το εν ἡλιου πολει ξοανον του θεου αιλουρομορφον υπαρχει. εχει δε πας κανθαρος και δακτυλους τριακοντα, δια την τριακονταημερον του μηνος, εν αἱς ὁ ἡλιος ανατελλων τον ἑαυτου ποιειται δρομον. δευτερα δε γενεα ἡ δικερως και ταυροειδης, ἡτις και τῃ σεληνῃ καθιερωθη. αφ' ὁυ και τον εν ουρανῳ ταυρον, υψωμα της θεου ταυτης λεγουσιν ειναι παιδες αιγυπτιων. τριτη δε ἡ μονοκερως και ιβιομορφος, ἡν ἑρμῃ διαφερειν ενομισαν, καθα και ιβις το ορνεον. „ Rem sua natura „ unicam [39] significare volentes, aut ortum, aut patrem, aut mundum, aut „ virum, scarabaeum pingunt. Rem quidem quae unica est, ideo quod per „ se gignatur hoc animal, utpote in utero foeminae non gestatum: ejus enim „ solius, hujuscemodi ortus est. Cum mas sobolem procreare vult, bovis fi„ mum nactus sphaericam figuram ex eo fingit mundo similem: quam dum „ ab ortu in occasum aversis pedibus volutat, ipse rursus ortum aspicit, „ ut mundi effigiem exprimat. Mundus enim a subsolano in africum circum„ agitur: at siderum cursus est ab africo in subsolanum. Hanc itaque pilam in „ terra defossam reponit in dies octo et viginti, quot diebus luna duodecim signa „ perlustrat: ubi permanens vivificatur scarabaeorum genus. Nono autem et vice„ simo die, ubi pilam aperuit, in aquam conjicit. Eum enim diem existimat esse „ congressum solis ac luna, insuperque mundi generationem. Pila inde aperta in „ aqua, prodeunt animalia, scilicet scarabaei [40]. Ortum vero hac imagine signifi„ cant, propter jam dictam causam. Patrem, quod ex solo patre ortum habeat scara„ baeus. Mundum, quod ad mundi figuram accedat generatio ejus. Virum denique, „ quod in ipsis non inveniatur sexus muliebris [41]. Sunt porro scarabaeorum species „ tres. Prima quidem felis similitudine atque radiata, quam et soli dicarunt propter „ convenientiam. Ajunt enim felem marem juxta varium solis habitum et cursum „ pupillas commutare, ad ortum quidem ejus mane nonnihil extendi, sub meridiem „ velut rotundas fieri, sole autem ad occasum vergente obtusiores obscuriores„ que apparere. Unde et quae Heliopoli est dei statua felis speciem imitatur. „ Habet autem et scarabaeus omnis digitos triginta, idque ad indicium trigin„ ta dierum, quibus in mense sol oriens cursum suum peragit. Altera species bi-

---

39 Interpres Latinus reddit *unigenitum*, Pauw pag. 284. *ab uno genitum*. Utrumque parum ad rem. Mox infra pro *μονυ*, quae vetus est et vera lectio, Pauw e codice Morelliano reponit *μονη*.

40 Scilicet larvae, Aristoteli *σκωληκες* dictae, Plinio *foetus vermiculati*, quae postquam in nymphas fuerint transformatae, denique fiunt scarabaei. Has in Aegypto prodire die post pilam absconditam vicesimo nono, adnotaverunt etiam Aelianus an. hist. lib. 10. cap. 15: *ὁ κανθαρος αθηλυ ζωον εστι, σπειρει δε εις την σφαιραν, ἡν κυλιει· κή ἡμερων τουτο δρασας, και θαλψας αυτην, ειτα μεντοι τῃ επι ταυταις προαγει τον νεοττον*: et Porphyrius de abst. lib. 4. pag. 376: *κανθαρον αιγυπτιοι εσεφθησαν ὡς εικονα ἡλιου εμψυχον. κανθαρος γαρ πας αρρην, και αφιεις τον θορον εν τελματι, και ποιησας σφαιροειδη, τοις οπισθιοις ανταναφερει ποσιν, ὡς ἡλιος ουρανον, και περιοδον ἡμερων εκδεχεται κή σεληνιακην*. Quae vero de pilis in aquam demittendis habet Horapollo, quid sibi velint non video.

41 Inde quoque factum ut scarabaeus fortitudinis symbolum esset, et milites in Aegypto patrio more in anulis scalptum gestarent. Aelian. anim. hist. lib. 10. cap. 15: *αιγυπτιων δε οἱ μαχιμοι επι των δακτυλιων ειχον εγγεγλυμμενον κανθαρον, αινιττομενου του νομοθετου, δειν αρρενας ειναι παντας παντῃ τους μαχομενους υπερ της χωρας, επει και ὁ κανθαρος θηλειας φυσεως ου μετειληχεν*. Plut. de Is. p. 399. tom. 2. pag. 355: *τοις δε μαχιμοις ην κανθαρος γλυφη σφραγιδος· ου γαρ εστι κανθαρος θηλυς, αλλα παντες αρσενες· τικτουσι δε τον γονον, ὡς σφαιροποιουσιν, ου τροφης μαλλον υλην η γενεσεως χωραν παρασκευαζοντες*. Hesychius scarabaeum anuli loco gestatum innuit a sacerdotibus: *κανθαρος, ὁ δακτυλιος των ἱερεων*.

„ cornis est et taurina, atque lunae consecrata: siquidem et tauri sidus hujus „ deae elevationem esse perhibent Aegyptiorum filii. Tertia unicornis est ibidi „ similis, quare et Mercurio sacram putaverunt, eadem ratione ac ibin volucrem„ [42]. Multa alia hujus generis hieroglyphica habemus apud eundem auctorem, qui primo praesertim libro de industria collegisse videtur, quae conjectura assequi minus esset obvium. Sic vultur, in quo avium genere perhibent mares non inveniri, sed foeminam venerea cupiditate flagrantem obviam volare etesiis atque ab ipso vento concipere, matrem denotat, porro omnia quae foeminea sunt et foecunda [43]. Annum

---

[42] Praeter pilularium tria scarabaeorum genera inter Aegyptiorum symbola adlecta enumerat Horapollo. In his quem vocat αιλυρομορφον, eum esse reor quem nunc smaragdum appellant, veteribus dictum μηλολονθην et χρυσοκανθαρον; ταυροειδης est Graecorum ξυλοφαγος βυς sive κεραμβυξ, Latinorum lucanus, hodiernis cervus volans seu taurus; ιβιομορφος autem ex eorum prosapia esse videtur quos hercules nuncupant, a nostris quidem hominibus in America tantum observatos. Vide deGeer tom. 4. pag. 279. 327. 303. tab. 11. fig. 1. tab. 12. fig. 1. tab. 18. fig. 9. Innuit etiam Plinius lib. 30. c. 11. plura scarabaeorum genera in honore fuisse apud Aegyptios, ubi inquit, propter pilularium magnam Aegypti partem scarabaeos inter numina colere. In universum autem multiplicem fuisse veterum gentium, Magorum inprimis atque Etruscorum, superstitionem circa scarabaeos, comperimus ab eodem scriptore lib. 11. cap. 28 lib. 30. cap. 11. 15. lib. 37. cap. 9. atque e gemmis anularibus ad hujus animalis formam scalptis, quae ingenti copia reperiuntur in Italia: quamquam hanc gemmarum formam nonnulli repetendam censuere a scalptorum consuetudine chrysocanthari contuitu oculos recreare et visum exacuere. V. Plin. lib. 29. cap. 6. Marcell. Empir. cap. 8. pag. 61. S. Isid. origin. l. 6. cap. 11. Sed neque iis accedo, qui ex Etruscorum gemmis colligunt commercium fuisse eos inter et veteres Aegyptios, atque gemmas illas jam ita conformatas ex Aegypto advectas putant. Perraro enim in Aegypto inveniuntur scarabaei ex iis lapidum generibus scalpti e quibus esse solent scarabaei Tuscanici: etiam animantis figura multum differt in utriusque gentis operibus, nec pilularium sed aliud scarabaeorum genus ante oculos habuerunt gemmarum scalptores in Etruria. Jam et pervetustus apud Athenienses poeta Pampho de scarabaeo cogitasse videtur, ubi Jovem celebrat optimum maximum, stercore involutum ovium, equorum, mulorum:

ζευ κυδιστε μεγιστε θεων, ειλυμενε κοπρῳ
μηλειῃ τε και ἱππειῃ και ἡμιονειῃ.

V. Philostr. heroic. c. 2. §. 19. pag. 693. S. Greg. Naz. adv. Jul. or. 1. pag. 104. Winkelm. *stor. d. arti* lib. 1. cap. 1. §. 20. Invenio etiam scarabaeum taurum, supra dictum, in magno honore esse apud ultimos in Africa barbaros et velut bonum genium coli. V. Kolben in *hist. gén. des voy.* lib. 14. cap. 4. §. 2. tom. 5. pag. 174.

[43] Ammian. Marcell. supra pag. 25. Horapollo lib. 1. cap. 11. 12., e quo etiam atque ex Aeliano anim. hist. lib. 10. cap. 22. patet, avem illam quam capite gestare solent simulacra muliebria Aegyptiorum, non esse gallinam numidicam, ut vulgo fertur, sed vulturem. Aeliani verba clara sunt: αιγυπτιοι δε ἡρας μεν ἱεραν ορνιν ειναι πεπιστευκασι την γυπα· κοσμουσι δε την της ισιδος κεφαλην γυπος πτεροις, και τοις των προπυλαιων οροφοις υπεστορευσαν γυπων πτερυγας. Horapollo autem inquit cap. 11: δι' ἡν αιτιαν παντι θηλυκῳ ζωδιῳ οἱ αιγυπτιοι γυπα ὡς βασιλειον επιτιθεασιν. Quae ita verto: „ Quam „ ob causam cuivis simulacro foemineo vultu„ rem diadematis loco imponunt „. Nam ζωιον, ζωδιον, signum est. Vide testamentum Epictetae, supra adductum p. 369. not. 28. Quare et signifer circulus ζωδιακος appellatur. At vero in Aegyptiarum dearum statuis pro βασιλειῳ frequenter adesse avis exuvias, norunt qui hujus gentis monumenta a limine salutavere; sed ignorarunt interpretes Horapollinis, neque advertit Kircherus, qui hunc locum attulit in Oedipi tom. 3. pag. 334. Iisdem porro monumentis adjutus, lacunam quae in Horapollinis libris mox sequitur ita explendam esse conjicio: αφ' ὁ και πασαν θεαν, ἱνα μη περι ἑκαστης γραφων μηκυνω τον λογον, (γυπων πτεροις επτερωσαν) αιγυπτιοι. „ Eademque ratione quamvis deam, „ ne de singulis scribens prolixior fiam, vul„ turinis alis instruxerunt Aegyptii „. Utroque symbolo indicabant, deam quae eo decorabatur, matrem esse et servatricem: siquidem et matris vocabulum, atque omnia quae ex se progignunt, vulturis signo denotabant. Inprimis Junonem, ut Horapollo et Aelianus inquiunt, quam reor esse Buto Herodoti et Plutarchi, aërem generantem atque nutrientem. Praeterea Neithin et Uraniam, quae aetheri et coelo

insuper tripartitum et quinque epagomenis auctum eodem symbolo indicabant, quoniam vultur diebus centum viginti foetum gestare, totidem pullos alere, totidemque ad novam conceptionem se parare dicebatur; reliquos autem dies quinque in coitum cum vento insumere [44]. Uraeus serpens aeternitatem significat, quoniam inter serpentes is solus creditus fuit immortalis, et quoniam pectore elato atque expanso arrectus stans caudam abscondere solet [45]. Anguis variegatis

---

praeesse credebantur, animasque et astra procreasse: qua occasione recte advertit Horapollo, Aegyptium coeli vocabulum ⲫⲉ foeminini generis esse. Physicam autem rationem, qua inducti vulturis effigiem usurpent ad foecunditatem significandam, ita reddit: μητερα μεν, επειδη αρρεν εν τουτω τω γενει των ζωων ουχ υπαρχει. ἡ δε γενεσις αυτων γινεται τροπω τοιωδε. όταν οργασῃ προς συλληψιν ἡ γυψ, την φυσιν ἑαυτης ανοιξασα προς βορεαν ανεμον, υπο τουτου οχευεται επι ἡμερας πεντε· εν άις ουτε βρωτου ουτε ποτου μεταλαμβανει, ποθουσα παιδοποιιαν. —γυπων δε υπηνεμιον ποιουμενων την οχειαν, ἡ των ωων γενεσις ζωογονειται. (Cf. adnott. Pauw. pag. 288.) Quae conjuncta cum ejusdem auctoris verbis lib. 2. cap. 15.: ἱεραξ διατεταμενος τας πτερυγας εν αερι, οἱον πτερυγας εχων ανεμον σημαινει: „accipiter „alas in aëre expansas habens, alarum ratione ventum significat„: demonstrant nobis, quid significare voluerit hieroglypta in Campensis obelisci pyramidio accipitrem inscalpens atque vulturem sibi in occursum volantes. Scilicet accipiter ventus est sive motus, νεικος Empedoclis, principium activum, foecundans et creans, quod Jovem, Martem aliisque nominibus appellavit antiquitas: vultur aër tranquillus, φιλια, principium passivum, concipiens et fovens, quod Junonem dixerunt, Venerem, Latonam. Quorum occursu atque amplexu omnia quae sunt procreantur et augentur. Idemque innuentes accipitri clavem tenendam tradiderunt, energiae sacrum symbolum, vulturi autem anulum, saepimenti illius indicium quo mundum contineri ac servari ajebant veteres. Caeterum de vulturibus in Aegypto vide Belon *hist. de la nature des oiseaux* lib. 2. cap. 1. pag. 84., Buffon *hist. nat.* tom. 16. pag. 162. 160. 146. tab. 5. De sacro Aegyptiorum accipitre, qui medium locum tenere videtur inter falconem et buteonem, vide Belon lib. 2. cap. 15. 14. pag. 110. 111. 108., Buffon tom. 16. pag. 248. tab. 14. 8. Forskâl *Flora Aeg. Arab.* descript. anim. pag. 1.

[44] Horap. lib. 1. cap. 11: ενιαυτον δε, δια το εν τουτω τω ζωω τριακοσιας ἑξηκοντα πεντε ἡμερας του ετους διαιρεισθαι, εν άις ὁ ενιαυσιος εκτελειται χρονος. ἑκατον γαρ εικοσιν ἡμερας εγκυος μενει, και τας ισας τους νεοσσους εκτρεφει· ταις δε λειπουσαις ἑκατον εικοσι την ἑαυτης επιμελειαν ποιειται, μητε κυοφορουσα μητε τρεφουσα, παρασκευαζουσα δε ἑαυτην εις ἑτεραν συλληψιν· τας δε λοιπας πεντε του ετους ἡμερας εις την του ανεμου οχειαν καταναλισκει. Consule auctores citatos ab Hoeschelio et Pauwio pag. 201. 288.

[45] Id. lib. 1. cap. 1: αιωνα γραψαι βουλομενοι, οφιν ζωγραφουσιν εχοντα την ουραν υπο το λοιπον σωμα κρυπτομενην, ὁν καλουσιν αιγυπτιοι ουραιον, ὁ εστιν ἑλληνιςι βασιλισκον· ὁνπερ χρυσουν ποιουντες, θεοις περιτιθεασιν. αιωνα δε λεγουσιν αιγυπτιοι δια τουδε του ζωου δηλουσθαι, επειδη τριων γενων οφεων καθεστωτων, τα μεν λοιπα θνητα υπαρχει, τουτο δε μονον αθανατον· ὁ και προσφυσησαν ἑτερω παντι ζωω διχα και του δακειν αναιρει. ὁθεν επειδη δοκει ζωης και θανατου κυριευειν, δια τουτο αυτον επι της κεφαλης των θεων επιτιθεασιν. „Aevum exprimere volentes, „serpentem pingunt cujus cauda reliquo corpore tegatur. Hunc Aegyptii quidem *uraeum* „appellant, Graeci autem *basiliscum*. Eundem ex auro conflatum diis circumponunt. „Caeterum hoc animali aevum significari propterea dicunt Aegyptii, quod cum tria sint „serpentium genera, caetera mortalia sint, „hoc solum immortale; quin et quodvis aliud „animal solo afflatu absque morsu serpens hic „interimat. Unde et quoniam vitae necisque „potestatem habere videtur, hanc ob causam „imponunt deorum capitibus„. Vide de hoc loco *Num. Aeg. imp. in mus. Borgiano* addend. pag. 399. 400., atque cum Alpino *rer. Aegypt.* lib. 4. cap. 4. pag. 213. ibi citato, conjunge Forskâl *Flor. Aeg. Arab.* descript. anim. pag. 15., et de Indico serpente Naja sive Nalla-pamba dicto, qui idem esse videtur atque Aegyptiorum Uraeus, consule La Cepede *histoire naturelle des serpens* tom. 2. pag. 83. Inter veteres auctores adi inprimis Aelianum anim. hist. lib. 3. cap. 33. lib. 4. cap. 54. lib. 5. cap. 52. lib. 6. cap. 38. lib. 10. cap. 31. lib. 11. cap. 32. lib. 17. cap. 5. Strab. lib. 17. pag. 1179. Herod. lib. 2. cap. 76. Solin. cap. 27. Galen. de theriac. lib. 1. cap. 8. Athen. lib. 3. cap. 8. Diodor. lib. 3. cap. 3. Val. Flacc. argon. lib. 4. v. 402. Apul. met. lib. 11. pag. 362. 374. Suid.

squamis decorus, qui propriam caudam mordicus prehendit, mundum denotat; squamis ad astra alludentibus, gravitate animalis ad terram, laevore ejus ad aquam. Etiam quod singulis annis pelle exuta senectutem abjicit, ad mundum refertur quotannis juvenescentem: et dum proprio corpore pro cibo uti videtur, innuit omnia quae in mundo oriuntur rursum deficere atque in eum redire, neque mundum unquam augeri neque imminui [46]. Isidis figura, quae cyriologice ipsam deam significat, tropice denotat Sothin sive caniculam ei consecratam et ab ejus nomine dictam, aenigmatice autem annum, quia ex caniculae ortu prognosticon capiebant Aegyptii de ineuntis anni eventibus [47]. Cor suspensum super focolari seu acerra

---

V. αρνιον σοι λαληκα. Plut. de Isid. pag. 418. 497. tom.2. pag.359. 381. Philo Bybl. apud Euseb. praep. ev. lib. 1. cap. 10. pag. 41. Clem. Alex. paedag. lib.3. cap. 2. pag. 252. In monumentis Aegyptiis nil frequentius est hoc colubro, insigni pectoris amplitudine, sive membranis a pectore utrinque distentis notabili, quem veteres plerumque aspidem appellaverunt; inprimis super statuarum capitibus, ubi modo solitarius calanticae insidet super fronte, aut pileo adhaeret, aut vero globo, quem capite sustinent; modo bini ternive aut plures circumstant pileos ac reliqua quae sunt capitis ornamenta. Etiam templorum frontes, columnarum capitula, sistra, vascula, et sacra utensilia quaecunque eo decorari consuevere. In Campensi obelisco aliisque vulturem comitatur, et animum mundi videtur denotare, cum vultur passivi principii seu materiae character sit. Interdum loto insidet, aëris et aquae conjunctionem innuens. Saepe globo obvolutus clavem sustinet, de quo emblemate diximus supra pag.440. De eo autem serpente, qui in sarcophago servato in museo Borgiano, tortuoso corporis tractu scarabaeum includit, vide p. 326. Conspicitur interdum alis vulturinis instructus, capite etiam humano aut accipitrino aut leonino. Super vertice plerumque habet globum aut discum, nonnunquam pileum aut cidarin.

[46] Horap. lib. 1. cap. 2: κοσμον βυλομενοι γραψαι, οφιν ζωγραφυσιν την ἑαυτυ εσθιοντα υραν, εςιγμενον φολισι ποικιλαις. δια μεν των φολιδων αινιττομενοι τυς εν τῳ κοσμῳ αςερας· βαρυτατον δε το ζωον, καθαπερ και ἡ γη· λειοτατον δε, ὡσπερ υδωρ. καθ᾽ ἑκαςον δε ενιαυτον το γηρας αφεις αποδυεται, καθα ὁ εν τῳ κοσμῳ ενιαυσιος χρονος εναλλαγην ποιυμενος νεαζει. το δε ὡς τροφῃ χρησθαι τῳ ἑαυτυ σωματι, σημαινει, τα παντα ὁσα εκ της θειας προνοιας εν τῳ κοσμῳ γενναται, ταυτα παλιν και την μειωσιν εις αυτον λαμβανειν. Serpens caudam mordicus apprehendens, symbolum in gemmis Abraxeis admodum frequens, in obeliscis non occurrit, nec crebro obvius est in vetusti aevi monumentis. Sed ne sequioris aetatis figmentis accenseas, pluries repetitum et varia ratione expressum cernis inter symbola inscalpta insigni trunco statuae nudae e basalte, quem e museo Borgiano jam supra citavi pag. 445. not. 35. pag. 447. not. 37. pariterque recurrit in tabulis anaglypticis, quae juvenem deum exhibent crocodilis insistentem variisque emblematibus cinctum. V. Kircheri obel. Pamphil. pag. 462, ubi quod sistitur hujusmodi tabulae fragmentum, nunc servatur in museo Borgiano.

[47] Horapollo lib. 1. cap.3: ενιαυτον δε βυλομενοι δηλωσαι, ισιν, τυτεςι γυναικα ζωγραφυσι· τῳ δε αυτῳ και την θεον σημαινυσιν. ισις δε παρ᾽ αυτοις εςιν αςηρ, αιγυπτιςι καλυμενος σωθις, ελληνιςι δε αςροκυων, ὁς και δοκει βασιλευειν των λοιπων αςερων· ὁτε μεν μειζων, ὁτε δε ἡσσων ανατελλων· και ὁτε μεν λαμπροτερος· ὁτε δε υχ υτως. ετι δε και διοτι κατα την τυτυ τυ αςρυ ανατολην σημειυμεθα περι παντων των εν τῳ ενιαυτῳ μελλοντων τελεσθηναι. διοπερ υκ αλογως τον ενιαυτον ισιν λεγυσιν. „ Annum demon-
„ strare volentes, Isin, hoc est mulierem
„ pingunt, scilicet quo signo deam ipsam si-
„ gnificant. Isis autem ipsis pro sidere est,
„ quod Aegyptio quidem nomine Sothis, Grae-
„ co autem dicitur Astrocyon, quod et inter
„ reliqua sidera principatum obtinere videtur:
„ modo quidem in exortu major apparens, mo-
„ do minor, nunc splendidior, nunc vero se-
„ cus „. (Nempe ut inter deos Isis principatum obtinet, eademque quatenus luna est, nunc major, nunc minor, apparet, nunc splendidior, nunc obscurior.) „ Denique quoniam in
„ hujus sideris exortu, observando augurium
„ capimus de omnibus quae toto anno sint even-
„ tura, non abs re annum Isin appellant „. (i. e. ad annum denotandum Isidis figura utuntur.) Conf. supra pag.440. not.9. et pag. 166. not.5. Consule etiam Caussini observ. in Horap. ed. Pauw. pag. 238. Inter astra Sothin sive Sirium, utpote virtute aquam attrahente praeditum, Isidi sacrum putari atque a nonnullis dici, deae animam in eo residere: auctor est Plutar-

ignita, tropice iram vel zelotypiam significat, aenigmatice Aegyptum, quia sicut cor zelotypi semper fervet, sic Aegyptus propter regionis calorem semper vivificat quae in ea et apud eam sunt [48]. Dimidiata luna cui incumbit orbis solis stellam includens, Ori generationem indicat, qui solis lunaeque filius praedicabatur: indicat praeterea quamvis mulierem gravidam. Pater enim soli assimilatur, mater lunae; et stella quae filium denotat, solis circulo includitur, eo quod procreationem mari tribuebant unice, foeminae tantum foeti custodiam et nutritionem [49].

---

chus de Iside p. 444. 418. tom. 2. p. 365. 359.: *των δε αστρων τον σειριον ισιδος νομιζουσι, υδραγωγον οντα. — των θεων τας ψυχας εν ουρανω λαμπειν αστρα, και καλεισθαι κυνα μεν την ισιδος υφ' ἑλληνων, υπ' αιγυπτιων δε σωθιν, ωριωνα δε την ωρου,* (in edd. *τον ωρον*) *την δε τυφωνος αρκτον.* Ventorum quoque imperium tribuebant Sothidi, scilicet etesiarum, qui circa exortum ejus spirant, ac nomen referebant ad conceptionem in utero, subinnuentes astrum Isidis, eadem fere ratione atque e vento vultur concipit, (v. supra pag. 450. not. 43.) adjuvantibus etesiis fovere et servare Aegyptiae terrae proventus. Plut. ibid. pag. 479. tom. 2. pag. 375: *την δε επι του πνευματος τεταγμενην δυναμιν, οἱ μεν οσιριν καλουσι, ὁι δε σαραπιν,* (i.e. *ἁδην, κλυμενον,*) *οἱ δε σωθι αιγυπτισι. σημαινει δε κυησιν η το κυειν. διο και περιτροπης γενομενης του ονοματος ἑλληνιστι κυων κεκληται το αστρον, ὁπερ ιδιον της ισιδος νομιζουσιν.* Qui Sothin aegyptiace canem significare ajunt, quid agant ego quidem nescio. (V. not. ad Horap. Pauw. pag. 276.). Est autem ⲥⲱϯ in Coptorum lingua *servare*, inde *utero gestare*, sive omnino *muliebrem partem sustinere in procreatione*, *κυειν*, *concipere et gestare foetum*. V. Diod. lib. 1. cap. 80. Hoc Isidis sive lunae, caniculae, vulturis officium est, dum viriles partes pertinent ad animum mundi, solem, ventum, accipitrem.

[48] Horapollo lib. 1. cap. 22: *αιγυπτον δε γραφοντες, θυμιατηριον καιομενον ζωγραφουσι και επανω καρδιαν· δηλουντες ὁτι ὡς ἡ του ζηλοτυπου καρδια δια παντος πυρουται, ὁυτως ἡ αιγυπτος εκ της θερμοτητος δια παντος ζωογονει τα εν αυτῃ η παρ' αυτῃ υπαρχοντα.* „ Aegyptum designantes, „ acerram ignitam pingunt et superne cor, illud innuentes quod quemadmodum zelotypi „ cor in perpetuo aestu est, sic Aegyptus propter calorem continenter quae in ea et apud „ eam sunt animat ac procreat „. Adde S. Cyrillum libro 9. adv. Julian. pag. 299. et Plutarchum tract. de Iside pag. 398. tom. 2. pag. 355., in quo loco duabus tantum voculis deficiente, miror tantum desudasse eruditissimos viros, Xylandrum, Pauwium, Reiskium, nec certam medelam attulisse; cum e Cyrillo, qui loc. cit. ea quae Plutarchus breviter innuit, fusius exsequitur, facili negotio ac satis tuto integritati restituatur. Hic enim ratione exposita, cur Aegyptii deum significare volentes oculum pinxerint super baculo positum, pergit: *εχει δε λογος, αναγραφειν αυτους ασπιδα μεν εις ουρανου τυπον, δια τοι το κυκλοτερες· οφιν γε μην εις χρονον, ὡς μακρον τι και πολυελικτον, διερποντα τε αψοφητι. και μην και θυμον αινιγματωδως υποφαινοντες, ενεκολαπτον εσχαραν, εναυσθεντος αυτῃ και πυρος, ειτα καρδιας επηρτημενης.* Plutarchus autem varia Aegyptiorum symbola percurrens, in quibus et illud est Osiridem pingi oculo atque sceptro, addit: *τον δε ουρανον, ὡς αγηρω δι' αϊδιοτητα,* (*οφει· και*) *καρδιῃ θυμον εσχαρας υποκειμενης.* „ Coelum vero, utpote perpetuitate sua senectutis expers, ser- „ pente significant: et iram corde cui focus „ subjacet „.

[49] Horap. lib. 2. cap. 14: *γυναικα εγκυον βουλομενοι δηλωσαι, ἡλιου κυκλον συν αστερι ; μετα αλλου δισκου διχα τετμημενου, σημαινουσι.* „ Mulierem gravidam denotare volentes, solis „ circulum cum stella pingunt, adjecto alio „ disco dimidiato „. Nempe *εγκυον* lego cum codd. Hoeschelii et Pierii (V. edit. Pauw. p. 161. 356.) pro *εγγυον*, quod habent libri editi; et pro *ἡλιου δισκου* repono *αλλου δισκου*, cujus *διχοτομον* jam per se manifestat eo denotari lunam. Quod vero *αλλου δισκου* ait ad *κυκλον* refertur, nam *κυκλον* et *δισκον* saepe Graecis idem sonare, vulgatissimum est. Prolis procreationem ad patrem solum referri ab Aegyptiis, docemur a Diodoro lib. 1. cap. 80. Ipsum vero illud symbolum quod Ori generationem appellavi, atque inde ad quodvis foetum indicandum translatum puto, eadem ratione qua in triangulo rectangulo explicando utitur Plutarchus de Iside pag. 471. tom. 2. pag. 373. expressum cernitur in tabula Bembina super capite hieraeoleontis, qui ignis et aquae seu procreantium elementorum conjunctum symbolum est. Cf. supra nott. 30. 33. Alias interpretationes habes apud Pauwium loc. cit. et apud cl. Viscontium *Museo Pio-Clementino* tom. 2. pag. 38. not. f.

Sed satis est exemplorum classis aenigmaticae, superest quinta classis notarum phoneticarum, quam ad aenigmaticam referri posse jam monui, sed quoniam a plerisque neglectam invenio, ad ea autem quae infra dicenda erunt de alphabeti origine maxima ejus est utilitas, separate de ea agendum duxi. Acute quidem advertit Dorignius [50], hieroglyphicas notas, licet rebus, non sonis exprimendis destinatas, stricto vinculo connexas videri cum lingua gentis quae iis usa est pro scriptura. Multi etiam sunt qui affirmaverunt alphabeti elementa nata esse ex hieroglyphicis, dum rei figura transfertur ad indicandum vocabulum aut partem vocabuli illius, quo res quam figura repraesentabat appellari solita erat: quam sententiam magna cum ingenii eruditionisque laude exsecutus est Deguignius [51]. Sed cum ad eam stabiliendam conjecturas tantum in medium attulerit, easque majori ex parte admodum infirmas, nec unum dederit veteris scriptoris locum, e quo intelligatur, hieroglyphicos characteres per soni similitudinem significasse, non aliud fecit quam hypothesin adornasse; fueruntque post eum alii qui alphabeti originem alia ratione demonstrare aggressi sunt, Tychsenius autem V. C. alphabetum ex hieroglyphicis ortum esse vel adeo inde oriri potuisse negandum censuit [52]. Mirum sane hos viros nobis reliquisse locum Horapollinis e libri primi capite septimo, caetera abunde notum, qui quanti sit in hac disputatione momenti infra apparebit clarius. Eum enim solum inveni apud antiquos auctores, e quo liqueat, hieroglyphica nonnunquam significasse ex soni similitudine, atque unicum hujus rei exemplum inde capiendum est, sed quo dato infinita alia analogice nobis possumus imaginari. Inquit enim: *ετι γε μην και αντι ψυχης ὁ ἱεραξ τασσεται, εκ της του ονοματος ἑρμηνειας. καλειται γαρ παρ' αιγυπτιοις ὁ ἱεραξ βαϊηθ· τουτο δε το ονομα διαιρεθεν ψυχην σημαινει και καρδιαν. εστι γαρ το μεν βαϊ ψυχη, το δε ηθ καρδια· ἡ δε καρδια κατ' αιγυπτιους ψυχης περιβολος· ὥστε σημαινειν την συνθεσιν του ονοματος ψυχην εγκαρδιαν. αφ' ὁυ και ὁ ἱεραξ, δια το και προς την ψυχην συμπαθειν, υδωρ ου πινει το καθολου, αλλ' ἁιμα, ᾧ και ἡ ψυχη τρεφεται.* „ Quin et pro anima ponitur accipiter, juxta nominis interpre-
„ tationem. Siquidem Aegyptiis accipiter *baieth* dicitur, quod nomen si diviseris
„ animam et cor sonat: *bai* enim anima est et *eth* cor. Cor autem ex Aegyptio-
„ rum sententia animae ambitus est. Itaque ex composita significatione nomen hoc
„ animam in corde degentem notat. Unde et accipiter, ob eum quem cum anima
„ habet naturae consensum, aquam omnino non bibit, sed sanguinem, quo et
„ ipsa nutritur „. Itaque accipiter non propter similitudinem aliquam aut rei affinitatem, neque propter mythum hieraticum, ad animam significandam traducebatur, sed propter sonum vocabuli, quod insimul accipitrem denotabat et animam cordis sive animam in corde habitantem [53]. Multas autem ejusmodi significationes

---

[50] *L' Eg. anc.* tom. 1. p. 286.

[51] *Mém. de l'ac. des inscr.* tom. 29. pag. 514. tom. 34. pag. 35.

[52] *Gott. bibl.* fasc. 6. pag. 42.

[53] Cordis vocabulum ϩⲏⲧ, unde Graecorum ητορ, Scandinavorum *iid*, passim legitur in libris Copticis; quod et scribi potuisse ⲏⲑ vel ϩⲏϫ, nemo dubitabit cui aliqua est cum Aegyptia lingua familiaritas. Aegyptiae Veneris nomen Coptis scribitur ⲉϫⲱⲣϩ, Graecis αθωρ, αθυρ, ατωρ, unde Herodoti ατωρβηχις, civitas Veneris. Sic in martyrio S. Anatolii Persae dialecto Memphitica ms. in museo Borgiano pro τιγρις scribitur ϫⲓⲕⲣⲟⲥ: scilicet quod littera ϫ efferebatur sono intermedio inter σ et τ. Pariter τανις inferioris

a soni affinitate petitas haberi in hieroglyphicis, putare facit propensitas illa ad verborum lusus captandos, quam apud omnes homines offendimus aenigmaticum dicendi genus affectantes, quod fecisse Aegyptios jam constat ex Horapolline et Plutarcho, ut reliqua taceam indicia. At vero aenigmata ista, sive ab ipsis rebus petita sive a rerum vocabulis, quibus abundat Aegyptiorum scriptura hieroglyphica, in causa sunt ut de plena atque absoluta hieroglyphicorum interpretatione prorsus videatur desperandum, dum notarum significatus variis inversionibus translationibusque et metaphorarum complicationibus in infinitum fere augeri queant, atque ita obscurari, ut tantum non arbitrarii dicendi sint, nec ulla ingenii vis assequi possit, quid singulis in locis significetur singulis characteribus.

In universum autem ea est hieroglyphicorum natura, ut aeque recte lingua appellari possint atque scriptura. Non enim notarum fuit certus ac praestitutus numerus, neque singularum notarum significationes ita determinatae, ut mutari vel augeri non potuissent; sed quod in cujusvis gentis idiomate evenire assolet, ut usque dum viget sensim augeatur novis vocabulis, verborumque significatus varie mutentur, atque transferantur, dilatentur vel restringantur, idem evenisse videtur in hieroglyphicis. Atque hac ratione singulis saeculis apud Aegyptios a primis inde temporibus usque ad Theodosii imperium, singulis quoque sacerdotum sodalitiis sua fuit scriptura hieroglyphica. Notarum pariter elegantia pro temporum, locorum, hominum conditione variasse intelligitur. Si vero spectes universam scribendi rationem, id quod facit ut hieroglyphica scriptura talis sit qualem hactenus exposuimus, nullam mutationem subiisse existimo, nec plus quam una in omnibus monumentis Aegyptiis occurrit scriptura hieroglyphica: aeque ac in Graecorum libris qui hodie supersunt, una tantum lingua obtinet. Quam enim recentiores appellant abbreviatam seu curfivam scripturam hieroglyphicam, ubi monumenta inspicis, aliud non est quam rudis pictura eorundem characterum qui nitide exscalpti occurrunt in magnis obeliscis, quosque in monumentorum serie in museo Borgiano ordinata, per multiplices gradationes persequi possis ab illa, quae est in Campensi obelisco elegantia et accuratio, sensim devergentes ad eam negligentiam eamque linearum ruditatem, ut vix perspicias quid exprimere voluerit

Aegypti civitas Coptis est ϫⲁⲛⲏ. Quod vero animam vertit Horapollo, ⲃⲁⲓ, in Coptorum libris nondum inveni, nec vocem aliquam ei affinem: nisi idem est ac ⲟⲩⲟⲓ, quod lexica reddunt *personam*, derivandum ab ⲟⲓ *esse*, unde et ⲟⲩⲟⲛ, *substantia*. Quod ut credam adducor a soni affinitate quae est inter ⲃ et ⲟⲩ apud Coptos uti apud Graecos, unde factum ut in utriusque gentis libris haec elementa promiscue adhibita offendamus. Exempla e Coptica lingua dialecti Memphiticae compluria offerunt codd.mss.musei Borgiani: in vita *S. Macarii* pro ⲟⲩⲱⲛϣ *lupus* legitur ⲃⲱⲛϣ; in martyrio S. Epime pro ϣⲏⲟⲩⲓ *ara* ϣⲏⲃⲓ: passim autem *coenobii* vocabulum, in lexicis non obvium, promiscue scribitur ⲁⲃⲏⲧ, ⲁⲟⲩⲏⲧ, ⲁⲟⲩⲃⲏⲧ. Accipitris nomen, quod Horapollo scribit *βαιηθ*, procul dubio est ⲃⲏϫ, quod in iisdem mss. reperi in vita S.Macarii, quodque jam Kircherus in Arabum dictionariis ⲃⲏϫ et ⲃⲁⲓⲥ scriptum invenerat: nam ϫ. ⲥ. ⲑ. saepe alternare invicem, jam adverti; vocalium autem non magnam rationem haberi a Coptis, satis constat. Itaque ⲃⲏϫ, ⲃⲁⲏϫ, ⲃⲁⲓⲏⲑ, ⲟⲩⲟⲓϩⲏⲑ, affinia sunt, eodemque tempore et accipitrem significare queunt, & animam in corde habitantem.

scriptor : fere ut litteras nostrates in variis chartis uno eodemque saeculo scriptis, ejusdemque argumenti res continentibus, summa elegantiae et ruditatis varietate pictas videmus, scriptionis natura ac radicali litterarum forma nequaquam immutatis. Hasce vero notas ruditer pictas si cursivam scripturam hieroglyphicam appellare placet, utpote cursim exaratas, non vehementer refragabor, modo ne Sinensium characteribus assimilandas credamus [54], qui linearum ductus sunt, olim forsan exsistentium rerum lineamenta, sed nunc sine respectu ad prototypa illa significantes : quod unquam evenisse in hieroglyphicis, nullas quae suadeant rationes invenio.

Exstat quidem narratio apud Plutarchum in tractatu de daemonio Socratis [55], qua utendum ratus est Deguignius ad comprobandum, quod Aegyptiorum hieroglyphica annorum successione varias subierint mutationes [56]. Introducitur nempe Phidolaus Haliartius narrans, in Alcmenes sepulcro quod Haliarti eversum fuit a Spartanis, inventam esse tabulam aeneam continentem multas litteras peculiari characterum forma atque Aegyptiis simillima, quas cum in Graecia nemo legere calluisset, misisse Agesilaum apographon ad regem Aegypti, ut is sacerdotibus legendas proponeret, a quibus et intellectae ferebantur : *πιναξ χαλκεος εχων γραμματα πολλα θαυμαστα, ὡς παμπαλαια · γνωναι γαρ εξ αυτων ουδε παρειχε, καιπερ εκφανεντα του χαλκου κατακλυσθεντος · αλλ᾽ ιδιος τις ὁ τυπος και βαρβαρικος των χαρακτηρων, εμφερεστατος αιγυπτιοις. διο και αγησιλαος, ὡς εφασαν, εξεπεμψεν αντιγραφα τῳ βασιλει, δεομενος δειξαι τοις ἱερευσι, ει ξυνησουσιν. —— λεγονται ὁι κατ᾽ αιγυπτον ἱερεις τα γραμματα συμβαλειν του πινακος, ἁ παρ᾽ ἡμων ελαβεν αγησιλαος, τον αλκμηνης ταφον ανασκευασαμενος.* Ad haec regerit Simmias Socraticus : *ουκ οιδα τον πινακα τουτον · γραμματα δε πολλα παρα αγησιλαου κομιζων αγητοριδας ὁ σπαρτιατης ἡκεν εις μεμφιν ὡς χονουφιν τον προφητην, ὁτε συμφιλοσοφουντες διετριβομεν εγω και πλατων και ελλοπιων ὁ πεπαρηθιος. ἡκε δε πεμψαντος βασιλεως και κελευσαντος τον χονουφιν, ει τι συμβαλλοι των γεγραμμενων, ἑρμηνευσαντα ταχεως αποστειλαι. προς ἑαυτον δε τρεις ἡμερας αναλεξαμενος βιβλιων των παλαιων παντοδαπους χαρακτηρας, αντεγραψε τῳ βασιλει, και προς ἡμας εφρασεν, ὡς μουσαις αγωνα κελευει συντελεισθαι τα γραμματα. τους δε τυπους ειναι της επι πρωτει βασιλευοντι γραμματικης · ἡρακλεα δε τον αμφιτρυωνος εκμαθειν. υφηγεισθαι μεντοι και παραινειν τοις ἑλλησι δια των γραμματων τον θεον, αγειν σχολην και ειρηνην, δια φιλοσοφιας αγωνιζομενους αει μουσαις, και λογῳ διακρινομενους περι των δικαιων, τα ὁπλα καταθεντας.* „ Non novi tabulam: sed Agetoridas Spartanus cum multis litteris Memphin venit ad Chonuphin prophetam, cum ibi tunc una philosopharemur ego et Plato et Ellopio Peparethius. Miserat autem Agetoridam Agesilaus, petens a Chonuphi, ut si quid scriptorum intelligeret, statim hoc interpretatum ad se remitteret. Ergo Chonuphis, cum per triduum seorsim de antiquis libris omnis generis litterarum formas collegisset, rescripsit ad regem, nobisque indicavit, his litteris significari, Musis Graecos debere certamen edere : esse autem litterarum formas ejus grammaticae, quae Proteo regnante obtinuerat, quamque Hercules Amphitryonis filius edicerat : atque moneri Graecos his litteris a deo,

---

[54] Quod faciunt Warburton §.26. Deguignes *Mém.* tom. 34. pag. 4. 5. Tychsen pag. 13.

[55] Opp. tom. 2. pag. 577.

[56] *Mém.* tom. 34. pag. 8.

„ ac iis praecipi , ut armis positis pacatam quietamqae vitam ducant , et phi-
„ losophiae studio Musis militent , ac ratione de jure atque injuria decer-
„ tent „ . Mitto quod tota ista narratio , praesertim ubi animum adverteris ad litterarum interpretationem , similior sit mytho Platonico quam facto historica fide exposito . Sit vera historia , quam hoc loco nobis tradit Plutarchus , antequam aùtem aliquid ex ea stabilire aggrediamur , opus saltem est quaerere , utrum de hieroglyphicis characteribus sermo sit , quos Aegyptiarum litterarum nomine saepe dictos reperiri non ignoro , an de alphabeticis , quod sane mihi vero videtur similius . Nam Aegyptiorum characteribus alphabeticis similes credi possunt vetustissimae Graecorum litterae ; eosque aevo labente apud Aegyptios uti apud reliquos populos varie fuisse mutatos , jam ex paucis illis reliquiis infra recensendis colligere mihi videor . E diverso in hieroglyphicis nihil hujusmodi inveni hactenus , sed qui habentur in vetustissimi aevi monumentis , eadem recurrunt in infimi saeculi operibus . Neque major minorve elegantia in minutis hieroglyphicis ad certa temporis intervalla referri posse videtur . Sunt enim simulacra nonnulla ita eleganter scalpta , ut Aegypti rebus maxime florentibus coaeva sint putanda , quibus adjecta cernuntur hieroglyphica perquam rudia ; cujusmodi sunt dea leontocephalos in villa Pinciana Burghesiorum , et fragmentum pastophori in museo Borgiano : inque eodem museo servatur lignea sacerdotis effigies ruditatis fere barbarae cum veste hieroglyphicis admodum nitidis inscripta . Sic Graecas litteras conspicimus in famigerato illo sedentis Herculis trunco negligenter exaratas ; in codicibus nonnullis picturarum barbarie horrentibus summa cura exaratas . Scilicet quod litteras aut minutas figuras litterarum vices sustinentes nitide fingere , post primam illam scripturae pueritiam , cujusvis aevi est ; statuarum vero picturumque imaginum elegantia certis quibusdam saeculis propria esse intelligitur . Itaque nullum omnino suppetere reor internum criterium , ex quo certa ratione arguas aetatem inscriptionis hieroglyphicae , sed multae variaeque peristases considerandae occurrunt , antequam ea de re aliquid pronunciare , aut monumentum hieroglyphice inscriptum uni alterive saeculo adsignare possis .

Praecipuum denique hieroglyphicorum usum fuisse in monumentis lapideis supra animadverti , nec aliis litteris inscripta hodie exstare hujus generis monumenta Aegyptia [57] : unde et a Graecis ei characterum classi ἱερογλυφικων sive sacrarum scalpturarum nomen impositum videtur . Metallis praeterea incidi consuevisse lignoque et gemmis , coctilique cretae imprimi , et coloribus pingi in variis materiis , monumenta quae docent supersunt : fuisse etiam libros hieroglyphice scriptos , discimus ex Apulejo [58] . Antiquissimo enim aevo quascunque res Aegyptii memoriae transmittendas censuerunt, hieroglyphicis scripsisse videntur : subsequenti vero tempore , dum communis vitae usibus praesto essent litterae demoticae , sacrisque scribis ad reconditioris indaginis res libris suis committendas inserviret genus hieraticum , hieroglyphicos characteres elegantiae causa ac vetustatis observantia in sacris maxime publicisque monumentis perdurasse puto , vel si quae aliae res erant quas ornatius et cum antiqui moris affectatione scribi placeret . Ideoque inscriptiones cujusvis fere argumenti hieroglyphicis litteris exaratas memoravere auctores veteres , qui licet in singulorum monumentorum interpretatione in

---

57 Vide supra pag. 429. 431. 432.

58 Loco citato supra pag. 434.

diversissima abeant, alter alterius fidem destruentes, tamen in hoc secuti videntur antiquorum sacerdotum traditionem, quod universim varii generis argumenta hieroglyphice scripta referant, aut in lapideis monumentis, in quibus hanc scribendi rationem obtinuisse asseruimus, proposita. Sic gestarum rerum memoriam hieroglyphicis commendatam fuisse, colligimus ex Herodoto, historiarum libro secundo [59]; e Diodoro, bibliothecae libro primo [60]; e Manethone apud Syncellum [61]; e Strabone, geographiae libro decimoquinto et libro decimoseptimo [62]; e Tacito, annalium libro secundo [63]; e Plinio, naturalis historiae libro tricesimo sexto [64]; ex Ammiano Marcellino, rerum gestarum libro decimoseptimo [65]; e Platone in Timaeo [66], collato cum commentario Procli libro primo [67]; e Dione Chrysostomo, oratione undecima [68]; ex Aristide, oratione Aegyptiaca [69]. Inprimis autem mythistoriam, quae regum gesta cum deorum fabulis complicaret, iis exprimi consuevisse, auctores habemus Clementem Alexandrinum loco supra explicato [70], et Hermapionem in interpretatione obelisci Rhamestaei apud Ammianum loco citato [71]. Sacros ritus, morales sententias, praeclara inventa, et quaecunque ad publica spectant commoda, iis perscripta fuisse, docemur ab Herodoto [72] et Diodoro [73] libris modo citatis, a Plutarcho in tractatu de Iside [74], a Clemente stromatum libro quinto, capite septimo [75], ab Ammiano libro vicesimo secundo [76], a Galeno in libro contra Julianum [77], ab Hermete in sacro libro [78] atque in Asclepio [79]. Astronomica praesertim et geographica iis comprehensa fuisse, adnotant Martianus Capella satyrici libro octavo [80], et Achilles Tatius isagoges libro primo [81]. Astrologica porro et de futuris rebus praedictiones, Manetho chro-

---

[59] Cap. 102. 106. 125. 135. supra pag. 32. 388. 390.

[60] Cap. 47. 55. 57. 64, supra pag. 420. 40. 4. 392. not. 27. 28. Praeterea cap. 56. narrat, Sesoosin in singulis Aegypti oppidis templa condidisse iisque inscribi jussisse, neminem ex indigenis in iis extruendis laborem sustinuisse: *επι πασι τοις ἱεροις επεγραψεν, ὡς ουδεις επιχωριος εις αυτους μεμοχθηκε.*

[61] Pag. 59. supra pag. 37.

[62] Pag. 1113. 1138. 1171. supra pag. 41. 6.

[63] Cap. 60. supra pag. 19.

[64] Cap. 8. supra pag. 10.

[65] Cap. 4. supra pag. 25.

[66] Opp. tom. 3. pag. 23. supra pag. 35.

[67] Pag. 24. supra pag. 49.

[68] Pag. 161. supra pag. 44,

[69] Opp. tom. 2. pag. 360. supra pag. 47.

[70] Vide pag. 424.

[71] Vide pag. 26.

[72] Lib. 2. cap. 141. Setho Vulcani sacerdos atque Aegypti rex obsidione pressus a Senacharibo, cum dei sui auxilio salvus evasisset, hostium armis a muribus arrosis et corruptis, statuam suam lapideam posuit in templo Vulcani Memphitae, quam ipse vidit Herodotus, mutem manu tenentem, addita epigraphe: *Qui me adspexerit deos colere discito*. Cf. supra pag. 439. not. 4.

[73] Lib. 1. cap. 45. 49. supra pag. 45. not. 4. pag. 421.

[74] Pag. 395. 436. tom. 2. pag. 354. 263. supra pag. 44. 439. not. 3.

[75] Vide supra pag. 439. not. 3.

[76] Cap. 15. supra pag. 50. not. 1.

[77] Cap. 1. supra pag. 46.

[78] Apud Patricium fol. 32. supra pag. 20.

[79] Apud Patricium fol. 4. supra pag. 47.

[80] Pag. 274. supra pag. 50.

[81] Pag. 121. supra pag. 48. Exstitisse etiam apud vetustissimos Aegyptios horumque colonos Colchos, tabulas quasdam geographicas scalpro incisas, quae regionum limites atque itinera ante oculos sisterent, auctor est Apollonius Rhodius, argonautic. lib. 4. vers. 272:

ενθεν (scil. *εξ αιγυπτυ*) *δη τινα φασι περιξ*
δια πασαν ὁδευσαι
ευρωπην ασιην τε βιῃ και καρτεϊ λαων
σφωιτερων θαρσει τε πεποιθοτα. μυρια δ' αστη
νασσατ' εποιχομενος, τα μεν η ποθι ναιεταουσιν
ηε και ου· πυλυς γαρ αδην επενηνοθεν αιων.
αια γε μην ετι νυν μενει εμπεδον, υιωνοι τε
τωνδ' ανδρων, ὑς ὁγε καθισσατο ναιεμεν αιαν·
οἱ δη τοι γραπτυς πατερων ἑθεν ειρυονται
κυρβιας, οἱς ενι πασαι ὁδοι και πειρατ' εασιν
υγρης τε τραφερης τε περιξ επινεισομενοισιν.

nographus apud Syncellum [82], Manetho apotelesmatum auctor libro quinto [83], Synesius oratione Aegyptiaca prima [84], Sozomenus historiae ecclesiasticae libro septimo [85], aliique. Sublimiores quoque scientias, de rerum natura, de diis, daemonibus et heroibus, de theurgia et mysteriis, eodem characterum genere scriptas fuisse, tradunt Theo Smyrnaeus mathematicorum Platonicorum libro secundo [86], Diodorus libro citato [87], Martianus Capella libro secundo [88], Plutarchus in tractatu de Iside [89], Proclus in Timaeum libro primo [90], Lucanus pharsalicorum libro decimo [91], Plinius libro citato [92], Macrobius saturnalium libro primo [93], S. Cyrillus libro nono adversus Julianum [94], Hermes in sacro libro [95], Jamblichus de mysteriis sectione prima et octava [96], Apulejus metamorphoseon libro undecimo [97]. Universim autem ante inventas litteras alphabeticas quoscunque mentis conceptus ab Aegyptiis animalium figuris expressos fuisse, haud ambigue affirmant Diodorus libro tertio [98], Ammianus libro decimoseptimo [99], Tacitus annalium libro undecimo [100], Lucanus pharsalicorum libro tertio [101]. Siquidem etiam ex Horapollinis lexico hieroglyphico intelligere est, quascunque res hieroglyphicorum ope declarari consuevisse, sacras profanasque, theologicas, historicas, philosophicas, scientificas, ethicas [102]. Unde hoc saltem patet, scriptoribus qui aevum tulere

---

82 Pag.40. supra pag.36. 433. not.34.

83 Vers. 1. supra pag.38.

84 Pag. 114. supra pag. 445. not. 35. Commemorat etiam Trebellius Pollio loco supra adducto pag. 48. praedictionem in aurea columna Aegyptiis litteris sculptam.

85 Cap.15. de Serapeo Alexandrino Theodosio imperante deleto: *φασι δε του ναου τουτου καθαιρουμενου τινα των ἱερογλυφικων χαρακτηρων σταυρου σημειω εμφερον εγκεχαραγμενοις τοις λιθοις αναφανηναι· παρ᾽ επισημονων δε τα τοιαδε ἑρμηνευθεισαν σημαινει ταυτην την γραφην, ζωην επερχομενην· τουτο δε προφασιν χριστιανισμου πολλοις γενεσθαι των ἑλληνιστων, καθοτι και γραμματα ἑτερα τουτο το ἱερον τελος ἑξειν εδηλου, ἡνικα ουτος ὁ χαρακτηρ φανη.*

86 Cap.47. supra pag.45.

87 Lib.1. cap.27. supra pag.39.

88 Pag.35. supra pag.50.

89 Inter alia pag.396. tom.2. pag.354. *το δ᾽ εν σαϊ της αθηνας, ἡν και ισιν νομιζουσιν, ἑδος επιγραφην ειχε τοιαυτην." εγω ειμι παν το γεγονος και ον και εσομενον. και τον εμον πεπλον ουδεις πω θνητος απεκαλυψεν"*. Cf. sup. p.439. not.7.

90 Pag. 30: *αιγυπτιοι ἱσορουσιν εν τω αδυτω της εν σαϊ θεου προγεγραμμενον ειναι το επιγραμμα τουτο·" τα οντα και τα εσομενα και τα γεγονοτα εγω ειμι· τον εμον χιτωνα ουδεις απεκαλυψεν. ὁν εγω καρπον ετεκον, ἡλιος εγενετο."* „ Aegyptii
„ narrant in adyto deae in Sai praefixum esse
„ hoc epigramma: *Praesentia et futura et*
„ *praeterita ego sum: meam vestem nemo re-*
„ *velavit: quem ego fructum peperi, sol fa-*
„ *ctus est* „.

91 Vers.174. de Caesare convivium agente Alexandriae cum Cleopatra:

Summa in sede jacentem
Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacri devote senex, quodque arguit aetas,
Non neglecte deis, Phariae primordia gentis,
Terrarumque situs, vulgique edissere mores,
Et ritus formasque deum; quodcunque vetustis
Insculptum est adytis profer, noscique volentes
Prode deos.

92 Lib.36. cap.9. supra pag.16.

93 Cap. 21. supra pag. 443. not.28.

94 Pag.299. supra pag.23. 443. not.28.

95 Vide supra pag.20.

96 Sect. 1. cap. 1. sect. 8. cap. 4. 5. supra pag. 48. 49.

97 Pag.386. supra pag.434.

98 Cap.4. supra pag. 430.

99 Cap.4. supra pag. 25.

100 Cap.14. supra pag. 432.

101 Vers.221. supra pag. 432.

102 Ne quis miretur, multum a nobis tribui scriptori de quo ita sunt dissona doctorum virorum judicia, ut quid de eo sit putandum, plerique haereant prorsus. Nos quidem in rebus Aegyptiis eadem ratione utendum esse existimamus libris Horapollinis, sive Philippi dicere mavis, atque in Graecis rebus uti solemus Hesychio, Suida aliisque ejus classis auctoribus: ut in singulis vocibus curiose quaeramus, anne di-

nullam innotuisse legem apud Aegyptios, qua ad certum scribendarum rerum genus restringeretur scriptura hieroglyphica; neque audiendos esse qui solis arcanis scientiis captuque difficilibus adhibitam fuisse putant, atque a sacerdotibus ad mysteria sua caelanda inventam [103]; neque eos qui hieroglyphicorum usum in publicis tantum rebus viguisse autumant et universo populo declarandis [104]. Paucos hanc scripturam rite calluisse, jam ex iis liquet quae de natura ejus disseruimus, diuturnumque studium ei impendere opus fuisse, quod a vulgi hominibus victui quaerendo addictis fieri non potuit. Quare cum in Aegypto liberaliora studia ab ea tantum hominum classe colebantur, cui nomen erat a sacerdotio, solis sacerdotibus hieroglyphicorum intelligentia reservata fuit, teste Diodoro libro tertio [105], cui accedunt Origenes [106] et Apulejus [107]. Neque omnes quidem sacerdotes ea probe instructi fuisse videntur, sed prophetae prae reliquis, qui summum locum in eo ordine tenebant, et hierogrammates, in quorum libris hieroglyphica lexica, tanquam Hermeticorum librorum partem recenset Clemens Alexandrinus [108]. Reliqua plebs aut prorsus ignorabant hieroglyphica, aut obscuram aliquam et imperfectam habebant eorumdem cognitionem, non lege prohibiti, sed quod res ipsa ita ferebat: sacerdotum autem officium erat inscriptiones librosque hoc scriptionis modo exaratos iis interpretari quorum ut scirent intererat. Sic majorum nostrorum memoria per universam fere Europam scientiae legesque et publica documenta Latinae linguae ministerio a vulgi cognitione removebantur, quod et nunc magna ex parte obtinet. Quo exemplo et ii refelluntur qui e noscendorum hieroglyphicorum difficulate arguunt non nisi res arcanas in iis contineri, et illi qui ex antiquis auctoribus publica monumenta hieroglyphice inscripta prodentibus adstruere conati sunt, eam scripturam a plebe Aegyptia fuisse intellectam.

Qui vero hieroglyphicam scripturam publicam fuisse rentur et omnibus cognitam, novum sibi fingunt scribendi genus quod symbolicum vocant vel hierographicum, ab hieroglyphico genere distinctum, licet pro elementis rerum effigiebus usum, quod in libris solummodo ad res occultas atque abstrusas exponendas usurpaverint sacerdotes [109]. Istam scripturam symbolicam aeque ignorare priscos auctores ac monumenta quae supersunt, jam supra monuimus: videntur autem qui illam sententiam tuentur, symbolorum philosophiam apud Aegyptios vigentem confundere cum litteris; quod et iis accidit, qui arcanas tantum scientias sub hieroglyphicae

---

cta conveniant cum priscorum Aegyptiorum genio, cum veterum auctorum qui de hisce rebus scripsere testimoniis, cumque monumentorum contextu quae aevum tulerunt. Quam plurima autem hujus generis ei inesse, neminem fugere potest cui aliqua est cum Aegyptia antiquitate familiaritas; alia sunt de quibus haesitandum reor hactenus; alia denique quae Graecos mores et sequius aevum aperte produnt. Itaque Tychsenii sententia, qui in *Gott. bibl.* fasc. 6. pag. 59. magicas praesertim sequioris aevi formulas ab Horapolline tradi et explicari ait, libro diligenter inspecto ultro corruit: sed nec Deguignio subscribendum, ubi in *Mém. de l'ac. des inscr.* tom. 34. pag. 12. omnia quae ab eo traduntur cum vetustae doctrinae apud Aegyptios indole perfecte consentire asserit.

103 Quam opinionem a Kirchero inprimis propagatam plerique sunt amplexi.

104 Ita sentit Warburton. *ess. sur les hierogl.* §.21.

105 Cap. 3. supra pag. 430.

106 In epist. ad Roman. opp. tom. 4. pag. 495. „ Sacerdos apud Aegyptios, aruspex, aut quorumlibet sacrorum minister, vel ut illi appellant propheta, omnis circumcisus est: litteras quoque sacerdotales veterum Aegyptiorum, quas hieroglyphicas appellant, nemo discebat nisi circumcisus „.

107 Metam. lib. 11. pag. 386. supra pag. 434.

108 Strom. lib. 6. c. 4. p. 757. supra pag. 434.

109 Warburton §.22 sqq.

doctrinae nomine comprehensas in hieroglyphicis contineri opinantur. De illa symbolorum philosophia agere hujus loci non est [110], quae autem fuerit discimus praesertim e Plutarchi tractatu de Iside [111], e Clemente stromatum libro quinto [112], e Porphyrio apud Eusebium [113] et libro quarto de abstinentia [114], atque e Jamblicho de mysteriis libro septimo [115]. Etenim prae methodica et clara doctrinarum expositione uti maluerunt tum brevibus quibusdam sententiis sive adagiis aut aenigmatis, conciso verborum numero res magnas multasque indigitantes: tum imaginibus quibusdam mysticis sive tesseris ita adornatis, ut qui sacra illa doctrina esset imbutus ex earum inspectione mentem socii qui eas exhibebat assequeretur: tum et gestibus nonnullis caerimoniisque, quibus dum aliud agere videbantur, arcana animi sensa declararent. Quae omnia facta videmus in Graecia atque in reliquo fere orbe ab antiquissimis gentium doctoribus, sed apud Aegyptios sacerdotes, eorumque aemulos, Pythagoraeos in Graecia philosophos, amplius solemniusque et uberius videntur observata. Inde est quod Plotinus, enneados quintae libro octavo capite sexto, Aegyptios sapientes non litteris usos esse ait, quae vocum imitatione opiniones disputationesque exponerent, sed singula proposuisse simulacra, qui specie sua integros declararent sensus: *δοκουσι δε μοι και οἱ αιγυπτιων σοφοι, ειτε ακριβει επιστημη λαβοντες ειτε και συμφυτῳ, περι ὡν εβουλοντο δια σοφιας δεικνυναι, μη τυποις γραμματων διεξοδευουσι λογους και προτασεις, μηδε μιμουμενοις φωνας και προφορας αξιωματων κεχρησθαι· αγαλματα δε γραψαντες, και ἑν ἑκαστον ἑκαστου πραγματος αγαλμα εκτυπωσαντες εν τοις ἱεροις, την εκεινου διεξοδον εμφηναι. ὡς αρα τις και επιστημη και σοφια ἑκαστον εστιν αγαλμα, και υποκειμενον και αθροον, και ου διανοησις ουδε βουλευσις· υστερον δε απ' αυτης αθροας ουσης ειδωλον εξειλιγμενον εν αλλῳ ηδη, και λεγον αυτο εν διεξοδῳ, και τας αιτιας, δἰ ἁς τουτο εξευρισκον· ὡστε καλως ὁυτως εχοντος του γεγενημενου θαυμασαι.* „ Videntur vero mihi sapientes Aegyptiorum, sive consummata quadam scientia „ sive naturali etiam mentis instinctu, ubi constituerunt de sapientia sua aliquid „ proferre, non usi fuisse figuris litterarum, significaturis sermonis discursiones „ ac propositiones, et imitaturis voces pronunciationesque regularum, sed pingentes singulas singularum rerum imagines, easque in templis effingentes, „ ipsius rei discursum significavisse: ut unaquaeque imago scientia sit et sapien„ tia quaedam, et subjectum spectaculum totum una collectum, non disquisitio „ neque consultatio; postea vero ipsius illius scientiae totum simul complexae si„ mulacrum in alio fiat, jam evolutum, ipsum illud enarrans in discursione, cau„ sasque propter quas ita sit institutum: ita ut dispositio rei ita bene se haben„ tis, admirationem excitet „. Hujusmodi fuisse deorum et sacrorum animalium effigies intelligimus e Plutarcho et Porphyrio jam citatis; quin et ipsum Apidem arcanae doctrinae indigitamentis scatuisse, docet Aelianus de animalium historia libro undecimo [116]. Eas autem effigies emphatice litteras dictas invenimus apud Cle-

---

[110] Consule de ea Jablonskium in prolegomenis ad Panth. Aeg. cap. 3. §. 51. sqq.

[111] Pag. 396. tom. 2. pag. 354. et passim.

[112] Cap. 7. pag. 670.

[113] Praep. evang. lib. 3. cap. 7. 11. 12. 13. pag. 98. 115. sqq.

[114] Pag. 371. sqq.

[115] Cap. 1. 2. 3.

[116] Cap. 10. *θεος αιγυπτιοις ενεργεστατος ὁ απις ειναι πιστευεται — σημεια δε αυτου και γνωρισματα λεγει μεν και ἡροδοτος και αρισταγορας· ουχ ὁμολογουσι δε αυτοις αιγυπτιοι, εννεα και εικοσι γαρ αυτα ειναι φασι, και εμπρεπειν ταδε τῳ ἱερῳ βοϊ· τινα δε ταυτ' εστι, και ὁπως διεσπαρται κατα του σωμα-*

mentem stromatum libro quinto, capite septimo: *ηδη δε καν ταις καλουμεναις παρ' αυτοις κωμασιαις, των θεων χρυσα αγαλματα, δυο μεν κυνας, ἑνα δε ἱερακα, και ιβιν μιαν περιφερουσι, και καλουσι τα τεσσαρα των αγαλματων ειδωλα τεσσαρα γραμματα. εισι γουν ὁι μεν κυνες συμβολα των δυειν ἡμισφαιριων, διον περιπολουντων και φυλασσοντων· ὁ δε ἱεραξ ἡλιου, πυρωδης γαρ και αναιρετικος· αυτικα τας λοιμικας νοσους ἡλιῳ ανατιθεασιν· ἡ δε ιβις σεληνης, τα μεν σκιερα τῳ μελανι, τα δε φωτεινα τῳ λευκῳ των πτιλων εικαζοντων.* „ Jam vero in iis quoque, quae ab ipsis „ vocantur deorum convivia, aureas imagines, duos quidem canes, unum autem „ accipitrem, et ibin unam circumferunt: et quatuor imaginum simulacra vocant qua„ tuor litteras. Atque duo quidem canes sunt symbola duorum hemisphaeriorum, „ ut quae circumeant et custodiant: accipiter vero solis; est enim igneus et qui vim „ habet interimendi; pestilentes itaque morbos soli attribuunt: ibis autem lunae, „ dum umbrosa nigris, lucida albis plumis assimilant „ [117]. Non quidem quod per se scripturae aliquam constituissent methodum, sed quia cogitatae rei indices erant, quemadmodum vulgo sunt litterae, praeterquod una cum reliquis signis in hieroglyphicam scripturam erant recepta. Etenim multum ad hanc excolendam contulisse symbolicam illam philosophiam, et quae aenigmatici sunt characteres magnam partem ab ea ortum trahere, dubio caret. Quare recte advertit Philo in libro de vita Mosis, Aegyptiorum philosophiam symbolicam apparere tum ex hieroglyphicis litteris, tum ex cultu animalium: *αριθμους και γεωμετριαν — και μουσικην την συμπασαν — αιγυπτιων ὁι λογιοι παρεδοσαν· και προσετι την δια συμβολων φιλοσοφιαν, ἡν εν τοις λεγομενοις ἱεροις γραμμασιν επιδεικνυνται, και δια της των ζωων αποδοχης, ἁ και θεων τιμαις γεραιρουσιν.* „ Numeros et geometriam et musicam Ae„ gyptiorum eruditi tradiderunt, praeterea philosophiam symbolis involutam, „ quam in litteris sacris, quas appellant, ostentant, et in animalium veneratione, „ quae deorum honoribus prosequuntur „.

τος τῳ ζωῳ, και ὁντινα τροπον διονει διηνθισται αυτοις, αλλαχοθεν ειςεσθε· ὁτι δε των αςερων ἑκαςον σημειον δια συμβολων αινιττεται την φυσιν, αιγυπτιοι τεκμηριωσαι ἱκανοι. και γαρ τοι και την ανοδον την του νειλου υποδηλουν σημειον φασι, και το του κοσμου σχημα, αλλ' οψει τι και συμβολον, ὡς εκεινοι λεγουσιν, ὁπερ ουν αινιττεται του φωτος ειναι το σκοτος πρεσβυτερον, και το μηνοειδες της σεληνης κατηγορει σχημα συνιεντι μερος αλλο, και αλλα δε επι τουτοις αλλων τε αινιγματα, βεβηλοις το και αμαθεσιν ἱςοριας θεοπρεπους ουκ ευσυμβολα οφθαλμοις οντα. „ Apis apud Aegyptios efficacissi„ mus deus creditur. Insignes ejus notas He„ rodotus atque Aristagoras explicant; quibus „ Aegyptii non adsentiuntur, novem enim et „ viginti eas huic sacro bovi aptas et con„ sentaneas esse dicunt. Quaenam sint, tum „ quemadmodum per corpus sparsae, tum ut „ ipsis quasi floribus insignitus sit, aliunde „ intelligendum; cujusnam autem ex sideribus „ naturam unumquodque insigne per notas de„ signet, Aegyptii satis superque declarant. „ Etenim Nili adscensum unum significare ajunt, „ aliud mundi signum est, aliud quo tenebras „ ante lucem fuisse insinuatur, aliud lunaris „ figurae, aliaque insignia aliarum rerum si„ gnificationes esse, haud profecto profanis et „ divinae historiae ignaris intellectu facilia „. Cf. supra pag. 447. not. 38.

[117] Subnectit et aliam harum imaginum sive litterarum interpretationem: *εισι δε ὁι τους μεν τροπικους προς των κυνων μηνυεσθαι βουλονται, ὁι δη διαφυλασσουσι και πυλωρουσι την επι νοτον και αρκτον παροδον του ἡλιου. τον δ' ισημερινον, υψηλον οντα και διακεκαυμενον, ὁ ἱεραξ δηλοι, καθαπερ ἡ ιβις τον λοξον· αριθμου γαρ επινοιας και μετρου μαλιςα των ζωων ἡ ιβις αρχην παρεσχησθαι τοις αιγυπτιοις δοκει, ὡς των κυκλων ὁ λοξος.* „ Sunt autem qui volunt tropicos quidem signi„ ficari a canibus, qui custodiunt et instar janito„ rum observant accessum solis ad austrum et se„ ptentrionem: aequinoctialem autem circulum „ qui est altus et perustus significat accipiter; „ sicuti ibis obliquum seu signiferum. Inventio„ nis enim numeri et mensurae, ex animalibus „ maxime ibis principium praebuisse videtur „ Aegyptiis; sicut ex circulis obliquus „.

§. III.

Quaeri etiam solet, qui sit notarum numerus in hieroglyphica scriptione adhibitarum ab Aegyptiis : quo cognito intelligi posse rentur nonnulli, utrum eo scribendi modo magna cogitatarum rerum copia perspicue exprimi potuerit, an certae tantum atque angustis limitibus circumscriptae scientiae. Sic Brucius, qui in Aegyptiis monumentis a se diligenti cura exploratis non plusquam quingentas et quatuordecim notas hieroglyphicas inveniri affirmat, ex ea characterum paucitate arguit, non posse in iis contineri linguam integram, utpote quae plus saltem quam quingentis vocabulis constare deberet, sed unam tantum scientiam, quam astronomiam esse putat [1]. Sed neque illud mihi persuadeo, Brucium qui Aegyptum transitu vidit, characteres in illis ruinis infinita copia prostantes exacte distinxisse atque supputasse : neque hoc concedo, ex characterum numero, etiam si multo essent pauciores, indicium capi posse de scriptionis argumento aut de expressarum rerum copia. Nam eadem ratione qua linguarum vocabula pro loci et contextus varietate varias res exprimunt sono non mutato, in hieroglyphicis quoque una eademque figura variis sensibus exprimendis inservit : cujus rei exempla jam supra attulimus ex Horapolline. Pariterque uti vocabulorum significatio compositione immutatur, ita et notae hieroglyphicae, ubi cum aliis connectuntur, et junctim unam efficiunt velut syllabam, novis augentur significationibus : quod et Horapollo adnotavit [2], et ipsa quae supersunt monumenta hieroglyphice inscripta comprobant. Occurrunt enim in hieroglyphicarum notarum serie hinc et inde symplegmata sive syntagmata figurarum mutua actione se invicem respicientium, quae pro uno signo stare unamque ideam exprimere extra dubium est; frequentius autem obveniunt characteres, non actione quidem, sed positione ita juncti et velut nexi, ut tanquam unum signum efficere videantur, sensui sibi proprio ita accommodatum ut sunt in linguis vocabula composita [3]. Ut plurimum ergo illud aestimandum foret ex notarum numero, quot ideas primitivas sive absolutas hieroglyphicis suis expresserint Aegyptii : sed ne hoc quidem satis recte. Nam et una eademque figura plusquam unam ideam denotare potest, et una eademque idea plus una figura denotari : quorum utrumque fieri consuevisse apud Aegyptios, docemur veterum scriptorum testimoniis [4]. Sed quamquam ex hieroglyphicorum numero absolute considerato nil colligendum esse existimem, jucundum tamen est atque ad hujus scriptionis cognitionem necessarium, scire quot et cujus generis notis usi sint hieroglyptae. Advertendum est praeterea, quot et quales obveniant notarum compositiones, sive syllabas sive syntagmata appellare mavis, scilicet complexus notarum junctim recurrere solitarum. Porro quibus aliis notis sive solitariis, sive inter se connexis quaevis nota et

---

[1] *Travels to discover the source of the Nile* tom. 1. pag. 121. 414.

[2] Inter alia lib. 1. cap. 8. 12. 22. 43.

[3] Pari ratione Sinicos characteres, qui nunc ad immanem multitudinem excrevere, e characteribus simplicibus 214 ortos esse affirmant.

[4] Crocodilus et malitiam significabat et aquam fluvialem : V. supra pag. 442. not. 17. Stella denotabat deum, animam, tempus et numerum quinarium. Horap. lib. 1. cap. 13. lib. 2. cap. 1. E contrario pro deo pingebant modo stellam, modo accipitrem : pro mundo modo serpentem, modo scarabaeum.

quaevis notarum syllaba comitibus usa reperiatur. Denique quae sit cujusvis inscriptionis hieroglyphicae dispositio sive oeconomia: et quatenus hoc respectu quae hodie exstant monumenta inter se conveniant aut dissentiant. Quibus omnibus accurata diligentia adnotatis atque expositis via quaedam sternitur ad hieroglyphicorum interpretationem, quam licet ut res nunc se habent ne tentandam quidem existimem, tamen ingenti illa inscriptionum copia quae in Aegypto adhuc latet in lucem producta, et cunctis quae supersunt antiquae gentis documentis inter se comparatis, praeterea regionis coelique natura accurate investigata, et quae de priscis Aegyptiis tum ex veterum scriptorum narrationibus tum ex affinium gentium comparatione probabiliter sciri possunt, clarius uberiusque expositis quam factum invenio hactenus, aliquando effici posse minime nego. Hactenus si quid ego video, nihil omnino profecimus in illa provincia, et aeque nunc ignoramus hieroglyphica ac ignoravere Pierius et Goropius. Omnes enim qui ea explicare aggressi sunt, initium statuerunt eo loco ubi erat desinendum: dum nec de opportunis auxiliis sibi comparandis solliciti, neque ipsum argumentum ordinare et in partes dispescere satagentes, solius ingenii ope confisi una conjectura universam rem conficiendam putavere: unde factum ut post multa volumina de hieroglyphicis interpretandis conscripta, plures hodie sint qui effici posse negent quam qui affirment.

Itaque dum interpretationem hieroglyphicorum relinquam posteris, hoc loco historica ratione enarrare aggredior numerum et conditionem notarum quas hactenus observavi in monumentis Aegyptiis, ut quantum mea est juvem futuros interpretes. Initium nobis sit ab obeliscis omnium quae Aegyptia monumenta in Europa exstant nobilissimis. In his litterae hieroglyphicae exaratae sunt ordine verticali et per columnas distributae: ita quidem ut columnarum latitudinem modo una nota occupet, modo duae, tres quatuorve aut quinque; atque ipsae characterum figurae in aliis columnis dextrorsum conversae sint, in aliis sinistrorsum. Ordo autem in lectione observandus is esse videtur, ut initio facto a columnae vertice, in iis quae dextrorsum spectant, primus locus tribuatur ei notae quae nobis prima est a sinistris, in iis vero quae sinistrorsum convertuntur, ei quae proxima est a dextris. Nam praeter quod hac ratione antecedens figura sequenti dorsum obvertere et eam post se relinquere agnoscitur, etiam in repetitis inscriptionibus, dum propter loci angustiam nota aliqua ex superiori spatio ad inferius sit removenda, hoc in ea fieri videmus quae ex illa nostra sententia ultima erat superioris spatii. Sunt alia monumenta in quibus hieroglyphica disposita habentur per versus horizontales; in aliis et columnae occurrunt et versus: at in cunctis lectionis ordo is est quem diximus, modo a sinistris procedens ad dextra, modo a dextris ad sinistra, quod quidem frequentius.

Obeliscus Campensis [f] in singulis scapi lateribus habet binas notarum columnas, quarum quae sunt in lateribus meridionali atque occidentali dextrorsum spectant, quae in orientali sinistrorsum, idemque obtinuisse reor in septentrionali latere nunc eraso. Unicuique autem columnae superstat accipiter pileatus, cui pone adjectus est globus cum aspide sive uraeo clavem gestante pectori appensam: sed in priori columna accipiter ille insistit stylobatae hieroglyphicis litteris inscripto, in

[f] Confer quae de eo monuimus supra sect. 2. cap. 5. pag. 72.

posteriori eo caret. Porro in pyramidii singulis lateribus octo sunt parvarum notarum columnae perbreves, ea ratione exaratae ut in quovis latere quaternae columnae dexteram partem tenentes sinistrorsum spectent, quaternae in sinistra parte positae dextrorsum: aeque ac faciunt grandes figurae, nempe viri sedentis in throno et sphingis decumbentis e regione, juxta quas constitutae velut dialogum earundem exprimere videntur. Eodem quoque pacto distributi fuere parvi characteres in baseos lateribus prope grandes figuras inscalpti, qui nunc quidem perierunt, exceptis iis qui sunt in orientalis lateris fragmine servato in museo Borgiano Velitris. Ubi vero spectamus numerum notarum, modicus sane est in iis quae supersunt obelisci lateribus, nec multo plures olim affuisse suadet totius inscriptionis modus. Simplices enim notae non plures occurrunt quam quinquaginta novem: nec magna est in notis disponendis atque conjungendis varietas, sed saepe una eademque notarum series repetitur, ordine vel omnino servato vel leviter immutato. Conspiciuntur autem passim in Aegyptiis monumentis schemata quaedam ovata sive elliptica planae basi insidentia, quae emphatica ratione includunt certa notarum syntagmata, sive ad propria personarum nomina exprimenda sive ad sacratiores formulas designandas. Ex hoc genere duo tantum occurrunt in obelisco Campensi, alterum tres notas comprehendens, globum grandem, phialam collo oblongo [6], et vasculum cordiforme [7]; alterum quinque, quadra-

[6] Hoc vocabulo signum illud intelligo in obelisci icone ad libri calcem adjecta crebro repetitum, quod nonnullis visum est repraesentare instrumentum musicum, ei fere simile quod nunc vulgo usitatum appellant *mandorla* aut *mandolina*: atque e cujus indicio cl. Burney in *general history of music*, ex relatione ephemeridum Pisanarum tom. 89. pag. 9., affirmat, veteres Aegyptios plus profecisse in lyricis instrumentis concinnandis quam Graecos Romanosve. Nam apud hos ait nulla innotuisse instrumenta, in quibus subjecti manubrii auxilio chordarum soni potuissent modificari, et sic e paucis chordis plenior harmonia elici. Ubi vero in ipso lapide inspexeris signum de quo sermo est, facile mecum senties non aliud eo exhiberi quam vasculum ovatum seu cordiforme collo praeditum oblongo et angusto, in cujus summitate sunt hinc et inde binae velut auriculae ad vas basi aeque ac ansis destitutum de funiculo suspendendum, eodem pacto atque in hoc ipso obelisco inter hieroglyphicas notas conspicimus parvum vasculum loro recurvo et ventrem vasis bis cingente suspensum: nisi pro auriculis dicere mavis bina orificia obturamentis horizontaliter infixis occlusa, quae vel superstitiosis ritibus inservire potuerunt, vel chemicorum studiis. Cum enim circuitus figurae saxo impressus uni pariter alterique sententiae favere possit, non ita ambigua est forma in cavitate protuberans, ad vasculi modum undique convexa et glabra, ut qui pro organo musico accipiunt dicere cogantur, scalptorem miro sane et moroso consilio ostendisse partem posticam, anteriore facie cum magade et chordis occultata. Recurrit hoc signum frequenter in obelisco Barberino et in aliis monumentis, at inter primae aetatis obeliscos in solo obelisco Campensi invenio, in caeteris autem aliud signum obveniat in ea tantum re a praefato differens, quod in utroque colli latere una tantum appareat ansula. Significatum vero utriusque signi eundem esse suspicor, cum utrumque in earundem fere notarum consortio occurrat, et in Campensi obelisco in repetitis formulis illud quod descripsi modo binis ansulis praeditum sit utrinque, modo ansularum indicio prorsus careat. De reliquo habuerintne Aegyptii instrumenta lyrica cum manubrio chordis subjacente, nec affirmare nec negare ausim; Graecos Romanosque habuisse, disco e duobus anaglyphis marmoreis, quae effugere diligentiam Burneyi dum de veterum musica consultaret antiquae artis monumenta. Sunt ista in suburbano Burghesiorum, aedium frontibus affixa, alterum exhibens Achillem in puellarum consortio genio indulgentem, alterum sistens duas puellas, quarum una gestat citharam. In utroque vides lyrae speciem cornubus destitutae, sed manubrio instructae oblongo, super quo in altero lapide septem chordae a magade contenduntur usque fere ad verticem manubrii, in altero chordae quatuor. Ex hisce anaglyphis quod ultimo loco nominavi, fragmentum est operis admodum pulcri, et ad zoophorum videtur pertinuisse: alterum est unum e brevioribus lateribus arcae sepulcralis, cujus reliquas facies luce donavit Winkelmannus in *monum. ined.* fig. 124. 132. 134.

[7] Hydreon an periamma hoc loco indicari non definio, nam inscalpta figura utrique rei

tum oblongum, noctuam, fasciam, forcipem et scaphium; ambo in quovis lapidis latere quinquies repetitae: nempe semel habentur in pyramidio, semel in basi, ter in scapo. Denique frons stylobatae, cui insistit accipiter pileatus in summa trabe exscalptus, trium notarum syntagmate insignitur, in singulis lateribus repetito, in reliqua autem obelisci inscriptione non obvio; uti nec illa syntagmata in alio loco inveniuntur, quae sunt ovatis schematibus inclusa. Quae in stylobate illo prima nota est, moenia urbis videtur repraesentare, infra adjectis globo et vasculo cordiformi.

Majori multo quam Campensis obeliscus hieroglyphicarum litterarum copia gaudet alter ille ab Augusto advectus qui nunc stat in via Flaminia [8]. Habet is in unoquoque scapi latere tres grandium notarum columnas, quarum quae sunt in lateribus meridionali et occidentali dextrorsum spectant, quae in reliquis sinistrorsum: in singulis autem lateribus ea columna quae medio loco stat, infra capitulum deducitur usque ad imum obelisci marginem, reliquae duae desinunt super ea parte quam basin appellamus, grandibus figuris exscalpendis destinatam. Conspicitur etiam in cujusque columnae vertice accipiter pileatus, quem stylobates subrigit, in cujus fronte exarata est notarum series. Minores characteres occurrunt in pyramidio, in capitulo atque in basi, eadem ratione atque in obelisco Campensi relati ad figuras grandiores quibus sunt juxta adstituti. Scilicet in singulis pyramidii lateribus senae habentur columnae breves, ternae quae dextram partem obtinent sinistrorsum conversae, ternae quae a sinistris sunt dextrorsum: aeque ac grandes figurae quarum altera alteram adspicit. Eadem pariter est in capitulo notarum conditio: nisi quod in latere occidentali pauci praeterea characteres adjecti sunt globo, qui duabus aspidibus stipatus in aëre suspensus cernitur. In basi complicatior est distributio, neque in singulis lateribus eadem. Nempe cum in quovis latere sint binae figurae exscalptae, altera pedibus recte stans, altera flexis genubus adorans e regione, infra manus uniuscujusque exaratus fuit brevis characterum versus ordine verticali, eodem spectantium quo figura cui adscripti, sed hi in orientali tantum latere servantur, in reliquis igne absumpti. Deinde supra virum stantem in septentrionali latere occurrunt columnae quinque, in caeteris quaternae, cunctae eodem conversae quo vir ipse, nimirum in lateribus septentrionali et orientali dextrorsum, in meridionali et occidentali sinistrorsum. Supra eum autem qui genua flectit, in septentrionali latere quatuor columnae sunt, in orientali tres, omnes sinistrorsum spectantes ut ipse vir ingeniculatus, primam columnam in quovis la-

---

convenit. Vasculum enim cordiforme absque pede, cum collo brevissimo, orificio lato, ansulis brevibus, quale hic et in quamplurimis monumentis hieroglyphice inscriptis conspicimus, in tabula anaglyptica servata in museo Borgiano inter hieroglyphicas notas occurrit suspensum de fune, qui transversim attrahitur super trabe velut ad aquam hauriendam. In nonnullis quoque inscriptionibus pro signo quod descripsi aliud substituitur vasculum praefericulo simile, ansa et canaliculo instructum. Sed et amuletum ejusdem figurae crebro cernimus in Aegyptiis statuis collo appensum. Inspice iconem Canopi Albanii in Winkelmanni *storia delle arti* ed. Fea tom. 1. pag. 116. atque ligneum simulacrum Nanianum publici juris factum tab. 3 *monum. art. Aeg. in mus. Naniano*. Prostat etiam parvum amuletum e jaspide rubro hac forma donatum in museo Borgiano, ac aliud ei simile e crystallo nigra sistitur in collectione Cayliana tom. 3. tab. 15. num. 3. Praeterea in sphinge Burghesia e basalte nigro, cujus characteres hieroglyphici singulari diligentia sunt expressi, et in scarabaeo e basalte viridi in museo Borgiano, hocce signum ita fictum est ut de periammate cogites facilius quam de vase aquario.

[8] Vide supra sect. 2. cap. 1. §. 3. pag. 72.

tere occupante accipitre pileato, quem stylobates sustinet notarum copia insignis. Etiam in lateribus meridionali atque occidentali supra hunc virum quaternae columnae sunt, sed harum prima caeteris est obversa. Nam e regione accipitris, qui secundam columnam obtinet stylobatae hieroglyphicis decoro insistens, collocata est figura viri hieracocephali in throno sedentis et clavem porrigentis ad rostrum accipitris: et quae infra hieracocephalum sunt notae exaratae, aeque ac ipse sinistrorsum spectant, reliquis columnis dextrorsum conversis, uti est vir ingeniculatus. Praeterea in latere occidentali ante faciem hieracocephali illius breve est minutissimorum characterum syntagma, forsan exprimens formulam qua ipse alloquitur accipitrem. Denique et hoc advertendum est, minorum characterum columnas in hoc obelisco atque in Lateranensi modo ab invicem separari sulcis verticaliter deductis, modo non ita. Ad numerum characterum quod attinet, fere triplo plures sunt quam in obelisco Campensi, scilicet centum quinquaginta novem, in quibus comprehensi sunt omnes qui habentur in Campensi, exceptis octo: quo fit ut cuncti characteres ex ambobus obeliscis collecti, sint numero centum sexaginta septem. Schemata elliptica in obelisco Flaminio inveniuntur octo, sed tria ex iis exigua tantum diversitate recedunt ab invicem, unum fere deletum est, unum septem litteras comprehendens semel tantum conspicitur in ima basi lateris orientalis, reliquis lateribus in ea parte ignis vi pessumdatis. Signa quae in eo includuntur, sunt globus, baculus capite canino, pone quem attractis genubus subsidet icuncula imberbis capite calanticam, taeniam et pennam: infra ferculum et strigilis, juxta quam moenia et undae. Duo autem quae singula continent notas sex, principatum tenent in orientali latere, nam ibi et in pyramidio occurrunt et in capitulo et in basi, praeterea in scapo quinquies, altero ex iis nona vice repetito in media scapi columna quo loco per basin producitur. In horum altero sunt globus, baculus capite canino, pone quem icuncula imberbis, capite calanticam, taeniam et pennam, subsidet tenens super genubus clavem: infra siphon, globus et undae. In altero icuncula barbata cum cidari duabus pennis et vitta decora, super genubus erectum tenens sceptrum aratriforme, subsidet e regione hieracocephali pariter subsidentis et capite globum sustinentis, super genubus autem clavem: infra quos ferculum, fruges suspensae, fascia et arundo. Eadem in caeteris quoque frontibus quaternis vicibus recurrunt in scapi columnis lateralibus: at in harum frontium pyramidio, capitulo, basi, atque scapi columna media, alia duo obtinent, alterum tres notas complexum, globum, genium subsidentem, clavi atque calantica cum taenia ac penna insignem, et urbis moenia, alterum octo notas continens, in singulis lateribus quater repetita; quamquam illud quod octo notas continet, dum recurrit in ima scapi parte, leviter sit immutatum, duplici quidem ratione, quo fit ut octo numerentur hujus obelisci schemata elliptica, ut supra monuimus. Nam hieracocephalus subsidens, qui princeps est hujus schematis character, modo clavem gestat, modo lituum, modo velut loculo obumbratur, modo eo caret: supra hunc sunt quadratum oblongum cum hemisphaerio inverso, vimen contortum et circinus; pone eum strigiles duae; infra undae. Quae vero in iis schematibus inclusa sunt notarum syntagmata, extra eas non recurrunt, uti nec illa quae impressa cernuntur in stylobatis accipitrum imagines sustinentibus, quorum in unoquoque obelisci latere quatuor observantur. In his quae minimum complectuntur notarum numerum, tres habent, quae maximum, duodecim notas: in omnibus autem primo loco stat tauri gradientis effigies, cui subjicitur brachium flexo cubito exporrectum et manu tenens velut parvum lituum. Inferius inter alia

adesse solent humanae icunculae, habitu fere mumiaco genubus sursum attractis humi subsidentes, attributorum ornamentorumque ratione variae; siquidem et in singulis stylobatis diversa est notarum series, ubi duo excipias duobus aliis pares. In universum enim magna est in hoc obelisco notarum ordinandarum varietas, quamquam nec desint series in pluribus ejusdem locis repetitae; uti antiquissimae poëseos indoles est oblata occasione versus jam ante expressos denuo recitare.

Omnes autem qui sunt primae aetatis obelisci, notarum copia superat ille qui stat in area Lateranensi, a Constantio Romam deportatus [9]. Offert et hic in singulis scapi frontibus ternas grandiorum characterum columnas a capitulo ad basin descendentes, quarum quae medium locum tenet in lateribus meridionali et orientali dextrorsum conversa est, in septentrionali et occidentali sinistrorsum: quae autem hinc et inde sunt adstitutae in cunctis lateribus mediam illam columnam respiciunt a lapidis margine introrsum conversae. Quod vero hac in re ab obelisco Flaminio recedat Lateranensis, illud in causa esse videtur, quod in illo ternis columnis superpositi sint tres accipitres ad unam eandemque plagam spectantes, in Lateranensi in quovis latere unus sit accipiter pileatus a stylobate hieroglyphicis decoro subrectus et mediae columnae superstans, comite uraeo globo adhaerente et clavem gestante de pectore, infra quem porrigitur altera columna, e regione autem accipitris super tertia columna viri figura prostet dona ipsi offerentis: quamobrem observatum ut characteres in quavis columna eandem servarent directionem qua utitur figura ei superposita. Minoris moduli characteres occurrunt in pyramidio, in capitulo, in scapi summitate atque in basi. Summa cuspis in meridionali latere duas habet eorundem columnas, alteram alteri obversam; in reliquis lateribus pura est: at intra quadratum sulcis circumscriptum, quod inferiorem pyramidii partem occupat, binas in quovis latere figuras continens, breves inscriptiones sunt supra singulas figuras exaratae, pars columnis ita brevibus ut litteras dixeris horizontali ordine dispositas, ad dextram sinistramve conversae prout sunt figurae ad quas pertinent. In capitulo, quod pariter binis virorum effigiebus decoratur, in quovis latere infra manus viri genua flectentis exiguum est notarum syntagma, et supra eum tres columnae eodem ac ipse conversae: supra virum throno insidentem in lateribus meridionali et septentrionali quinae columnae sunt, sed quarum primam occupat symbolum uraei cum anulo pectori adhaerente, qui scaphio insidet a thyrso lotino subrecto; in occidentali tres, in orientali duae, omnes eodem spectantes ac ipse vir sedens. Porro in summo scapo in latere meridionali infra manus viri qui sedet e regione accipitris, una est notarum columna, et supra eum quinque, omnes sinistrorsum conversae, excepta ea quae proxime abest a facie accipitris dextrorsum spectans: in reliquis lateribus ternae columnae sunt super viro stante, cum quarta infra manus ejus, cunctae eodem spectantes ac ille. Basis majori quidem ex parte periit, tantum autem colligitur ex meridionalis occidentalisque lateris parte residua, atque ex eo orientalis lateris fragmine quod servatur in museo Borgiano, fuisse supra quamvis figuram, quae in singulis lateribus quaternae exscalptae fuere, quatuor parvorum characterum perbreves columnas, pro figurarum ratione ad dextram sinistramve conversas. Elliptica schemata in hoc obelisco inter parvos characteres iisdem fere cujusvis lateris locis recurrunt, at in majo-

---

[9] Vide sect. 2. cap. 1. §. 1. pag. *66*.

rum characterum serie non ita symmetrice disposita sunt atque in Flaminio magisque adhuc in Campensi; sed hinc et inde sparsa obveniunt, modo majoribus modo minoribus intervallis ab invicem dissita, excepto latere occidentali, ubi in quavis scapi columna duo tantum schemata inveniuntur, alterum circa initium constitutum, alterum circa finem. Numero sunt duodecim, sed ad tres velut prosapias referuntur, in quarum una dominatur scarabaeus, in altera ibis gestatorio pertica subrecto insistens, infra quod est fasciculus frugum suspensarum, in tertia humanae figurae habitu fere mumiaco genubus sursum attractis humi subsidentes. Ultimi generis duo schemata sunt, in singulis baseos lateribus olim ut videtur bis repetita, singula sex notas complexa, in quorum altero est genius imberbis taenia et penna vertici imminente decorus, et manu genubus imposita clavem tenens, ante eum adstituto baculo cum capite canino; in altero vir barbatus cum cidari plumata gestans super genubus sceptrum aratriforme, sedet e regione hieracocephali capite sustinentis globum serpente cinctum, super genubus autem clavem. Videntur autem haec esse inter maxime solemnia, nam et in obelisco Flaminio [9*] recurrunt, et in parvis obeliscis Mahutaeo, Mediceo et Matthaejo, inque illis qui Alexandriae sunt, de quibus infra dicetur, et in multis aliis monumentis. Scarabaeus principem locum obtinet in sex schematibus, e quibus quatuor semel tantum occurrunt. Tria enim e senis septenisque notis composita habentur in scapi latere meridionali, quae si non omnia, unum saltem ex iis conspicitur in Constantinopolitano etiam obelisco [10]. Quartum sex notas continens exstat in scapi latere orientali. Quintum quod habet notas quatuor, recurrit in capituli ordine inferiori lateribus meridionali et septentrionali, atque binis vicibus in scapi lateribus occidentali, septentrionali et orientali. Sextum, quod etiam observatur in obelisco Alexandriae stante, tres tantum notas continens crebro repetitur: scilicet in pyramidii summo vertice latere meridionali, inque reliquis pyramidii lateribus in parte inferiori, porro in capituli primo ordine singulis lateribus, et in ejusdem ordine secundo lateribus orientali et occidentali, denique in scapo lateribus occidentali et septentrionali atque bis latere meridionali. Videtur autem hoc esse velut argumentum sive compendium reliquorum, nam qui in eo sunt characteres, globus, urbis moenia et scarabaeus, in caeteris omnibus quae hujus classis sunt, prima loca tenent. Subjungitur autem in eo schemate

---

9* Vide supra pag. 467. In hoc tantum differunt, quod in obelisco Flaminio globus, quem sustinet hieracocephalus, serpente careat, quem exprimere hieroglypta necessarium non existimavit.

10 Nempe quae in singulis hisce schematibus prima signa sunt, globus, moenia, globus et scarabaeus, in omnibus quoque occurrunt schematibus obelisci Constantinopolitani: et illud quod hisce notis subjungit siphonem et undas, in duobus ejusdem lateribus repetitur, accurate expressum in delineatione Nicusiana, nec valde dissentiente Niebuhrio. Duo autem schemate quae sunt in reliquis lateribus, in utraque icone negligentius sunt descripta, videntur tamen respondere duobus illis schematibus obelisci Lateranensis, ubi post quatuor signa praefata cernuntur circinus et undae, in altero triplex linea, oculus et undae. Ut vero ellipticis istis schematibus describendis atque comparandis immorer, hoc in causa est, quod ex eorum indicio conjecturam fieri posse reor de obeliscorum aliorumque monumentorum inter se affinitate, de inscriptionum argumento, et de numinibus quibus singula sint dedicata. Sic obeliscus Constantinopolitanus, cujus schemata desumpta videntur e Lateranensi obelisco, easdem quoque ac ille in pyramidio atque in capituli primo ordine habet deorum effigies, atque in stylobatarum epigrammatis fere consentit cum eo. Alexandrinus autem ut in schematibus ellipticis ita et in stylobatis atque in totius inscriptionis oeconomia quam proxime accedit ad obeliscum Flaminium.

quod quintum appellavimus lineola verticalis ter repetita : in quarto juxta scarabaeum sunt globus et circinus, inferius undae : atque e prioribus tribus unum juxta scarabaeum habet globum et lineolam triplicem, inferius circinum et undas; alterum pariter juxta scarabaeum globum et lineolam triplicem, inferius oculum et undas; tertium juxta scarabaeum globum, inferius siphonem et undas. Ibidi quatuor schemata tribuuntur, quorum unum e tribus notis constans, et praeter ibidem gestatorio insistentem ac suspensarum frugum fasciculum, comprehendens fasciam appensam, obvenit in capituli primo ordine singulis lateribus, excepto occidentali, ubi ejus loco stat altera quinque notas continens, et cum ibide ac frugibus praefatis conjungens ligonem, scarabaeum et crotala; quod pariter recurrit in pyramidii latere meridionali parte inferiori, atque in scapi lateribus meridionali, occidentali et septentrionali. Hujus vices in orientali scapi latere sustinet tertium hujus prosapiae schema, septem notas continens, ibin, fruges, lituum sive uncum, timonem, vasculum rotundum, circulum quadripartitum, et crotala; et semel tantum obvium. Quartum e sex notis compositum, ibide, lunula nimbo praedita, frugibus, fascia, lunula iterum cum nimbo, et lineola triplici, habetur in capituli secundo ordine latere meridionali, atque in scapi latere orientali semel, in reliquis autem lateribus binis vicibus repetitum. Stylobatae, qui in summa trabe inscalpti accipitrum simulacra sustinent, non magnam complectuntur notarum copiam. Nam qui in orientali latere est octo notas continet, in quibus princeps est icuncula barbata attractis genubus humi subsidens, pone adstituto pileo conico; qui sunt in reliquis lateribus quinas habent, incipientes a tauro gradiente et brachio exporrecto ut in obelisco Flaminio; eo quidem pacto ut in occidentali latere eaedem sint atque in meridionali. Omnes autem characteres hieroglyphici in hoc obelisco obvii numero sunt centum nonaginta octo, inque his occurrunt nonaginta tres, qui non habentur in obelisco Flaminio neque in Campensi: quibus ubi addideris characteres centum sexaginta septem quos in duobus istis inveniri supra diximus, habes litteras hieroglyphicas ducentas sexaginta collectas ex tribus maximis primae aetatis obeliscis. Accedunt praeterea e reliquis obeliscis ad eandem aetatem pertinentibus characteres decem, ita ut alphabetum obeliscorum, qui primae aetatis sunt, constet litteris ducentis septuaginta. Harum pars hominum animaliumque aut integras figuras aut membra referunt, pars plantae sunt, aedificia atque utensilia omnis generis, pars cyriologumena ratione significant; quamquam has discernere ab iis quae utensilia referunt difficile sit interdum, siquidem et inter eas quae utensilium speciem prae se ferunt, multae sunt de quibus quid sint aut cui usui inservierint, pronunciare haesitamus. Nobis enim parum innotuere Aegyptiorum instrumenta atque consuetudines, hieroglyptae autem res tunc notissimas saepe non nisi paucis linearum ductibus expresserunt. Augetur et hinc interpretandorum hieroglyphicorum difficultas, cum in multis aeque ignoremus primam seu naturalem figurarum significationem ac secundariam sive symbolicam, cui in eo loco ubi pictas videmus exprimendae inserviunt. Quare et qui serio consilio hanc scripturam explicare aggrediuntur, post collectas omnes quae in monumentis figurae occurrunt, cujusque figurae primitivam seu naturalem significationem accurate investigent necesse est, antequam ad sensum secundarium atque localem exponendum progrediantur: nam hunc ut assequamur nullo pacto fieri potest, nisi dum illam certa ratione exploratam habeamus. Interea ut notas hieroglyphicas, quas ex primae aetatis obeliscis Romae exstantibus non sane parvo laboris temporisque impendio

collegi, pro ea quam hactenus comparare mihi potui cognitionem in classes distribuam, primo loco ponam cyriologumenas, utpote figurae ratione omnium simplicissimas. Invenio enim triginta characteres, qui non ad exsistentium rerum imitationem pictae esse videntur, sed ad rerum ideas obscure adumbrandas. Sunt enim lineae rectae tum verticales tum horizontales, varia ratione nexae aut consociatae, etiam curvae lineae et serratae seu undulatae, schemata trigona et tetragona, sphaerae, hemisphaeria, circulique vario modo distincti, atque asterisci. Secunda classis est rerum arte factarum, omnium locupletissima, notas comprehendens centum et viginti quinque: arma scilicet et quae ad rem vestiariam pertinent, artiumque instrumenta, vasa et omnis generis supellectilem: praeterea aedificia et navigia, in quibus est baris thalamegos, Osiridis simulacrum vehens et sacrum accipitrem. Tertia classis continet vegetabilium rerum imitamenta undeviginti. Quarta animantium membra triginta, maximam partem humani corporis. Quinta brutorum animalium effigies triginta quinque, insectorum, reptilium, quadrupedum, sed avium maxime. Sexta humanas figuras varia habitus actusque et attributorum ratione viginti quinque, mumias icunculasque mumiis fere similes, virorum quoque imagines gradientium, sedentium, adorantium, et symplegma Isidis filium gremio sustinentis. Septima complectitur monstrificas species ex hominis brutorumque partibus compositas, ex quo genere in hisce obeliscis non alia occurrunt quam hominum simulacra capite accipitrino, habitus diversitate sex notas constituentia. Singularum notarum figuras non posse sermone enarrari, sed pictis tabulis opus esse seu delineationibus aeri incisis, facile patet: nec dubium est perutiles fore hujusmodi tabulas, quin et in hoc studiorum genere prorsus esse necessarias, quae et simplices notas comprehenderent, ex Aegyptiis monumentis in hunc nostrum orbem transvectis collectas, atque alphabeti instar ordinatas, et notarum syntagmata in iisdem monumentis obvia pro syllabarii instituto disposita oculis subjicerent. Nam praeterea quod hoc pacto magnam saltem figurarum partem, quibus ad cogitata sua declaranda usi sunt prisci Aegyptii, uno obtutu perlustrare datum esset, atque e numero et natura earum exque consortio in quo solent inveniri, conjecturas facere de hieroglyphicae scriptionis natura et de cujusque notae significatione, peregrinatores in Aegypto hisce tabulis instructi faciliori negotio describerent innumera quae ibi sunt epigrammata, sive ubi tempore et otio ad ea describenda destituerentur, saltem comparare cum tabulis, atque si novi aliquid in iis obveniret, hoc addere, ut aliquando integrum et absolutum alphabetum hieroglyphicum et copiosum syllabarium proferri possent. Quod donec factum sit, vana sunt et infirma quaecunque de singulorum hieroglyphicorum significatione deque una alterave inscriptione interpretanda hariolamur [11]. Viderunt hoc jam viri cor-

---

[11] Ea praeterea foret hujusmodi tabularum utilitas, quod omnigenis figuris quae in Aegyptiorum monumentis occurrunt, accurata delineatione propositis, res ab ea gente repraesentari solitae in vulgus innotescerent, et viri docti, quisque pro eo studiorum genere cui nomen dederit, facili negotio nec magno temporis impendio intelligerent quae ad suam cujusque provinciam spectantia apud eos cognita fuere, et singularum scientiarum ope ea signa illustrarent quae obscura sunt et ambigua. Qui naturae historiam callent docerent nos quae sint animantium plantarumque genera ab Aegyptiis pingi consueta; qui in mechanicis sunt versati machinas explicarent et de instrumentorum usu sententias proferrent: et sic de singulis. Quae sane facilius meliusque fieri possunt, ubi cuncta quae ejusdem generis sunt juxta posita uno obtutu colligas et compares, quam ubi singula conspicias hinc et inde sparsa in monumentis et

dati, atque de alphabeto hieroglyphico conficiendo cogitaverunt, quamquam non inveniam qui syllabas aeque sane necessarias, ordinare instituissent. Inter alios Niebuhrius V. C. itinerario suo inseruit tabulam varias hieroglyphicorum formas e monumentis a se inspectis exhibentem [12]: sed eximius iste peregrinator non satis erat in Aegyptia antiquitate versatus, neque grandibus monumentis usus est, in quibus figurae accurate et distincte erant expressae, quo factum ut ex tabula ab eo proposita parum utilitatis capi possit, cum multae notae satis obviae in ea desiderentur, multae autem propter differentiam mere accidentalem sint repetitae, multae prave imitatae, pleraeque ea accuratione destitutae sine qua primam et naturalem significationem ne conjectura quidem attingere possumus. Debet enim in hujusmodi tabulis praemitti uniuscujusque signi exacta delineatio, uti conspicimus in obeliscis aliisque grandibus nitidisque monumentis, et huic subjici debent ejusdem signi compendiariae picturae ac rudes deformationes in reliquis monumentis occurrentes. Opus etiam est adnotare, quae signa rarius inveniantur, quae frequenter, quae passim, ut intelligamus quibus usi sint ad ideas sententiasve in sermone crebro recurrentes exprimendas, quibus ad res quae rarius cogitandae obveniunt. Advertendum praeterea in cujus generis cujusque aetatis et provinciae operibus occurrant singula, quo judicium ferri possit de hujus scriptionis progressu et modificationibus, quas vario respectu varias fuisse jam supra monui. Quam ob causam separatim collegi atque indicavi quot cujusque generis notae habentur in primae aetatis obeliscis, mox subjuncturus quae observavi in obeliscis secundi aevi Romae exstantibus, deinde quae inveni in aliis monumentis ad unam alteramve aetatem referendis. Qua ratione definiri debeat aetas obeliscorum, alio loco dicetur: hic sufficit adnotasse duas esse eorum classes, alteram ab altera multo distantem, ex quibus eos quos descripsi hactenus multo apparere antiquiores illis de quibus infra dicetur.

Pertinent praeterea ad primam aetatem parvi obelisci Romae constituti, Minerveus, Mahutaeus, Matthaeius, et qui nunc Florentiae stat, olim in hortis Medicis positus [13]: quod quidem non eo sensu dictum velim ac si hos magnosque illos obeliscos circa idem tempus factos esse contenderem, qua de re alio loco disputandum erit, sed quod in his eandem inveniam hieroglyphicorum fingendorum disponendorumque rationem. In his singula latera singulas habent notarum columnas, eo quidem pacto ut in binis lateribus contiguis dextrorsum spectent notae, in binis sinistrorsum. Mahutaeus obeliscus notas continet quinquaginta, in quibus una est, quae in obeliscis jam memoratis non habetur. Occurrunt in eo schemata elliptica duo, de quibus jam dixi in Lateranensis obelisci enarratione. Haec in singulis lateribus occupant cuspidis partem inferiorem, inque trabe infra suggestum accipitris denuo repetuntur; alterum autem ex iis tertia vice recurrit in lateribus orientali et occidentali, alterum in meridionali et septentrionali circa finem columnae. Stylobates in quo stat accipitris simulacrum summae trabi inscalptum, in la-

---

ingenti illa comitantium notarum copia obscurata, interdum et scalptorum ignorantia aut festinatione deformata, ut de ea nunc taceam quae esse solet hodiernarum delineationum negligentia.

[12] *Reiseschreibung nach Arabien*, tom. I. tab. 41. Omnino etiam sunt consulenda quae hac super re disserit ibid. pag. 208. nostris rationibus plane consentanea. Aliam characterum tabulam e monumentis in Britannia prostantibus dedit Alexander Gordon in Aegyptiorum monumentorum collectione tab. 25., ei quidem quam Niebuhrio debemus longe postponendam.

[13] Vide sect. 2. cap. I. §. 10. 9. 11. cap. 2. §. 3. pag. 79. 80. 84.

teribus occidentali et septentrionali una eademque gaudet inscriptione e quatuor notis composita, in meridionali pariter habet notas quatuor, in orientali sex. In omnibus primo loco stat taurus, cui subjacet brachium, ut in obelisco Flaminio. In obelisco Mediceo secundum delineationem Kircherianam par fere est notarum numerus, ovatorumque schematum dispositio plane eadem atque in Mahutaeo, neque in notis quae in stylobatis sunt exaratae magna dissensio obtinere videtur. Idem quoque dicendum de lapide Matthaeio, qui superior pars est parvi obelisci, post duo schemata elliptica infra suggestum accipitris ordinata desinens. Minerveus obeliscus scalptura non finita notas offert quadraginta, inque iis quinque e caeteris obeliscis exulantes. Schemata elliptica duo sunt, quorum alterum quinque notas continens, globum, vimen contortum, brachia duo flexis cubitis exporrecta, et vasculum cordiforme, sistitur in lateribus meridionali et orientali medio fere scapo, alterum incerto notarum numero, utpote non terminatum, sed quod tres tantum notas comprehendisse videtur, globum, vimen contortum menisco tectum, et vasculum cordiforme, eundem locum tenet in lateribus septentrionali et occidentali. Stylobates qui accipitrem sustinet, in summa trabe lateribus meridionali et orientali, duabus tantum notis insignitur, utrinque repetitis, scilicet vimine contorto meniscum fulciente et vasculo cordiformi.

Accedit huic classi obeliscus qui stat Constantinopoli in hippodromo: eodemque referendi sunt obelisci Alexandrini atque Heliopolitanus. Videntur et ejusdem generis esse qui Thebis spectantur, sed delineationibus eorum destituimur hactenus. Heliopolitanus obeliscus [14], a Nordenio nitide delineatus, unam habet in quovis scapi latere notarum seriem verticalem, eadem ratione atque in parvis obeliscis supra dictis dextrorsum sinistrorsumque conversam, exigua notarum in singulis lateribus differentia. Elliptica schemata duo ei insunt, alterum sex notas comprehendens, quarum prima est baculus cum capite canino, in quovis latere semel obvium; alterum notas tres, globum, scarabaeum et brachia adorantis more elata, in singulis lateribus bis repetitum. In stylobate qui solito more accipitrem sustinet, quatuor signa sunt, clavis, frugum fasciculus suspensus, lunula et coturnix: eadem in cunctis lateribus. E toto scapo characteres tantum triginta septem colliguntur, omnes jam aliunde noti. Obeliscus qui Alexandriae adhuc rectus stat [15], majori multo gaudet characterum copia, utpote tribus columnis inscriptus in quovis scapi latere, parvasque praeterea notas ostendens in pyramidio: sed nullam habemus iconem integram atque accuratam. Hoc solum scimus in scalpturarum dispositione magnam esse eum inter atque Flaminium obeliscum affinitatem. In binis enim lateribus contiguis omnes notae dextrorsum spectant, in binis sinistrorsum. Etiam in suggestibus accipitrum eadem fere signa in utroque obelisco observantur; et schemata elliptica quae in Flaminio sunt in columnis lateralibus, in hoc quoque iisdem locis stant. Media autem columna in quovis latere duo habet schemata, quorum alterum tres notas continens in obelisco Lateranensi occurrere diximus, alterum huic obelisco proprium, si Burattino fides est, notas comprehendit viginti. In obelisco Constantinopolitano [16] eadem fere est notarum distributio atque in Heliopolitano, nisi quod major earum sit copia, cum singula scapi latera multum diffe-

---

[14] Vide sect. 2. cap. 3. §. 5. pag. 102.
[15] Ibid. §. 2. pag. 93.
[16] Sect. 2. cap. 2. §. 8. pag. 88.

rant ab invicem, et parvi characteres exstent in pyramidio atque in capitulo. Hos quidem neglexerunt qui obeliscum delineavere, Nicusius et Niebuhrius, neque majores characteres, qui in scapo sunt, ea cum accuratione descripserunt, ut numerum eorum definire possimus ex icone. In eo tamen conveniunt, exstare in ima trabe quatuor characteres in reliquis hujus aetatis obeliscis frustra quaerendos, recurrentes autem in aliis monumentis Aegyptiis. Stylobatae accipitrum quaternas aut quinas notas comprehendunt, in singulis lateribus diversas, in tribus tamen initio facto a tauro. Elliptica autem schemata tria sunt, scarabaeo dicata, quorum unum quod etiam in Lateranensi obelisco exstat, sex notas continens bis repetitur, caetera duo, quinas notas complexa, nec multum diversa a reliquis quae sunt in Lateranensis obelisci latere meridionali, semel tantum occurrunt. Nam singula scapi latera uno tantum hujusmodi schemate insigniuntur.

Secundi aevi obelisci Romae spectantur Barberinus et Pamphilius, quibus accedunt Albanius, Borgianus, et Beneventanus. Hi licet jam inter sese differant sive scalpturae indolem spectes sive notarum dispositionem, propius tamen accedunt ad invicem quam ad eos obeliscos de quorum inscriptionibus hucusque disserui; quam ob causam ab illis separandos duxi atque in unam classem redigendos. Obeliscus Pamphilius [17] in pyramidio habet notas supra grandes figuras exaratas atque per columnas sulcis distinctas dispositas: sed cum admodum parvae sint, inque obliquo plano scalptae et procul e conspectu remotae, telescoporum ope describere frustra adlaboravi. In capitulo singulis lateribus accipiter est pileatus, insistens stylobatae hieroglyphicis litteris de more insignito: nimirum in latere occidentali notis sex, quarum prima taurus est; in septentrionali septem, in quibus canis decumbens et Harpocrates cum digito ori admoto; in orientali decem, in meridionali undecim. Huic subjicitur una notarum columna, sulcis verticalibus inclusa, uti obtinet in omnibus qui sunt hujus classis obelisci. Spectant autem notae in binis lateribus sibi oppositis dextrorsum, in binis sinistrorsum, aeque ac faciunt accipitres iis superstantes. Schemata elliptica septem observantur in hoc obelisco, semel tantum occurrentia, atque ab iis quae habentur in reliquis obeliscis prorsus diversa. Scilicet quatuor sunt in latere orientali, in quibus duo septenas notas continent, tertium decem, quartum octodecim: in latere meridionali unum est notarum quatuordecim, in occidentali unum notarum viginti duo, in boreali unum tredecim notis constans. In horum uno, quod habet notas octodecim, conspicitur dea genubus attractis subsidens, capite calantica decoro spoliisque vulturinis et disco cum duobus cornubus bovinis; in alio Harpocrates est, qui digito indice ori admoto sedet e regione arietis gradientis; in alio stat primo loco corvus, ultimo leo decumbens: in plerisque principem locum tenet brachium flexo cubito exporrectum cui subjecta sunt crotala [18]. Omnes autem notae quas ex hoc obelisco collegi numero sunt centum nonaginta quatuor, in quibus sunt centum duodecim quae non habentur in primae aetatis obeliscis, inque his octoginta tres quae in

---

[17] Sect. 2. cap. 1. §. 5. pag. 74.

[18] Notas quae occurrunt in hujus obelisci schematibus ovatis singulatim enarrare, operae pretium non duxi, cum et multae inter eas descriptu sint difficiliores, et ipsa schemata, huic obelisco propria atque peculiaria, in nullo alio monumento obveniant a me hactenus conspecto: secus ac illa quae sunt in primae aetatis obeliscis, maximam partem in aliis quoque monumentorum generibus repetita.

nullo alio obelisco Romae superstite inveniuntur. Etiam in parvis obeliscis, Borgiano et Albanio [19], singula latera unam habent characterum columnam, in binis lateribus oppositis dextrorsum spectantium, in binis sinistrorsum, caeterum in quolibet latere eodem fere ordine repetitorum. Itaque exiguus est notarum numerus, reperiuntur tamen in iis notae quatuor in reliquis obeliscis non occurrentes, quarum una est cerastes citharae advolutus, in solo obelisco Borgiano obvius. Quam proxime autem ad obelisci Pamphilii modum accedit is qui Beneventi stat [20], singulis scapi lateribus una characterum columna inscriptus, sed quem ex duorum obeliscorum fragminibus coagmentatum esse suspicor. Nam circa mediam altitudinem, ubi frusta non probe cohaerent, etiam notarum ordo immutatur, atque cum in superiori parte omnes sint sinistrorsum conversae, in inferiori fragmine hoc in tribus tantum fit lateribus, in quarto autem dextrorsum spectant, unico sane neque credibili exemplo. Caeterum notarum numerus haud parvus occurrit in hisce fragminibus, suntque in iis nonnullae quae novitatis speciem prae se ferre videntur, modo accurate sint delineatae. Schemata elliptica habentur septem, inque his duo sunt, ubi primum locum tenet accipiter, alterum undecim notis constans, alterum septem. Caetera habent notas senas, quarum prima scarabaeus est, ultima icuncula Harpocratis.

Obeliscus Barberinus [21] in capitulo habet in quovis latere duas figuras grandes sibi obversas, alteram quidem sedentem, alteram stantem, quarum unicuique adjecti sunt parvi characteres eodem quo ipsa spectantes, atque una columna exarati, nisi quod in uno ex illis lateribus qui sunt juxta stantem figuram duas columnas implent, quarum prima inter alia continet schema ellipticum e novem characteribus compositum [22], cum reliqua latera capituli hujusmodi schematibus careant. In scapo singula latera trinis sulcis verticaliter ductis in binas columnas dispescuntur, in quibus qui insculpti sunt grandiores characteres sinistrorsum spectant omnes, secus ac fieri solere in obeliscis jam constat ex iis quae exposuimus hactenus. Neque accipitres scapo superstant, neque occurrunt schemata elliptica, nisi in unius lateris ima parte, ubi in quavis columna duo sunt hujusmodi schemata, nunc magnam partem erasa, denas aut plures notas complexa. In horum uno cernuntur crotala, brachium, pes, strigiles duae, cidaris, coturnix, lunula, ovum, et icuncula imberbis ac calanticata quae attractis genubus subsidens manu tenet thyrsi speciem. In alio sunt anser, pes, fascia, brachium, icuncula modo descripta, clavis, boa, lunula et linea horizontalis. Copia autem caeteros omnes superat. Nam characteres in eo habentur ducenti quinquaginta et unus, in quibus sunt centum quinquaginta tres qui non occurrunt in obeliscis primae aetatis, inque his centum viginti quinque in nullo alio obelisco Romae visendo exstantes. In omnibus vero quos recensui secundae aetatis obeliscos, dempto Beneventano quem ipse non vidi, hieroglyphicas notas invenio trecentas viginti tres, in quibus sunt ducentae quadraginta et una e primae aetatis obeliscis exulantes, quas si adjeceris ad notas ducentas septuaginta in illis obvias, habes alphabetum characterum quingentorum et undecim ex obeliscis qui

[19] Sect. 2. cap. 1. §. 11. cap. 2. §. 1. pag. 80. 83.

[20] Sect. 2. cap. 2. §. 2. pag. 84.

[21] Sect. 2. cap. 1. §. 88. pag. 77.

[22] Enarrare supersedeo, cum maximam partem characteres contineat cyriologumenos, neque occurrat in aliis monumentis a me hactenus inspectis. Vide obelisci iconem ad calcem libri.

Romae sunt collectum [22*]. Quos si ratione supra exposita in classes distribuere placet, primae classi quae comprehendit cyriologumena, tribuendi videntur characteres quadraginta; secundae quae res complectitur arte factas, ducenti; tertiae quae plantarum est, triginta quatuor; quartae ad quam pertinent membra hominum brutorumque, sexaginta tres; quintae animantium effigies complectenti, septuaginta septem; sextae quae comprehendit figuras humanas, octoginta quatuor; septimae quae monstra, tredecim. Inter monstra praeter hieracocephalos invenimus virum ibidis capite instructum, alium capite corvino, alium capite ut videtur mygales; porro leonem et accipitrem humano capite praeditos. Inter animalia prae caeteris notatu dignae sunt tres simiarum species in obelisco Pamphilio obviae, et varia avium genera. Maxime autem augetur sexta classis e secundae aetatis obeliscis. Nam quae in his habentur humanae effigies, pleraeque diversae sunt ab illis quae occurrunt in obeliscis vetustioribus, sive actum spectes, sive ornamenta atque attributa, et magnam partem similes sunt iis figuris quae caelatae sunt in tabula Bembina, atque sigillis ex aere fusis aut e creta fictis quae passim adservantur in museis. Harpocrates cincinno conspicuus cum manu ori admota, quem ignorant vetustiores obelisci, hic crebro recurrit. Sunt et aliae puerorum icunculae, humi sedentium, interdum phallo grandi ante eos inscalpto. Nam et utriusque sexus genitalia, quorum in primae aetatis obeliscis nullum est vestigium, in sequioribus inveniuntur inter hieroglyphica signa relata. Occurrit etiam simulacrum Osiridis habitu numiaco stans intra sacellum: et varias videmus Isidis dearumque imagines, non raro capite gestantes vulturinas exuvias.

Haec dicta sunto ut de alphabeto obeliscorum aliquam afferam notitiam, et de differentia quae est notarum respectu inter utriusque aetatis obeliscos: nam ad justam claramque cognitionem tradendam opus esse figuris accurata diligentia delineatis aeneisque tabulis incisis, atque matura cogitatione explicatis, jam supra monui. Illud adhuc advertere juvat, e solis obeliscis Romanis tot fere colligi characteres hieroglyphicos, quot in omnibus quae in Aegypto supersunt monumenta inveniri ait Brucius, licet in illis recensendis nullam habuerim rationem grandium figurarum extra characterum ordinem constitutarum, quas plerumque inter hieroglyphica referre solent qui hasce res tractandas suscipiunt; quasque nec Brucium separasse conjicio. Sunt hujusmodi figurae in obelisco Campensi decem, in Flaminio septemdecim, in Lateranensi novemdecim, in Pamphilio tredecim, in Barberino undecim, inque fragmentis obelisci insularis quinque: in cunctis autem, ubi eas figuras subduxeris quae in plusquam uno obelisco deprehenduntur, habes figuras sexaginta quinque: atque omnes quae sunt in obeliscis Romanis figurae atque litterae hieroglyphicae una colliguntur quingentae septuaginta duae, quibus ex obelisci cuspide quae Wanstedii servatur accedunt sex figurae in nullo e Romanis obeliscis obviae, ex obelisco Constantinopolitano, quod jam supra advertimus, characteres quatuor.

Post obeliscos quae recensenda occurrunt monumenta hieroglyphice inscripta, in classes redigere arduum est ac multis disputationibus objacet, dum vario respectu variae classium rationes sese offerant, a forma, a mole, ab usu, ab artis modo, ab aetate derivatae, in quibus quae sit caeteris praeferenda non

[22*] Exceptis quidem characteribus quatuor, quos subministravit nobis obeliscus Constantinopolitanus.

statim liquet; de singulis autem monumentis persaepe non constet ad quam classem sint referenda, saltem dissertatione opus sit ad causas exponendas cur ad unam potius referamus quam ad alteram. Hinc est quod hoc loco commodius ducam juxta museorum ordinem in quibus adservantur, exponere quae circa characteres hieroglyphicos in iis obvios pro hoc nostro instituto facere visa fuerint. Primo loco nominandum est museum Pio-Clementinum, omnium sane praeclarissimum, in quo praeter Graecae Romanaeque artis praestantissima opera spectantur et statuae Aegyptiae pars mole pars argumento notabiles, in quibus sunt octo mediae magnitudinis hieroglyphicis litteris insignes. Inter has duae eminent singulari characterum elegantia, scilicet tutelaris genii simulacrum e basalte viridi, in trabe dorso adjecta habens tres columnas notarum sinistrorsum spectantium, inque ejusdem trabis latere sinistro brevem seriem notarum ad dextram conversarum: et pastophorus e basalte nigro praecintorio tenus nudus, in calcaneos subsidens, atque sacellum genubus impositum, in quo est simulacrum Osiridis, ambabus manibus subrigens. Etiam genius ille praeter breve praecinctorium nudus est, rectus autem sat praemisso pede sinistro brachiisque juxta latera deorsum porrectis, et manibus ad femora applicatis tenet bacillos sive clavos, quibus pro crotalis usos conjicio Aegyptios ad malos daemones abigendos. Collo appensum gestat laminam quadratam, in qua fictus est Osiris bemati insistens et ambabus manibus tenens sceptrum aratriforme; e regione adstituto sacerdote calvo cum monili et praecinctorio talari, altera manu ante se gestante sceptrum ornatius, altera pone demissa clavem; quae sacerdotis effigies ter repetitur in vertice trabis subrectoriae singulis lateribus, quarto in ejusdem ima parte latere sinistro. Pastophorus quem dixi trabe suffulcitur dorso adjecta de more, in qua sunt characterum columnae duae ad sinistra conversae: et plintho insidet, cujus superficiem ornat versus unus incipiens a dextris, marginem autem ambit series ita ordinata, ut in dimidia parte initio facto a fronte media a dextris ad sinistra procedat lectio, in altera parte a sinistris ad dextra. Hic enim est complurium inscriptionum modus, ut lapide in quo sunt inscalptae per mediam latitudinem dissecto, omnes characteres qui relinquuntur in dextera ejusdem parte sinistrorsum spectent, qui in sinistra dextrorsum; qua in re elegantiam quandam et venustatem sectati videntur Aegyptii, illud quoque saepe observantes ut quo in loco coirent duae inscriptiones horizontales adverso ordine exaratae, ibi unum ponerent characterem ad utramque inscriptionem trahendum, cujus rei manifestum exemplum offerunt leones duo ad fontem Felicem positi. Nitide inscalpti sunt hieroglyphici characteres in pastophoro e basalte viridi, praefato simili, nisi quod paston quod praefert, simulacri loco habet anaglyphon parum elatum, vexilla repraesentans et tela cum aliis instrumentis bellicis; infra quod in eadem pasti facie sunt quatuor columnae hieroglyphicorum, adjectis uno versu horizontali in superficie plinthi ante genua pastophori, et columna una in trabe dorsi. Omnes autem characteres in hac statua sinistrorsum spectant. Minoris elegantiae sunt qui habentur in tertio hujus musei pastophoro ingeniculato, qui pariter est e basalte viridi, et ante se tenet sacellum cum simulacro Osiridis, cujus anteriorem faciem ambit series hieroglyphicorum, pars verticali ordine pars horizontali, pars dextrorsus pars sinistrorsus spectantium: additis in trabe dorsi duabus columnis sinistrorsum conversis. Sed rudi scalpro exarati occurrunt in quarta pastophori statua e granite nigro, qui recte stans tunica talari indutus, su-

stinet arulam cui insidet cebi statua, quatuor notarum columnis inscriptam: pariterque in superficie plinthi brevi versu insignitae, quae subrigit simulacrum Ori sedentis in throno [23]: et in statua e granite obscure viridescente, quae genubus sursum attractis manibusque super genua decussatis humi subsidet. In hujus veste a genubus usque ad pedes cernuntur tres columnae characterum, nudis autem brachiis incisa sunt duo schemata ovata. Prae omnibus vero notabilis est pastophori stantis effigies e basalte viridi [24], characterum copia conspicua, minori quidem elegantiae laude. Nam praeter quod in plinthi superficie duo sint epigrammata horizontalia, alterum a dextris ad sinistra exaratum, alterum a sinistris ad dextra, inque trabe dorsum subrigente tres characterum columnae ad sinistra conversae, pastophorus iste indutus est tunica talari undequaque inscripta characteribus per columnas dispositis. Nempe in dextra parte sunt columnae novem sinistrorsum spectantes, in parte sinistra octo dextrorsum. Porro sacellum cum statua Osiridis, quod ante se positum ambabus manibus fulcit, in plano superiori sive tecto habet quatuor columnas ad sinistra spectantes, in antis atque in fulcro binas adversas, in lateribus ternas frontem respicientes; denique in fronte quatuor versus horizontales characterum sibi obversorum, ubi qui est character intermedius, ratione modo indicata, duorum characterum vices sustinet. Notarum formae in hoc lapide occurrunt centum sexaginta sex, in cunctis autem hujus musei monumentis ducentae quadraginta sex, in quibus sunt octoginta quatuor, quae non habentur in obeliscis. Elliptica schemata, in hisce statuis observantur duodecim, inter quae sunt duo illa quae in obelisco Campensi extare diximus, neque in alio obelisco offenduntur. Nimirum in plintho pastophori in genua subsidentis, quem ob notarum elegantiam laudavi, conspicitur illud quod ex tribus characteribus constat, globo, ampulla et vasculo: et in plintho ejus pastophori, in cujus pasto exscalptae sunt res bellicae, habetur alterum ex quinque notis compactum, in quibus principem locum tenet noctua. Sed ambo subversa jacent, et notae iis inclusae pictae sunt ordine horizontali, uti fieri assolet ubicunque in horizontalium characterum serie occurrunt hujusmodi schemata. Repetitur praeterea id quod ultimo loco nominavimus bis in eodem pastophoro, notis ordine verticali expressis, in sacello atque in trabe. Sunt alia duo jacentia in brevi characterum versu, exarato a sinistris ad dextra in superficie plinthi quae

---

[23] Habes iconem ejus in *Museo Pio-Clementino* tom. 2. tab. 16. Ipsius autem dei simulacrum puto, non sacerdotem, quae opinio est cl. Viscontii. Nam sistitur hic vir barbatus eodem modo throno insidens, plumatoque pileo et sacra clavi instructus, atque in obeliscis aliisque monumentis fingi solent dii, quibus e regione adstituti sunt viri adorantes; nec ullum prae se fert sacerdotii indicium. Quod vero Ori potius quam alius dei nomine appellem, non quidem barba in causa est, Osiridi pariter aliisque diis communis, sed plumatus ille pileus galeae speciem imitans, qui Oro, pugnaci deo, regum et imperatorum progenitori, inter Aegyptia numina quorum nomina ad nos pervenere, prae reliquis videtur convenire.

[24] Iconem ejus sistit cl. Fea ad calcem operis Winkelmanniani de artium historia tom. 1. tab. 7. Sed non satis recte pro muliere accipit ibid. tom. 1. pag. 85. not. B. pag. 106. not. 8. pag. 129. not. B. tom. 3. pag. 430., deceptus forma pectoris, quod in maribus quoque carnosius fingere solent Aegyptii. Nullam equidem vidi hactenus sacerdotis foeminae effigiem Aegyptiam, qua in gente nullas fuisse sacerdotes constat ex Herodoto lib. 2. cap. 35., quamquam sacras mulieres, deorum pellices et sacrorum animalium nutrices, idem commemoret lib. 1. cap. 181. lib. 2. cap. 54. 56. 65. Goriana autem inscriptio tom. 1. pag. 373. 374., apud Murator. pag. 178. n. 3., et apud Montfauc. diar. Ital. pag. 361., in qua legebatur κορη παστοφορος εισιδος, non aliud probat, quam in hac quoque re mutatos fuisse ritus Aegyptios, postquam in Graeciam Italiamque transivere.

Ori simulacrum sustinet : sed notae iis inclusae ita sunt ruditer scalptae ut a recensendis abstinere cogar . Ex duobus autem illis quae impressa sunt brachiis statuae attractis genubus subsidentis , alterum continet globum , florem loti , lunulam et vasculum ovatum ; alterum habet quadratum oblongum , perticam gestatoriam , accipitrem , crotala et lineam horizontalem duplicem . Reliqua sex sunt in pastophoro illo characteribus undequaque referto . Scilicet in pasto unum occurrit , continens scaphium , noctuam , pedem , strigilem , ferculum et lunulam : in tunica quatuor , quorum unum bis repetitum simile est praefato , nisi quod pro ferculo adsit forceps ; alterum continet globum , fruges suspensas , fasciam , coturnicem et colocassiae fructum ; tertium habet globum , clavem , brachia elata ; quartum globum , praefericulum et vasculum cordiforme . Unum est in trabe dorsi , comprehendens undas , manum , leonem cubantem , caprum et figuram linearem oculi ambitum imitantem .

Inter Aegyptias statuas quae in Capitolio prostant , quatuor tantum sunt hieroglyphicis decorae , nec novas formas ex iis colligere datur . Illud tamen notatu dignum est , in colossali deae statua e granite fusco quae stat in impluvio [25] , ter repeti bina illa schemata elliptica , quae in obeliscis Flaminio , Lateranensi , Mahutaeo , Matthaejo , Mediceo et Alexandrino recurrere supra adnotavimus : nempe semel in trabe dorso adjecta et bis in cylindro sive modio , quem statua capite sustinet . Tertium praeterea schema e quatuor notis compositum , lunula , coturnice , strigile et accipitre , bis habetur in eodem modio , utpote in cujus ambitu scalptae sunt aspides sex capite globum gestantes , addito post unamquamque schemate elliptico , eo quidem pacto , ut quae sunt in dextro latere sinistrorsum spectent versus frontem statuae , quae in sinistro dextrorsum . In trabe una est in aversa fronte grandium characterum columna sinistrorsum conversa , altera brevior in latere sinistro dextrorsum ; inque hoc loco quartum schema reperitur , in quo sunt notae septem , vimen contortum , globus cum lunula , globus cum lineola verticali , vasculum subrotundum suspensum de funiculo , et strigilis . Est et virilis statua e granito rubro , praecinctorio tenus nuda , in cujus cingulo inter paucas notas ibi pictas occurrunt duo hujusmodi schemata [26] , quorum alterum continet icunculas duas e regione subsidentes , scilicet virum barbatum cum cidari plumata et sceptro , et hieracocephalum cum globo et clavi ; infra quos sunt baculus cum capite canino , brachia elata ad signum lineare oculi ambitum imitans , lineola verticalis et ferculum . In altero est leo decumbens , supra quem quadratum cum lunula , et fructus loti appensus ; infra signum ex duabus lineis horizontalibus compositum ad angulum coëuntibus , strigiles duae et fascia . Eadem

---

[25] Vide Montfaucon *ant. expl.* suppl. tom.2. tab. 35. p.126. Bottari *Museo Capitolino* tom.3. tab. 76.

[26] Montfauc. l. c. tab. 34. Cingulum hujus statuae ingeniose explicavit Melchior a Briga , Caesenas , tabula aenea , cui titulus est : *Fascia Isiaca ſtatuae Capitolinae nunc primum in lucem edita , Melchiore a Briga Soc. Jes. interprete , ad Jo. Bapt. Ptolomaeum S. R. E. Cardinalem amplissimum . Romae* 1716. Quam actis eruditorum Lipsiensibus inseruerunt editores an.1722. fol.537. hoc praemisso elogio: ,,'Cum ,, nuper admodum Roma ad nos allata fuerit tabula aeri incisa , qua fascia Isiaca statuae ,, Capitolinae depingitur , simulque omnia quae ,, ad ejus illustrationem pertinent accurate et ,, magno eruditionis apparatu a Rev. P. Melchiorre a Briga e Soc. Jesu annotantur , atque ,, apte uno conspectu exhibentur , dignam utique putavimus , quam hic integram exhibere- ,, mus, judicium erudito lectori permittentes ,, .

schemata iterum repetuntur in trabe quae dorso adhaeret, una hieroglyphicorum columna insigni. Duae pariter quae supersunt statuae muliebres e granite rubro [27], singulas habent in trabe columnas, in altera quidem characteribus scalpi coeptis nec terminatis. Sunt autem tres istae statuae duodenûm palmorum altitudine, quarta quam primo loco nominavi palmorum tredecim: omnes egregii operis, sed hieroglyphicis non valde expolitis. Leones duo pulcherrimi, qui reperti in templo Isidis Campensis nunc stant ad fontem Felicem prope thermas Diocletianas [28], basibus insident, in quibus singulis duae inscriptiones sunt una linea horizontali inscalptae, eo modo ut initio facto a media fronte utriusque baseos in dextero latere lectio procedat a dextris ad sinistra, in altero a sinistris ad dextra. In utraque basi idem fere est notarum contextus, quae autem in uno latere habetur inscriptio alterius compendium est, cujusmodi repetitiones in Aegyptiis epigrammatis saepe obvenire jam supra monuimus. Occurrunt in iis characterum formae duae in monumentis hactenus recensitis non obviae: suntque duo schemata elliptica in utraque basi bis incisa, quorum alterum e tribus notis constans, globo atque scarabaeo et brachiis elatis, cernitur etiam in obelisco Heliopolitano; alterum quatuor notas comprehendit, brachium cum lituo, infra quod scaphium, et accipitrem flagro armatum, infra quem cerastes. Major autem est in his leonibus characterum elegantia quam esse solet in statuis e lapide granitico. In museo Kircheriano inter varia Aegyptiae artis lipsana truncus adservatur parvae statuae e basalte nigro, quae sacerdotem repraesentasse videtur, de collo suspensam gestantem icunculam Osiridis, et veste involutum quae tota hieroglyphicis picta est, pars verticaliter ordinatis, pars horizontaliter; additis praeterea circum pectus lumbosque et in trabe dorso applicata figuris symbolicis, quibus per aream adscripti sunt minuti characteres: omnia rudiuscula et valde corrosa [29]. Sunt ibidem alia parva simulacra quinque, et tria fragmina hieroglyphice inscripta, de quibus infra sermo recurret, sed quae non plusquam tribus characteribus augent alphabetum hieroglyphicum. Accedunt praeterea characteres duo e statua pastophori tunicati e granite fusco in aedibus Barberinis, qui paston sustinet cum simulacro Isidis leontocephalae, in cujus margine sunt notae hieroglyphicae ruditer scalptæ, uti et in trabe dorso adjecta: unus e trabe statuae mutilae in aedibus Alteriorum e basalte nigro, quae custodem genium repraesentasse videtur, scalpturae egregiae cum hieroglyphicis perquam elegantibus: et duo ex integumento parvae mumiae servatae in theatro anatomico nosocomii S.Spiritus [30].

In villa Albania hieroglyphicas inscriptiones videmus in quinque statuis et in tribus tabulis anaglypticis: exque iis colliguntur characterum formae triginta quatuor hieroglyphico alphabeto addendae. Inter statuas una est alta palmos quatuordecim e granite fusco, tutelarem genium referens praecinctorio tenus nudum, cum trabe dorso adhaerente in qua sunt tres columnae characterum diligenter inscalptae, quibus praeter alia comprehenduntur tria schemata elliptica e quinque, septem et octo notis compacta. In horum primo planta cernitur silphio cyrenaico

---

[27] Montfauc. l. c. tab. 36. 37. Bottari l. c. tab. 77.

[28] Videsis iconem in Kircheri Oedipo tom. 3. pag. 463. 464.

[29] Vide ibid. pag. 507. 508. et ejusd. interpret. obelisci inter Isaei rudera effossi pag. 118. 120.

[30] Vide supra pag. 261. not. 43.

haud dissimilis, parvo hemisphaerio subrecta, juxta quam sedet icuncula flexis genubus loti florem sustinens, super cujus capite sunt hemisphaeria duo adversa: infra omnia cerastes. In altero est leo cubans, supra quem quadratum cum hemisphaerio inverso et fructus loti suspensus: infra signum incertum compactum e duabus lineis horizontalibus coëuntibus, et strigiles tres. Tertium quod praeter alia continet duas icunculas subsidentes jam descripsi e cingulo statuae Capitolinae, una cum altero parum diverso ab eo quod modo enarravi. Est et simulacrum supra humanam magnitudinem ex alabastro Aegyptio, in cujus throno habentur quatuor hujusmodi schemata. Scilicet unum ex duobus illis quae in multis obeliscis repeti jam adnotavimus, alterum ex octo notis compoſitum, et alia duo quae ab hisce exigua diversitate differunt. Nam cum in primo sit genius taenia ac penna et clavi insignis, subsidens juxta baculum cum capite canino, in tertio idem genius elegantiori forma expressus in throno sedet alteraque manu clavem tenet, altera amplectitur baculum illum. In secundo autem est strigilis pone quam moenia et undae, porro ferculum, mox hieracocephalus subsidens cum globo super capite et suspensarum frugum fasciculus, denique crotalorum paria duo. Huic in omnibus simile est quartum schema, nisi quod pro hieracocephalo adsit lineola verticalis cui globus imminet. Videntur enim hieroglyptae, ubi unam eandemque sententiam repeterent, modo ornatiorem figuram emphaseos gratia substituisse pro simpliciori, modo compendii causa pro signo, quod eo loco stare debere e contextu patebat, lineam simplicem. Utriusque methodi exempla hinc et inde observavi in inscriptionibus Aegyptiis. Ellipticum schema jacens, in quo sunt campus floribus consitus, aries et brachia elata, occurrit in plintho sedentis statuae e plasmate smaragdino, quae Orum deum referre videtur [31]. Tria praeterea, quorum unum e quinque notis compositum exstat in obelisco Campensi, reliqua duo in Minerveo, expressa sunt in tabula grandi quae adjecta est dorso statuae pastophori fere nudi e basalte nigro, qui in genua subsidens praefert thronum in quo sedet deus criocephalus duabus pellicibus stipatus [32]: inque ejusdem throni suppedaneo repetitur unum ex iis quae sunt in obelisco Minerveo, sed ultima nota carens. Est autem in throni suppedaneo unus notarum versus, pariterque in statuae plintho unus: in tabula dorsuali sunt columnae novem, e quibus duae sunt in marginibus, reliquae in postica. In villa Burghesia sex monumenta invenio hieroglyphicis notata, in quibus reperiuntur characteres quadraginta octo in lapidibus hactenus recensitis non occurrentes. Hi autem maximam partem colliguntur ex una inscriptione, septem columnis sinistrorsum conversis exarata in tabula e basalte nigro a statuae dorso resecta, quam scalptam fuisse post Aegyptum a Graecis captam, nonnulla sunt quae suspicionem faciunt. Nam et figurarum delineandarum ratio insolitum quid prae se fert, et praeter alia signa, quae in nullo conspexi Aegyptio monumento, occurrunt in ea equi libere vagantes; et quadrigae citae cum auriga amiculo retro volitante, qui altera manu habenas regit, altera flagrum tenet; et navigium ea figura qua sunt triremes Graecorum. Sed nil de-

---

[31] Vide supra pag. 142. not. 15.

[32] Delineatam sistunt Kircherus Interpr. ob. inter Isaei rud. effossi p. 127. Raffei *osservaz. sopra alcuni monumenti antichi della Villa Albani* tab. 4. p. 49. Fea ad calcem operis Winkelm. de artium hist. tom. 1. tab. 6., ubi etiam consulas tom. 1. pag. 86. not. * et tom. 3. pag. 429.

finire audeo, nam et in Thebarum ruinis currus exscalpti cernuntur [33], et vetustissimos Aegyptios equis alendis studuisse novimus [34], Psammetichidas autem maritimis rebus operam dedisse [35]. Ad scalpturam vero quod attinet, tanta est hoc respectu in hieroglyphicis monumentis varietas, ut nisi dum manifeste prodant aut Graecam elegantiam aut vero pingendarum rerum inscitiam, nihil inde certo sit arguendum. Est et alia tabula, hieroglyphicorum modo a supra dicta non multum differens, resecta pariter a statua, quae et ipsa hic adservata repraesentat custodem genium, eamque ostendit scalpturae pulcritudinem, quam Psammetichidarum aevo in Aegypto viguisse credere possumus. In hac tabula unum habetur schema ellipticum, in quo lepus, undae et ampulla: in priori duo sunt, quorum alterum octo notas continens recurrit in cingulo statuae Capitolinae, de qua supra diximus, alterum complectitur notas quinque, nempe icunculam imberbem et calanticatam, quae attractis genubus subsidens crotala duo tenet super genubus, porro plantam a silphio supra dicto non multo diversam, undas et strigiles duas. Aliud schema e tribus notis constans, moenibus, undis, scarabaeo, bis impressum cernitur in cingulo viri ingeniculati, e basalte viridi operis fere barbari. Quatuor praeterea, sed jacentia, observantur in plinthis sphingum duarum e basalte nigro elegantissimi operis, quarum et inscriptiones horizontali ordine pars a dextris pars a sinistris procedentes, singulari diligentia sunt inscalptae. In his duo sunt notarum septenarum, quorum alterum includit globum, arietem gradientem, undas, vexilla tria et ferculum; alterum habet globum et praefericulum, pennam et hemisphaerium, icunculam capite arietino attractis genubus humi subsidentem, siphonem et undas. Tertium continet notas octo, undas et lineam obliquam duplicem, columbam, cerasten, gladium, spiram et lineolam verticalem triplicem, et nodum. Quartum notas quatuor, maeandrum, columbam, securim et leonem cubantem. De pulcherrimo autem illo sedentis deae simulacro cum capite leonino, in cujus suppedaneo sunt duo versus characterum perquam rudium, jam alio loco mentionem injeci [36].

In museo Borgiano Velitris, quod in hac classe omnibus facile palmam praeripit, monumenta sunt plusquam centum quinquaginta hieroglyphice inscripta, scilicet statuae et statuarum fragmina e ligno, ex aere, e creta coctili et variis lapidum generibus, mumiarum arcae et byssina ornamenta, lapides sepulcrales, tabulae anaglypticae, vascula, scarabaei variae magnitudinis, amuleta et gemmae anulares. Aenea monumenta in his sunt sex, thronus jam supra laudatus [37], ubi et in ipsius throni parte postica exarati sunt minutissimi characteres, et in trabe quae adhaeret dorso viri flexis genubus subsidentis e regione throni; porro sigillum Osiridis cum trabe dorso applicata, plinthus cui insistit Apidis simulacrum, et tres praeterea parvarum statuarum plinthi [38]. Rarius enim in aere offendimus characteres hieroglyphicos: nam grandia quae ex metallo facta fuere

---

[33] Pococke *descr. of the East* vol. 1. pag. 95. 107. Diod. lib. 1. cap. 47.

[34] Consule eruditissimi viri R. P. Gabr. Fabricy *rech rches sur l' époque de l'équitation*, tom. 1. pag. 6. sqq. 23. 27. 94.

[35] Herodot. l. 2. c. 159. 161. l. 4. c. 42. 43. l. 6. c. 6. l. 7. c. 89. l. 8. c. 17. Taceo nunc vetustiora.

[36] Vide supra pag. 457.

[37] Pag. 444. not. 31.

[38] Quarum quae maxima est, lunga uncias fere 11, sustinet simulacrum juvenis dei stantis, altum palmum cum dimidio: quae minima est, et minutissimis notis decora, subjacet pedibus icunculae Harpocratis velut subsidentis.

monumenta, jam dudum periere, icunculae autem quas ex aere facere consueverant, ut plurimum carent trabe illa dorso adhaerente, in qua exstare solent inscriptiones. Unam icunculam vidi in museo Kircheriano characteribus insignitam, tres in museo regio Florentino [39]. Gemmae quoque hieroglyphicis inscalptae admodum rarae sunt, nec plusquam novem hujusmodi hic adservantur, e sarda, onyce, chalcedonio, smaragdo, haematite et jaspide [40]: quibus accenseri merentur scarabaeus elegantissimus cum undecim versibus hieroglyphicorum sinistrorsum spectantium, quorum unus continuata serie cingit circumferentiam baseos, reliqui sunt in ejusdem ima facie, e porphyrite viridi singularis duritiei, de quo jam alio loco sermonem institui [41]; atque alter cum sex versibus nitide exaratis, e silice corneo viridi, quem vulgo appellant basalten [42]. Plerum-

---

39 Scilicet in museo Kircheriano sigillum est Harpocratis velut subsidentis, in cujus plintho occurrunt notae hieroglyphicae. Florentiae autem vidi parvam ſtatuam Osiridis pariter cum plintho hieroglyphicis insigni, & duas icunculas sacerdotum sedentium cum volumine hieroglyphice scripto super genubus explicato, adjectis praeterea ejusdem generis notis in alterius icunculae plintho. Quae autem in hoc genere reliquis fuit locupletior, collectio Cayliana, aenea monumenta hieroglyphice inscripta comprehendit undecim: tom. 1. tab. 6. n. 2. tab. 13. 14. tab. 16. num. 2. 3. tom. 2. tab. 7. num. 4. tom. 4. tab. 1. 2. tab. 7. num. 4. tom. 5. tab. 18. num. 1. tom. 6. tab. 4. n. 1. tab. 14. 15. tom. 7. tab. 10. num. 5.

40 Consule Gregorii Wad V. C. Fossilia Aegyptiaca musei Borgiani, pag. 18. n. 294.* 47.* pag. 17. num. 46.* p. 22. num. 292.*, ubi quod ipsi dicitur feldspatum lucide smaragdino-viride, vulgo *pietra delle amazoni*, brevitatis gratia smaragdum appellavi, dum lapides duros quoscunque lucide virides smaragdos vocasse videantur veteres; pag. 32. num. 202.* p. 20. num. 16.* 271.* Opus autem eſt monere, hoc loco sermonem mihi esse de iis tantum gemmis Aegyptiis, in quibus exaratae sunt inscriptiones hieroglyphicae, juxta eam hujus vocabuli definitionem quam proposui supra p. 438.: non quidem de illis quae incisa praeferunt simulacra aut symbola Aegyptia, ab hodiernis scriptoribus cum notis hieroglyphicis confundi solita; neque de gemmis Persicis Graecisve, in quibus inter peregrinae superstitionis tesseras hinc et inde occurrunt hieroglyphici characteres. Nimirum ab illa confusione rerum sua natura distinctarum derivandum est, quod in dactyliothecis tot recenseantur gemmae hieroglyphicae, dum constet in gemmis perraro inveniri hujusmodi inscriptiones. Sic Raspius libro nuperrime Romam adlato, cui titulus est: *A descriptive catalogue of a general collection of ancient and modern engraved gems, taken from the most celebrated cabinets in Europe, and cast by J. Tassie, arranged and described by R. D. Raspe*: sub hieroglyphicorum nomine comprehendit gemmas 455, maximam partem e duris lapidibus, in quibus, quantum e descriptionibus non admodum accuratis colligere datur, vix sunt 30 quas jure appellaveris hieroglyphicas.

41 Supra pag. 446. not. 37. Conf. Wad. lib. cit. pag. 12. num. 347.

42 V. Wad lib. cit. pag. 16. num. 147. Eundem hunc lapidem intelligi conjicio a gemmarum descriptoribus, qui grandes scarabaeos memorant e jaspide viridi, cum ex illo complures viderim hinc et inde in museis, ex vero jaspide nullum supra anularem magnitudinem, iſti autem scriptores nullos afferant e basalte viridi Italorum, qui lapis variis nominibus appellari consuevit apud exteros. Caylus *recueil* tom. 4. tab. 13. num. 5. scarabaeum sistit e jaspide longum uncias 3, cum hieroglyphicorum versibus 7: alium tom. 7. tab. 10. num. 3. e lapide, ut ait, viridi, ejusdem fere magnitudinis cum versibus 10. Raspe lib. cit. num. 18. 20. 21. 23. 24. e jaspide viridi recenset scarabaeos quinque prostantes in museo Britannico, e quibus unus habet versus hieroglyphicorum 6, alius 11, duo singuli 13, unus quem et aeri incisum sistit tab. 1. longum unc. $3\frac{1}{2}$, versus 9 dextrorsum spectantes. Duos praeterea edidit ex eodem museo e jaspide nigro, alterum cum versibus 6; alterum figurae fere quadratae, longum unc. $4\frac{1}{10}$, latum $3\frac{1}{2}$, aeri incisum tab. 1., in cujus aversa parte primo loco est versus unus horizontalis, cum hieroglyphicis dimidia ex parte ad dextra spectantibus, dimidia ex parte ad sinistra, qui duobus sulcis inclusus ad inſtar epistylii incumbit duabus columnis juxta margines positis, in quarum quae a dextris est characteres sunt ad sinistra conversi, in altera ad dextra. Medio loco infra epistylium illud sunt oculi duo

que enim amuleta sua et scarabaeos quibus ad signandum utebantur, faciebant e creta coctili alba, pigmento vitrescente viridi aut caeruleo aut cinereo obducta, qua et utebantur potissimum ad parvas statuas averruncas, quas hieroglyphice inscriptas mumiis addere solebant aut circa loculos collocare. His characteres imprimebant creta adhuc molli nec igni admota, quo factum ut plerumque inculti appareant, dum pigmentum sive malta ad ignem vitrescens extimos angulos impleret: praeter quod ipsius materiei vilitas in causa esset ut in ea adornanda ut plurimum non magnam impenderent diligentiam, licet nonnulla opera videmus ex ea materie singulari studio elaborata[43]. Habentur et quaedam, ubi characteres non sunt impressi, sed penicillo et atramento exarati. Est praeterea in hoc museo parva statua operis nitidissimi ex argilla ad solem cocta absque pigmento, cujus inferiorem partem ad mumiae similitudinem factam ornant undecim versus hieroglyphicorum perquam elegantèr impressorum. In ligno characteres penicillo pingere solebant colore nigro, rarius rubro, viridi aut caeruleo. Est tamen hic parva statua lignea pigmentis omnino destituta, cujus vestis a ventre ad talos promissa referta est characteribus adeo diligenter incisis, per sex versus distributis: cui similem ex Aegypto attulit Pocockius[44]. Tertia, sed habitu mumiaco, adservatur in museo Kircheriano. Est et tabula lignea cum anaglypho coloribus obducto, in qua ante sedentem deum incisi sunt parvi characteres et atramento infecti[43*]. Etiam in lapide calcareo albo inscriptiones interdum coloribus exprimebant, cujus rei documentum hic habemus icunculam mumiae. Sed crebro figuras et notas hieroglyphicas in hoc lapide inscalptas coloribus inficiebant, quod jam inter Thebarum rudera observavit Nordenius[45], et firmatur ex pigmentorum reliquiis in tabulis quae hic spectantur, et in villa Albania. Eminent autem inter lapidea monumenta hieroglyphice inscripta, ara sepulcralis et fragmentum magni sarcophagi e granite, quae supra descripsi, et truncus statuae nudae e basalte figuris atque characteribus undequaque refer-

---

adversi, intermediis ampullis duabus, et infra hos gyrus ellipticus velut ad scarabaei figuram adumbrandam, quo includuntur quinque versus characterum sinistrorsum conversorum.

43 Hodierno vocabulo *porcellana* appellari consuevit hoc figmentorum genus, propter aliquam similitudinem quae est ea inter et vascula Sinica, quamquam ad ista perraro accedant propius, sive materiei nitorem spectes sive colorum pulcritudinem. Sunt tamen nonnulla ex massa admodum densa atque dura, coloribusque, inprimis coeruleo, admodum pulcris obducta. De icuncula in suo museo adservata adnotavit Caylus *recueil* tom.1. tab.10. num.3., primo intuitu accipi potuisse pro gemma quam vocant *torchina* vel *turquoise*. Prostat et in museo Borgiano fragmentum parvi operis facti ad modum gemmae anularis grandiusculae cum vultu Isidis anaglyptice ficto, quo nil perfectius vidi e Sinica fornace profectum. Massa enim est opaca, e minutissimis particulis ita dense compacta ac dura, ut plerisque visa sit gemma genuina. Fractura autem prorsus eadem est atque in vasculis Sinicis, et color amoeno virore florens, quamquam per totam massam sit diffusus, tamen infra utramque superficiem pallidior, aucto et in media fractura pallore, artem adhibitam prodit. Exiguae crassitudinis est, vix superans unciae partem decimam, aversa facies ad splendorem laevigata, altera Aegyptiae deae vultu insignis, ad vetustae artis indolem opere parum elato adeo eleganter ficto, ut in gemma vix aliquid exscalpi possit nitidius. Sunt ibidem icunculae complures ex hac materie satis accurate fictae, nonnullae etiam pulcris hieroglyphicis inscriptae; estque in museo Kircheriano dea leontocephalos sedens operis nitidissimi: sed quae hujus classis opera sunt, ut plurimum ruditatem prae se ferunt et artis negligentiam.

43 * Edita in *Museo Pio-Clementino* tom. 2. tab. A. num. 6.

44 *Description of the East* vol. 1. tab. 74. Conf. supra pag. 457.

45 *Travels in Egypt and Nubia* vol. 1. p. 98. vol. 2. pag. 51. 55.

tus, de quo jam pluries mentionem injeci. Porrò symplegma antiquissimi operis e basalte nigro, et duae statuae deorum in thronis sedentium ex eodem lapide; statua mediae magnitudinis quae sacerdotem refert, et Osiridis in throno sedentis parvum simulacrum e basalte viridi; fragmentum pastophori stantis e granite, sacerdos in calcaneos subsidens et scarabaeum praeferens super abaco collocatum e talco ollari, statuae mumiacae geniorum averruncorum quinque ex eodem lapide; fragmina duo statuarum ex eo genere quod Ptolemaeorum aevo tribui solet, alterum e talco, alterum e granite; fragmentum labri seu scaphii e basalte, aliud plinthi e lapide arenaceo rubente; et tabulae anaglypticae septemdecim e granite, basalte, marmore albo, lapide calcareo molli, marga, schisto micaceo et talco ollari: quibus accedit marmor Romanum quadratum in quo sunt hieroglyphica. Reliqua quae minoris dignationis sunt hic non commemoro; de obelisco autem et obeliscorum fragminibus in hoc museo servatis jam aliis locis dictum est. De ara illa [46] hoc monendum superest, videri eam operis admodum vetusti. Nam mumiarum figurae, quamvis cum cura sint expolitae, hebetes apparent et crassae, carentque accurata illa et rigida partium delineatione quam observamus in magnorum obeliscorum scalpturis; vultus e quadrato rotundi sunt, et oculi fere conniventes. Neque ex hieroglyphicis notis, licet profunde incisis, elegantiae studium elucet; sed scalptor rem sibi propositam expressisse contentus cavitatem expolire extremasque lineas accurate designare supervacaneum duxit. Caeterum elliptica schemata jacentia quae sunt in mumiarum pectore, senas notas complexa, alterum quinquies repetitum, alterum quater, eadem illa esse videntur, quae in plurimis obeliscis recurrere jam alias observavi, et quae inter utraque apparet discrepantia, potissimum tribuendam reor festinationi scalptoris. Illud tamen data opera factum est, quod in altero ex iis, quater repetito, primo loco positus sit circinus, ferculum autem omissum, quod in obeliscis expressum cernitur infra icunculas. Sarcophagus [47] autem aetatem ostendit minus remotam, scalptura non admodum eleganti, sed cum majori quam in ara lapidis tractandi peritia, characteribus etiam accuratius incisis. Horum qui sunt in fronte ubi inscalpta conspicitur baris cum scarabaeo, sive horizontali sive verticali ordine exarati, in dextera parte sinistrorsum spectant, in sinistra dextrorsum. Qui vero habentur in sarcophagi latere sinistro sinistrorsum sunt conversi, qui in latere dextro et in vertice dextrorsum; nisi quod in vertice horizontalium notarum dimidia pars quae conjungitur lateri sinistro sinistrorsum spectat. Est nimirum una horizontalium notarum series, quae totum lapidem ambit, infra quam in fronte sunt columnae octodecim, in vertice quatuordecim, in quovis latere ut videtur triginta octo, praeter eos characteres qui sunt per aream figuris adstituti. In interiore sarcophagi facie, ubi unus est notarum versus, quae sunt in latere dextro usque ad medium verticem ad sinistra convertuntur, reliquae ad dextra. Symplegma [48] illud quod modo indicavi, aram aetate antevertere videtur, majori figurarum ruditate atque obesitate, oculis fere clausis, manibus pedibusque obtusis. Sacerdotem refert qui pertica subrectam gestat dei protomen, comite muliere, quam dei pellicem esse reor. Characte-

---

[46] Conf. supra pag. 374. Wad. lib. cit. pag. 5. num. 179.

[47] Cnf. supra pag. 324. Wad loc. cit. n. 382.

[48] Wad pag. 10. num. 16.

res quoque in tabula cui adhaerent statuae per duas columnas distributi, admodum inculti sunt et hominem produnt in basalte scalpendo parum exercitatum. Nollem tamen ex hoc indicio aestimare antiquitatem operis, cum ut reliqua taceam in ipso hoc museo Borgiano fragmentum adservetur statuae pastophori mediae magnitudinis [49], e granite summa artis elegantia expolitum, cum notis hieroglyphicis valde incultis, tum sacello tum trabi dorso adhaerenti incisis. E contrario characteres videmus insigni diligentia inscalptos in basi et trabe parvae statuae sacerdotis qui flexis genubus tabulam praefert cum simulacro scarabaei, quae ex talco ollari satis inscite facta artem prodit jam ad pejus devergentem [50]. Sunt et characteres perquam nitidi in fragmento muliebris statuae ex eodem lapide [51], ad eum artis modum factae quam Ptolemaeis Aegyptum tenentibus obtinuisse putat Winkelmannus [52], argumentis quidem non satis firmis innixus. Nam quae sunt hujus classis opera nullo modo accedunt ad Graecae scalpturae indolem quae fuit post aevum Alexandri Macedonis, neque ita distant a communiori statuarum modo apud Aegyptios, ut nisi Graecorum artificum ministerio expoliri potuisse negandum rear. Sed eadem ratione qua Graeci, nulla exterorum ope adjuti, natura magistra et duce sensim transiere a prisca ruditate et incompto fingendi instituto ad duras rigidasque et operosas figurarum delineationes, quas a Thuscanicae gentis nomine appellare consuevimus, deinde vero ad eam statuarum venustatem quam Praxiteles primus invenisse fertur: ita quoque in Aegyptiis monumentis, maxime quae facta sunt e mollioribus lapidum generibus, scalptores videmus lento passu pergentes a primaeva inscitia ad robustum illum austerumque et exactum artis modum, quem in durioribus lapidibus scalpendis plerumque sectati sunt et singulari studio excoluere, quo factum ut hunc velut solum Aegyptiae artis modum suspicere soleamus; postea ad alterum illud genus, majori potissimum vestium venustate atque amplitudine, nudarum quoque partium mollitie, lineisque omnino fluidioribus distinctum, quo rarius quidem usi reperiuntur, utpote difficiliori. Nam et tarde videtur inventum, Aegyptii imperii excidio jam imminente, et multo erat difficilius ad hunc modum expolire lapides graniticos atque basaltinos. Praeterea rigidior ille modus jam dudum receptus erat in sacris simulacris fingendis, et velut consecratus, atque mysteriosum quid et divinum prae se ferre videbatur: quemadmodum et ipsi Graeci in simulacris inque templorum anaglyphis frequenter affectaverunt vetustae rigidaeque artis imitationem. Itaque pauca hujus classis monumenta innotuere hactenus, in quibus omnium praestantissimum est simulacrum muliebre clavem et loti florem manibus gestans, e basalte nigro supra naturalem magnitudinem, hieroglyphicis notis destitutum, quod si aliquid conjicere valeo Psammetichidis Aegypto imperantibus factum, Hadrianus propter singularem pulcritudinem ex Aegypto transtulit in villam Tiburtinam, ubi hac nostra aetate inventum, nunc spectatur in museo Capitolino [53]. Illud quo-

---

[49] Conf. supra pag.457. Wad pag.2. n. 477.

[50] Wad pag. 25. num.341.

[51] Id. pag.26. num.263.

[52] *Storia delle arti del disegno* lib. 2. cap. 3. §. 1. tom. 1. pag.107. *Monumenti inediti* tract. praelim. cap.2. pag.20.

[53] Vide Bottari *Mus. Capitolino* tom.3. tab.79. Non satis recte cum hac statua conjungit Winkelmannus l. c. alteram ibidem inventam, quam tab.80. exhibet Bottarius. Est enim Graecae Isidis simulacrum, Graeco corporis habitu, atque a Graecis Romanisve hominibus factum, licet ex Aegyptio lapide, forsan et in ipsa Aegypto, quo tempore provinciam tenebant impera-

que fragmentum de quo sermonem instituimus eximie elaboratum est, et characteres qui in trabe incisi sunt, more Aegyptiis solemni leniter turgent in cavitate. Est et hic aliud fragmentum ad idem genus pertinens, operis multo durioris atque vetustioris, licet cum arte expoliti: nimirum inferior pars virilis statuae ad naturae magnitudinem e granite minuto nigro [54], cum trabe dorso adjecta, in qua sunt hieroglyphici characteres rudi Minerva incisi, adeo ut quamquam grandes sint et satis profundi, quid singuli sibi velint haereas interdum. Nam saxum durum atque refractarium, quod taedio afficiebat scalptores, in causa fuit ut exceptis iis operibus quae fiebant publica auctoritate atque impensis, in granite perraro offendamus hieroglyphica nitide inscalpta. Crebrius hoc factum videmus in basalte, lapide et ipso valde duro, sed non ita refractario. Nitidissimos autem characteres spectandos offerunt monumenta e talco ollari, lapide scalptu facillimo, quo tum ad parvas statuas tum ad tabulas anaglypticas frequenter usi inveniuntur. Sunt in hoc museo ex eo lapide tabulae sex [55], altiores quam latae, quarum quae maxima est altitudine non aequat uncias tredecim, altero latere praeferentes anaglyphum ita elatum ut statuam appellare possis, quo repraesentatur juvenis deus, nudus et calvus cum cincinno recurvo a dextro capitis latere in pectus promisso, capite sustinens larvam senilem largiter barbatam, manibus tenens serpentes, scorpios, orygem et leonem, pedibusque premens crocodilos duos pluresve, circum quem per aream inscalptae sunt variae figurae symbolicae et notae hieroglyphicae. In altero latere habent pariter figuras symbolicas duobus tribusve ordinibus distributas, adjectis minutissimis characteribus: deinde hieroglyphicorum magnam copiam, pars per columnas pars per versus horizontales exarata; iisdemque characteribus referti sunt margines tabulae et ima basis. In his maximam partem characteres satis nitidi sunt atque clari, quamvis admodum parvi: etiam figurae diligenter exscalptae esse solent. Superat autem reliquas et inter pulcherrima hujus generis opera referri meretur fracta tabula, jam a Kirchero luce donata [56], in area circa simulacrum anaglypticum varias exhibens notarum series breviores, in ima basi versus quatuor, in marginibus columnas quatuor, in aversa fronte columnas quatuordecim, sulcis verticalibus duplicibus separatas et distinctas, omnes nitidissimas, etsi totius tabulae latitudo non excedat uncias sex cum semuncia. Sed eadem ipsa scalpendi facilitas effecit ut inscriptiones saepe exararent cum festinatione atque negligentia, quam ob causam in hoc lapide aeque ac in pictis monumentis invenimus interdum hieroglyphicas notas ita deformatas ut vix agnoscamus amplius, nec singulas ad archetypa sua referre valeamus. Cujus rei insigne exemplum habemus in hoc museo tabulam figurae fere pyramidalis [57], cum ejusdem dei simulacro sex crocodilis superimposito, scalptura ru-

---

tores Romani. In eo pariter fallitur, quod *monum. ined.* loc. cit. pag.21. affirmat, ambas hasce statuas habere characteres hieroglyphicos in trabe dorsum fulciente, cum ambae prorsus careant hujusmodi inscriptionibus, altera autem, quam Graecam esse dixi, ne trabe quidem fulciatur. Scilicet memoria lapsus has statuas confudisse videtur cum duabus illis, quae stant in ejusdem musei impluvio, hieroglyphicis decorae, de quibus vide supra pag.479. Primae itaque nunc ex museo Borgiano innotescunt hujus indolis statuae, hieroglyphice inscriptae.

54 Wad pag.6. num.439.

55 Id. p. 24. sqq. n.247. 336. 354. 204. 232. 321. Ex his minima alta est unc. 5, lin. 3; lata unc.3, lin.5.

56 Oedip. tom.2. part.2. pag.161. Wad p.24. num.247. Alta fuisse videtur uncias 13.

57 Wad pag. 26. num. 364. Alta est unc. 12. cum dimid., lata unc.4.

di atque incompta eo aevo factam quo ars senescens jam ad barbariem devergebat: parique negligentia exarati sunt characteres per aream hinc et inde sparsi, marginem quoque ambientes et imam basin tabulae, praeterea in posticae frontis parte superiori sparsim adjecti figuris symbolicis, quae ibi sunt inscalptae, inferiori autem parte per decem versus horizontales continuati. Etiam in parva tabula e marmore [58] albo ejusdem dei simulacrum, omissis quidem crocodilis, elato opere exhibente, in postica parte characterum versus quinque negligenter et obscure incisi sunt, quamquam in ipso anaglypho expoliendo magna cum diligentia versatus sit scalptor: in altera autem pariter e marmore nitidiores sunt characteres. Negligenter quoque et velut curfive incisi esse solent characteres qui habentur in tabulis e lapide calcareo molli, quo e genere quinque exstant in hoc museo [59], tres in villa Albania, cum figuris grandibus Aegyptio more in cavitate prostantibus, festinanter magis quam inscite scalptis. Nec majorem diligentiam prae se ferunt quos vidi hujus generis lapides in museis Venetis, quosque delineatos ex Anglia transmisit Hillius: exstare tamen in Aegypto egregias scalpturas in lapide calcareo molli auctor est Nordenius [60], et ipsa suadet lapidis natura. Nam quod de talco dixi, de hoc pariter dici potest, scalpendi facilitatem uno eodemque tempore ad figmenta eximie expolienda et ad eadem incuriose exprimenda invitasse homines. Quamobrem ab hujusmodi potissimmum lapidibus atque a cretaceis figmentis et a pictura initium cepisse puto eam exarandorum hieroglyphicorum negligentiam, quam scripturam cursivam appellant nonnulli; deinde et in duris lapidibus usitatam, fidem facientibus parvo illo obelisco Florentino et sacerdotis statua in suburbano Albaniorum, tabellam praeferentis, in qua aeque ac in plintho et trabe cernuntur hujus generis characteres. Ea autem ratione a rudibus hieroglyphicis quae in granite occurrere solent, distinguitur hoc genus cursivum, quod in illis agnoscitur scalptor sibi proposuisse notas exarare cujusmodi sunt in magnis obeliscis, sed laboris taedio ab iis expoliendis destitisse, in hoc vero genere non aliud habuisse sibi propositum quam ut principalium linearum ductibus festinanter incisis signa adumbraret exercitatis lectoribus jam abunde nota. Videntur autem tabulae istae e lapide calcareo parietibus vestiendis destinatae, quam ob causam characteres nulli esse solent in postica, sed in adversa tantum parte juxta figuras exarati, et pro figurarum ratione dextrorsum sinistrorsumve conversae. E marga calcarea una tabula est [61], juvenem illum deum crocodilis insistentem et Isidem Thermuthin anaglyptice fictos ostendens, cum multis columnis characterum satis nitidorum, qui formis impressi videntur antequam induraret marga. In ultimum locum servavi singularis elegantiae et improbi laboris exemplum, truncum illum e basalte nigro [62] supra laudatum, qui sive ipsius statuae artificium spectes, sive symbolicas figuras in eo englyptice simul et anaglyptice elaboratas, et hieroglyphicos characteres, parvos alios, alios minutissimos, longe post se relinquit quaecunque ex hoc lapide facta noscuntur opera Aegyptia. Aetatem definire arduum est; at cerebrosa mon-

---

[58] Id. pag. 27. num. 262. Alta unc. 3, lin. 4; lata unc. 1, lin. 7. Altera mox memoranda alta est unc. 5, lata 3.

[59] Id. pag. 31. num. 169.—173.

[60] *Travels in Egypt and Nubia* vol. 1. pag. XXII. vol. 2. pag. 51. 63. Conf. P. Sicard in *Nouv. mém. des missions* tom. 2. pag. 268. et Chaulnes *mémoire sur la véritable entrée d' un monument Egyptien.*

[61] Wad pag. 31. n. 168.

[62] Id. pag. 8. num. 401.

strificorum simulacrorum inventio, quae ei sunt inscalpta, luxuriansque attributorum ornamentorumque modus, et quae in nonnullis ex hisce figuris observatur mollis membrorum delineatio, servata in aliis prisca austeritate, quamplurimi etiam characteres hieroglyphici ex magnis illis ac vetustis obeliscis exulantes, hanc statuam Psammetichidarum aevo vindicare videntur potius quam Sesostridarum aetati. Virum referebat imberbem, praecinctorio tenus nudum, stantem brachiis ad latera compositis, manibus autem ut videtur in anterius directis tabulam forte aut capsulam sustinentem, ut facere solent sacerdotes et pastophori. In summo pectore inscalpti sunt duo ordines figurarum, quorum priori adjecti sunt characteres nonnulli minuti, in dextra parte sinistrorsum conversi, in sinistra dextrorsum, quemadmodum et sunt figurae juxta quas sunt exarati. Observatur enim in tota statua inque trabe ei adhaerente ea lex, ut quaecunque in dextra parte sint figurae notaeque sinistrorsum spectent, quaecunque in sinistra parte dextrorsum; exceptis iis notis quae sunt in anteriore statuae facie infra figurarum ordines, iisque figuris ac notis quae trabis posticam frontem et planum ejusdem verticem occupant: nam hae omnes sinistrorsum conversae sunt. Occurrunt autem infra figuras in summo pectore inscalptas tredecim versus notarum horizontalium, qui reliquam pectoris partem obtinent stomachumque et umbilicum, infra quem cingulum est uno earundem versu inscriptum. Praecinctorium inde cingulo annexum characteres habet per columnas distributos, in dextro latere ad sinistra conversos, in sinistro ad dextra. Horum nunc magna pars periit, videntur autem in utroque latere fuisse columnae quatuordecim, ita quidem ut quae pertinebant ad postremam partem praecinctorii a trabe occultatam, in ipsius trabis lateribus sint expressae. Porro in summis humeris ab utroque latere trabis una est figura symbolica a trabe aversa, cum characteribus adjectis in area. Deinde sunt in utroque humero quinque columnae sive fasciae, positura quidem horizontali, eo autem characterum ordine quem verticalem dicere solemus. Cinguntur et brachia hujusmodi fasciis, characteribus etiam in plano lapide inter latera brachiaque residuo continuatis. Hi quidem una cum brachiis nunc maximam partem desiderantur, fuerunt autem in unoquoque brachio fasciae sive columnae tredecim, usque ubi brachia cingulum attingebant. In dorso infra humeros, brachia inter atque trabem, in dextro latere cernuntur sex ordines figurárum, in sinistra quatuor, quibus singulis adstituti sunt minuti characteres. Medium dorsum tegit trabs quadrata usque ad cervicem pertingens, crassior multo quam esse solet in statuis, vertice plano, sed laterum parte infra verticem leniter inclinata, postica autem recta. In plano ejusdem vertice, cujus latitudo parum excedit sesquiunciam, habentur characterum columnae quinque, a cervice incipientes; in postica autem fronte supersunt decem ordines figurarum, in singulis lateribus undeni, cum characteribus unicuique figurae adjectis, qui plerumque sunt verticali ordine exarati. Figurae symbolicae quae in trunco trabeque occurrunt numero sunt nonaginta duae, characteres autem ducenti et quinque, in quibus nonaginta tres qui non reperiuntur in primae aetatis obeliscis, triginta vero quos in nullo alio monumento a me visos memini. Ex omnibus autem hujus musei monumentis colliguntur characterum formae quingentae viginti duae, inter quas sunt ducentae quadraginta quinque in obeliscis non occurrentes, centum nonaginta quatuor quae nec in obeliscis inveniuntur nec in reliquis monumentis supra recensitis. Elliptica schemata raro obveniunt; ne unum quidem occurrit in trunco quem descripsi, neque in tabulis ana-

glypticis quae hic adservantur tanta characterum copia conspicuae, nec in sigillis averruncis habitu mumiaco fictis, nec in magno illo sarcophago: quod suspicionem movet, sive argumenti ratione sive dicendi genere prorsus differre ista epigrammata ab iis quae exstant in obeliscis variisque aliis monumentis, ubi ejusmodi schemata magna cum frequentia recurrere solent. Pertinere autem ea ad ornatius solemniusque dicendi genus potius quam ad tractandarum rerum naturam, jam conjicere facit symmetrica eorundem dispositio in obeliscis atque in aliis magnae molis monumentis: firmatur etiam inde quod in epigrammatis quae argumenti ratione non videntur differre, utpote in uno eodemque monumentorum genere exarata, modo occurrant modo desiderentur. E sepulcralibus monumentis ut plurimum exulant, inveniuntur tamen in ara illa sepulcrali quam ex museo Borgiano supra descripsi. Est et ibidem fragmen tabulae e basalte viridi [63] cum mumiarum serie anaglyptice scalpta, ubi inter paucas notas hieroglyphicas in imo lapide adhuc superstites bis occurrit schema ellipticum jacens, novem notas complexum. In his princeps est icuncula habitu mumiaco barbata atque pileata attractis genubus subsidens, ante quam sunt quadratum oblongum cum lunula, vimen contortum et undae; post eam tintinnabulum ut videtur, strigiles duae et circinus. Nec non ad sepulcra pertinuisse videtur fragmentum tabulae e schisto micaceo [64], elato opere exhibentis deae imaginem cum alis brachiisque explicatis, cujusmodi saepe pictam videmus in mumiarum arcis ac integumentis [65]; ubi ante deae vultum scalpro exaratum est schema ellipticum grande, in quo, licet infima parte mutilo, continentur characteres viginti per septem ordines dispositi: scilicet tres viri stantes cum brachiis adorantium more elatis; lacunaria tria, infra quae tres viri praefatis similes, sed figura deorsum versa; dein circuli tres qui singuli astrum includunt; arietes gradientes tres, quibus subjacent tria capita arietum; denique brachium cum lituo et cidaris. Pari ratione deorum sacerdotumque statuae in museo Pio-Clementino, in Capitolio et in villa Albania, in notarum serie singulis impressa ostendunt schemata elliptica: quae vero sunt in museo Borgiano sive integrae sive fractae iis carent omnino. In gemmis, scarabaeis atque amuletis quae hic servantur, quatuor deprehendimus hujusmodi schemata. Scilicet in parvo scarabaeo e creta coctili illud habetur quod scarabaei signo notabile in obeliscis Lateranensi et Alexandrino obvenire supra adnotavi [66]. Idem recurrit in alio ejusdem generis, sed omisso muro turrito, qui in illo est intermedius inter globum atque scarabaeum. In amuleto hexaëdro oblongo e jaspide fusco, cujus quatuor latera scalpturis decorantur, bis repetitur aliud schema praeter scarabaei figuram tres notas continens, globum, gladium, et lineolam verticalem triplicem. Aliud amuletum e creta in altera facie habet cebum anaglyptice fictum, in altera leonis cubantis imaginem impressam, adjecto schemate elliptico jacente cum quinque notis, in quibus sunt duae icunculae susidentes e regione, porro linea horizontalis, parallelepipedon et canistrum opertum. Denique in onyce singularis pulcritudinis Aegyptio more englyptice insimul et anaglyptice scalpto, pone sedentis dei simulacrum conspicitur exiguum schema ellipticum cum quatuor notis, scilicet leone cubante, fasciis duabus aversis, et monili.

---

63 Wad pag. 16. num. 366.

64 Id. pag. 13. num. 403.

65 Vide supra pag. 319. 262.

66 Pag. 469.

Hactenus de hieroglyphicis obeliscorum eorumque monumentorum quae Romae sunt et Velitris : ex quibus omnibus colligo characterum formas octingentas octoginta unam . Accedunt praeterea characteres quadraginta septem ex iis monumentis quae Neapoli vidi , Florentiae , Bononiae et Venetiis . Neapoli quidem ex una tantum statua characteres transcribere licuit , quae pastophorum refert fere nudum cum amuleto, Isidis vultu insigni de collo suspenso, subsidentem in calcaneos et ante se sustinentem sacellum Osiridis [67]. Est ea infra naturalem magnitudinem , ex basalte nigro , artificii admodum elegantis , atque in trabe dorso applicata habet hieroglyphicorum columnas duas perquam nitidas : servatur autem in museo Farnesiano quod est in aedibus regiis Capodimonte dictis . Florentiae in museo regio circiter quadraginta monumenta observavi hieroglyphice inscripta , maximam partem sigilla , ex quibus cum omnes characteres describere otium mihi non esset , eos adnotavi qui rariores visi sunt . Est inter alia simulacrum e lapide albicante , operis valde incompti , tertia parte minus quam solet esse statura hamana . Repraesentat autem virum seminudum cum calceis et galero sive capillitio ad parvos cincinnos composito , additis cincinno harpocrateo et barbula osiriaca , qui genubus sursum attractis manibusque super genua decussatis in pulvinum subsidet , mirificis attributis instructus symbolisque pectori et brachiis impressis . In veste super genua tibiasque deflua quatuor sunt columnae characterum hieroglyphicorum , binae sinistrorsum conversae , binae dextrorsum : alii in trabe sunt quae dorsum subrigit et in plintho cui simulacrum insidet : omnes satis bene inscalpti , nonnulli raro obvii , nonnulli ex hoc tantum lapide mihi cogniti . In sinistro humero habet schema ovatum , in quo est genius attractis genubus sedens , capiteque pennam gestans , super genubus clavem , superius adjecto globo . Servatur ibidem statua mediae magnitudinis e basalte nigro , sacerdos stans et ante se sustinens pastum seu capsulam , ei similem quam in museo Pio-Clementino praefert pastophorus ingeniculatus e basalte viridi , bellicis instrumentis insignem , adjectis notis hieroglyphicis in fronte capsulae infra anaglyphon , et in pede ejusdem , atque in trabe quae statuae dorsum subrigit . In quibus bis recurrit schema ellipticum , quod in museo Pio-Clementino in tunica pastophori undequaque inscripti exstare monui , comprehendens globum , praefericulum et vasculum cordiforme . Porro fragmentum spithamale parvae statuae e saxo arenaceo brecciato , e quo nullam aliam vidi scalpturam Aegyptiam , quamquam hic lapis omnium qui inveniuntur in Aegypto longe sit pulcherrimus , columnis quidem labrisque quam statuis faciendis aptior [68]. Referebat haec statua pastophorum longa veste hieroglyphicis undequaque inscripta indutum , ut ille est e basalte viridi quem e museo Pio-Clementino supra descripsi . Desunt caput et pectus et pedes , sacelli autem loco sustinet tabulam anaglypticam cum simulacro juvenis dei crocodilis insistentis , similem iis quae sunt in museo Borgiano , sed quadrato pede subrectam , ut esse solent parva illa sacella a pastophoris circumferri consueta . Tabula insigni arte expolita est , pariterque notae hieroglyphicae maximam partem adeo nitidae sunt , quamquam minutae et in durissimo saxo exaratae . In veste pastophori et in trabe dorso adhaerenti columnae sunt octodecim , in

---

[67] Iconem ruditer delineatam sistit Kircherus Oedip. tom. 3. pag. 496.

[68] Consule de hoc saxo Wad pag. 14. n. I. K.

pede tabulae duodecim, ipsam tabulam ambiente una notarum serie. Est hic praeterea tabula anaglyptica ejusdem generis e talco ollari, cum simulacro modo dicto cumque symbolis et characteribus in utraque tabulae facie[68]*. Porro fragmentum vasis orbicularis e basalte nigro, cum figuris atque characteribus perquam nitidis. Denique sigilla mumiaca duo ex argilla coctili vulgari, qua ad statuas fingendas rarius usi videntur Aegyptii; et vascula cylindrica duo ex eadem materie cum capitibus humanis operculorum loco, in quorum altero sunt notae hieroglyphicae atramento pictae, in altero tenuiter incisae viriculo. Adnotandum adhuc est in fragmento statuae muliebris e basalte nigro operis elegantis, ovatum schema trabi impressum, in quo sunt lunula deorsum vergens, frugum fasciculus, cingulum et anser. Bononiae in instituto Clementino vidi monumenta hieroglyphica triginta octo, in quibus eminent mumiae duae, totidemque mumiarum arcae ligneae, et tabula quadrata e basalte viridi quatuor palmorum amplitudine. In magnae mumiae sarcophago[69] hieroglyphici characteres, non ut vulgo fit uno colore picti sunt, sed singulis notis, interdum et singulis unius notae partibus suus color est, quae res opportuna esse videtur ad cujusque signi primum et naturalem significatum investigandum. Scilicet quae sunt humani corporis membra rubro colore picta sunt, vultus obversus colore flavo, serpens boa fulvi coloris est nigris punctis interstinctus, id signum quod undas repraesentare creditur coeruleum est, illud quod frugum fasciculum appellamus viride cum baccis brunis, quod spiculum dicimus brunum est cum manubrio flavo, et sic reliqua. Tabulam illam e basalte jam publici juris fecit Ficoronius satis bene aeri incisam, quamquam nec omnia accurate expressit[70]. Lapis integer est, exceptis lacunis aliquot recenti manu suppletis; sed ex scalpturae ordine patet, fuisse plures tabulas quae conjunctae et commissae parieti vestiendo inservirent. Nam quae hic servatur sulcis verticalibus dividitur in areas quatuor, in quarum singulis est simulacrum suggestui insidens, cum sacerdote qui e regione constitutus flexis genubus dona ei offert. In ultima autem area solum simulacrum superest, cum sacerdotis effigies scalpta esset in lapide contiguo. Hieroglyphicorum dispositio eadem fere est ac in basi obelisci Flaminii[71]. Scilicet supra quodvis simulacrum duae columnae sunt, in ultima area tres, et supra quemvis sacerdotem columnae tres, supra eum autem qui est in secunda area quatuor. Sunt et pauci quidam characteres extra columnas sparsim exarati, omnes autem ad eam regionem sunt conversi ad quam spectat grandior figura ad

---

68 * Aeri incisam habes apud Kircherum Oedip. tom. 3. pag. 502.

69 Confer quae de eo adnotavi supra pag. 321.

70 Vide *Le vestigia e rarità di Roma antica ricercate e spiegate da Francesco de' Ficoroni*, *pag.* 80. Effossa fuit Romae anno 1709. ex ruinis montis Aventini prope ecclesiam SS. Priscae et Priscillae. Inter lacunas hodierno artificio suppletas est pars illius figurae quam Centaurum appellat Winkelmannus *monum. ined.* pag. 107., exque ejus indicio alteriusque lapidis qui prostat in hortis Barberinis colligendum censet, Centaurorum fabulam ex Aegypto ortum traxisse, et jam ante Homerum Centauros fingi consuevisse apud Aegyptios. In Barberino quidem monumento duo conspiciuntur Centauri sagittarii, alter barbatus, imberbis alter: sed ea est illius scalpturae indoles, ut grandaevibus monumentis minime queat accenseri, nec ulla certa ratione affirmari possit factam esse antequam Graeci Aegyptum occuparent. In lapide autem Bononiensi quo loco nunc stat monstrum Centauro simile, olim non aliud fuisse videtur quam figura viri stantis cum pectore inclinato manibusque deorsum porrectis, cujusmodi et in hoc lapide et in obeliscis aliisque monumentis videmus in hieroglyphicorum characterum serie.

71 Conf. supra pag. 466.

quam referuntur. Porro ex iis columnis quae supra sacerdotes sunt, primam, in secunda area secundam, occupat accipiter pileatus comite uraeo cum globo et clavi, insistens stylobatae hieroglyphice inscripto, in cujus ima parte inter ornamenta linearia ovatum schema est: eidemque accipitri in prima area oppositus est vultur clavem tenens, qui stat super scaphio a triplici loti planta subrecto, tanquam colloquens cum accipitre. Subsequentes autem columnae singulae praeter alias notas ovatum schema continent. Denique in vertice lapidis unus est notatum versus horizontalis a dextris pergens ad sinistra. Ovata schemata, quorum loca jam indicavi, ubi notas spectes iis inclusas, duo tantum sunt. Alterum enim tres notas complexum, globum, scarabaeum, brachia elata, quod etiam obvenit in obelisco Heliopolitano atque in leonibus Romae ad Fontem Felicem positis, quinquies repetitur, nempe in duobus stylobatis, et in tribus columnis quae singulae primae sunt post accipitrem stylobatae insistentem. Alterum septem notas continens, quarum prima undas exprimit, penultima sphingem barbatam decumbentem, cui subjicitur cerastes, quater occurrit, in stylobate qui est in secunda area, atque in singulis areis in ea columna quae secunda est post accipitrem. In singulis stylobatis, ubi exceperis ovata schemata, una eademque est characterum series, forceps, falx, brachium et duplex linea: porro arundo et apis cum lunulis duabus super ovato schemate exaratae. Quae Venetiis vidi monumenta hieroglyphica, sunt mumiae apud nauclerum Alexandria reducem, de quibus jam alio loco disserui: tabulae duae anaglypticae e lapide calcareo albo in aedibus Pisanis, ejusdem generis ac sunt quinque illae quae servantur in museo Borgiano, ibidemque fragmentum pastophori e basalte nigro [72]: statuae quatuor et mensa anaglyptica in villa Quirinia: et varii generis monumenta sedecim in museo Naniorum. Ex iis tabulis quas apud Pisanos exstare dixi altera valde notabilis est, propter templi faciem quam repraesentat hieroglyphicis decoratam, tum in plano vertice supra coronidem, tum in pariete circum fenestram et januam, praeterea et in cellae fronte, fenestra foribusque apertis intus velut e longinquo conspicienda. Ad fores pronai hinc et inde adstitutus est janitor, et in cellae pariete super janua cernitur simulacrum Isidis sedentis, ante quam ara posita est, pone eam hydreon. In museo Naniano inter alia est fragmentum tabulae e granite nigro cum novem versibus hieroglyphicorum, in quibus occurrunt duo schemata elliptica jacentia, alterum quidem fractura mutilum, alterum vero complectens globum, vimen contortum meniscum sustinens, et vasculum cordiforme: cujus indicio suppleri posse videtur obeliscus Minerveus [73]. Est et ibidem scarabaeus e basalte viridi longus uncias tres cum quatuordecim versibus notarum admodum nitidarum. Porro statua e basalte magnitudinis pedalis, sacerdotem referens genubus flexis pedibusque decussatis subsidentem, in cujus plintho et trabe, atque in fronte cistae quam gremio gestat, sunt inscriptiones hieroglyphicae: et Canopus muliebris sive Menuthidis deae simulacrum e marmore pario a Graeco artifice imperite scalptum [74], in cujus postica parte impressa est imitatio perquam rudis ejus sche-

---

[72] Tria ista monumenta aeneis formis exprimenda curavit Jac. Morellius V. C. in catalogo bibliothecae Pinellianae tom. 5. ad pag. 336. 337.

[73] Conf. supra pag. 473.

[74] Vide *Monumenta artis Aegyptiae in museo Naniano*, tab. 2.

matis ovati, quod duos genios continens in multis obeliscis recurrere jam pluries adverti. In villa Quirinia servantur tres mensae e basalte nigro, quadrilaterae, longiores paullo quam latae, cum margine elato et canaliculo planum spatium quod in media mensa est ambiente atque ab uno e longioribus lateribus extrorsus porrecto: quas in sacris Nili caerimoniis aquae ex hydreo effusae recipiendae et per canalem terrae aut vero adorantibus reddendae inservisse, dubio carere videtur. Ficta quoque est in ipsa mensa Nilotici humoris effusio: nam in medio illo spatio anaglyptice scalptae sunt variae res diis offerendae, fruges, panes, flores loti, victimarum membra et minores victimae, vascula et hydrea duo aquam evomentia. Quae autem in hisce mensis minima est, palmaris longitudinis et operis incompti, marginem habet purum. Secunda longa pedem venetum cum semisse, et ipsa rudis artificii, in margine ostentat Graecam inscriptionem negligenter exaratam [75]. Tertia longa pedem et dextantem, lata pedem et quadrantem, ac reliquis longe nitidior, decoratur inscriptione hieroglyphica adeo eleganti, quae totum marginem occupat, notis quae sunt in lateribus brevioribus verticali ordine pictis, quae in longioribus ordine horizontali, ita quidem ut dimidia pars dextrorsum spectet, dimidia sinistrorsum [76]. Prostat in eadem collectione statua mediae magnitudinis e granite nigro, viri praecinctorio tenus nudi, qui pedibus decussatis humi sedet, et gremio gestat planam tabulam in qua sunt hieroglyphicorum versus horizontales quatuor, aliis praeterea notis exaratis in plintho cui insidet [77]. In grandi simulacro leontocephalo, cujus supra memini, pauci characteres supersunt, throno temporis injuria maximam partem pessumdato [78]: at prae reliquis memorabile est simulacrum e granite rubro, altum cum plintho pedes duo cum dodrante, virum referens barbatum cum calantica globosa et periammate Isidis vultum ostentante, humi sedentem attractisque genubus ita in se collectum, ut demptis capite et extremis pedibus reliquum corpus fere non sit aliud quam saxum cubicum, symbolis et characteribus hieroglyphicis sat bene inscalptis undequaque refertum [79]. In saxi summitate humeros inter atque genua, praeter duas figuras muliebres duae sunt notarum columnae adversae, quarum altera desinit in schema illud ellipticum, quod duos genios subsidentes includens tam saepe obvenit in obeliscis aliisque monumentis. In antica facie a genubus usque ad pedes inter duas grandes figuras exarata est columna hieroglyphicorum ad sinistra spectantium, quae in plinthum usque producta ultimo loco habet idem illud schema ellipticum. In postica quatuor columnae sunt, binae binis obversae. In quovis autem latere binae sunt, singulae ante grandem figuram exaratae, et unus versus horizontalis infra figuras illas porrectus. Quae vero notae sunt in latere dextro sinistrorsum convertuntur, quae in sinistro dextrorsum.

Addendi quoque sunt characteres triginta collecti ex monumentis quae singulari diligentia delineatas ex Anglia transmiserunt Thomas Ford Hill et Joannes Walker, viri nostrum amicissimi et de hisce nostris studiis optime meriti. Sunt ea, tabula anaglyptica grandis e lapide calcareo albo de qua supra disserui [80]; tabula ex eodem lapide longa pedes londinenses quatuor cum dimidio, alta sesquipe-

---

75 Vide *Alticchiero par Mad. J. W. C. D. R.* tab. 17.

76 Ibid. tab. 18.

77 Ibid. tab. 12. Pro veteri capite, quod hominis fuisse non est quod dubites, vultum cynomorphon reposuit recens artifex.

78 Ibid. tab. 19.

79 Ibid. tab. 13. — 16.

80 Pag. 310. not. 35.

dem, a Saccarensis cryptae ostio ablata a celebri peregrinatore Wortley Montague et museo Britannico dono data: duae tabulae e basalte viridi utrinque inscalptae figuris ac notis hieroglyphicis, museo Britannico ab eodem peregrinatore illatae: quinque tabulae cum vertice arcuato in eodem museo prostantes quae singulae anaglyptico opere ostentant juvenem deum crocodilis insistentem, uti in aliis de quibus jam dixi: et pastophori ingeniculati statua e basalte nigro, alta pedes quinque cum dimidio, paucis abhinc annis ex Aegypto in Angliam advecta. Pastophorus iste fere nudus est cum calantica globosa, et pastum praefert in quo constitutum cernitur simulacrum Osiridis, uno hieroglyphicorum ordine pasti marginem anteriorem ambiente, aliis autem hieroglyphicis adjectis in trabe quae statuae dorsum sustinet et in plintho quae eam subrigit. Nimirum plinthi quatuor frontes occupat unus versus horizontalis, ea ratione exaratus ut duae notae quae in antica facie medio loco stant bis sint repetendae, reliquae in dextra parte pergentes per latus plinthi usque ad medietatem posticae sinistrorsum spectent, quae in sinistra parte sunt dextrorsum. Quae autem trabem occupant omnes sunt sinistrorsum conversae, in superiore quidem parte sex versibus horizontalibus ab invicem non separatis exaratae, in reliqua trabe sulco verticali in duas columnas divisae. Ipsa statua egregie scalpta est, hieroglyphica autem sunt rudiora, fere ut in grandi illa Iside Capitolina. Inter quinque tabulas quas junctim memoravi, una est ex aere alta uncias quinque cum dimidia, et posticam faciem basinque obductas habet lamina plumbea valde tenui, nunc maximam partem corrupta, cui impressi sunt characteres quos alphabeticos appellares potius quam hieroglyphicos. Aliae duae ejusdem fere magnitudinis sunt e lapide fusco, quem talcum ollarem esse conjicio, altera valde corrosa, altera notis perquam nitidis conspicua. Quarta e lapide calcareo albo, alta est uncias octodecim, quamquam ima parte mulctata, et symbolicis figuris magis abundat quam characteribus hieroglyphicis. Quinta omnium quas accepimus maxima, alta palmos fere duo, lata ultra palmum unum, facta est e ligno sycomori asphalto obducto: inque ea juvenis illius dei simulacrum cum crocodilis et larva et reliquis attributis anaglyptice scalptum est atque pigmentis infectum, hieroglyphici autem characteres in utraque facie atque in marginibus flavo colore picti sunt, nitide quidem, sed penicillo ut videtur festinante. Sunt in ejus postica facie characterum ordines septemdecim, in anticae ima parte ordines duo, serie horizontali et sinistrorsum conversi, uti omnes qui habentur in hisce tabulis, ubi exceperis qui in antica sparsim obveniunt aut in marginibus verticali serie exarati. Ovata schemata in iis non occurrunt, quemadmodum nec in illis quae sunt in museo Borgiano, et quas publici juris fecerunt Caylus [81], Brucius [82] et Kircherus [83]. Ordo autem scriptionis in

[81] Tres hujusmodi tabulas sistit Caylus, unam e talco ollari, altam pollices 3, lin. 1. *Recueil* tom.4. tab.16. num.1., cum hieroglyphicis verticali ordine dispositis, scalpturae admodum rudis. Alteram e ligno sycomori, altam ped. paris. 1, lin. 3, eadem ratione scalptam pictamque atque illa quam e museo Britannico supra descripsimus, cum hieroglyphicis horizontaliter exaratis in postica: ibid. tab. 15. Tertiam pariter e ligno, altam poll. 11, hieroglyphicis prorsus carentem: tom.7. tab.6. num. 1.

[82] *Travels to discover the source of the Nile* tom. 1. p.417. delineatam exhibet hujus generis tabulam lapideam, altam pollices 14, latam 6; narrans inventam fuisse Axumae anno 1771, sibique dono datam a rege Abessiniae, a se deinde museo Britannico illatam.

[83] Oedipi tom 3. pag.501. praeter eam quam ibi aeneis formis expressit, servatam in museo magni ducis Etruriae, tres hujusmodi tabulas Romae a se conspectas memorat, unam in ergasterio Barberino, quae nunc est in collectio-

postica verticalis est in Bruciana, in una ex Caylianis, et in quinque ex Borgianis: in reliquis horizontalis, ut in iis de quibus hic verba facimus. In lapide a Wortleyo reperto Saccarae duo ordines sunt figurarum anaglypticarum, quorum prior solemnem pompam exhibet, inferior boves quatuor secundum leges moschosphragisticas immolatos [84]: characteres per areas sparsi sunt. Basaltinae tabulae quas idem attulit, pari fere magnitudine sunt, altae circiter pedes quatuor cum dimidio, latae infra pedes quatuor, et pertinuisse videntur ad cellam sive cellas, ejus generis ac illa est quae servatur in museo Pio-Clementino ex frusto basaltae viridis, mole quidem minor et ornamentis carens. Nam et facies inclinatae sunt ut in Aegypto esse solent templorum facies, et superior pars speciem epistylii imitatur cum coronide vulturibus ex parte decorata, ex parte aspidibus. Quoad scalpturam autem, sive spectes figurarum modum et argumentum, sive seriem et dispositionem hieroglyphicorum, prope conveniunt cum tabula quam descripsi ex museo instituti Bononiensis. In utroque lapide una facies est probe conservata, altera magnam partem deleta. Integrior autem alterius lapidis facies in coronide scalptam habet seriem continuam uraeorum seu aspidum turgente pectore erectarum, eadem ratione ac in tabula anaglyptica in museo Borgiano in fronte sacelli, in quo positum est simulacrum juvenis dei crocodilis insistentis, summum locum tenet agmen aspidum quatuordecim. Seguitur epistylium purum, cui subjectus est versus hieroglyphicorum horizontalium, in quibus occurrunt duo schemata elliptica jacentia, alterum tres notas continens ei simile quod in obelisco Minerveo, in pastophoro Albanio et in fragmento Naniano exstare monui, alterum e quinque notis constans, in obelisco Campensi, in eodem pastophoro Albanio et in uno ex pastophoris musei Pio Clementini obvium. Inferius est paries in tres areas divisus, quae singulae ostentant simulacrum stylobatae insidens et sacerdotem dona offerentem, cum hieroglyphicis per columnas exaratis, aliis adjectis in area, cunctis de more conversis pro ratione grandium figurarum ad quas pertinent. Sunt nempe supra unamquamque figuram columnae tres, ex quibus eae quae supra sacerdotes sunt, plane conveniunt cum iis quas in Bononiensi tabula supra sacerdotes constitutas esse adnotavi, nisi quod diversi sint characteres in ovatis schematibus et in accipitrum stylobatis comprehensi. Repetuntur enim hic eadem schemata quae sunt in versu illo horizontali: in singulis autem stylobatis gladius est, vasculum cordiforme et brachium, adjecto in ima parte uno ex ovatis schematibus supra dictis. Altera facies quantum arguitur e scalpturarum reliquiis ad eundem modum fuit decorata, sed in coronide est series vulturum obverse scalptorum. Alter lapis in integra facie habet coronidem vulturibus pariter insignem, et infra epistylium, quod purum est, versum horizontalem hie-

---

ne Borgiana, reliquas in museis Francisci Angeloni et Francisci Gualdi. Unam praeterea e basalte nigro altam poll. 5, edidit Montfauconius e collectione Foucaultiana *antiqu. expliqu.* tom.2. tab.167. num. 2., sed hieroglyphicis carentem, in aversa autem facie et in marginibus inscriptam graecis litteris ruditer formatis ut esse solent in gemmis abraxeis, et inter alia praeferentem vocabula φρην, ιαω, αβρασαξ. Alteram, quam possidebat Manudellius, idem vulgavit in supplementi tom. 2, post tab.52., sed nec materiem indicavit, nec hieroglyphica expressit, quibus posticam faciem plenam esse ait. Omnes itaque, quae innotuerunt hactenus numero sunt viginti tres e quibus novem servantur in museo Borgiano, sex in Britannico, tres in Cayliano, una in Mediceo.

[84] Herod. lib. 2. cap. 38. Plutarch. de Isid. pag. 436. tom.2. pag. 364. Clem. Alex. strom. lib. 6. cap.4. pag. 757.

roglyphicorum in quibus recurrunt eadem illa schemata elliptica quae sunt in tabula Bononiensi. In pariete autem una tantum exstat grandis figura; sacerdos dona offerens, cui adjectae sunt sex columnae symbolorum et hieroglyphicorum, quas e Bononiensi tabula transciptas diceres, nisi quod pro vulture qui in ea fictus est e regione accipitris, hic aspis sit cum sceptro et clavi, scaphio et triplici loto insidens. In altera facie scalpturae delineatae fuerunt sed non expolitae, dispositionis autem modus idem fere est ac in primi lapidis facie integra. Coronis plane pessumdata est. Infra eam in epistylio observantur Graecae inscriptionis vestigia: dein versus hieroglyphicorum; denique paries in areas divisus, cum simulacris et adorantibus, atque cum hieroglyphicorum characterum per columnas distributorum copia, inter quos recurrunt eadem illa symbola et schemata elliptica quae sunt in priori facie. Adjecta praeterea sunt in utriusque lapidis singulis faciebus imo loco ornamenta linearia, uti in tabula Bononiensi.

Omnes itaque characteres hieroglyphici, quos hactenus ipse inspexi, quosque ab amicis accurate delineatos accepi, numero sunt nongenti quinquaginta et octo: scilicet primae classis [85] sexaginta sex, secundae trecenti octaginta novem, tertiae septuaginta quinque, quartae centum duodecim, quintae centum quadraginta septem, sextae centum quadraginta quinque, septimae viginti quatuor. Ovata autem schemata in iis comprehensa sunt sexaginta octo. Video equidem utrumque numerum, cum simplicium characterum tum et ovatorum schematum, quae includunt characterum syntagmata, augeri posse ex iconismis qui in variis libris aeri incisi exstant, et complures figuras continent in syllabo a me ordinato non comprehensas; quod et facere institueram, et quae in illis nova deprehenderem meo syllabo subjungere: sed cum perraro invenirem delineationes publici juris factas, quibus plenam fidem habere potuissem in hisce minutiis, et ex multo labore exiguam utilitatem me percepturum esse viderem, a coeptis destiti, ac me meis contentum esse jussi. Praefatos autem characteres, atque ex monumentis in variis Italiae locis exsistentibus, a me nondum descriptis, si novos addere continget, per tabulas tum alphabetice tum syllabice digestos eruditorum oculis subjicere statui, si otium aliquando erit et facultas: nam ad hujusmodi tabulas cum accuratione absolvendas et cum ea exquisita ac minuta diligentia, sine qua in hoc studiorum genere nihil omnino proficitur, et multo tempore opus est et multa impensa.

§. IV.

Transeo ad alphabeticam scripturam Aegyptiorum; de cujus natura quae apud veteres scriptores invenio haec sunt. Aegyptios scripsisse a dextris ad sinistra, narrat Herodotus libro secundo, capite tricesimo sexto, quod nisi de alphabetico scribendi modo intelligi non posse supra monui [1]. Constitisse autem alphabetum eorum elementis viginti quinque, quorum primum ibidis nomine insignitum fuit, auctor est Plutarchus in tractatu de Iside et in convivalium problematum libro nono [2]. Denique a Clemente Alexandrino stromatum libro quinto [3] docemur, du-

[85] De harum classium ratione vide supra pag. 471. 476.

[1] Pag. 428., ubi et habes verba Herodoti.

[2] Utrumque locum dedi pag. 435.

[3] Vide supra pag. 424. sqq., ubi totum locum interpretari institui.

plici alphabeticae scripturae ratione usos esse Aegyptios, vulgari atque sacerdotali.

Monumenta autem Aegyptia alphabeticis litteris inscripta, ut certa, hactenus tantum innotuerunt byssinae quaedam reliquiae, sive linteae. quas a cadaveribus Aegyptio more conditis ablatas narrant. Sunt illae:

1. Taenia byssina, longa pedes parisienses viginti et unum, seu palmos triginta cum dimidio; lata pollices duo, seu uncias fere tres; asphalto et gummi aqua dilutis praeparata et velut consolidata, unde colorem contraxit obscure rubentem: per cujus mediam latitudinem ab una ad alteram extremitatem decurrunt characteres penicillo et atramento picti, magnitudinis circiter uncialis, uno versu dispositi contigue, utroque margine puro. Haec olim adservata Massiliae, postea migravit in museum comitis Caylus, atque ab eo summa cum accuratione transcripta fuit et publici juris facta [4].

2. Fragmentum telae Aegyptiae saeculo ineunte editum in commentariis Trivultinis, quod ubi nunc sit ignoratur. Scilicet Mailletus a cadavere Cairi se praesente aperto ac discisso, octo sustulit picti voluminis fragmina, quae una efficiebant ulnas gallicas fere septem, et Massiliam transmisit ad cancellarium Pontchartrain. Vidit ibi Rigordus, et fragmentum longum uncias tredecim, latum septem, totius voluminis, ut ipse ait, partem tricesimam, aeri incidendum curavit, et cum brevi ejusdem notitia praefatis commentariis inseruit. In eo praeter figuras symbolicas, quae summum marginem extimumque occupant, litterae sunt penicillo exaratae et per decem versus dispositae, qui spatium obtinent longum uncias novem cum dimidia, altum uncias quinque [5].

3. Volumen byssinum servatum in museo coenobii S. Genovefae Parisiis, longum pedes parisienses duos, pollices quatuor, lineas sex, sive palmos tres cum dimidio; latum pollices sex, lineas sex, sive uncias novem cum tertia parte unciae: luce donatum a Montfauconio, postea vero accuratius restitutum a comite Caylus. Haec tela eadem ratione asphalti tinctura praeparata fuit ac taenia illa Cayliana; quae autem in ea picta sunt per quindecim columnas dispescuntur. Prima columna, initio facto a dextris inspicientium, duas figuras praefert nigro colore ruditer delineatas, et paucas minutas litteras super unamquamque figuram velut nominis loco adstitutas. Secunda reliquis angustior, litterarum tantum continet seriem verticalem. Quae vero sequuntur, numero duodecim, singulae latae uncias fere duas cum dimidia, summo loco habent figuram, cujusmodi adesse diximus in prima columna, sed minorem; reliquum spatium, altum uncias quinque et dimidiam occupant litterae per versus horizontales modo novem modo decem distributae. Ultima columna, latior quam caeterae, ac denuo dissecta in spatia quadrilatera sedecim, in unoquoque spatio exhibet schema lineare cui paucae litterae ad instar tituli sunt adjectae. Characteres qui occurrunt in hoc volumine, calamo

---

[4] Caylus *recueil* tom. 5. tab. 26. — 29. pag. 76. tom. 1. pag. 65.

[5] *Mémoires pour l' histoire des sciences et des beaux arts, à Trevoux* 1704., *juin*, art. 89. pag. 978. Mascrier *description de l' Egypte*, pag. 278. Caylus *rec.* tom. 1. pag. 65., ubi recenset quae sibi innotuerunt hujus generis monumenta. Quod et fecit Tychsenius V. C. in *Gottingische bibliothek der alten litteratur und kunst* fascic. 6. pag. 17.

exarati sunt et atramento : at in singulis ex duodecim columnis mediis quinque prima elementa minio infecta sunt [6].

4. Fragmentum, longum uncias quatuordecim, latum sive altum sex et dimidiam, cujus delineationem a Massilia sibi transmissam, luce donavit Montfauconius, nulla de eo adjecta notitia. Esse autem id ejusdem generis ac volumen modo memoratum, quin forte partem fuisse telae illius a Mailleto acquisitae, suadet quae inter utrumque monumentum intercedit singularis affinitas. Sunt in eo decem versus litterarum alphabeticarum, altitudine occupantes spatium unciarum quatuor, quorum priores tres longi sunt uncias denas cum semuncia, reliqui uncias fere septenas. Inscriptionem vero circumstant variae figurae symbolicae [7].

5. Fragmentum ejusdem plane indolis, parisque altitudinis, sed longum uncias tantum quatuor, quod tunc exsistens apud Fauvelium idem Montfauconius publici juris fecit. In hoc infra symplegma duarum figurarum exarati sunt litterarum versus septem, qui spatium obtinent longum latumque uncias ternas cum semuncia [8].

6. His nunc accedit e museo Borgiano fragmentum integumenti cadaveris Aegyptii, altum palmos duo et unciam unam, latitudine circiter palmari, cujus medium locum occupat alphabeticarum litterarum columna, alta palmum cum unciis quinque, lata circiter uncias tres, supra quam tres figurae satis eleganter pictae sunt variisque coloribus obductae, aliis figuris ternis ad utrumque latus adstitutis. Factum est integumentum istud e tela lintea sive gossypina pluries complicata et gummi asphaltoque infecta, dein crusta gypsea nitida gilvi coloris contecta. Litterae autem atramento pictae sunt ope penicilli, atque in tria spatia distributae, quae singula sex versus comprehendunt.

7. Jure quoque huic classi accenseri posse existimo laminam plumbeam in eodem museo adservatam, quae licet nullo certo et securo indicio Aegypto vindicetur, probabili tamen ratione inter hujus gentis monumenta videtur referenda. Equidem non urgebo quod ex Aegypto advecta sit Venetias, inde quinque abhinc annis museo Borgiano illata : nam in singularibus monumentis, ubi parvae molis sint, locus, nisi aliae concurrant peristases, non magni momenti est. Sed litterae in plumbo illo exaratae, quamquam ex parte non sint absimiles litteris Phoeniciis, nec prorsus conveniant cum iis quae habentur in modo dictis monumentis certo Aegyptiis, propius tamen ad has accedunt quam ad illas, majoremque prae se ferunt formarum varietatem, quam ut commode reduci possint ad angustum illum elementorum numerum, quem e Phoeniciis monumentis eruerunt viri docti. Caeterum lamina est quadrilatera, margine inaequali, alta uncias decem, lata fere septem, utraque facie inscripta. In altera enim sunt characterum versus horizontales quatuordecim; in altera cernitur quadratum oblongum, divisum in spatia triangularia triginta duo, aequalis amplitudinis, quae singula uno charactere sunt insignita.

---

6 Caylus *recueil* tom. I. tab. 21. — 25. pag. 60. Montfaucon *antiqu. expl.* suppl. tom. 2. tab. 54. Conjicit Caylus hanc telam pertinere ad ea fragmina quae a Mailleto in Galliam transmissa supra memoravimus : sed characterum modus nimium differre videtur ab iis qui habentur in ea quam publici juris fecit Rigordus modo citatus.

7 Montfaucon *antiqu. expl.* tom. 2. tab. 140. num. I.

8 Ibid. suppl. tom. 2. tab. 54. num. 3.

8. Aegyptiis pariter litteris, quamquam a viris doctis qui hoc argumentum tractavere nondum agnitis, inscripta videtur tabula aenea quadrilatera et oblonga, olim prostans Patavii in museo Joannis Galvani, aeneisque formis non indiligenter expressa a Kirchero in Oedipo [9]. In hujus altera facie cernuntur imagines Christi Domini, Beatae Virginis aliusque Sancti et trium Angelorum; cum characteribus per aream sparsis, quos ex cabalistarum magorumque schola depromptos putat Kircherus; sed qui ex parte prorsus similes sunt iis qui habentur in volumine byssino, cui hic tertium locum tribui, ex parte cum aliqua mysterii affectatione videntur immutati. Altera facies tota referta est characteribus, duplici quidem ratione fictis. Est enim in media tabula schema ex ovato et quadrato compactum, includens litterarum versus tredecim; aliae autem minores litterae una serie ordinatae velut taenia cingunt areae marginem, aliis praeterea in ipsa area inter schema illud et taeniam insertis. Ex his litteris, quae taeniam et aream occupant ejusdem plane indolis sunt, ac quae habentur in volumine modo memorato atque in duobus fragminibus ei subjectis, quae vero in schemate sunt inclusae, licet ad eadem elementa videantur referendae, peregrinum quid spirant, forsan ab elegantiae affectatione profectum. Minime itaque assentire possum Kirchero, qui totam hanc tabulae faciem magicis characteribus deturpatam censet et indignam quae lucem aspiceret, atque tabulam ablegat ad Christianos ex Maurorum et Arabum sanguine originem trahentes ac magiae deditos: quin potius cum argumentum ejus desumptum sit a religione Christiana nobis familiari, quamquam forte haeretica quadam superstitione infectum, ipsam tabulam ad Aegyptiarum litterarum valorem investigandum magnae reor utilitatis.

9. Minus liquet de paucis illis characteribus peregrinis quos in Memnonis statua vidit et descripsit Pocockius, utrum pro Aegyptiis sint accipiendi an pro Phoeniciis [10].

10. Neque illud certo definiri potest, sintne inter Sinaiticas inscriptiones a Pocockio aliisque transcriptas nonnullae Aegyptiis litteris exaratae [11]. Sunt enim in saxo durissimo nulla arte incisae, fortassis nec a peregrinatoribus absoluta accuratione delineatae: ac ea praeterea est Phoenicias inter Aegyptiasque litteras affinitas, ut facile confundantur invicem: siquidem et monumentum Carpentoractense, quod Barthelemius Phoenicium esse demonstravit, diu pro Aegyptio habitum fuit [12].

11. Sunt et numi quidam et amuleta atque icunculae aliaque hujus generis monumenta, in quibus litterae occurrunt ignotae quae nonnullis visae sunt Aegyptiae. Quibus immorari, cum res sit plane incerta, operae pretium esse non existimo [13].

---

[9] Tom. 3. pag. 36.

[10] Pococke *description of the East* vol. 2. tab. 39.

[11] Pococke ibid. tab. 54. 55. *Philosophical transactions* tom. 56. tab. 3. Gébélin *monde primitif* tom. 3. tab. 19.

[12] *Barthélémy explication d' un basrelief Egyptien et de l' inscription Phénicienne qui l'accompagne*, in *Mémoires de l'acad. des inscript.* tom. 32. Cf. *Mémoires de Trevoux* jun. 1704. Montfaucon *ant. expl.* suppl. tom. 2. pag. 207.

[13] Huc pertinent numus apud Pellerin *additions* pag. 15., alius Swintoni, cujus meminit Woide in praefatione ad lexicon Aegyptiacum pag. 11. Porro lamina aurea apud Montfaucon *antiqu. expl.* tom. 2. tab. 136. num. 5.: patera aenea in *Marbres de Dresde* tab. 193., quae si aliqua fides est ectypo, characteribus inscripta

In omnibus monumentis hactenus recensitis scriptio a dextris procedit ad sinistra, litteris per versus horizontales distributis, ubi excipias paucas illas quas in volumine, cui tertium locum adsignavimus, verticali serie ordinatas diximus, atque eas quae in aversa facie laminae plumbeae Borgianae singulatim velut per lusum dispositae sunt. Etiam ubi litterarum formas spectas, licet in singulis fere monumentis peculiare quid prae se ferant, tamen in cunctis eadem intelligitur elementorum ratio, nec major est diversitas quam quae in aliorum quoque populorum libris deprehendi solet. Inscriptiones tertio et quarto loco memoratae iisdem prorsus ductibus exaratae sunt, atque ab una eademque manu profectae videntur: unde est quod ad unum idemque volumen spectare conjiciam. Ab his parum distat quam quinto loco recensui, estque ita exigua quae eam inter atque illas obtinet diversitas, ut forte tribui possit incuriae artificis qui aenea forma expressit. Proxime quoque ab iis abest inscriptio in tabula aenea Galvani minoribus litteris incisa. Magis autem a praefatis monumentis recedit fragmentum telae a Rigordo publici juris factum, quod secundo loco nominavimus; videtur tamen haud difficili negotio cum iis posse conciliari, quamquam in nonnullis rebus aliquam prae se ferat affinitatem cum taenia Cayliana, cui primum locum tribuimus. Litterae enim in hac tela, aeque ac in taenia illa, atque in fragmine quod ex museo Borgiano recensuimus, penicillo pictae sunt, in reliquis telis calamo. Inscriptionem tabulae plumbeae in eodem museo servatae a reliquis multum differre monuimus, sed quod ex parte tribuendum est stylo quo litterae sunt in plumbo exaratae, ex parte autem derivandum videtur ab aliqua variandi libidine cui in litterarum formis imprimendis indulserit notarius. Idem enim factum videmus a quadratario Phoenicio in brevi illa inscriptione Citiensi, quae ex solis constans litteris septuaginta octo, litterarum *jod* et *heth* ternos typos exhibet, litterae *ain* quinque typos, caeterarum fere binos [14]. Maxime autem a cunctis dissentit taenia Cayliana, sive de characterum formis cogitemus sive de dispositione. Agnoscuntur quidem in ea eadem quae in reliquis scripturae elementa, sed figura sunt multo quam in illis elegantiore, ac plerumque aut duae litterae aut tres quatuorve varia nexuum ratione ita sunt conjunctae, ut primo obtutu subeant verba Apuleji supra adducta [15], qui sacros libros vidit nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiosa profanorum lectione munitos. Ideoque jam adverti, hanc taeniam videri certum et indubitatum hieraticae methodi specimen, qua in sacris usi sunt hierogrammates; licet ut reliqua etiam monumenta hic commemorata eadem litterarum ratione inscripta fuisse, et usus suadeat cui inserviere quae circa mumias fuerunt inventa, et quaedam obscuritatis seu elegantiae affectatio, cui tribuendum quod una eademque littera in uno eodemque epigrammate variante typo expressa sit, litterae litteris superpositae, nonnumquam et compendiarie connexae. Nec mirandum quod vulgaris scripturae ad nos nullae pervenerint reliquiae, quam ad epistolas tantum aliasque communis vitae utilitates adhibuerunt Aegyptii, in libris scribendis, et quaecunque ad sacros ritus pertine-

---

videtur Drusicis potius quam Aegyptiis: parva statua Aegyptia e lapide rubro, ibidem tab. 189., in qua occurrunt paucae quaedam et incertae lineae, forsan hieroglyphicorum characterum vestigia. Addere licet icunculam apud Montfaucon lib. cit. suppl. tom. 2. tab. 52. num. 1., gemmas apud Caylus *recueil* tom. 6. tab. 1. n. 4. apud Capello prodromo gemm. Basilid. n. 212., apud Pococke lib. cit. tab. 65.

[14] Svvinton et Barthélémy apud Gébelin *monde primit.* tom. 3. pag. 479. tab. 12.

[15] Pag. 434. 435.

rent ac in sacris locis adservarentur, non alia usi scriptione alphabetica quam ea quae hieratica appellari consuevit. Ista autem methodus non certa aliqua lege definita fuisse videtur, sed hierogrammates, quorum intererat ne scripta sua vulgi hominibus lectu obvia essent, communis alphabeti elementa pro arbitrio plus minusve immutasse et complicasse, eodemque tempore hieroglyphicorum typis, a quibus erant deprompta, assimilasse videntur; quo factum ut inter pauca illa hujus generis monumenta quae aevum tulerunt, tanta appareat characterum varietas, quamquam omnes qui in iis occurrunt litterarum typi, commode referri queant ad elementa simplicia viginti quinque, quot in alphabeto Aegyptio comprehensa fuisse docet Plutarchus.

Aetatem monumentorum, quae exstant alphabeticis litteris inscripta, definire arduum est: attamen si pro temporum successione forent enarranda, primum locum tribuerem taeniae Caylianae, quam florente adhuc hierogrammatum sodalitio scriptam suadent genuina quaedam elegantia et litterarum ductus liberi nitidique, a manu in hoc pingendi genere probe exercitata profecti. Secundum locum adsignarem integumenti lipsano quod est in museo Borgiano, in quo Aegyptiorum idolorum effigies quae epigramma circumstant, juxta antiquae artis leges diligenter pictae observantur: parique argumento adductus tertio loco ponerem fragmentum quod edidit Rigordus, insimul cum volumine byssino in museo S. Genovefae duobusque fragmentis quae publici juris fecit Montfauconius, indicio capto a figuris devergentibus ab accurata veteris artis ratione. In ultima vero loca reponerem tabulam plumbeam Borgianam, cujus altera facies magicum quid aut cabbalisticum suspicari facit, tabulamque Galvani a Christianis in Aegypto derivandam.

§. V.

Videmus itaque veteres Aegyptios adhibuisse alphabeticos characteres in iis scriptionibus quae penicillo calamove et atramento in tela exarantur; interdum et in epigrammatis stylo aut viriculo in metallo incidendis, licet recentiora sint quae hujus generis monumenta afferuntur. Princeps vero usus fuit in libris[1], quos jam ab antiquissimo inde tempore in papyro scribere consueverunt, quorumque notitiam, quotquot a Graecis Latinisque auctoribus citatos invenio, subjicere hujus loci esse existimo.

Jam quidem et integras bibliothecas exstitisse in veteri Aegypto, auctorem habemus Hecataeum Abderitam apud Diodorum loco supra adducto[2], ubi inter aedificia Osymandei sacra bibliotheca memoratur, cui inscriptus erat titulus: *medicatorium animae*: et ingentem fuisse apud eos librorum copiam, jam inde colligitur, quod ex indicio Jamblichi Hermeticorum voluminum numerum Seleucus prodidit viginti millia, Manetho triginta sex millia et quingenta viginti quinque[3]. Scilicet libros aut vetustate venerabiles aut argumenti dignitate conspicuos, et sacrorum appellatione cohonestare, et Thoth sive Hermeti deo, litterarum artium-

[1] Vide supra pag. 429.— 433. 457. De antiquitate chartae papyraceae apud Aegyptios atque Graecos, consule Guilandinum commentario in Plinii locum de papyro, cum notis Scaligeri, membro 2.

[2] Bibl. lib. 1. cap. 49. supra pag. 420.

[3] Jambl. de myster. 8., cap. 1.

que inventori, adscribere consueverant. Inprimis autem eos libros sacros dicebant qui naturam ordinemque et cultum deorum explicabant, ut ille quem teste Manethone scripsit Suphis rex, maximae pyramidis conditor. Is enim cum aliquando deorum contemtor exstitisset, postea ad saniorem mentem reversus sacrum librum edidit, quem maximi faciebant Aegyptii [4]. Ejusdemque generis librum, deorum ritus honoresque continentem, prisco tempore ab accipitre Thebas delatum narrabant, licio purpureo constrictum, in cujus rei memoriam sacros scribas licium purpureum et pennam accipitrinam capite gestasse, refert Diodorus [5]: *τινες δε φασιν εν τοις αρχαιοις χρονοις ἱερακα βιβλιον ενεγκειν εις Θηβας τοις ἱερευσι, φοινικῳ ραμματι περιδεδεμενον, εχον γεγραμμενας τας των θεων θεραπειας τε και τιμας· διοπερ και τους ἱερογραμματεις φορειν φοινικουν ραμμα και πτερον ἱερακος επι της κεφαλης*. Pariter commentarii qui antiquarum rerum narrationem complectebantur, gentis historiam regumque et heroum praeclara facinora, sacri appellabantur, atque in templis et adytis curiose custodiebantur. Inde est quod Manetho se annales suos e sacris commentariis hausisse affirmabat [6]; eorundemque in pluribus locis meminit Diodorus, referens in iis et formam et ingenium et facta principum enarrari, ac sacrorum scribarum munus fuisse, quae in iis inveniebantur ad vitae institutionem utilia, statis horis recitare coram principe et populo: *περι ὧν ἁπαντων ὁι μεν ἱερεις ειχον αναγραφας εν ταις ἱεραις βιβλοις εκ παλαιων χρονων αει τοις διαδοχοις παραδεδομενας, ὁπηλικος ἑκαστος των βασιλευσαντων εγενετο τῳ μεγεθει, και ὁποιος τις τη φυσει, και τα κατα τους ιδιους χρονους ἑκαστῳ πραχθεντα* [7]. — *ὁι ἱερεις συνδιατριβουσι τῳ βασιλει, εκ των εν ταις ἱεραις βιβλοις αναγεγραμμενων πραξεων τας ωφελησαι δυναμενας παραγινωσκοντες* [8]. — *του βασιλεως ἱεροσκοπησαμενου και καλλιερησαντος, (ὡρᾳ διατεταγμενῃ, περιεστωτος του πληθους των αιγυπτιων,) ὁ μεν ἱερογραμματευς παρανεγινωσκε τινας συμβουλιας και πραξεις συμφερουσας, εκ των ἱερων βιβλων, των επιφανεστατων ανδρων* [9]. Nec mirum in maximo honore fuisse sacros istos commentarios, qui et religionem gentis comprehendebant et historiam ac instituendae vitae praecepta: quamobrem cum Artaxerxes Ochus Aegypto capta et direpta eos ex templis abstulisset, sacerdotes ingenti pretio redemerunt a Bagoa eunucho, ut auctor est idem Diodorus [10]: *αρταξερξης παραλαβων πασαν την αιγυπτον, και των αξιολογωτατων πολεων τα τειχη περιελων, τα μεν ἱερα συλησας ηθροισεν αργυρου τε και χρυσου πληθος, απηνεγκε δε και τας εκ των αρχαιων ἱερων αναγραφας, ἁς υστερον βαγωας πολλων χρηματων ανελυτρωσε τοις ἱερευσι των αιγυπτιων*.

---

[4] Syncell. pag. 56. supra pag. 393.

[5] Lib. 1. cap. 87. Confer Clem. Alex. strom. lib. 6. cap. 4. mox infra adducendum.

[6] Joseph contra Apion. lib. 1. cap. 14. tom. 2. pag. 444. *μανεθων ην το γενος ανηρ αιγυπτιος, της ἑλληνικης μετεσχηκως παιδειας, ὡς δηλος εστι· γεγραφε γαρ ἑλλαδι φωνῃ την πατριον ἱστοριαν, εκ τε των ἱερων (βιβλων), ὡς φασιν αυτος, μεταφρασας*: „ Manetho erat genere Aegyptius, „ Graeca, ut patet, eruditione imbutus: scri- „ psit enim historiam patriam Graeca lingua, „ atque e sacris libris, ut ipse ait, traductam „. Et mox: *εν αλλῃ δε τινι βιβλῳ των αιγυπτιακων μανεθων τουτο φησιν εθνος, τους καλουμενους ποιμενας, αιχμαλωτους ταις ἱεραις αυτων βιβλοις γεγραφθαι*. „ In alio autem rerum Aegyptiacarum li- „ bro inquit Manetho, gentem illam qui vocan- „ tur pastores, in sacris eorum libris scribi „ captivos „.

[7] Diod. lib. 1. c. 44. Conf. ibid. c. 43. 63. 95. 96.

[8] Ibid. cap. 70.

[9] Ibid. cap. 73.

[10] Lib. 16. cap. 51.

De Hermete illo Aegyptio cum multae sint et dissonae cum veterum tum recentiorum scriptorum sententiae, nostra ea est, nunquam exstitisse eum inter mortales; sed sub hoc vocabulo intellexisse priscos Aegyptios deum aliquem aut genium humanae mentis praesidem, aut vero quod idem est, ipsam eam humanae mentis virtutem, cujus efficacia inventae fuere scientiae ac nobiliores artes, seu velut a coelesti omnium bonorum fonte, ab aeterni numinis mente, ad mortales derivatae. Hunc deum peculiari ratione sibi vindicaverunt, atque ordinis sui antistitem coluerunt sacerdotes qui dicuntur in Aegypto; is scilicet ordo hominum, cui ex illius reipublicae instituto non solum deorum caeremoniae, sed et inprimis legum custodia, judicia, censura morum, scientiarum pariter artiumque studium, proprio ac hereditario jure concessa fuere. Quare cum reliqua ad se spectantia tum et volumina a suis hominibus scripta et universo ordini probata, illius nomini sacraverunt; id sibi proponentes, ut et populo essent acceptiora, et ipse ordo ad ea, tamquam a deo antistite profecta, servanda et custodienda excitaretur: quod jam advertit Jamblichus in libro de mysteriis [11]: *θεος ὁ των λογων ἡγεμων, ὁ ἑρμης, παλαι δεδοκται καλως ἁπασι τοις ἱερευσι ειναι κοινος. ὁ δε της περι θεων αληθινης επιστημης προεστηκως ἑις εστιν ὁ αυτος εν ὁλοις· ᾡ δη και ὁι ἡμετεροι προγονοι τα αυτων της σοφιας ἑυρηματα ανετιθεσαν, ἑρμου παντα τα οικεια συγγραμματα επονομαζοντες.* Itaque minime quaeremus, quos libros scripserit Hermes, quem nullos unquam scripsisse pro certo statuimus, sed qui fuerint libri quos Hermeticorum appellatione honoravere sacerdotes Aegyptii, et quid putandum de iis qui sub hoc nomine adducuntur a Graecis Romanisque auctoribus. Videntur autem duplicis generis fuisse libri quos ad Hermetem referebant veteres Aegyptii, sacratiores alii vetustioresque, et velut normales diceres sive ut inquit Clemens plane necessarios, qui in unum corpus coacti ea complectebantur quae sacerdotes scire oportebat; alii minoris dignationis, praefatorum velut commentationes et declarationes, in quibus eaedem illae doctrinae ac scientiae, successivo temporis lapsu a variis doctoribus, pro cujusque saeculi conditione, locorumque et hominum differentia, explicatae et auctae proponebantur. Ita enim ut sentiam, facit Manetho hierogrammateus a Jamblicho citatus, qui Hermeticorum librorum agnoscit plusquam triginta millia, cum Clemens Alexandrinus, ubi sacerdotum classes recenset et qui cuique discendi tradebantur libri, non plures indicet quam quadraginta duo, praeterea quod Jamblichus adnotet explicuisse Hermetem in libris mille ducentis rerum primordia, deos epuranios, aetherios et empyreos, in libris autem veterum hierogrammatum, quos Hermeti adscribi consuevisse ipse affirmat, varias tradi de diis neque omnino constantes sententias, quamquam uni eidemque basi innixas, atque dum recte inter se fuerint comparatae, ad idem caput revertentes. En verba ejus [12]: *ερω σοι την αιτιαν δι ἡν εν τε τοις γραμμασι των αρχαιων ἱερογραμματεων πολλαι και ποικιλαι δοξαι περι τουτων φερονται, και παρα τοις ετι ζωσι των σοφων τα μεγαλα ουχ ἁπλως ὁ λογος παραδιδοται. λεγω δη ουν ὡς πολλων ουσιων υπαρχουσων, και τουτων διαφερουσων, παμπληθεν πολλαι παρεδοθησαν αυτων, και αρχαι διαφορους εχουσαι ταξεις, αλλαι μεν αλλοις των παλαιων ἱερεων. τας μεν ουν ὁλας ἑρμης εν ταις δισμυριαις βιβλοις, ὡς σελευκος, απεγραψατο, η ταις τρισμυριαις ἑξακισχιλιαις πεντακοσιαις*

---

[11] Sect. 1. cap. 1. supra pag. 48.

[12] De myster, sect. 8. cap. 1, 2.

εικοσι πεντε, ὡς μανεθως ἱστορει, τελεως ανεδειξε. τας δε επι των κατα μερος ουσιων αλλοι αλλας διαβαλλοντες των παλαιων πολλαχου διερμηνευουσι. — ἁυται μεν ουν εισιν αρχαι πρεσβυταται παντων, ἁς ἑρμης προ των αιθεριων και εμπυρων θεων προταττει και των επουρανιων· ἑκατον μεν περι της ἱστοριας των αιθεριων συγγραμματα παραδους, χιλια δε περι των επουρανιων. Jamblichus quidem hoc loco, oblitus ut videtur eorum quae superius scripserat, libros Hermetis tanto numero a Seleuco et Manethone proditos distinguit a scriptis hierogrammatum, et quae in Aegyptiorum doctrinis offendebantur discrepantiae, hisce in culpam vertit: sed cum fateatur sibi non inspectos fuisse libros illos Hermetis, ne de numero quidem constare, nobis omnino videtur credibile, Manethonem locutum esse de omnibus illis qui a variis sacerdotibus concinnati Hermetici appellabantur: inque his primo loco comprehensa fuisse quadraginta duo volumina, quorum meminit Clemens, porro mille ducenta, quae saltem quo tempore scripsit Jamblichus ab ipso Hermete profecta credebantur, dein reliquam sacerdotalium librorum turbam. Caeterum ab astrologorum rationibus petitus est voluminum numerus quem Manetho prodidit, nec certi quid inde eliciendum existimo, nisi illud eo scribente ad insignem multitudinem excrevisse libros Hermeticos. Nam Sothiaca periodus annorum mille quadringentorum sexaginta et unius, astronomis pariter atque genethliacis celebrata, vicies quinquies repetita efficit triginta sex millia annorum quingentos viginti quinque, sive tot saecula quot sunt dies in anno solari: tot ideo annis Aegyptium imperium usque ad Alexandrum durasse adstruit vetus chronographeum Aegyptium apud Syncellum [13], et hoc numero tamquam sacro et venerabili Hermetica scripta definienda censuit Manetho.

Clemens de sacratioribus libris Hermeti adscriptis atque a sacerdotum classibus edisci solitis ita disserit [14]: *μετιασι γαρ οικειαν τινα φιλοσοφιαν αιγυπτιοι. αυτικα τουτο εμφαινει μαλιστα ἡ ἱεροπρεπης αυτων θρησκεια. πρωτος μεν γαρ προερχεται ὁ ᾠδος, ἑν τι των της μουσικης επιφερομενος συμβολον. τουτον φασι δυο βιβλους ανειληφεναι δειν εκ των ἑρμου, ὡν θατερον μεν υμνους περιεχει θεων, εκλογισμον δε βασιλικου βιου το δευτερον. μετα δε τον ᾠδον ὁ ὡροσκοπος, ὡρολογιον τε μετα χειρα και φοινικα αστρολογιας εχων συμβολα, προσεισι. τουτον τα αστρολογουμενα των ἑρμου βιβλιων, τεσσαρα οντα τον αριθμον, αει δια στοματος εχειν χρη· ὡν το μεν εστι περι του διακοσμου των απλανων φαινομενων αστρων* [15], *το δε περι των συνοδων και φωτισμων ἡλιου και σεληνης,*

---

[13] Pag. 51. *φερεται αιγυπτιοις παλαιον τι χρονογραφειον, εξ ου και τον μανεθω πεπλανησθαι νομιζω, περιεχον λ' δυναστειων εν γενεαις παλιν ριγ' χρονον απειρον, και ου τον αυτον τῳ μανεθῳ, μυριασι τρισι και ͵ϛ φκε' ετεσι. — ταυτα αναλυομενα ητοι μεριζομενα παρα τα αυξα' ετη εικοσιπεντακις, την παρ' αιγυπτιοις και ἑλλησιν αποκαταστασιν του ζωδιακου μυθολογουμενην δηλοι, τουτ' εστι την απο του αυτου σημειου επι το αυτο σημειον, ὁ εστι πρωτον λεπτον της πρωτης μοιρας του ισημερινου ζωδιου, κριου λεγομενου παρα αυτοις, ὡσπερ και εν τοις γενικοις του ἑρμου και εν ταις κυραννισι βιβλοις ειρηται.* „ Vetus quoddam chronographeum „ fertur apud Aegyptios, quo et Manethonem „ in errorem abductum existimo, quodque 30 „ principatuum per 113 generationum seriem „ immensum temporis spatium complectitur, „ annos videlicet 36525: qui quinquies et vicies in 1461 resoluti et distributi decantatam indicant Graecorum et Aegyptiorum fabulis zodiaci in primum statum reparationem, hoc est in primi gradus aequinoctialis „ signi, arietis apud eos vocati, primum minutum, prout in genicis Hermetis et in cyrannidibus libris amplius continetur „.

[14] Strom. lib. 6. cap. 4. pag. 757.

[15] Suspicor Clementem scripsisse *των απλανων, το δε των πλανωμενων αστρων*: nam cum

το δε λοιπον περι των ανατολων. ἑξης δε ὁ ἱερογραμματευς προερχεται, εχων πτερα επι της κεφαλης, βιβλιον τε εν χερσι και κανονα, εν ᾧ το τε γραφικον μελαν και σχοινος ᾗ γραφουσι. τουτον τα τε ἱερογλυφικα καλουμενα, περι τε της κοσμογραφιας και γεωγραφιας, της ταξεως του ἡλιου και της σεληνης, και περι των πεντε πλανωμενων, χωρογραφιαν τε της αιγυπτου και της του νειλου διαγραφης, περι τε της καταγραφης σκευης των ἱερων και των αφιερωμενων αυτοις χωριων, περι τε μετρων και των εν τοις ἱεροις χρησιμων, ειδεναι χρη. επειτα ὁ στολιστης τοις προειρημενοις ἑπεται, εχων τον τε της δικαιοσυνης πηχυν και το σπονδειον. ὁυτος τα παιδευτικα παντα και μοσχοσφραγιστικα καλουμενα. δεκα δε εστι τα εις την τιμην ανηκοντα των παρ' αυτοις θεων και την αιγυπτιαν ευσεβειαν περιεχοντα· ὁιον περι θυματων, απαρχων, υμνων, ευχων, πομπων, ἑορτων και των τουτοις ὁμοιων. επι πασι δε ὁ προφητης εξεισι, προφανες το υδρειον εγκεκολπισμενος· ᾧ ἑπονται ὁι την εκπεμψιν των αρτων βασταζοντες. ὁυτος, ὡς αν προστατης του ἱερου, τα ἱερατικα καλουμενα δεκα βιβλια εκμανθανει. περιεχει δε περι νομων και θεων, και της ὁλης παιδειας των ἱερεων. ὁ γαρ τοι προφητης παρα τοις αιγυπτιοις και της διανομης των προσοδων επιστατης εστιν. δυο μεν ουν και τεσσαρακοντα ἁι πανυ αναγκαιαι τῳ ἑρμῃ γεγονασι βιβλοι· ὡν τας μεν τριακοντα ἑξ, την πασαν αιγυπτιων περιεχουσας φιλοσοφιαν, ὁι προειρημενοι εκμανθανουσι· τας δε λοιπας ἑξ ὁι παστοφοροι, ιατρικας ουσας, περι τε της του σωματος κατασκευης, και περι νοσων, και περι οργανων και φαρμακων, και περι οφθαλμων, και το τελευταιον περι των γυναικειων. „ Suam enim quandam et peculiarem „ exercent Aegyptii philosophiam. Hoc autem maxime ostendunt sacrae eo„ rum caeremoniae. Primus enim procedit cantor, unum aliquod afferens „ ex symbolis musicae. Eum dicunt oportere retinere duos libros ex libris Herme„ tis: ex quibus unus quidem continet hymnos deorum, alter vero rationes vi„ tae regiae. Post cantorem vero procedit horoscopus, qui in manu habet ho„ rologium et palmam, symbola astrologiae. Eum libros Hermetis qui tractant „ de astrologia, qui quidem sunt quatuor numero, oportet semper habere in ore. „ Ex quibus unus quidem est de ordine inerrantium quae videntur astrorum, alius „ vero de coitu et illuminatione solis et lunae, reliqui de eorum ortu. Deinceps „ autem hierogrammateus pennas habens in capite, et librum in manibus ac re„ gulam, in qua est et atramentum ad scribendum et juncus quo scribunt, pro„ greditur [16]. Hunc oportet scire ea quae vocantur hieroglyphica, et quae tra-

---

de quatuor libris sermo sit, vocula τε ter tantum repetita indicio est, quaedam hic excidisse: illud vero φαινομενων plane superfluum est.

[16] Confer Diod. lib. 1. cap. 87. supra citatum pag. 503, et inspice pompam Isiacam anaglyptice scalptam in marmore prostante Romae in aedibus Matthaeiis ac publicis juris facto a Bartolio in *admir. Rom. antiqu. vestig.* tab. 68. a Montfauconio in *ant. expl.* tom. 2. tab. 116. ab Amadutio in *monum. Matth.* t. 3. tab. 26. fig. 2. Vides enim hic virum calvum et imberbem, praecinctorio ad pedes promisso cinctum, caetera nudum, qui capite gestat taeniam ac pennas duas, manibus autem ante praetensis tenet volumen apertum. Is quidem scriptoriis instrumentis destituitur, quid vero fuerit κανων ille de quo loquitur Clemens, intelligimus ex hujusmodi utensili aeneo servato inter monumenta Aegyptia collectionis Caylianae, quam adi tom. 4. tab. 20. Caeterum in scalpturis Aegyptiis, cum inter figuras symbolicas tum et inter hieroglyphicos characteres, crebro conspicimus icunculas taeniam ac pennam capite gestantes, Hermetis puto imagines, ut antistitis hierogrammatum. Hesych. v. πτεροφοροι· καλουνται δε ούτως και των εν αιγυπτω ἱερεων τινες. „ Pennigeri ap„ pellantur quidam inter sacerdotes in Aegy„ pto „.

„ ctant de cosmographia et geographia, et ordine solis et lunae et de quinque „ planetis, Aegyptique chorographiam et Nili descriptionem, et descriptionem „ apparatus templorum locorumque eis consecratorum, deque mensuris et de iis „ rebus quae in templorum usum absumuntur. Deinde post eos qui prius dicti „ sunt sequitur qui dicitur stolistes, qui justitiae cubitum et ad libandum habet „ calicem. Is scit omnia quae vocantur paedeutica et moschosphragistica. Sunt au- „ tem decem libri qui pertinent ad honorem eorum qui sunt apud eos deorum, et „ Aegyptiam continent religionem: nempe de sacrificiis, primitiis, hymnis, „ precibus, pompis, diebus festis et quae sunt his similia. Post omnes exit „ propheta, qui propatulam in sinu gestat hydriam [17]: quem sequuntur qui emis- „ sos panes portant. Is, ut qui sit sacrorum praefectus, ediscit libros decem qui „ vocantur sacerdotales: continent autem de legibus et diis et universa sacerdo- „ tum disciplina. Propheta enim apud Aegyptios praeest etiam distributioni redi- „ tuum. Sunt ergo quadraginta duo libri Hermetis valde necessarii, ex quibus tri- „ ginta quidem et sex, qui continent omnem Aegyptiorum philosophiam, edi- „ scunt ii qui ante dicti sunt: reliquas autem sex pastophori, ut qui pertineant ad me- „ dicinam, nempe de constructione corporis, et de morbis et de instrumentis et me- „ dicamentis, et de oculis, et postremo de mulierum affectionibus „. Haec Clementis verba jam per se satis clara commentario non indigent. Inter scripta Hermetica, hymnodis commendata fuisse lyrica, quae deorum regumque laudes complectebantur, astrologica horoscopis, medica pastophoris sive aedituis, quae infima

---

[17] Apulej. metam. lib. 11. pag. 374.: „ Gerebat alius felici suo gremio summi numinis „ venerandam effigiem: — ad istum plane „ modum, fulgente auro figurata urnula faber- „ rime cavata, fundo quam rotundo, miris ex- „ trinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata. „ Ejus orificium altiuscule levatum in canalem „ porrectum longo rivulo prominebat: ex alia „ vero parte multum recedens spatiosa dilatio- „ ne adhaerebat ansa, quam contorto nodulo „ supersedebat aspis squameae cervicis striato „ tumore sublimis „. Adde Vitruv. lib. 8. praef., Plutarch. de Isid. p. 441. tom. 2. p. 365. In anaglypho Matthaeiano modo laudato post scribam sacrorum procedit propheta, senex imberbis et calvus atque ampliori pallio indutus, qui ambabus manibus pallio obtectis hydreum, ei quod describit Apulejus omnino simile, sinui admotum sustinet. In alio autem marmore, scalpturae admodum incomptae, pertinens ut videtur ad quartum vulgaris aerae saeculum, quod servatum Romae in villa Rondininia, pariter ob oculos sistit pompam Aegyptiam, propheta hydrei loco gestat Canopi dei simulacrum. Praecedit hunc hymnodus manu elata sistrum praeferens, comite puero tibicine: sequitur autem stolista, altera manu gerens cubitum sive brevem baculum, altera arulam ignitam. Scalptor enim pro spondeo quod a stolista geri inquit Clemens, in manum ei tradidit pyreon, ad mentem Porphyrii, qui lib. 4. de abstin. pag. 374. ait, Aegyptiorum deorum ministerium aqua ac igne fieri, et in celebritate quam vocabant apertionem Sarapidis, hymnodum in publica via stantem et deum evocantem, jubere aquam effundere et ignem excitare: *ὡς πȣ ετι και νυν εν τῃ ανοιξει τȣ ἁγιȣ σαραπιδος ἡ θεραπεια δια πυρος και υδατος γινεται, λειβοντος τȣ υμνῳδȣ το υδωρ και το πυρ φαινοντος, ὁπηνικα ανεϛως επι της ὀδȣ τῃ πατριᾳ των αιγυπτιων φωνῃ εγειρει τον θεον.* Eodem pertinere videtur quod in pompa Isiaca, enarrata ab Apulejo metam. lib. 11. pag. 372. „ antisti- „ tum primus lucernam praemicantem claro „ porrigebat lumine, aureum scilicet cymbium „ in medio sui patore flammulam suscitans lar- „ giorem „. De hisce autem qui sacrum ignem curabant, accipiendum esse conjicio vocabulum *καμινευτων*, quod occurrit in inscriptione apud Fabrettum pag. 494. num. 187.: *μαρκου αυρηλιου σεουηρου αλεξανδρου ευτυχους ευσεβους σεβ. και ιουλιας μαμαιας σεβαστης μητρος σεβ. διι ηλιω μεγαλω σαραπιδι και τοις συνναοις θεοις μ. αυρηλιος ηρων νεωκορος του εν πορτω σαραπιδος επι λαργινιω βρεταλιωνι αρχιυπερετη και καμεινευτη και αυρηλιω φηβω και σαλωνιω οειδστω ιεροφωνοις και καμεινευταις χαριτȣ ιεροδουλεια ανεθηκεν επ αγαθω.*

erat sacerdotum classis, ritualia stolistis sive sacrificulis, prophetis legum scientiam et theologiam, praeterea quae pertinerent ad disciplinam ordinis et proventuum administrationem, hierogrammatis denique rerum ad Aegyptum spectantium encyclopaediam. Quae in singulis harum classium voluminibus contenta fuerint, sive qua ratione cujusque classis libri in volumina seu tomos fuerint divisi, non satis distincte indicat Clemens, nec scire multum interest [18]. Quae vero in universum docet de argumentis eorum, apprime consentiunt cum reliquorum auctorum testimoniis [19].

Hymnos quidem, ut de singulis dicam, ab Hermete scriptos, memoratos non inve io, nisi quod in Pseudohermeticis comprehensa sit *υμνωδια κρυπτη*, quam a Christiano homine confictam putant viri docti [20]. In iisdem inducitur Isis Orum

---

[18] Consule Marshamum canone chron. p. 241. Lambecium comment. de bibl. Caes. Vindob. lib. 7. pag. 50. ed. Kollar. et Fabricium bibl. Graec. lib. 1. cap. 11. §. 5. tom. 1. pag. 84. ed. Harles. Nobis haec fere voluminum series e Clemente colligi posse videtur:

ά. υμνοι θεων.
β'. εκλογισμος βασιλικου βιου.
γ'. — ς'. αςρολογουμενα.
γ'. διακοσμος των απλανων.
δ'. περι των πλανωμενων αςρων.
έ. περι συνοδων και φωτισμων ήλιου και σελήνης.
ς'. περι ανατολων.
ζ'. ή. ἱερογλυφικα.
θ'. κοσμογραφια, ταξις ήλιου και σελήνης και των πεντε πλανωμενων.
ί. γεωγραφια.
ιά. χωρογραφια αιγυπτου.
ιβ'. διαγραφη του νειλου.
ιγ'. καταγραφη των αφιερωμενων χωριων.
ιδ'. καταγραφη σκευης των ἱερων.
ιέ. περι μετρων
ις'. περι των εν τοις ἱεροις χρησιμων.
ιζ'. — κς'. παιδευτικα και μοσχοσφραγιστικα καλουμενα.
ιζ'. περι θυματων.
ιή. περι απαρχων.
ιθ'. περι υμνων.
κ'. περι ευχων.
κά. περι πομπων.
κβ'. — κς'. περι ἑορτων και των τουτοις ὁμοιων.
κζ' — λς'. ἱερατικα καλουμενα. περι νομων και θεων και της ὁλης παιδειας των ἱερεων.
λζ'. — μβ'. ιατρικα.
λζ'. περι της του σωματος κατασκευης.
λή. περι νοσων.
λθ'. περι οργανων.
μ'. περι φαρμακων.
μά. περι οφθαλμων.
μβ'. περι των γυναικειων.

[19] Non video cur cl. Tychsenius *über die buchstabenschrift der Aeg.* pag. 31. neget libros de quibus Clemens loquitur exstitisse apud veteres sacerdotes Aegyptios, sed sub Ptolemaeorum imperio consarcinatos putet. Diodorus quidem eorum non expresse meminit, at quaeso quae ratio est existimandi retulisse Diodorum omnia quae de Aegyptiorum institutis sciri potuerunt? aut quid obstat quominus credamus, Clementem qui Alexandriae natus vixit in Aegypto et quamplurimos veteres auctores evolvisse agnoscitur, multa rescivierit, quae latuere Diodorum, qui Aegyptum ut facere solent peregrinatores festinanter peragravit, quique dum historiam oecumenicam scribendam sibi proposuisset, non sane de singulis populorum institutis accurate quaerere potuit? Quod vero Strabo, scriptor et ipse encyclicus resque perfunctorie tractare assuetus, sacrificulos Heliopolitanos ignorantiae accuset, si aliquid ad rem facit, potius obstat Tychsenii sententiae, libros illos sub Ptolemaeis fuisse congestos, quam relationi Clementis, quem de antiquis in Aegypto sacerdotibus ante Persarum Graecorumque tempora locutum credere possumus. Neque illud magni momenti est, quod in hoc Clementis loco et sacerdotum in classes divisorum et astrologiae mentio fit, rerum, ut Tychsenius inquit, in Aegypto quantum comperimus ignoratarum. Nam ut mittam scriptores veteres, qui utramque rem in Aegypto commemoravere, quosque ignorare non potuit Tychsenius, sed fide dignos non putavit, jam nihil est quod vetet *αςρολογουμενων* vocabulum hoc loco accipere de astronomia, qua de re infra; quod vero ad hierarchiam attinet, etiam silentibus Clemente reliquisque scriptoribus, vix dubitari posse reor Aegyptios sacerdotes, qui primus erat et nobilissimus in illa gente hominum ordo, quorumque tot erant munera atque officia, in plures classes divisos fuisse.

[20] Vide Fabric. bibl. Graec. lib. 1. cap. 7. §. 5. tom. 1. pag. 58.

filium deorum hymnos edocens [21], uti jam Plato affirmat, antiquissimos in Aegypto hymnos Isidi deae tribui consuevisse [22]. Nam et hoc obtinuisse apud hierogrammates ut in libris suis deam Isidem filiumque Orum loquentes introducerent, ac velut scientiarum quae in illis continebantur auctores ante oculos ponerent, apparet etiam ex Pseudohermeticis, quos qui finxerunt formam omnino modumque vetustorum in Aegypto librorum imitatos esse, sane videtur credibile [23]. Inde quoque est quod Lucianus Ori Isidisque libros apud Aegyptios in adytis servari dictos suggillet [24]. Id saltem liquet vetustissimum fuisse apud Aegyptios lyricorum poematum usum, quibus et deorum laudes continebantur et veterum heroum egregia facta, quaeque cum in deorum caeremoniis tum in conviviis cani consueverant [25]: eaque in Hermeticis libris duobus voluminibus comprehensa fuisse, docemur hoc loco a Clemente. In altero enim scripti erant hymni deorum, in altero veterum principum laudes ita erant ordinatae, ut quae regem facere deceret sub factorum specie exponerentur, ideoque huic libro titulus erat: regiae vitae institutio. Nam sacerdotes hac methodo in regibus instruendis usos esse, veterumque hominum exemplis quotidie in memoriam revocatis ad justos fortesque se geren-

---

21 Vide Hermetica ex edit. Patricii lib. 13. fol. 32. *ter.*

22 Plato leg. lib.2. opp. tom. 2. p.657: *αλλ' ἑτερα φαυλ' αν ἑυροις αυτοθι, τουτο δε το περι μουσικην αληθες τε και αξιον εννοιας, ότι δυνατον αρ' ην περι των τοιουτων νομοθετεισθαι βεβαιως θαρρουντα, μελη τα την ορθοτητα φυσει παρεχομενα. τουτο δε θεου η θειου τινος αν ειη· καθαπερ εκει φασι τα τον πολυν τουτον σεσωσμενα χρονον μελη, της ισιδος ποιηματα γεγονεναι.* „ Invenies ibi alia quaedam levia: sed hoc circa musicam verum „ est dignumque animadversione: quod videlicet poterat de rebus hujusmodi certa stabili„ que lege caveri, et legum latorem ausum „ fuisse concentus tales qui natura sua rectitudi„ nem exhiberent inducere. Quod quidem aut „ dei aut divini alicujus viri opus est: quemad„ modum et ibi ferunt antiquissimos illos apud „ eos concentus, Isidis esse poemata „. Cf. leg. 7. pag. 798.

23 Libros qui sub Hermetis nomine circumferuntur post Christum natum vario tempore et a variis hominibus confictos fuisse, jam convenit inter eruditos: neque hic mihi sermo est de Graecis libris, sed de Aegyptiis. Vide de illis Fabricium bibl. Gr. lib. 1. cap. 7. —— 10. cap. 11. §. 4. tom. 1. pag. 50. sqq. pag.84. Sed nec isti umbram facere debent narrationibus veterum scriptorum de libris Hermeticis, nec putare debemus omnia quae in iis continentur aliena esse a priscorum Aegyptiorum institutis. Jamblichus qui partem eorum qui hodie exstant ante oculos habuisse videtur, advertit concinnatos fuisse a Graecis philosophis et ipsorum philosophiae accommodatos, sed eodem tempore affirmat doctrinas Hermaicas in illis exponi. Illud etiam quod Neoplatonica theologia et theurgia, quae docentur in Pseudohermeticis, in Aegypto natae sint, suspicari facit jam apud veteres in Aegypto sacerdotes hujusmodi opiniones viguisse. Sed de argumento quomodocunque statuere placet, omnino credendum reor, auctores eorum, ad majorem fidem iis conciliandam, formam servasse Aegyptiis solemnem, nec temere Isidem et Orum, Osirin, Ammonem, Hermetem, Tat et Harpocratem quem Asclepium vocant, colloquentes introduxisse.

24 Lucian. in Gallo §.18.opp. tom. 2. p.729. *πυθαγορας ων αποδημησα εις αιγυπτον, ὡς συγγενοιμην τοις προφηταις επι σοφιᾳ, και ες τα αδυτα κατελθων εξεμαθον τας βιβλους τας ωρου και ισιδος.* „ Cum Pythagoras essem, peregrinatus „ sum in Aegyptum, ut de sapientia conferrem „ cum prophetis: atque admissus in adyta, „ edidici libros Ori et Isidis „.

25 Vide praeter Platonem jam citatum, Diod. lib. 1. cap. 53. 72. lib. 17. cap.50. Curt. de reb. Alex. lib. 4. cap. 7. Clem. Alex. paedag. lib. 3. cap. 2. pag. 252. Porph. de abstin. lib. 4. p.*369*. Plut. de Isid. pag. *466*. *467*. 435. 410. tom. 2. pag. 371. *363*. *357*. Herod. lib. 2. cap. 79. Aristid. eleusin. opp. tom. 1. pag. 259. Nonn. ad S. Gr. Nazianz. stelit. 2. num. 25. Eudoc. viol. pag. 305. Fuere et inter sequioris aevi Graeculos qui poesin ex Aegypto in Graeciam migrasse putarent, ipsumque Homerum Iliada et Odysseam ab Aegyptiis mutuatum fabularentur. Ptolem. Hephaest. narr. 5. Eustath. in Odyss. proem. pag. 1379. Taceo eos qui Homerum et Orpheum in Aegypto natos prodiderunt.

dos eos excitasse, patet e Diodori verbis supra adductis [26]. Ut vero et haec carminibus explicata credam, ea ratione adducor quod hymnodo [27] essent concredita, praeterea quod apud omnes fere gentes fabulosae antiquitatis eventa, et quae prima iis placuere morum praecepta, memoriae juvandae gratia rhythmice concepta videmus. Meminit quoque Diodorus odarum Aegyptiarum quae complexae laudes Sesostridis in rebus ejus enarrandis dissentiebant a sacerdotum annalibus [28]. Jamque inde quod patrio instituto gestarum rerum memoria carminibus esset commendata, ut apud reliquos fere vetustos populos, accidit et inprimis apud Aegyptios, ut veterum hominum res gestae cum deorum fabulis connecterentur atque complicarentur, quod auctore Clemente Alexandrino jam supra notavimus [29], aucta praeterea ex hieroglyphicorum aenigmatibus antiquae historiae obscuritate, dum qui post vixere Aegyptiarum rerum scriptores ex publicis sacrisque monumentis hieroglyphice exaratis, atque ex carminibus metaphorarum imaginumque copia sonoris, annales suos compilarent, nec facili negotio facta a mythis, res narratas a narrationum ornamentis secernerent. Sequuntur in Hermeticorum voluminum recensione, astrologumenon libri quatuor, horoscopo [30] sive fastorum praesidi commendati, qui ubi in publicum prodiret, altera manu gestabat horologium, altera palmae ramum, mensium praedestinato ordine procedentium et expleto annuo circulo in idem caput revertentium symbolum [31]. Hi omnia ea complectebantur quae ad coelestium corporum scientiam pertinent, de ordine motuque eorum, de occursu et ortu, nec non de efficacia et significatione eorundem. Veteres enim astrologiae vocabulo junctim appellasse, quae nos ex parte astronomiam ex parte astrologiam vocare solemus, et utramque scientiam apud antiquos populos una excultas atque ab iisdem hominibus tractatas fuisse, notius est quam ut probatione indigeat. Utramque autem ab Aegyptiis maxime et a Chaldaeis ad Graecos transiisse, aeque notum est: et amplius apparebit infra ubi de Petosiri dicemus, qui post Hermetem coelestium scientiam in primis excoluisse fertur. Quae astrologicos libros excipiunt decem volumina continent hierogrammatum scientiam, velut encyclopaediam eorum, quae hominem Aegyptiaco more eruditum scire opportebat, insimulque earum rerum notitiam, quae ad agros aestimandos proventusque eorum administrandos scitu erant necessariae. Fuere enim hierogrammates fere ut apud Graecos

---

[26] Lib. 1. cap. 70. 73. supra pag. 503.

[27] Quem *ᾀδὸν* vocat Clemens, Porphyrio *υμνῳδος* est loc. cit. supra not. 17. Qui vero eum comitabatur psallentium chorus, Romae saltem secundo post Christum saeculo dicebantur paeanistae, ut colligitur ex inscriptione apud Gruter. p. 314. n. 2. *η ιερα ταξις των παιανιστων των εν ρωμη διος ηλιου μεγαλου σαραπιδος και θεων σεβαστων ετειμησαν εμβην προφητην πατερα της προγεγραμμενης ταξεως προτομη μαρμαρινη η ανατεθεισα εν τω οικω των παιανιστων τη ημρ ά νωνων μαιων η εστιν κατα αλεξανδρεις παχων ιά επι κουρατορος μετειλιου αμπλιατου πρεσβυτερου σεξτω ερουκιω κλαρω β' γνεω κλαυδιω σεβηρω κωσ*. Quod est an. Chr. 146. Eosdemque *ἱεροφωνων* vocabulo intelligi reor in epigrammate apud Fabret. p. 494. num. 187.

[28] Diod. lib. 1. cap. 53. *περι τουτου του βασιλεως ου μονον οι συγγραφεις οι παρα τοις ἑλλησι διαπεφωνηκασι προς αλληλοις, αλλα και τα κατ' αιγυπτον οἱ τε ἱερεις και οἱ δια της ᾠδης εγκωμιαζοντες ουχ ὁμολογουμενα λεγουσιν*. „ De rege isto non „ Graeci solum scriptores inter sese discre„ pant, verum etiam sacerdotes Aegypti et „ qui carmine laudes ejus celebrant, non con„ sentanea inter se narrant „.

[29] Pag. 425. 444. 458. Conf. Plutarch. de Isid. pag. 445. tom. 2. pag. 366.

[30] Horoscopi meminit Horapollo lib. 1. cap. 42. 49. astrorumque ortum et anni tempestates ab eo definiri innuit. Porphyrio lib. 4. de abst. pag. 371. dicitur *ὡρολογος*.

[31] Vide supra pag. 441. not. 25.

sophistae et grammatici, apud nos qui dicuntur philologi, vocabulo a Graecis in Aegypto invento, quod omnium primo tributum fuit Eratostheni Cyrenaico, Alexandrinae bibliothecae praesidi, homini in hierogrammaticis scientiis apprime versato. Peculiari autem munere agris describendis ac aestimandis praeerant, regumque et sacerdotum reditibus locandis atque supputandis, fere ut nunc sunt in Aegypto apud Arabes Turcasque scribae Coptitae [32]. Itaque ex eorum libris priora volumina complectebantur antiquarum litterarum interpretationem, hieroglyphica dicta; sequentia mundi orbisque enarrationem: in reliquis autem continebatur accurata Aegyptiae terrae Nilique descriptio, publicorum porro fundorum catalogus, rerumque in templis absumi solitarum, ac denique mensurarum quae in usu essent definitio. Totam hanc librorum decadem hieroglyphicorum nomine cohonestatam fuisse, multorum sententia est, quam vehementer quidem oppugnare nolo, modo id intelligant de libris ad veteres litteras interpretandas opportunis. Multo tamen mihi videtur credibilius, habuisse sacrorum scribas in Aegypto inter codices scientias sibi necessarias comprehendentes, nonnullos qui continerent grammaticae artis institutiones veterumque characterum declarationes, eo fere modo digestas quo sunt Sinensium lexica, atque hos *βιβλιων ἱερογλυφικων* vocabulo indicari a Clemente, ac reliquis eorundem libris praemitti [32*]. Succedit alia decas, ea complexa quae spectabant ad sacras caeremonias, a sacerdotali institutione paedeutica dicta, ab immolandorum vitulorum obsignatione moschosphragistica. Hi libri singuli singulis sacrorum ministris pro norma erant, siquidem et collegii moschosphragistarum, quorum munus erat animalia cibatu apta dijudicare, et bovinas inprimis victimas signaculo impresso approbare, librorumque qui ejus ministerii praecepta continebant, expresse meminit Porphyrius [33]: omnes autem qui erant libri paedeutici, custodieban-

---

[32] Apud Herodotum lib. 2. cap. 28. occurrit; „*εν σαϊ πολι ὁ γραμματιϛης των ἱρων χρηματων της αθηναιης*„ scriba sacrorum redituum Minervae „in Sai„ qui ipsi retulit de Nili fontibus inter Syenen et Elephantinen: videnturque ad hunc ordinem pertinuisse plerique eorum quos narrationum suarum auctores citat sacerdotes. Manetho in epistola ad Ptolemaeum Philadelphum apud Syncell. pag. 32. se ipsum appellat *αρχιερεα και γραμματεα των κατ' αιγυπτον ἱερων αδυτων*. Ipsum vero *ἱερογραμματεως* vocabulum antequam apud Diodorum me legisse non memini, qui lib. 1. cap. 15. 16. 70. 87. eo utitur ad sacerdotem denotandum scientiis artibusque incumbentem. Crebro deinde recurrit apud Aegyptiarum rerum scriptores, qui modo distinctum inter sacerdotes genus, modo totum ordinem, exceptis tamen aedituis atque istiusmodi ministris, eo intelligere videntur. Chaeremon apud Joseph cont. Apion. lib. 1. cap. 32. Philo Bybl. sive Arius Heracl. apud Euseb. praep. evang. lib. 1. cap. 10. pag. 41. Lucian. de sacrif. §. 14. in philops. §. 34. in macrob. §. 4. tom. 1. p. 537. tom. 3. p. 60. 210. Porphyr. de abstin. lib. 4. pag. 371. epist. ad Aneb. pag. 6. Jamblich. de myst. sect. 8. cap. 1. Aelian. de anim. hist. lib. 11. cap. 10. Apulej. metam. lib. 11. p. 380. Horap. lib. 1. cap. 38. 39. Suidas v. *ιαχην* et *ἱερογραμματεις*.

[32*] Hoc dicere voluisse Clementem, inde quoque colligo quod vocula *τε* praemissa voci *ἱερογλυφικα*, hieroglyphicos quos vocabant libros copulat cum sequentibus, qui tractabant de cosmographia, geographia caeterisque, non vero hos illis ut partes integro complexui subjungit. Cf. supra pag. 434. not. 39.

[33] Porphyr. de abstin. lib. 4. pag. 365: *των μεν ουν εκτος αιγυπτου γιγνομενων βρωματων τε και ποτων, ου θεμις ην άπτεσθαι· πολυς τις ὅυτως τρυφης απεκεκλειστο τοπος. των δε κατ' αυτην την αιγυπτον, ιχθυων τε απειχοντο παντων, και τετραποδων ὁσα μωνυχα η πολυσχιδη ἡ μη κερασφορα, πτηνων δε ὁσα σαρκοφαγα. πολλοι δε καθαπαξ των εμψυχων· και εν γε ταις ἁγνειαις ἁπαντες, ὁποτε μηδ' ωον προσιεντο. και μεν τοι και των αλλων ουκ ασυκοφαντητον εποιουντο παραιτησιν. ὁιον των βοων τας θηλειας παρῃτουντο, των δ' αρρενων ὁσα διδυμα η καταστιλα η ἑτεροχροα, η παραλλασσοντα τῃ μορ-*

tur a stolista; quem magistrum caeremoniarum diceres, seu ex veterum Romanorum more regem sacrificulum[34]. Quinta Hermeticorum librorum sectio, hieratica dicta seu sacerdotalis, decem pariter constabat voluminibus, quae praeter doctrinam de diis, et natura et quae alia pertinebant ad scientiam strictiori appellatione

---

φη, η δεδαμεσμενα ὡς ηδη καθωσιωμενα τοις πονοις και τιμομενοις εμφερη, η καθ' ὁντινουν ὁιον απεικασμον εξειδη η ἑτεροφθαλμα, η προς ανθρωπειαν εμφερειαν νευοντα. μυριαι δε αλλαι παρατηρησεις, και της περι ταυτα τεχνης των καλουμενων μοσχοσφραγισων αχρι συνταξεων προαγουσης βιβλιακων. ,, Ciborum et potionum quae aliunde ad Aegyptum advehebantur, ne quicquam ,, gustare quidem fas erat: qua sane ratione ,, luxui multum detrahitur. Eorum vero quae ,, ipsa Aegyptus fert, abstinebant a piscibus ,, quibuscumque, inter quadrupedia autem ab ,, iis quae vel essent solidungula aut multifida, ,, vel cornibus carerent, inter aves autem a car- ,, nivoris. Multi etiam ab animatis quibuscun- ,, que, in jejuniis vero omnes, ita quidem ut ,, interdum ne ovum quidem admitterent. Sed ,, etiam circa reliqua prohibitionibus coerceban- ,, tur observatu haud facilibus. Cujusmodi sunt ,, quod boves foeminas omnino aversabantur, ,, inter mares autem qui gemelli essent, aut hir- ,, suti, aut maculosi, aut difformes, aut do- ,, miti ut qui laboribus jam essent consecrati et ,, veneratis illis animantibus aequiparandi, aut ,, quocunque modo insolentes aut lusci, aut ad- ,, humanam similitudinem accedentes. Sexcen- ,, tae aliae erant hujuscemodi observationes, si- ,, quidem quae circa haec vertebat ars eorum ho- ,, minum, quos vocant moschosphragistas i. e. ,, vitulorum obsignatores, eo erat exculta, ut ,, pluribus libris comprehenderetur ,, . De eadem re Herodotus lib. 2. cap. 38: τους δε βους τους ερσενας του Επαφου ειναι νομιζουσι, και τουτου ἑινεκα δοκιμαζουσι αυτους ὡδε. τριχα ην και μιην ιδηται επεουσαν μελαιναν, ου καθαρον ειναι νομιζει. διζηται δε ταυτα επι τουτο τεταγμενος των τις ἱρεων, και ορθου ἑστεωτος του κτηνεος και υπτιου, και την γλωσσαν εξειρυσας, ει καθαρη κων προκειμενων σημηιων, τα εγω εν αλλῳ λογῳ ερεω. κατορᾳ δε και τας τριχας της ουρης, ει κατα φυσιν εχει πεφυκυιας. ην δε τουτεων παντων ῃ καθαρος, σημαινεται βυβλῳ περι τα κερεα ἑιλισσων· και επειτα γην σημαντριδα επιπλασας, επιβαλλει τον δακτυλιον· και ουτω απαγουσι. ασημαντον δε θυσαντι θανατος ἡ ζημιη επικεεται. ,, Boves mares Epaphi es se statuunt, eaque de re hunc ,, in modum eos explorant. Si pilum nigrum ,, adesse vel unum viderit, nequaquam mun- ,, dum esse censet. Explorat autem haec sacer- ,, dotum aliquis ad id constitutus, pecude cum ,, stante erecta tum etiam resupinata: lingua ,, etiam exerta, an pura sit ab iis signis quae ,, praeposita sunt, quae ego alio referam in li- ,, bro. Inspicit et caudae pilos numquid eos ,, habeat secundum naturam procreatos. Eum ,, si fuerit his omnibus mundus, notat circum- ,, volvens cornibus byblum; deinde adfigens ,, terram sigillarem anulum imprimit; et sic ,, abducunt. Nam immolanti eo sigillo non ,, notatam, poena mors sancita est ,,. Conf. lib. 3. cap. 28. Diodor. lib. 1. c. 88. Plutarch. de Isid. pag. 433. tom. 2. pag. 363. Horap. lib. 1. cap. 49.

34 Stolistas et ἱεροστολους commemorat Plut. de Iside pag. 388. 446. tom. 2. p. 352. 366. Porphyrius lib. 4. de abstin. pag. 371. ἱεροστολιστας. Dicti autem videntur a simulacris sive sacris symbolis vestiendis aut cooperiendis, juxta illud quod de Aegyptiorum prophetis affirmat Synesius encom. calvit. pag. 73: καταδυντες εις τους ἱερους χηραμους, ἁττ' αν απεργασωνται περιστελλουσι, και εστιν αυτοις κωμαστηρια τα κιβωτια, κρυπτοντα φασι ταυτας τας σφαιρας, ἁς ὁ δημος εαν ιδῃ χαλεπανει. ,, In sacrorum antrorum recessu ,, quae confingunt symbola, cooperiunt: in pom- ,, pis autem praeferunt cistas, in quibus occul- ,, tantur globi illi, quos si videret populus, in- ,, digne ferret ,,. Confer Plutarchum lib. cit. pag. 446. Inter alia autem quae stolistarum fuere ministeria, statis temporibus repraesentabant peripetias Osiridis, mortuum scilicet componebant ac sepeliebant, post vivum reducemque populo ostendebant: Herod. lib. 2. cap. 171. Plut. de Is. pag. 412. sqq. Lact. div. inst. lib. 1. c. 71. Firm. Matern. de err. prof. relig. p. 1. 14. 17.: quo respicere suspicor Horapollinem lib. 1. cap. 39., loco ab interpretibus vario modo, nec satis commode explicato. Ait enim canis signo praeter alia indicari ,, pollinctorem sacrorum qui nuda ,, et resecta, quibus justa facit, simulacra con- ,, templatur ,, : ςνταφιαστην δε των ἱερων, επειδη και ουτος γυμνα και ανατετμημενα θεωρει τα υπ' αυτου κηδευομενα ειδωλα. Vide adnott. Caussini et Pauwii pag. 259. 324. Stolistas quoque intelligi reor a Synesio κωμαστων vocabulo, aegypt. lib. 1. pag. 94., ubi totum sacerdotale genus in tres classes dividit, προφητας, κωμαστας, ζακορους; antistites, ministros, aedituos.

sacerdotalem, complectebantur etiam sacratiores civitatis leges, ab Hermete ut ferebant latas, quibus definiebatur forma reipublicae, regumque potestas et jura populi, classiumque in quas Aegyptii ab antiquissimo inde tempore segregati fuere, officia. Concedebantur autem hi libri prophetis seu sapientibus, quod nobilissimum erat sacerdotum genus, qui et deorum putabantur interpretes legumque custodes, et pontificum, praetorum quaestorumque muneribus fungebantur, et regibus monitores ac velut tutores adesse consueverant [35]. Accedunt denique libri

[35] Prophetarum in Aegypto mentio apud antiquiores auctores non occurrit, nisi quod Ammonis in Libye prophetas commemorant Diodorus lib. 17. cap. 51. Strabo lib. 16. pag. 1168., non tam sacerdotum genus designantes, quam oraculi interptetem, ut vulgo apud Graecos sonant *προφητης* et *υποφητης*. Sequiores autem ea voce modo primarium sacerdotem intelligunt, modo certum sacerdotum genus, quod interdum *ἱερογραμματευσι* aliisve generibus, interdum omnibus reliquis sacerdotibus, *ἱερευσι*, juxta apponunt; modo in universum Aegyptios sacerdotes: meminere etiam *αρχιπροφητων* et primariorum prophetarum. Aristid. orat. aegypt. tom. 2. pag. 331. Lucian. in gallo §. 18. de sacrif. §. 14. in fugit. §. 8. tom. 2. pag. 729. tom. 1. pag. 537. tom. 3. pag. 370. Apul. metam. lib. 2. pag. 62. *de hab. doctr. Plat.* lib. 1. tom. 2. pag. 569. Laert. lib. 1. segm. 1. lib. 3. segm. 6. Celsus apud Origen. lib. 3. cap. 18. Clem. strom. lib. 1. cap. 14. 15. pag. 352. 356. 359. Aelian. anim. hist. lib. 11. cap. 10. Porph. de abst. lib. 4. pag. 371. Jambl. de myst. s. 8. cap. 5. Horap. lib. 1. cap. 39. Macrob. sat. lib. 7. cap. 13. Heliod. aeth. lib. 2. pag. 109. Synes. aeg. lib. 1. pag. 94. Inscriptt. apud Gruter. pag. 86. num. 1. pag. 314. num. 2. apud Marin. *iscriz. Alb.* n. XX. Videtur autem mihi *προφητης* vocabulum in rebus Aegyptiis interpretatio esse Aegyptiae vocis **ⲛⲉⲃⲏⲧ** *sapiens*, cui aliqua est affinitas cum **נביא** quod Hebraeis prophetam denotat, alteriusve inde derivatae **ⲣⲉϥϯⲛⲉⲃⲏⲧ** *proferens sapientiam*, *φιλοσοφος*, quam Democritus apud Clementem str. lib. 1. cap. 15. pag. 357. effert *αρπεδοναπτης*, inquiens: *γραμμεων συνθεσιος μετα αποδειξιος ουδεις κω με παρηλλαξεν, ουδ᾽ οι αιγυπτιων καλεομενοι αρπεδοναπται*: „ in „ componendis cum demonstratione lineis nemo me unquam superavit, nec qui Aegyptiorum quidem vocantur Arpedonaptae „. Cf. Lacroz. lex. Aeg. pag. 59. Visa quidem est ea vox nonnullis significare mathematicum, siquidem de linearum compositione hic loquitur Democritus: sed eam scientiam in Aegypto certo ac separato hominum generi concreditam fuisse, nemo vetus scriptor prodidit. Quin potius omnes qui in Aegypto litteras ediscerent mathematicis disciplinis imbui consuevisse, affirmat Plato lib. 7. de leg. opp. tom. 2. pag. 819., et quamquam geometriam inprimis a sacris scribis, qui agrorum reditibus praeerant, excultam fuisse putem, tamen et philosophos in Aegypto, qui de rerum natura diisque et anima, deque republica et legibus quaerere solebant, matheseos praecepta ante oculos habuisse, ac multa disseruisse de numeris lineisque, docemur exemplo Platonis et Pythagorae, quos omnes agnoscunt Aegyptiorum philosophorum discipulos. Itaque Democritum illud tantum dicere voluisse existimo, se in geometria aeque profecisse ac Aegyptiorum sapientes, qui illius scientiae inventores celebrantur. Quos vero ipse Aegyptio vocabulo appellat *αρπεδοναπτας*, Herodotus, Plato, Isocrates, caeterique qui scripsere ante secundum post Christum saeculum, *ἱερεας* vocant, quoniam eodem tempore praeessent deorum caeremoniis, ut fere esse solent barbarorum gentium philosophi. Sequiores autem scriptores, dum operae pretium ducerent primarium illud genus, quibus et sublimiores scientiae excolendae, et respublica administranda commendatae erant, secernerent a reliqua sacerdotum et sacrigerulorum turba, *προφητας* appellavere. Inde qui apud Herodotum lib. 2. cap. 37. 142. 143. et Diodorum lib. 1. cap. 58. dicuntur *αρχιερεις*, Clementi str. lib. 1. cap. 15. pag. 356. sunt *αρχιπροφηται*. Nonnulli etiam *ἱεροφαντας* vocaverunt, vocabulo a Graecis moribus ad Aegyptia sacra traducto: Arius Heracleopolita apud Euseb. pr. ev. lib. 1. cap. 10. pag. 41. Tertullianus adv. Marcion. lib. 1. cap. 13 aliique sequioris aevi scriptores. Caeterum de instituto, studiisque et officiis ejus sacerdotum generis, quos prophetarum nomine cohonestari diximus, vide prae reliquis praeter loca in hac nota jam citata, Herod. lib. 2. cap. 37. 110. 141. 168. Plat. politic. opp. tom. 2. pag. 290. Isocrat. encom. Busir. opp. tom. 2. pag. 398. 399. Aristot. metaph. lib. 1. cap. 1. Cicer. de finib. lib. 5. cap. 25. Diodor. lib. 1. cap. 28. 29. 70. — 73. 81. 95. lib. 2. cap. 29. Strab. lib. 17. p. 1135. 1159. 1160. 1171. Joseph cont. Ap. lib. 1.

sex de valetudine tuenda, quos addiscebant pastophori, qui a deorum aediculis in pompa circumferri solitis appellati, ultimum locum tenebant inter sacerdotes, et quaecunque minoris dignationis munera essent obire solebant[36].

---

cap. 6. Aelian. var. histor. lib. 14. cap. 34. Porphyr. de abst. lib. 2. pag. 124. lib. 4. p. 360. sqq. Synes. epist. 57. 121. Inscript. apud Fabret. pag. 198. num. 479.

[36] Chaeremon apud Porphyrium lib. 4. de abst. pag. 371.: και το κατ' αληθειαν φιλοσοφειν εν τε τοις προφηταις ην και ἱεροστολισταις και ἱερογραμματευσιν, ετι δε ὡρολογοις· το δε λοιπον των ἱερεων τε και παστοφορων και νεωκορων πληθος και υπουργων, τοις θεοις καθαρευει μεν ὁμοιως, ουτι γε μετ' ακριβειας και εγκρατειας τοσησδε. „ Et „ quidem vera ista et exacta philosophandi ra- „ tio prophetis inerat et hierostolistis et hiero- „ grammatis, etiam horologis: reliqua autem „ sacerdotum et pastophororum multitudo mi- „ nistrorumque, diis placandis puritatem qui- „ dem observant similiter, non tamen tanta cum „ cura atque continentia „. Etiam Diodorus, qui primus inter auctores hodie superstites, usus invenitur vocabulo παστοφορου, universum sacerdotale genus, quod ipse Atheniensium ευπατριδαις aequiparat, dividit in ἱερεας, quos comparat ευμολπιδαις, et παστοφορους, quos κηρυξι: lib. 2. cap. 28. 29. Prior illa classis tria comprehendit collegia προφητας seu sapientes, quos strictiori sensu ἱερεας vocarunt veteres, eorumque praesides αρχιερεας; dein ἱερογραμματεας sive interpretes, quibus accenseo ὡροσκοπους; tertio στολιστας seu caeremoniarum antistites, quibus adjuncti erant υμνῳδοι. Altera classis colligit minores sacerdotes, quos Diodorus et Clemens uno vocabulo παστοφορους appellant, quamquam pastophori, uti Romae (Apul. metam. lib. 11. pag. 380. 393. 396.) ita et in Aegypto (Horap. lib. 1. cap. 41.) separatum collegium composuisse videntur, Graecorum νεωκοροις, ζακοροις, *aedituis*, maxime similes. Distinguit tamen Porphyrius νεωκορους a παστοφοροις, siquidem et in inscriptionibus ad Isidis cultum spectantibus, alii memorantur παστοφοροι, alii νεωκοροι. Gori inscript. in Etrur. tom. 1. pag. 373. 374. Fabrett. pag. 493. 494. num. 185. 186. 187. pag. 746. num. 545. Gruter. pag. 85. num. 5. Murat. pag. 143. num. 1. pag. 180. num. 1. Maff. mus. Veron. pag. 37. num. 1. Reines. cl. 1. num. 214. Scilicet proprie eos appellabant νεωκορους, quibus templum custodiendum ornandumque erat commendatum, quamquam hoc pastophororum munus fuisse affirmet Horapollo: proprie autem παστοφορους eos qui in pompa praeferebant deorum sacella, simulacra et symbola, quosque ἱεραφορους vocat Plutarchus de Isid. pag. 388. tom. 2. pag. 352., et *sacrorum gerulos* Apulejus metam. lib. 11. pag. 380. Quos tertio loco commemorat Porphyrius, υπουργοι, ministri, camilli, Diodoro lib. 1. cap. 73. sunt υπηρεται, eorumque princeps in inscriptione apud Fabret. pag. 494. n. 187 αρχιυπηρετης, iidemque esse videntur quos θεραπευτας appellant inscriptio apud Reines. cl. 1. num. 135. et Suidas v. θεραπευτηρες. Alias appellationes, quibus cohonestari solebant Aegyptiae superstionis apud Romanos asseclae, cujusmodi sunt *Isiacus* in inscr. apud Gruter, pag. 309. num. 2. Murator. pag. 158. num. 1., *Isiarius*, Fabrett. pag. 488. num. 174., *Anubiacus*, Reines. cl. 5. num. 37. Murator. pag. 67. Marin. *atti e monumenti dei fratelli Arvali* pag. 470. 489., *Electus Anubiacus* Murat. pag. 158. num. 1., *Pater Hierofanta*, Marin. *iscr. Alb.* num. XX., μελανηφορος, Reines. cl. 1. num. 135., quarum apud scriptores de rebus Aegyptiis nullam mentionem invenio, hoc loco praetergredior. Ex antiquo autem Aegyptiorum instituto pastophoris adjuncti erant ιατροι et ταριχευται, medici et pollinctores, eoque factum ut inter libros Hermeticos qui medici argumenti essent, pastophophoris commendarentur. Cum enim vetustissimi moris sit omnibusque fere barbaris populis commune, ut qui deorum peragant caeremonias, iidem et aegros curent et mortuis justa faciant, cumque ex Aegyptio sepeliendi ritu medica scientia maximopere adjuvaretur, apud hos medici atque pollinctores unum fere componebant hominum genus (Genes. 50. c. v. 2. 25.), quod et circa templa degisse sacerdotibusque adscriptum fuisse luculenter docet Diodorus lib. 1. cap. 91. Advertit idem cap. 82., medicos in Aegypto accepto publice stipendio ali consuevisse, morborum autem curationem fieri juxta praecepta in sacris libris perscripta, ultra quae si quid admiserit medicus, suo periculo fecerit. Quod vero Horapollo lib. 1. cap. 38., sacrum librum, dictum αμβρης, ad cujus rationem observatis signis decubitus judicium ferebatur de aegroto, essetne vitalis nec ne, ab hierogrammatis servari inquit, minime obest Clementis narrationi. Nam licet in Aegypto singulae librorum classes singulis hominibus discendae custodiendaeque tradebantur, in universum tamen hierogrammates omnium librorum notarii erant custodesque et interpretes. Reor etiam ex pasto-

Praeter hos qui a Clemente memorantur Hermetici libri omnium praestantissimi, alia scripta eidem Hermeti tributa citantur ab antiquis auctoribus [37]: φυσικα, γενικα, κλεις, κρατηρ, λογος κρυφιος, περι της του παντος φυσεως, προς τον ἑαυτου νουν, λογοι προς τον τατ, προς αμμωνα, προς ασκληπιον, ασκληπιος [38], κορη κοσμου ητοι ἱερος λογος ισιδος προς ωρον [39], παναρετος [40], κυρανιδες: quorum et nunc pars circumferuntur Graeco Latinove idiomate expressa, pars praeter fragmenta aliqua interciderunt, sed omnia a Graecis hominibus ita sunt

---

phorûm genere fuisse moschosphragistas, quamquam libri artem eam complexi cum reliquis libris ritualibus custodirentur a stolistis.

[37] Inprimis a Jamblicho in libro de mysteriis, a S. Cyrillo libris 1. et 2. contra Julianum, a Lactantio institutionum divinarum lib. 1. 2. 4. 7. a S. Augustino lib. 8. de civit. dei, a Syncello in chronogr., a Stobaeo, atque a chemicis. Meminit etiam Plutarchus librorum Hermeti tribui solitorum, de Isid. pag. 479. tom. 2. p. 375. εν δε ταις ἑρμου λεγομεναις βιβλοις ἱστορουσι γεγραφθαι περι των ἱερων ονοματων, ὁτι την μεν επι τας του ἡλιου περιφορας τεταγμενην δυναμιν ωρον, ἑλληνες δε απολλωνα καλουσι· την δε επι του πνευματος, οἱ μεν οσιριν, οἱ δε σαραπιν, οἱ δε σωθιν αιγυπτιστι. σημαινει δε κυησιν η το κυειν. Atque Galenus de simpl. medicam. facult. lib. 6. cap. 1. ut nugas rejicit quae continebantur in libro de 36 horoscoporum herbis Hermeti adscripto: εν τινι των εις ἑρμην τον αιγυπτιον αναφερομενων βιβλιων περιεχοντι τας λϛ' των ὡροσκοπων βοτανας: quo loco forte intelligitur unus de libris cyranicis. Vide de toto hoc argumento Fabric. bibl. Gr. lib. 1. cap. 7. 8. 9. cap. 11. §. 4. 9. 10.

[38] Etiam librum cui titulus; ὁροι ασκληπιου προς αμμωνα βασιλεα, Hermeticis esse accensendum recte sentit Fabricius loc. cit. cap. 8. §. 6. pag. 64. Idemque dicendum de reliquis, qui ad deorum nomina referuntur, in quibus etiam est μυριογενεσις ασκληπιου, quam laudat Firmicus astronom. lib. 3. cap. 1. lib. 5. cap. 1. mundi genituram astrologica ratione perhibentem. Illud vero non satis recte advertit, quod ibid. cap. 13. §. 2. pag. 98., ἱερους υμνους οσιριδος et γενεθλια ωρου, commemorata a Plutarcho de Isid. pag. 466. 467., adducat velut scripta Osiridi Oroque tributa, cum sane Plutarcho sermo sit de carminibus in honorem Osiridis et Ori compositis.

[39] Hicce liber, quem ex cod. ms. in Cypro reperto divulgavit Patricius ann. 1591. magis quam caeteri, qui hodie leguntur libri Hermetici, Aegyptium quid prae se fert, pressiusque cohaeret cum ejus gentis traditionibus. Ab antiquis autem scriptoribus nominatum non reperimus, nisi credere velimus Lucianum ad eum allusisse loco adducto supra not. 24. Alteri ex fragmentis quae ex eo adfert Stobaeus in eclogis, in margine adscriptum fuit ἑρμου λογος ωρου προς ισιν, erroneo ut videtur pro ισιδος προς ωρον.

[40] Hujus libri nullam rationem habuit Fabricius locc. citt., neque ab aliis citatum invenio praeter Paulum Alexandrinum quarti saeculi scriptorem, in isagoge ad apotelesmaticam, ed. Witteberg. fol. K. 3: περι των ζ' κληρων των εν τῃ παναρετῳ. πρωτος ὁ της τυχης κληρος, — εικοτως δε οἱ κληροι ταυτην εχουσι την γενεσιν, επει και τῃ φυσει ἡ μεν σεληνη τυχη καθεστηκεν. ὁ δε ἡλιος δαιμων, ἡ δε αφροδιτη ερως, ὁ του ἑρμου αναγκη, ὁ του αρεος τολμα, ὁ του διος νικη, ὁ του κρονου νεμεσις. — Schol: οὑτως ὁ τρισμεγιστος ἑρμης ονομαζει την ιδιαν συγγραφην, εν ᾗ περι των κληρων ειπεν, ὡς ταχα περι αναγκαιων και ευχρηστων διεξιουσαν. γεγραπται γαρ τῳ ἑρμῃ περι των τοιουτων κληρων εν βιβλῳ λεγομενῃ παναρετῳ, ενθα και τα τουτων αποτελεσματα παραδιδωσι. λεγει ουν ζ' κληρους προς τον αριθμον των ζ' αστερων. τον μεν κληρον του ἡλιου αγαθον ονομαζων δαιμονα, τον δε της σεληνης αγαθην τυχην, τον δε του διος νικην, τον του ἑρμου αναγκην, τον της αφροδιτης ερωτα, τον του αρεος τολμην, τον του κρονου νεμεσιν. „ De septem sortibus quae „ sunt in Panareto. Prima sors Fortunae est. „ — Rationi autem consentanea est haec sortium origo, quoniam a natura sic constitutum est ut Lunae conjuncta sit Fortuna, Soli „ Genius, Veneri Amor, Mercurio necessitas, Marti Audacia, Jovi Victoria, Saturno „ Nemesis sive Justitia „. Subjungit scholiastes: „ Trismegistus Hermes librum suum in „ quo de sortibus docuit nominat Panaretum, q. „ d. *omni virtutum genere praeditum*, fortassis „ quod de necessariis et utilibus tractet. In eo „ praedictiones sortium exhibet. Numerat autem 7 sortes secundum numerum 7 planetarum: sortem Solis nominans bonum Genium, „ Lunae bonam Fortunam, Jovis Victoriam, „ Mercurii Necessitatem, Veneris Amorem, „ Martis Audaciam, Saturni Nemesin „.

concinnata, ut quid illis insit vere Aegyptium, arduum sit definire, neč illud quidem pro certo affirmari possit, exstitisse unquam antiquos libros Aegyptios hujusmodi titulis insignitos. Nominanda tamen erant in Aegyptiorum librorum recensione, cum ab antiquis scriptoribus credita fuerint Aegyptia, saltem ad Aegyptiorum librorum imitationem adornata.

Alii Aegyptiorum librorum auctores occurrunt, Ammon rex, quem de deo scripsisse tradit S. Justinus Martyr [41]: *αμμων εν τοις περι θεου λογοις παγκρυφον τον θεον ονομαζει*: et Bitys propheta, de quo refert Jamblichus, interpretatum esse Hermaicam doctrinam de ascensu animarum ad deum, quam hieroglyphice scriptam invenerat in adytis Saiticis, atque Ammoni regi obtulisse: *υφηγησατο δε και ταυτην την όδον ἑρμης· ἡρμηνευσε δε βιτυς προφητης αμμωνι βασιλει, εν αδυτοις ἑυρων αναγεγραμμενην εν ἱερογλυφικοις γραμμασιν, κατα σαΐν την εν αιγυπτῳ, το τε του θεου ονομα παρεδωκε το διηκον δἰ ὁλου του κοσμου.* [42] — *αυτο δε τ᾽ αγαθον, το μεν θειον ἡγουνται τον προεννοουμενον θεον, το δε ανθρωπινον την προς αυτον ἑνωσιν. ὁπερ βιτυς εκ των ἑρμαϊκων βιβλων μεθηρμηνευσεν* [43]. Porro Epeis, quem Philo Byblius, secutus interpretem ejus Arium Heracleopolitam, laudat maximum apud Aegyptios hierophantem atque hierogrammatea, ac sacra ejus gentis symbola commentario illustrasse ait [44]: *φησιν ὁ επηεις, αλληγορων, ὁ ονομασθεις παρ᾽ αυτοις μεγιστος ἱεροφαντης και ἱερογραμματευς, ὁν μετεφρασεν εις ἑλλαδα φωνην αρειος ἡρακλεοπολιτης, κατα λεξιν ὁυτως· το πρωτον ον θειοτατον οφις εστιν ἱερακος εχων μορφην, αγαν επιχαρις. ὁς εαν αναβλεψειε, φωτος το παν επληρου· εν τῃ πρωτογονῳ χωρᾳ αυτου· ει δε καμμυσειε, σκοτος εγινετο. εμφασιν διδους ὁ επηεις, ὁτι και διαπυρον εστι, δια το φαναι, διηυγασε· φωτος γαρ ιδιον εστι το διαυγασαι.* Suphis rex, auctor sacri libri a Manethone laudati, de quo supra dictum est [45]; atque Athothis primae dynastiae rex secundus, regiarum aedium in Memphi conditor, cui libros quosdam anatomicos attribui, idem affirmat Manetho [46]. Denique Nechepsos rex Saita, avus Psammetichi, et Petosiris philosophus coaevus, quorum libri et inventa astronomica, astrologica, physica atque medica passim laudantur ab auctoribus antiquis; quorumque nominibus inscripti hodie quoque libelli quidam circumferuntur [47]. Scilicet scripta medica

---

[41] Cohort. ad gent. cap. 38. „ Ammon in „ sermonibus de deo, deum dicit prorsus oc„ cultum „. Neglexit hunc locum Fabricius bibl. Gr. lib. 1. cap. 2. §. 2. pag. 7. ubi agit de Ammone seu Amunte.

[42] Jambl. de myst. sect. 8. cap. 5. supra pag. 49.

[43] Ibid. sect. 10. cap. 7. „ De ipso bono sic „ sentiunt, bonum divinum esse deum ante „ omnia conceptum intellectu, humanum au„ tem bonum unionem cum illo. Et hoc qui„ dem Bitys ex scriptis Hermaicis interpreta„ tus est „.

[44] Apud Euseb. pr. ev. lib. 1. cap. 10. pag. 41: „ Epeis ille, qui summus ab iis hierophanta et „ hierogrammateus appellatur, quemque Arius „ Heracleopolites Graeca lingua donavit, sic „ ad verbum allegorice rem explicat. Quod „ omnium primum divinum habetur, serpens „ est qui accipitris formam prae se fert, aspe„ ctu jucundissimus, qui ubi oculos aperuisset, „ continuo primigeniae suae regionis loca om„ nia luce complebat; sin autem conniveret, „ illico tenebrae succedebant. Ex verbis autem „ quibus utitur Epeis, manifestum fit, igneam „ esse illius naturam „.

[45] Pag. 503.

[46] Apud Syncellum pag. 54. *μετα νεκυας τους ἡμιθεους πρωτη βασιλεια καταριθμειται βασιλεων ή, ὡν ά μηνης θεεινιτης, — β' αθωθις υιος, ὁ τα εν μεμφει βασιλεια οικοδομησας, ὁυ φερονται βιβλοι ανατομικαι· ιατρος γαρ ην.* Recenset eundem Eratosthenes in Thebaeensium regum catalogo, secundo loco, nomenque ejus interpretatur Mercurialem, apud Syncell. pag. 91.: *θηβαιων β' εβασιλευσε αθωθης υιος μινεως ετη νθ' ὁυτος ἑρμηνευεται ἑρμογενης.*

[47] Vide Fabric. bibl. Gr. lib. 3. cap. 20. §. 10. tom. 2. pag. 510. ed. vet. et Iriarte reg. bibl. Matrit. codd. Gr. pag. 438. 435.

Nechepsonis commemorant Galenus [48] et Aëtius [48*], etiam Eusebius in chronico [49], coelestium autem sphaerarum rationem atque distantias ab eo et Petosiri declaratas tradit Plinius [50], meteorûmque naturam ab iis diligenter explicatam innuit Servius in scholiis ad Aeneida [51]. Petosirin praeterea scripsisse de diis et mysteriis Aegyptiorum, Suidas auctor est [52]. Astrologi autem sive apotelesmatici post Hermetem et Asclepium, omnes fere artis suae principes atque instauratores agnoverunt Nechepsonem et Petosirin; a quibus et decanos zodiorum adinventos, et mundi genituram proditam, et climacterum rationem coelestiumque signorum per hominis membra distributionem explicatas, asserit atque ex libris eorum a se lectis ac compilatis exponit Julius Firmicus in astronomicis [53]. Quod vero rei est, Pe-

---

[48] De simpl. medic. fac. l.9. cap. 2. §.19: ὁ χλωρος ιασπις ωφελων τον τε στομαχον και το της γαστρος στομα περιαπτομενος. εντιθεασι τε και δακτυλιῳ αυτον ενιοι, και γλυφουσιν εν αυτῳ τον τας ακτινας εχοντα δρακοντα, καθαπερ και ὁ βασιλευς νεχεψως εγραψεν εν τῃ τεσσαρακαιδεκατῃ βιβλῳ.

[48*] Contract. medic. tetrabibl. lib. 1. serm. 2. cap. 19. remedium calculorum in vesica e Nechepsonis libro depromptum affert, lapidem Judaicum sive tecolithon: cap. 35. ex eodem docet jaspidem viridem anulo inclusum, et draconis radiati effigie inscalptum, stomacho auxiliari: (uti Galenus loc. cit.) c.47. melancholicis et crassum sanguinem habentibus prodesse pigmentum armenium: lib.4. serm. 3. cap. 19. emplastro e cupresso strumas tolli.

[49] Ad ann. Abrah. 1344., qui est ante aeram vulgarem 674. „ Nichepsos rex Aegypti, magicae artis peritus. Scripta ejus medicinalia feruntur „. Habetur idem νεχεψως in Manethonis dynastia 26, quae Saitarum est, apud Syncell. pag. 75; atque νεχεψος in regum serie quam ex antiquis chronographeis concinnavit Syncellus, loco 80, pag. 191. Subjungitur utrobique νεχαω sive νεχααβ, post quem ψαμμιτιχος. Petosirin ejus fuisse aequalem tum inde colligitur quod plerumque simul nominantur ab antiquis, tum quod epistolae circumferuntur Petosiridis ad Nechepsonem.

[50] Nat. hist. lib. 2. cap. 23. „ Aegyptia ratio, quam Petosiris et Necepsos ostendere, singulas partes in lunari circulo minimo XXXIII. stad. paullo amplius patere colligit, in Saturni amplissimo duplum: in Solis quem medium esse diximus, utriusque mensurae dimidium. Quae computatio plurimum habet pudoris, (*al.* ponderis) quoniam ad Saturni circulum addito signiferi ipsius intervallo innumerabilis multiplicatio efficitur „. Legendum esse hoc loco 33 stadiorum millibus, non 33 stadiis, ut vulgo scribitur, mihi quidem dubio carere videtur; totque stadiorum millia unicuique ex lunaris circuli partibus 366 tribuisse Aegyptios. Quo sane consequeretur signiferum innumerabili intervallo a Saturni sphaera abesse, cum e contrario admissis solis 33 stadiis pro singulis gradibus, immoderate coarctaretur mundi systema.

[51] Lib. 10. v. 272. de meteoris disserens: „ Quorum pleniores differentias vel in Necepso vel in Petosiri, si quem delectaverit, quaerat. „

[52] Suid. v. πετοσιρις· αιγυπτιος φιλοσοφος. ενθα και ἑλληνες και αιγυπτιοι τας περι θεων διεταξαντο επιλογας, εκ ἱερων βιβλιων αστρολογουμενα, και περι των παρ' αιγυπτιοις μυστηριων. Legitur nomen Petosiridis in versu Aristophanis, e comoedia inscripta Danaides, apud Athenaeum lib. 3. cap. 30. pag. 114. αιγυπτιοι δε υποκιζοντα αρτον κυλλαστιν καλουσιν. μνημονευει δ' αυτε αριστοφανης εν δαναϊσι. "και τον κυλλαστιν φθεγγε και τον πετοσιριν". Et sane credibile est intelligi hic Petosirin astrologum, quem saepe ore efferebant mulierculae, plurimumque praeceptis ejus deferebant; unde Juvenalis sat. 6. v. 579:

Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

[53] Lib. 3. praef: „ Illi divini viri atque omni admiratione digni, Petosiris Necepsoque, quorum providentia ad ipsa secreta naturae accessit, mundi genituram divino nobis scientiae magisterio tradiderunt: ut ostenderent atque monstrarent, hominem ad naturam mundi similitudinemque formatum, iisdem principiis quibus ipse mundus regitur ac continetur, perenniter perpetuitatis sustentari comitibus „. Cap. 1: „ Mundi itaque genituram hanc esse voluerunt, secuti Aesculapium et Anubium, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiae secreta commisit. Constituerunt enim Solem in Leonis parte 15, Lunam in Cancri parte 15, Saturnum in Capricorni parte 15, Jovem in Sagittarii

tosirin et Nechepsonem solos invenio inter vetustos scriptores Aegyptios, de quorum aetate atque historia certi quid sciri posse videatur: nimirum vixisse eos ineunte septimo ante aeram nostram saeculo, astrorumque scientiam et tuendae valetudinis rationem excoluisse novisque inventis auxisse, de quibus et libros reliquere sui ipsorum nominibus inscriptos. Nam quod olim moris fuerat in Aegypto, ut suppressis auctorum nominibus omnes libri scientias complexi a sacerdotibus tractari solitas, communi ordinis bibliothecae illati Hermeti adscriberentur, unde factum ut cum tot nominentur libri Aegyptii de scriptoribus nil fere constet: illud sub Saitarum regum imperio cum reliquis sacerdotum institutis sensim coepit in dissuetum abire. Quare et Ammonem illum regem, ex Aegyptiorum regum catalogis quotquot exstant exulantem, non alium esse conjicio quam Amosin sive Amasin, quo imperante Cyrus Asiam armis suis subegit; Bitynque et Epein circa haec tempore floruisse existimo. Athothin vero et Suphin librorum nomina esse suspicor, a Manethone ad ipsos auctores designandos translata. Athothes enim ille sive Hermogenes medicus, non alius esse videtur quam ipse Asclepius Hermetis discipulus, frustra confusus cum rege synonymo: Suphis vero resipiens aptum inprimis erat sacerdotalis fabulae argumentum. Caeterum Petosiridis et Nechepsonis scripta, ut reliqua quae ante Lagidas in Aegypto exsti-

---

„ parte 15, Martem in Scorpii parte 15, Venerem in Librae parte 15, Mercurium in Virginis parte 15, Horoscopo in Cancri parte 15. Secundum has conditiones stellarum, et secundum testimonia quae huic geniturae perhibent, et secundum istas rationes, etiam hominum volunt fata disponi, sicut in illo libro Aesculapii continetur, qui *μυελογενεσις* appellatur„. Lib. 4. praef.: „Omnia quae Aesculapio Mercurius Enichnusque tradiderunt, quae Petosiris explicavit et Necepso, quae Abraham, Orpheus et Critodemus ediderunt, caeterique omnes hujus artis antiscii, perlecta pariter atque collecta et contrariis sententiarum diversitatibus comparata in his perscripsimus libris„ Cap. 16: „Necepso, Aegypti justissimus imperator, optimus quoque astronomus, per decanos 36 signorum, omnia vitia valetudinesque collegit ostendens quam valetudinem quis decanus efficeret: quia una natura ab alia vincitur unusque deus ab altero. Ex contrariis ideo naturis contrariisque potestatibus omnium aegritudinum medelas divinae rationis magisteriis adinvenit„. —— „Magnus ille Petosiris hanc partem leviter attigit: non quod etiam eam nesciret, qui jam ad omnia divinitatis secreta accesserat: sed eam plenius docere noluit, ne immortalem operis sui disciplinam in posteros relinqueret„. Lib. 8. cap. 1: „In omnibus genituris *εννενηκονταμερος* i.e. nonagesima pars sagaci debet inquisitione perquiri: ex ea enim exitus vitae colligitur. Hunc tractatum Petosiris, ut mihi videtur, invito voluit livore celare„. Cap. 3: Locum de signorum per membra divisione divinus ille Necepso, ut remedia valetudinum inveniret, diligentissime quidem, ut divinum tanti viri potuit ingenium, manifestis tractatibus explicavit: cujus libri interpretationem alio tibi tempore intimare curabo„. Cap. 5: „Divini illi viri et sanctissimae religionis antistites, Petosiris et Necepso, quorum alter imperii gubernacula tenuit„. Plin. lib. 7. cap. 49: „Durat et ea ratio, quam Petosiris et Necepsos tradiderunt, et tetartemorion appellant, a trium signorum portione, qua posse in Italiae tractu 126 annos vitae contingere apparet. Negavere illi quemquam 90 partium exortivam mensuram, quod anaphoras vocant, transgredi, et has ipsas incidi occursu maleficorum siderum aut etiam radiis eorum solisque„. Pseudo-Manetho apotelesmatum lib. 1. v. 11. profitetur se firma ratione expositurum esse quae breviter tradidit Petosiris:

οφρα κεν οσσαπερ αυτος επιτροχαδην Πετοσιρις
ειρηκεν, ταδε παντα μαλ᾽ ατρεκεως καταλεξω:

illum enim solum post Hermetem et Asclepium ejus scientiae gloria eminuisse: lib. 5. v. 1. supra pag. 38. Adde Porphyr. introd. ad apotel. Ptolem. pag. 195. Lucillii epigr. 46. apud Brunk anal. tom. 2. pag. 326. Auson. epist. 19. vers. 18. Vett. Valent. apud Seld. de diis Syr. synt. 1. pag. 87. Salmas. de ann. clim. pag. 353.

tere, postea interpolata fuisse ab Alexandrinis hominibus omnino probabile est, nec sane contenderim Plinium caeterosque a quibus laudantur scriptoribus, genuina volumina inspexisse [54].

Qui porro ad nullum auctorem relati commemorantur libri Aegyptii, aut historici argumenti sunt ac politici, aut theologici et ritualis, aut vero physici. Annalium institutum, in quibus quaecunque scire posterorum interesset, memoriae proderentur, antiquissimum fuisse apud Aegyptios, sacerdotumque, praecipue hierogrammatum, curae demandatum, cum inter veteres scriptores conveniat, in dubium revocare nimiae sane putarem temeritatis, quamquam non multum tribuere velim iis qui multa annorum millia in libris eorum comprehendi ajunt [55], ac praeter ipsius gentis historiam exterorum quoque populorum origines ab Aegyptiis proditas fuisse [56], atque ab his reliquos homines, Graecos praesertim, historiam scribere didicisse [57]. Initio quidem gestarum rerum memoriam carminibus commendari consuevisse, mox et lapidibus hieroglyphice incidi, supra monuimus [58]: sed et illud omnino videtur credibile, mature eos coepisse historiam suam pedestri oratione et alphabetica scriptione in libros digerere. Herodotus, qui plerumque suppressa librorum mentione a sacerdotibus se accepisse ait Aegyptiarum rerum notitiam, ubi universam gentis historiam ante oculos ponere instituit, refert eosdem sacerdotes coram se e volumine papyraceo recitasse trecentorum et triginta regum nomina qui Menae successere usque ad Sesostridem, advertentes in tot generationum intervallo octodecim Aethiopes regno praefuisse, unamque mulierem Aegyptiam, caeteros reges fuisse viros Aegyptios [59]: *μετα δε τουτον, κατελεγον οἱ ἱρεες εκ βυβλου αλλων βασιληων τριηκοσιων τε και τριηκοντα ουνοματα. εν τοσαυτησι δε γενεησι ανθρωπων, οκτωκαιδεκα μεν αιθιοπες ησαν, μια δε γυνη επιχωριη· οἱ δε αλλοι, ανδρες αιγυπτιοι*. Novit et Theophrastus regios Aegyptiorum commentarios, *τας αναγραφας υπερ των βασιλεων των αιγυπτιων* [60]: atque Manetho se historiam suam ex sacris annalium libris, *εκ των εν ταις ἱεραις βιβλοις αναγραφων*, concinnasse professus est [61]. A Diodoro autem passim memorantur *αναγραφαι*, *ἱεραι αναγραφαι*, *αναγραφαι εν ταις ἱεραις βιβλοις*, *εν ἱεραις βιβλοις αναγεγραμμεναι πραξεις*: commentarii, sacri commentarii, commen-

---

[54] De Cynchri et Blantasi geographis Aegyptiis, quos citat anonymus Ravennas geographiae lib. 3. cap. 2., non constat vixerintne ante vel post Graecorum tempora.

[55] Macrob. in somn. Scip. lib. 2. cap. 10: „ Infinita annorum millia in solis Aegyptiorum „ monumentis librisque releguntur „. Mela de situ orb. lib. 1. cap. 10: „ Ipsi vetustissimi hominum ut praedicant, 330 reges ante Amasin, „ et supra 13000 annorum aetates certis annalibus referunt „. Quod fere consentit cum rationibus Herodoti lib. 2. cap. 100. 142.

[56] Plato in Timaeo opp. tom. 3. pag. 22. 23. supra pag. 34. S. August. de civ. dei lib. 12. cap. 10: „ Illa epistola Alexandri Magni ad matrem quam scripsit, narrationem cujusdam „ sacerdotis Aegyptii insinuans, quam protulit „ ex litteris quae sacrae apud illos haberentur, „ continentem regna quae Graeca quoque novit „ historia: in quibus regnum Assyriorum (a Belo incipiens) excedit 5000 annorum, Persarum autem et Macedonum usque ad Alexandrum plusquam 8000 annorum „. Conf. Dio Chrys. or. 11. p. 161. supra p. 44. Etiam situm orbis et locorum extra Aegyptum positorum nomina et distantias ab Aegyptiis sacerdotibus descripta fuisse, affirmat Apollonius Rhodius argon. lib. 4. v. 259. 272.

[57] Tatian. orat. ad Graecos cap. 1: *ἱστοριας συνταττειν εδιδαξαν υμας αἱ παρ' αιγυπτιοις των χρονων αναγραφαι*. „ Historias scribere vos docuerunt Aegyptiorum annales „.

[58] Vide pag. 458. et 509.

[59] Herod. lib. 2. cap. 100.

[60] De lapid. pag. 394. supra pag. 3.

[61] Vide supra pag. 503. not. 6.

tarii in sacris libris, res gestae in sacris libris relatae [62]. Laudat et Strabo [63] Aegyptiorum annalium simplicitatem, quos a remotissimo inde tempore a sacerdotibus curari consuevisse ex omnium consensu affirmat Josephus libro primo contra Apionem [64]: *ὅτι μεν ουν παρ' αιγυπτιοις τε και βαβυλωνιοις εκ μακροτατων ανωθεν χρονων την περι τας αναγραφας επιμελειαν, ὁπου μεν οἱ ἱερεις ησαν εγκεχειρισμενοι και περι ταυτας εφιλοσοφουν, χαλδαιοι δε παρα τοις βαβυλωνιοις, — επειδη συγχωρουσιν ἁπαντες, εασειν μοι δοκω.* „ Quod apud Aegyptios quidem „ et Babylonios ex longissimis retro saeculis in rebus gestis conscribendis adhi- „ bita fuerit diligentia, quando sacerdotibus quidem id officii commissum erat, „ et circa hoc ipsi philosophabantur, Chaldaeis vero apud Babylonios, dum con- „ sentiant omnes, praemittendum hoc puto „. Pariterque scriptores qui post hos vixere, crebro meminerunt vetustorum in illa gente librorum in quibus historia eorum continebatur [65]. Cum hisce autem annalibus, utpote qui politici instituti erant, opportune conjunguntur leges, quas inde a regni initio scriptas proponi coepisse, refert Diodorus [66]: *μετα την παλαιαν του κατ' αιγυπτον βιου καταστασιν, την μυθολογουμενην γεγονεναι επι τε των θεων και των ἡρωων, πεισαι φασι πρωτον εγγραπτοις νομοις χρησασθαι τα πληθη και βιουν τον μνευην, ανδρα και τη ψυχη μεγαν και τῳ βιῳ κοινοτατον των μνημονευομενων. προσποιηθηναι δε αυτῳ τον ἑρμην δεδωκεναι τουτους, ὡς μεγαλων αγαθων αιτιους εσομενους.* „ Post „ antiquissimam in Aegypto vitae conditionem, deorum heroumque aetati in „ fabulis assignatam, primus ajunt Mneves, vir magni animi et inter eos quorum „ nomina aevum tulere optime de republica meritus, populum induxit ut juxta „ leges scriptas vitam instituerent. Leges autem a Mercurio sibi traditas, unde „ ingentia vitae bona promanarent, simulavit „. Mneven hic appellat Diodorus, qui alias Menes dicitur primus Aegypti rex; deinde narrare pergit, leges ab eo latas postea auctas fuisse a Sasyche, Sesoosi, Bocchori et Amasi; alio vero loco docet, octo libros cunctas leges complexos apponi consuevisse judicum synhedrio, ac moris fuisse coram judicibus non oratione causas agere sed scripta demonstratione [67]: *των δε παντων νομων εν βιβλιοις οκτω γεγραμμενων, και του-*

---

[62] Lib. 1. cap. 43. 44. 46. 63. 70. 73. 95. 96. lib. 16. cap. 51.

[63] Lib. 7. pag. 461: *πληρεις εισι ἁι περσικαι επισολαι ἁπλοτητος, και τα υπο των αιγυπτιων και βαβυλωνιων και ινδων απομνημονευομενα.*

[64] Cap. 6. Adde cap. 2: *τα μεν τοι παρ' αιγυπτιοις τε και χαλδαιος και φοινιξιν, — αυτοι ὁι ἑλληνες δηπυθεν ὁμολογυσιν αρχαιοτατην τε και μονιμωτατην εχειν της μνημης την παραδοσιν.*

[65] Plutarch. de Is. pag. 445. tom. 2. pag. 366. Aristid. or. aeg. tom. 2. pag. 331. Lucian. de sacrif. §. 14. tom. 1. pag. 538. Syncell. pag: 51. ubi quaedam afferuntur e chronographeo Aegyptio, quo jam Manethonem usum putat Syncellus. Caeterum inter Graecos inprimis Eratosthenes compilavit annales Aegyptios, cujus catalogum regum Thebaeensum descripsit idem Syncellus pag. 91. Pariterque Apollonides Horapios, cujus inter alia librum dictum Semenuthi seu *robur divinum*, deorum regumque in Aegypto historiam complectentem, laudat S. Theophilus lib. 2. ad Autol. cap. 6: *των τε κατ' αιγυπτον δαιμονων η ματαιων ανθρωπων, ὡς μεμνηται απολλωνιδης ὁ και ὡραπιος επικληθεις, εν βιβλῳ τη επιγραφομενη σεμενυθι, και ταις λοιπαις κατ' αυτον ἱσοριαις, περι τε της αιγυπτιακης και των βασιλεων αυτων και την εν αυτοις ματαιοπονιαν.* De Asclepiade narrat Damascius apud Suidam v. *ἡραΐσκος*, ipsum Aegyptiorum librorum lectione instructum scripsisse librum de antiquitatibus Aegypti, comprehendentem annos plus 30000. Conf. infra not. 71.

[66] Lib. 1. cap. 94. Conf. S. Justin. coh. ad Graec. cap. 9. S. Cyrill. cont. Julian. lib. 1. p. 15.

[67] Lib. 1. cap. 75. Confer. cap. 48. supra p. 421. De epistolarum usu apud Aegyptios vide eundem lib. 1. cap. 70. 95. et Herod. lib. 3. cap. 43.

των παρακειμενων τοις δικασταις, εθος ην τον μεν κατηγορον γραψαι καθ᾽ ἑν ὡν ενεκαλει, — τον απολογουμενον δε, λαβοντα τα χρηματισθεντα υπο των αντιδικων, αντιγραψαι προς ἑκαστον, — επειτα τον κατηγορον αντιγραψαι, και παλιν τον απολογουμενον αντιθειναι. „ Tum octo codicibus, quibus universae le„ ges descriptae continebantur, apud judices depositis, mos fuit ut actor sin„ gulatim omnia scripto exhiberet, reus autem post acceptum ab adversario „ criminationis libellum, ad singula scriptum opponeret, dein accusator scripto „ replicaret, defensor vero responsionem duplicaret „. Ad religionem autem atque ritus pertinentes, commemorantur ab Apulejo [68] libri a profanorum lectione seclusi, in quibus docebatur, quo ritu suscipienda essent mysteria Isiaca; ab Ammiano Marcellino [69] libri mystici et scripta arcana, quibus condita servabantur prima sacrorum initia, atque inter alia definiebatur aetas Apidis non ultra praestitutum spatium trahi licita; ab Achille Tatio [70] liber in adyto servatus, ad cujus rationes sacerdos ad hoc designatus phoenicem avem ex Aethiopia advenam examinare solebat, antequam allatum cadaver patris in Aegypto sepulturae tradere permitteretur; atque a Damascio apud Suidam [71], libri Aegyptiorum theologici, quibus innutritus Asclepiades philosophus Alexandrinus patriam theologiam accurate edicerat. Severum autem Augustum, cum iter faceret per Aegyptum, mysticos libros ex adytis tolli, et Alexandri sepulcro, quod Alexandriae erat, includi jussisse, docemur ab epitomatore Dionis [72]: *ὁ σεβηρος τα βιβλια παντα τα απορρητον τι εχοντα, ὁσα και ἑυρειν ηδυνηθη, εκ παντων ὡς ειπειν των αδυτων ανειλε, και τῳ του αλεξανδρου μνημειῳ συνεκλεισεν, ἱνα μηδεις ετι μητε το τουτου σωμα ιδῃ, μητε τα εν εκεινοις γεγραμμενα αναλεξηται.* „ Severus libros omnes quibus arcana continerentur, quotquot potuerunt inve„ niri, fere ex omnibus adytis sustulit, et in monumento Alexandri inclusit, „ ne quisquam corpus ejus videret in posterum, neve ea quae in libris illis scri-

---

[68] Metam. lib. 11. pag. 386. supra. pag. 434.

[69] Lib. 22. cap. 14: „ Nec enim ultra eum „ trahere licet aetatem, quam secreta libro„ rum praescribit auctoritas mysticorum „. Cap. 16: „ Hic primum homines longe ante alios „ ad varia religionum incunabula, ut dicitur, „ pervenerunt, et initia prima sacrorum caute „ tuentur condita scriptis arcanis „.

[70] De amor. Clitoph. et Leuc. lib. 3. pag. 86: *ἑστηκεν ουν επι μετεωρου σκοπου, και επιδεχεται τους προπολους του θεου. ερχεται δη τις ἱερευς αιγυπτιος βιβλιον εξ αδυτων φερων, και δοκιμαζει τον ορνιν εκ της γραφης. ὁ δε ουδεν απιστουμενος, και τα απορρητα φαινεται του σωματος, και τον νεκρον επιδεικνυται.* „ In sublimi quo cerni pos„ sit subsistit, deique administros exspectat. „ Nec multo post Aegyptius sacerdos e sacra„ rio cum libro prodit, volucrem descriptionis „ comparatione dijudicaturus. Quocirca fidem „ ille sibi minime haberi sentiens, occultas „ paterni corporis partes revelat, cadaverque „ oculis subjicit „. Conf. S. Epiphan. physiol. cap. 11.

[71] Voc. *ηραισκος: ὁ δε ασκληπιαδης επι πλειον εν τοις αιγυπτιοις βιβλιοις ανατραφεις, ακριβεστερος ην αμφι θεολογιαν την πατριον, αρχας τε αυτης και μεσα διεσκεμμενος, και την απειριαν ατεχνως των εσχατων περατων πολυπραγμονησας, ὡς εξεστιν ειδεναι σαφως απο τε των υμνων, ὡν συγγεγραφεν εις τους αιγυπτιων θεους, και απο της πραγματειας, ἡν ὡρμησε γραφειν, περιεχουσαν των θεολογιων ἁπασων την συμφωνιαν. και συγγραφην δε εγραψεν, αιγυπτιων ωγυγιων πραγματων περιεχουσαν ουκ ελαττονων ετων η τριων μυριαδων, αλλα πλειονων ολιγῳ.* Memoratur a Laertio lib. 8. seg. 89. inter scripta Eudoxi philosophi, liber cui titulus *κυνων διαλογοι*, quem ex Aegyptio sermone in Graecum conversum affirmabant nonnulli, sed de cujus argumento nihil adnotatum invenio.

[72] Lib. 75. cap. 13. Conf. Suid. v. *σεβηρος*, et Zonar. hist. lib. 12. cap. 9. De Ocho qui sacros Aegyptiorum libros abstulit, diximus supra pag. 503. De Diocletiano dicetur infra pag. 525.

„ pta erant legeret „ . Inter physica argumenta primum locum tenet Nili fluvii cognitio , de cujus natura et origine ab hominum memoria curiose quaesiverunt Aegyptii , ac quae de eo sibi essent explorata in stelis librisque memoriae prodiderunt . Veram quidem inundationis causam , imbres illos Aethiopicos , si antiquiores audiamus scriptores , aut ignoraverunt Aegyptii , aut invide caelaverunt : explicatam tamen fuisse in sacris de Nilo libris , quos praeter prophetas nemini inspicere licebat , auctor est Heliodorus in Aethiopicis [73] : *οσα περι του ποταμου βιβλοις ἱεραις αναγεγραμμενα μονοις τοις προφητικοις και γινωσκειν και αναγινωσκειν εξεστι* . Coelestium quoque scientiam summo studio excultam fuisse a sacerdotibus in Aegypto , astrorumque observationes a remotissimo inde tempore in commentarios relatas , et quae in terrestribus rebus sit astrorum vis definitum , inter alios diserte prodit Diodorus [74] ; *επιμελως γαρ , ει παρα τισιν αλλοις , και παρ᾽ αιγυπτιοις παρατηρησεως τυγχανουσιν αἱ των αστρων ταξεις τε και κινησεις . και τας περι ἑκαστων αναγραφας εξ ετων απιστων τῳ πληθει φυλαττουσιν , εκ παλαιων χρονων εζηλωμενης παρ᾽ αυτοις της περι ταυτα σπουδης . τας τε των πλανητων αστερων κινησεις και περιοδους και στηριγμους , ετι δε τας ἑκαστου δυναμεις προς τας των ζωων γενεσεις , τινων εισιν αγαθων η κακων απεργαστικαι , φιλοτιμωτατα παρατετηρηκασι* . „ Accurate enim , si qui alii , sane et Aegyptii siderum ordinem et motum observant . Et descriptiones „ singulorum per incredibilem annorum numerum custodiunt ; cum ab antiquissimis inde temporibus hoc apud eos studium certatim sit agitatum . „ Planetarum etiam motus et circuitus et stationes , et uniuscujusque vires circa „ ortus animantium , quae bona aut quae mala efficiant , curiose annotarunt „ . Advertit etiam Strabo [75] , ignorasse Graecos cum multa alia ad astronomiam spectantia , tum et veram anni formam diebus circumscriptam trecentis sexaginta quinque cum quarta diei parte , donec in Graecam linguam converterentur Aegyptiorum sacerdotum commentarii : *ὁυτοι δε τα επιτρεχοντα της ἡμερας και της νυκτος μορια ταις τριακοσιαις ἑξηκοντα πεντε ἡμεραις εις την εκπληρωσιν του ενιαυσιου χρονου παρεδοσαν · αλλ᾽ ηγνοειτο τεως ὁ ενιαυτος παρα τοις ἑλλησιν , ὡς και αλλα πλειω , ἑως οἱ νεωτεροι αστρολογοι παρελαβον παρα των μεθερμηνευσαντων εις το ἑλληνικον τα των ἱερεων υπομνηματα* . „ Hi vero excurrentes diei ac no-

---

[73] Lib. 2. pag, 109. E contrario Strabo lib. 17. pag. 1139. facta mentione expeditionum Sesostridis et Cambysis in Aethiopiam , subjungit : *θαυμαστον ουν πως εκ των τοιουτων αφορμων ου τελεως εναργης ην ἡ περι ομβρων ἱστορια τοις τοτε · και ταυτα των ἱερεων φιλοπραγμονεστερον αναφεροντων εις τα ἱερα γραμματα και αποτιθεμενων ὁσα μαθησιν περιττην επιφαινει* . „ Mirum itaque est , „ cur tantis oblatis investigandi occasionibus , „ non prorsus innotuerit imbrium historia ejus „ aetatis hominibus : praesertim cum sacerdotes curiosius in sacros libros referrent et custodirent quae subtilioris aliquid haberent cognitionis „ . Conf. Lucan. pharsal. lib. 10. v. 174. Diod. lib. 1. cap. 37. Herod. lib. 2. cap. 19. 28.

[74] Lib. 1. cap. 81. Cf. cap. 73. Herod. lib. 2. cap. 4. 82. ubi inter alia : *γενομενου τερατος , φυλασσουσι γραφομενοι τὼποβαινον* . Apud Martianum Capellam satyr. lib. 8. pag. 274. inducitur Astronomia inquiens : „ Per immensa spatia „ saeculorum , ne profana loquacitate vulgarer, „ Aegyptiorum clausa adytis occulebar : quippe 400 fere annorum millia illic reverenti observatione delitui „ .

[75] Lib. 17. pag. 1160. cf. pag. 1171. Hisce consona leguntur apud Diodorum lib. 1. cap. 50., qui in Aegypto fuit antequam Caesare jubente ad hanc anni formam , quam Julianam vulgo vocitant , corrigerentur fasti Romani . Sed hic nobis sermo non est de priscorum Aegyptiorum inventis , nec quantum in scientiis profecerint exponere instituimus , sed quid in libris eorum comprehensum fuisse asserant scriptores veteres.

,, ctis particulas supra trecentos sexaginta quinque dies ad anni supplementum ,, tradiderunt. Ignorabatur annus eo tempore apud Graecos, quemadmodum et ,, alia permulta: donec juniores astrologi ab iis acceperunt, qui sacerdotum mo- ,, numenta in Graecam linguam transtulerunt ,,. Maxime etiam floruisse artem medicam, quam notissimum est, Aegyptiorum in medicamentis componendis peritia jam ab Homero laudata [76]. Singulis apud eos morborum generibus curandis singulos medicos fuisse destinatos, Herodotus [77] auctor est: quod vero medendi ratio scriptis legibus esset praefinita, primus quod sciam notavit Aristoteles [78], uberius autem explicavit Diodorus [79]: *τας δε θεραπειας προσαγουσι κατα νομον εγγραφον, απο πολλων και δεδοξασμενων ιατρων αρχαιων συγγεγραμμενον. καν τοις εκ της ἱερας βιβλου νομοις αναγινωσκομενοις ακολουθησαντες αδυνατησωσι σωσαι τον καμνοντα, αθωοι παντος εγκληματος απολυονται· εαν δε παρα τα γεγραμμενα ποιησωσι, θανατου κρισιν υπομενουσιν. ἡγουμενου του νομοθετου, της εκ πολλων χρονων παρατετηρημενης θεραπειας, και συντεταγμενης υπο των αριστων τεχνιτων, ολιγους αν γενεσθαι συνετωτερους.* ,, Medicinam ex lege ,, scripta, per multos ab antiquo medicos illustres concinnatam applicant. Si le- ,, ges, quas sacri codicis lectio tradit, secuti aegroto sanitatem reddere ne- ,, queant, culpa vacant: sin contra praescriptum agant, capitis judicium subeunt. ,, Nam medendi rationem longi temporis usu observatam, et ab optimis artis ma- ,, gistris ordinatam, paucos ingenio et solertia superaturos, legis lator censuit ,,. In sacris pariter libris perscriptam fuisse medicamentorum ac suffimentorum componendorum rationem, colligitur e verbis Plutarchi [80] de mixtione suffimenti quod Cyphi appellabant: *συντιθεται δε ουχ ὁπως ετυχεν, αλλα γραμματων ἱερων τοις μυρεψοις, ὁταν ταυτα μιγνυωσιν, αναγινωσκομενων.* ,, Nec temere id componunt, ,, sed seplasiariis, dum isthaec miscent, sacrae recitantur litterae ,,. Commemorantur et ab Hephaestione Thebaeo in apotelesmaticis [81], veterum Aegyptiorum *συνταξεις ιατρομαθηματικαι*, sive libri continentes doctrinam pronunciandi de morborum eventu deque remediis adhibendis ex aspectu astrorum qua hora decubuerit aeger. Qua de re Ptolemaeus in tetrabiblo [82]: *ὁτι δε ταυτα αληθως λεγει, και ουχ ὡς ετυχε κινουμενος, πιστουται δια της των αιγυπτιακων βιβλιων παραθεσεως. ὁυτοι γαρ ὁι αιγυπτιοι, εγνωκοτες την αιτιαν της τοιαυτης αγνοιας,*

---

[76] Odyss. Δ. v. 219.

[77] Lib. 2. cap. 84. Conf. cap. 77. lib. 3. cap. 1. 129.

[78] De republ. lib. 3. cap. 17: *ὡστ' αν ὁποιᾳουν τεχνῃ το κατα γραμματα αρχειν ηλιθιον· και εν αιγυπτῳ μετα την τετραημερον κινειν εξεστι τοις ιατροις, εαν δε προτερον, επι τῳ αυτου κινδυνῳ.* ,, Itaque in quavis arte secundum scripta praece- ,, pta operari stultum est: sicut in Aegypto, ,, post diem quartum aegrotum purgare licet ,, medicis, quod si ante id tempus facere conen- ,, tur, suo periculo faciunt ,,.

[79] Lib. 1. cap. 82. Conf. Horap. lib. 1. c. 38.

[80] De Isid. pag. 507. tom. 2. pag. 383.

[81] Praefat. libri 1. apud Salmasium de annis climact. pag. 52: *τουτοις ὡς εοικε συνεγνωκοτες ὁι παλαιοι αιγυπτιοι ὁπως εχουσι, συνηψαν πανταχου τῃ δι' αστρονομιας προγνωστικῳ την ιατρικην δια των καλουμενων παρ' αυτοις ιατρομαθηματικων συνταξεων, εξ ὡν προσφορως ἑκαστῳ τα βοηθηματα προσφερουσι.* ,, Haec cum viderent ita esse veteres ,, Aegyptii, constanter prognostico ex astro- ,, nomia perspecto conjunxerunt artem medi- ,, cam, eorum librorum ope qui apud eos vo- ,, cantur iatromathematica, ex quibus idonea ,, cuique suggerebant auxilia ,,. Circumfertur et liber inscriptus *ιατρομαθηματικα* atque Hermetis nomine insignitus, sed quem ab antiquis scriptoribus citatum non invenio, neque in ipso libro offendi quae Aegyptiam originem commonstrarent. Consule Galeni *περι κατακλισεως προγνωστικα εκ της μαθηματικης επιστημης*: et confer quae supra monuimus de Necepsone.

[82] Lib. 1. cap. 2. pag. 15. adde pag. 16.

ουκ ιδιᾳ μεν τα ιατρικα συνεταξαν ιδιᾳ δε τα αστρολογικα και τελεστικα, αλλ' ἁμα παντα συνεγραψαν, ἱνα τα συγγενη και εφεξῆς τεταγμενα εἱς και ὁ αυτος ειδως, μη παρα την αγνοιαν των κοινων ὀντων αντιστηναι τοις επιουσι μη δυνησεται. „ Vera haec dici a viro artis perito, neque ex impulsu fortuito, confirma„ tur Aegyptiacorum librorum auctoritate. Nam Aegyptii causa perplexitatis co„ gnita, non medicinam et astrologiam atque prognostica seorsim docuerunt, „ sed omnia conjunxerunt, ut res cognatas et serie quadam cohaerentes unus „ idemque sciens, posset vitata ignoratione rerum cognatarum ingruentibus ma„ lis resistere „. Ejusdemque argumenti fuisse videtur sacer liber Ambres, cujus meminit Horapollo [83]: εστι δε παρα τοις ἱερογραμματευσι και βιβλος ἱερα, καλουμενη αμβρης, δι' ἧς κρινουσι τον κατακλιθεντα αρρωστον, ποτερον ζωσιμος εστιν η ου, τουτο εκ της κατακλισεως του αρρωστου σημειουμενοι. „ Est autem „ apud hierogrammates sacer liber, Ambres dictus, cujus ope judicium ferunt „ de aegroto decumbente, sitne vitalis nec ne, id ex aegri decubitu dijudican„ tes „. Cohaeret autem cum astrologica ista medendi ratione scientia illa magica, quae remediorum loco aut amuleta aut carmina adhibebat, cum certis astris sive certis astrorum geniis quos Decanos appellant, secreta aliqua virtute connexa; mox et a morbis ad alios affectus curandos variique generis mala abigenda transiit. Hanc in Graecia eadem qua medicina aetate effloruisse ait Plinius [84]: pariterque in Aegypto viguisse narrant [85], quamquam nullam ejus mentionem inveniam apud antiquiores auctores Graecos, nec hujus argumenti libros Aegyptios memoratos ab aliis praeter Lucianum in philopseude [86]. Denique et chemia

---

[83] Hierogl. lib. 1. cap. 38. Videtnr autem vocabulum derivatum a ⲫⲣⲉϣ seu ⲫⲱⲣϣ *stratum*, *lectus*: praefixa vocula ⲙ sive ⲁⲙ, quae in compositis nota est officii sive artis, ut ⲙⲣⲉ pro ⲙϭⲣⲉ pistor, σιτοποιος, a ϭⲣⲉ *cibus*, ⲁⲙϣⲉ *faber* a ϣⲉ *lignum*: qua ratione *ambres* ⲙⲫⲣⲉϣ vel ⲁⲙⲫⲣⲏϣ, significare poteſt medicum clinicum sive observatorem decubitus.

[84] Nat. hist. lib. 30. cap. 1.

[85] Aelianus apud Suidam v. ιαχην: ὑτος εγενετο αιγυπτιος, ανηρ θεοφιλης και εις πολλα λυσιτελης. ην δε επι σενυυ βασιλεως αιγυπτιων, περιαπτων και επαοιδων αντιπαλα, και εν ταις οδυναις και νοσοις σοφιστης ακρος. ὁς λοιμων επιδημιας εσβεσεν, και την αμφι τον κυνα τον σειριον πρωτιστην επιτολην και ὁρμην την εμπυρον ἡμερωσε τυ αστερος. διο και πολυτελως εταφη· και ειποτε δημοσια νοσος επεπολασεν, επι τον σηκον τυδε φοιτωντες οἱ ἱερογραμματεις, και τας δεισας ἱερυργιας επιτελυντες, εκ τυ βωμυ πυρ εναυοντες, και εξαπτοντες πυρας κατα πολιν, και τυ δυσωδυς αερος την φθοροποιον εκεινην νοσον μαραινοντες και κρατυνοντες, τυτο δη το καινοτατον την νοσον εσβεσαν τῳ πυρι. Et v. ἱερογραμματεις: και μεν τοι και ἱερογραμματεα αδυσιν οἱ αιγυπτιοι λογοι κατ' αυτον (τον ευηνυ) γενεσθαι θεοφιλη, ονομα ιαχιμ, ὁν φασι περιαπτων και επαοιδων εμπειρον γενεσθαι. „ Jachen fuit Aegyptius, vir singu„ laribus a deo dotibus instructus, et ad multa „ utilis. Vixit sub Senye, Aegyptiorum rege, „ amuletorum incantationumque peritus, et „ dolorum morborumque sanandorum summa „ scientia praeditus. Hic enim pestilentias „ grassantes exstinxit, et primum Caniculae „ exortum aestuosumque sideris illius influxum „ mitigavit: quam ob causam magnifico fune„ re elatus est. Et, si quando morbus epide„ micus invalesceret, sacri scribae ejus fanum „ adeuntes, sacris rite peractis, ex ara ejus „ ignem accendebant, rogisque passim per ur„ bem excitatis aëris foetidi exitialem noxam „ exstinguentes et retundentes, nova plane „ via morbum ignis beneficio propulsabant„. Ab hac medicinae, astrologiae atque magiae copulatione derivandum eſt, quod Nechepsonem regem magica arte inclaruisse referat chronicon Eusebii, supra citatum p. 517. not. 49. quodque de eodem Ausonius epist. 19. v. 18:

Quique magos docuit mysteria vana Necepsus.

[86] Philops. §. 31. tom. 3. pag. 57. Inducitur Arignotus discipulus Pancratis hierogrammatei inquiens: εγω δε επει ταυτα ηκυσα, τας βιβλυς

de metallorum purgatione et permutatione in Aegypto inventa videtur, fidem faciente ipso artis vocabulo [87]: veteres libros eam complexos exstitisse apud Aegyptios, quos provincia post rebellionem subacta comburi jussit Diocletianus imperator, auctor est Joannes Antiochenus in chronicis [88]: ότι διοκλητιανος μνημῃ και οργῃ των περι την αρχην νεωτερισθεντων περι την αιγυπτον, ου μετριως ουδε ἡμερως τῳ κρατειν απεχρησατο, αλλα προγραφαις τε και φονοις των επισημων μιαινων επηλθε την αιγυπτον. ότε δη και τα περι χημειας αργυρου και χρυσου τοις παλαιοις αυτων γεγραμμενα βιβλια διερευνησαμενος εκαυσε, προς το μηκετι πλουτον αιγυπτιοις εκ της τοιαυτης περιγενεσθαι τεχνης, μηδε χρηματων αυτους θαρρουντας περιουσιᾳ, του λοιπου ρωμαιοις ανταιρειν. „ Diocletianus infensus Aegyptiis „ ob tumultum quem concitaverant, victoria acerbe usus est, totamque Aegy- „ ptum gravibus proscriptionibus caedibusque foedavit: sed et libros a veteri- „ bus Aegyptiis de chemia auri et argenti conscriptos cum perquisisset, igni tra- „ didit, ne ex hujusmodi arte opes, et ex opibus fiducia ad rebellandum posthac „ suppeterent Aegyptiis „.

§. V I.

Definitis variis scribendi methodis quae apud Aegyptios usitatae fuerunt, ac monumentorum generibus in quibus quaevis adhiberi consueverat indicatis, facilius erit expeditiusque originem earum aetatemque et successionem expone-

---

λαβων, εισι δε μοι αιγυπτιαι μαλα πολλαι περι των τοιυτων, ἡκον εις την οικιαν, (την υπο δειματων αοικητον) περι πρωτον υπνον. — και εν τῳ μεγισῳ οικηματι καταθεις το φως ανεγιγνωσκον ἡσυχῃ, χαμαι καθεζομενος. εφισαται δε ὁ δαιμων, επι τινα των πολλων ἡκειν νομιζων, δεδιξεσθαι καμε ελπιζων, ώσπερ τυς αλλυς. — εγω δε προχειρισαμενος την φρικωδεστατην επιρρησιν, αιγυπτιαζων τῃ φωνῃ, συνηλασα καταδων αυτον εις τινα γωνιαν σκοτεινυ οικηματος. κ. τ. λ. „ At ego his auditis, sumo mecum libros, „ sunt autem mihi Aegyptii plurimi de talibus; „ ingredior domum propter nocturnos terrores „ desertam, circa primam quietem. — Et in „ maximo conclavi deposito lumine, lego tacite humi sedens. Adest daemon, ad unum „ se de multis venire putans, et futurum sperans, ut me quoque sicut reliquos perterreat. — Ego vero deprompta allocutione „ maxime horribili, Aegyptiorum sermone „ usus, incantando illum adegi in angulum „ quemdam tenebricosi conclavis „. De Aegyptiae magiae formulis consule Porphyrium in epistola ad Anebonem pag. 5. 6. Vide etiam Tertullianum de anima cap. 57.

87 Nam quod omnes sciunt, ⲭⲏⲙⲓ, *chemi*, vernacula lingua Aegyptum significat. Conf. Plutarch. de Is. pag. 437. tom. 2. p. 364.

88 In Henr. Valesii excerptis histor. e collectan. Constant. Porphyrogeniti pag. 834. Leguntur eadem bis repetita apud Suidam v. *χημεια* et v. *διοκλητιανος*. Habetur et apud Syncellum pag. 13. fragmentum libri Imuth auctore Zosimo Panopolita chemico, quem ante Serapeum Alexandrinum Theodosio jubente eversum floruisse docet V. C. Münterus in specim. version. Daniel. Copticar. pag. 36., ex quo intelligi posse videtur, in scriptis illis physicis, quae jam tunc sub Hermetis nomine circumferebantur, inter alia sermonem fuisse de arte chemica: *αξιον δε και ζωσιμυ τυ πανοπολιτυ φιλοσοφυ χρησιν τινα παραθεσθαι περι αυτων (των εγρηγορων), εκ των γεγραμμενων αυτῳ προς θεοσεβειαν εν τῃ θ' της ιμυθ βιβλῳ, εχυσης ώδε. φασκυσιν άι ἱεραι γραφαι, ότι εσι τι δαιμονων γενος, ὁ χρηται γυναιξιν· εμνημονευσε δε και ὁ ἑρμης εν τοις φυσικοις, και σχεδον άπας λογος φανερος και αποκρυφος. εσιν υν αυτων ἡ πρωτη παραδοσις χημᾶ περι τυτων των τεχνων. εκαλεσε δε ταυτην την βιβλον χημᾶ, ενθεν δε ἡ τεχνη χημεια καλειται.* Arabum et recentiorum chemicorum commenta de tabula smaragdina, et quae alia de Hermete fabulantur, hic non moror. Vide Fabr. bibl. Gr. lib. 1. cap. 9. §. 9. cap. 10. lib. 4. cap. 36. §. 9. lib. 6. cap. 6. §. 4. cap. 7. §. 17. cap. 8. Illud vero omnino credibile esse existimo, chemicam artem initium cepisse ab operosa illa metallorum tractatione, in fodinis quae fuere in confinibus Aegypti atque Aethiopiae, de quibus Agatharchides de mar. rubr. in Hudson. geogr. min. tom. 1. p. 23. atque ex eo Diodorus lib. 3. cap. 12. — 14.

re. Cum enim scripturae initia omnem antevertant gentium historiam; nec praeter obscuras traditiones ad nos pervenerit de iis notitia, e conjectura maxime atque analogia instituenda est disputatio: quod ut rite fieret, opus erat rem de qua agitur accurate descripsisse usumque ejus ostendisse. Hieroglyphicam scripturam, quae medium locum tenet inter picturam ac litteras proprie sic dictas, ortum traxisse a pictura, sententia est nostri saeculi hominibus majori ex parte probata [1]. Nam ubi ad animi sensa declaranda voces gestusque, quae cogitatorum sunt prima vehicula, non sufficiunt, ut lineis ductis rem mente conceptam ante oculos ponamus graphice, ipsa natura compellit, cui loquendi modo id praeterea conjunctum est, quod ad absentes quoque pertingat, posterisque transmittat cogitatae rei memoriam. Sic ortum cepit pictura, quam hoc loco latiori sensu accipimus, ut quaecunque sint exsistentium rerum imitamenta lineis circumscripta eo comprehendamus vocabulo. Hanc vero omnibus hominibus aeque fere ac sermonis elementa communem esse, cum ex veteri historia intelligitur, tum ex incultarum gentium moribus, quae ultimis hisce saeculis Europaeis innotuere: ac frustra sunt qui ab uno alterove populo repetere student picturae initia, vel certis temporibus ortum ejus assignari posse opinantur. Pro vario autem hominum ingenio et diversa populorum conditione, varia habuit apud singulos incrementa diversosque modos suscepit. Sunt enim multi populi qui singulas figuras finxisse contenti, de iis invicem connectendis aut per seriem apte disponendis cogitasse non videntur: quo fit ut peregrinatores qui barbaras gentes adiere, apud plerasque earum statuas commemorent et icunculas, raro symplegmata aut effigierum ordines. Ulterius progressi septentrionalis Americae indigenae, Canaden-

---

[1] Warburtoni ea laus est praecipua, quod hanc sententiam clarius exposuerit, atque e pictura, quod primum est scribendi genus, natam docuerit scripturam hieroglyphicam, dum commodiorem expeditioremque cogitatorum communicandorum viam quaererent homines: *essay sur les hiérogl.* §.2. 4. *divine legat. of Moses* lib.4. sect.4. vol.2. pag.66.70.sqq. Qui enim Kircherum secuti erant, hieroglyphica arbitrario instituto atque mysterii gratia ab Aegyptiis sacerdotibus inventa crediderant. Sed jam Mercatus in libro de obeliscis Romanis pag. 96. 97. 102. picturas Mexicanorum comparavit cum Aethiopum hieroglyphicis a Diodoro memoratis, atque eadem fere ratione, qua Warburtonus, hanc asseruit antiquissimam idearum absentibus impertiendarum methodum, ab Aegyptiis postea ad mysticas rationes traductam. Quin vero conjecturam ultra prosequeretur, atque litteras ex hieroglyphicis ortas demonstraret, obstitit praeconcepta opinio de divina alphabeticarum litterarum origine: ibid. pag. 93. Caeterum hunc eximium librum nostri saeculi hominibus saltem extra Italiam non satis notum esse, jam inde colligo quod cl.Beck in *anleitungzur welt und völkergeschichte* tom. 1. p. 167. 168., ubi auctores recenset qui scripserunt de obeliscis, nullam rationem habeat Mercati, cui sane primus locus erat tribuendus. Freretus quoque ante Warburtonum eandem viam ingressus erat; sed nimis tribuerat notis quas ipse appellat arbitrarias: *reflexions* in *Mém. de l' acad. des inscr.* tom. 6. pag. 609. sqq. Warburtonum in omni ferme re secutus est Goguetus *de l' origine des loix* art.1. lib. 2. cap. 6. vers. Ital. tom. 1. pag. 136. 143. Dorignius antem, qui in libro *l' Egypte ancienne* tom. 2. pag. 263. 265. 269. primos characteres hieroglyphicos ab Athothe Menae filio atque in regno successore, nescio quo modo, excogitatos affirmat, atque hieroglyphicam scripturam a pictura ortam esse negat, picturae vocabulum significatione nimis angusta accepisse videtur, eoque intellexisse elegantem illam artem, res coloribus ad naturae imitationem accurate et pulchre exprimere; ideoque frustra oppugnat Warburtonum, qui picturae nomine, aeque ac nos facimus, pro quavis utitur lineari rerum imitatione. Sola enim ratio quam affert Dorignius ea est, picturam diu post sculpturam atque scripturam in usu esse coepisse, quod nisi de pulchra illa pictura, a Graecis saltem serius quam sculptura exculta, nullo pacto approbari potest.

ses praesertim, Lovisianenses et Virginienses, figurarum quaedam adinvenerunt systemata, quibus in lignea tabula vel in arboris cortice incisis, scalptura lineari coloribus nonnunquam infecta, aut vero pictis in ferarum pellibus, ad clarorum virorum memoriam honorandam, eventuum notitiam communicandam et itinerum directiones indicandas, atque in universum ad litterarum defectui subveniendum usi sunt. Egregiam de his notitiam tradit Lafitau in libro de ferarum gentium moribus [2], adjecto specimine aenea tabula expresso, non quidem ad autographi alicujus fidem, sed secundum ideam quam ipse ex monumentorum inspectione conceperat. „ Septentrionalis, inquit, Americae incolae factorum memoriam incidere et pingere solent in arborum truncis inque ligneis tabulis aut in cortice arboribus detracto; ingentem adhibentes symbolorum numerum, quae ut plurimum lineari scalptura exprimunt sulcis pigmento repletis. Multas ejusmodi tabulas vidi in Irokensium casis asservatas, alias perticae affixas in via publica. Singulae quoque tribus in publico aerario tabulas quasdam custodiunt geographicas ruditer exaratas in cortice, in quibus satis bene notatae sunt locorum distantiae atque itinerum directiones. Irokenses porro et Hurones super fortium virorum sepulcris stipitem erigunt, in quo scalpunt vultum defuncti et facinora ejus hieroglyphice expressa. Sed quoniam vultum ad veri similitudinem pingere nesciunt, quo unum hominem ab altero distinguant, addunt notas illas sive stigmata quae quisque pro gentis consuetudine faciei aut pectori impressa gestaverat; ut vero nomen viri declarent, prope aurem picti capitis apponunt figuram ejus rei a qua ipsi nomen fuerat: exempli gratia si nomen sagittam significat, sagittam pingunt; si pennam denotat, pingunt pennam. Juxta viri nomen collocant nomina familiae tribusque e quibus ille oriundus, simili modo signis expressa. Infra caput ponunt integram figuram hominis ad minorem modulum inscalptam, stipatam sociorum cohorte, quos nonnunquam compendii causa sola indicant perpendicularium linearum serie, et attributis instructum quae expeditionem declarent quam sibi sumserint celebrandam. Videlicet ubi de pace conciliata sermo sit, figura illa manibus gestat testudinem et caduceum illum plumis ornatum, Americanis proprium, qui *calumet* dicitur, quo et utuntur ad nicotianae herbae fumum hauriendum. Pingitur praeterea alter caduceus similis, sed majoris formae ac separatus, adjecto nomine populi quocum pax inita fuerat. Si de bello agatur, arcum tenet et sagittam; comitanturque captivorum caterva, singuli baculum gerentes plumis decorum atque testudinem; qui vero bello caesi fuerint, figuris indicantur capite truncis; utque expeditionum seriem denotent, tot storeas pingunt quot interfuerit expeditionibus, quibus vero ipse dux praefuerit, has storeis repraesentant adjecto torque decoris „ [3]. Haec de Lovisianae indigenis Lafitau, de Virginiensibus autem ita refert Lederer in ephemeridibus eruditorum Gallicis [4]: „ Inter modos ad litterarum defectum supplendum ab ipsis adhiberi solitos, prae reliquis notandae occurrunt rotae aliquae hieroglyphicae, ipsis dictae *sagkokok* sive deorum me-

---

[2] *Moeurs des sauv.* tom. 2. pag. 43. 44. 225. 416.

[3] Relationem de proelio Francogallos inter atque Canadenses hujuscemodi pictura expositam affert de la Hontan in *voyages dans l' Amérique septentrionale* tom. 2. pag. 193.

[4] *Journal des savans* an. 1681. pag. 75.

„ moria. Hae compositae sunt e radiis sexaginta, qui singuli annum denotant, „ et pictae habentur in pellibus, quas primarii sacerdotes in templis adservare „ solent: in unoquoque autem rotae radio res memoratu dignas quae intra annuum spatium eveniunt hieroglyphicis figuris significant. In pago Pommaeomek unam vidi hujusmodi rotam, in qua ad annum quo prima vice ad Virginiam appulerunt Europaei, pictus erat cygnus ignivomus, utpote qui vitae „ ratione mare significat, pennarum albedine Europaeos homines, igne autem „ quem ex ore emittit, ignivoma eorundem arma indicat. Istae rotae sive cycli Virginiensibus sunt proprii ac peculiares: quod vero in arcubus suis atque „ baculis memoriae sublevandae gratia varias figuras incidere soleant, id ipsis „ commune est cum plerisque Americae populis „.

Ejusdem vero classis ac Virginiensium istae Irokensiumque monumenta, sunt etiam celebratae illae Mexicanorum picturae, coloribus delineatae in pellibus, in arborum corticibus, in linteis ex arborum fibris confectis, inque charta ex plantarum foliis conglutinata [5]: quibus ea gens concredere solebat quaecunque sibi visa essent scitu necessaria, inprimis fastos suos atque annales, deorum caeremonias, leges, tributa, locorum situs et itinera. De his ita refert Josephus Acosta missionarius Mexici, in naturali et morali historia Indiae occidentalis [6]: „ In Nova Hispania in provincia Yucatan libri sunt reperti, quorum folia certa forma „ complicata et colligata videbantur. In his Indi tum divisiones temporum, tum „ planetarum motus, et animalium ac rerum naturalium naturas proprietatesque, „ una cum rerum gestarum exemplis operosa diligentia descripserant. Sed concionator aliquis impetravit ut igne absumerentur, pro magicis ac necromanticis eos venditans. Similia et cum rebus aliis a popularibus nostris temere superstitiosis creditis commissa fuerunt. Quo factum est ut una cum libris omnem „ rerum antiquarum memoriam exstirparint. E societate Jesu quidam quondam „ seniores universos ex Tuscuco, Tutla et Mexico congregaverat, et collatione „ de variis habita in familiaritatem se eorum insinuerat. Huic ipsi postea suas „ bibliothecas ac annales fastosque spectatu dignissimos ultro videndos afferebant. Sed figuris ac notis hieroglyphicis res universae eorum hoc fere modo „ conscriptae erant. Quae res certas et definitas imagines sua natura habebant, „ eas ad suae figurae modum pingebant; quarum vero nulla nativa species, illas pe-

[5] Robertsonus hist. Amer. lib. 7. vers. Ital. tom. 4. pag. 11. cortices tantum memorat, telas gossipinas et pelles. At vero habuisse Mexicanos chartarum varias species satis commodas discimus a Clavigero, in *storia antica del Messico, cavata dai migliori storici Spagnuoli. Cesena* 1780., tom. 2. lib. 7. §. 48. pag. 188. *La tela*, inquit, *in cui dipingevano era di filo di maguei o della palma icxotl, o pelli conciate o pur carta. Facevano la carta delle foglie di certa specie di maguei, macerate a guisa della canapa, e poi lavate, distese e lisciate. Facevano eziandio della palma di icxotl, di scorze sottili d' altri alberi unite e preparate con una certa gomma, di seta, o finalmente di cotone, benchè ignoriamo la maniera di farla, Ho avuti nelle mie mani parecchj foglj di questa carta Messicana. Ella è somigliante nella grossezza al cartone d' Europa, ma più morbida e più liscia, e vi si può scrivere commodamente*. His si fidem habemus, Mexicani chartam confecere eodem fere modo quo Aegyptii.

[6] Lib. 6. cap. 7. 10. lib. 7. cap. 24. in Theodori de Bry *America* part. 4. pag. 278. 282. 352. Uberius de Mexicana pictura disputavit Robertsonus historiae Americanae lib. 7. pag. 10. sqq. pag. 38. sqq. 310. sqq. Sed accuratius omnia quae ad hoc argumentum pertinent collegit Clavigerus historiae Mexicanae lib. 7. §. 47. — 49. tom. 2. pag. 186. sqq., qui et tomo 1. praefat. pag. 22. sistit catalogum collectionum picturarum Mexicanarum, quae sibi innotuerant.

„ culiaribus aliis characteribus designabant; momento temporis addito quo quae-
„ que res gesta esset. Quae enim temporis notae erant, eas in rotas seu orbes
„ conferebant, quorum quilibet unum saeculum i. e. annos quinquaginta duo com-
„ plectebatur: atque in orbitarum marginibus supra eas notas depingebant res
„ quae quovis anno fierent. Exempli gratia supra indicem seu gnomonem signi
„ tempus instans monstrantem, vir pictus erat, cujus caput intectum pileo, tho-
„ rax vero tunica manicata rubea cinctus videbatur: qua imaguncula annum eum
„ quo Hispani primum in Indiam ingressi sunt intendebant. Nonnulli Mexicano-
„ rum ad fidem conversi formulas quoque religiosas, decalogum, confessionem,
„ preces aliaque hieroglyphicis suis icunculis exprimere conati sunt. Res gravio-
„ res si quae denunciandae forent, eas Mexicani tabulis aut chartis depingebant,
„ ac per suos ad amicos deferri curabant. Primis Hispanis in Mexicano littore vi-
„ sis, Indi ad Mexicum urbem properabant, et in linteis quaecunque vidissent
„ accurate depicta ferebant, nempe tum ipsas naves tum homines et horum habi-
„ tum „. Cum his fere consentiunt quae tum ex autopsia tum ex antiquioribus relationibus affirmat Clavigerus Mexicanus in historia patria, advertens praeterea usos eos esse figuris admodum ruditer delineatis, deformibus et justa partium symmetria carentibus, coloribus vero admodum pulcris. Saepe compendii gratia pro integris figuris partes earum ostendisse: locorum vero hominumque propria nomina expressisse earum rerum figuris quae illis vocabulis significarentur: annalesque suos ita ordinasse, ut annorum series circum quadratae paginae margines aut in aliqua eorundem parte disposita, in sinistro margine a summo pergeret ad imum, in imo a sinistris ad dextra, in dextro ab imo ad summum, in summo denique margine a dextris ad sinistra; singulis autem annis factorum eventuumque signa adnecterentur. Praeterea in iis contineri mythologiam patriam, ritus, consuetudines et tributa. Denique Cortesium in ea provincia subjuganda usum esse tabulis quibusdam geographicis ab indigenis sibi subministratis [7]. Magnam quidem vim hujusmodi monumentorum periisse, jam ex dictis intelligitur: supersunt tamen et hodie non pauca cum in Nova Hispania tum in Europaeis bibliothecis adservata, nonnulla jam ectyporum ope publici juris facta. Primam quae innotuit Mexicanarum picturarum collectionem, atque inprimis conspicuam, ab Antonio Mendoza ejus provinciae prorege una cum interpretatione transmissam ad Carolum V., sed a praedonibus Gallis interceptam, post alios acquisivit, et ligneis tabulis sexaginta tribus expressit Samuel Purchas in peregrinationum volumine tertio, a

---

[7] Clavig. loc. cit. pag. 188.: *Cortès dice nella sua prima lettera a Carlo V., che volendo egli sapere, se v' era nel golfo Messicano qualche porto sicuro per li vascelli, gli presentò il rè Motezuma dipinta in una carta tutta la costa che v' è dal porto di Chalchiuhuecan, dov' è presentemente la Veracroce, sino al fiume di Coatzacualco. Bernal Diaz racconta, che lo stesso Cortès si servì pel lungo e malagevole viaggio che fece alla provincia di Honduras, d' una carta presentatagli da' signori di Coatzacualco, nella quale erano segnati tutti i luogi e tutti i fiumi della costa di Coatzacualco insin a Huejacallan*. De hujusmodi tabulis geographicis ab Aegyptiis olim usitatis, et cum Colchis, qui eorum coloni feruntur, communicatis, accipiendos reor versus Apollonii argon. lib. 4. v. 279.

οἱ δη τοι γραπτυς πατερων ἑθεν ειρυονται
κυρβιας, οἱς ενι πασαι ὁδοι και πειρατ' εασιν
υγρης τε τραφερης τε περιξ επινεισομενοισιν.

„ Hi quidem adhuc majorum servant inscalptas
„ tabulas, in quibus omnia sunt itinera, et fi-
„ nes maris terraeque, circumquaque profectu-

quo mutuatus edidit Thevenotus in variorum itinerum tomo secundo. Exhibentur autem in ejus prima parte tredecim picturis, Mexicanae urbis ab Aztecis conditae initia, et novem regum imperia qui Tanucho conditori successere usque ad ultimum regem Motezumam. In secunda parte sistitur tabulis triginta quinque tributorum catalogus, quid quaeque civitas in regium aerarium penderet accurate exponens. Reliqua pars complectitur consuetudines, puerorum educationem, institutiones civiles atque militares [8]. Postea tabulam aeri incisam edidit Valades in libro cui titulus Rhetorica Christiana [9], exhibentem saeculi, anni, et mensis figuras circulares: duas Carerius in itinerum tomo sexto [10], descriptas ex autographis olim asservatis Mexici in museo Siguenzae, in quibus repraesentantur saeculum annusque Mexicanorum, et iter Aztecorum e septentrionali regione ad locum ubi condiderunt Mexicum; triginta tres Lorenzana ad Cortesii historiam Novae Hispaniae [11], e collectione Boturinii, quarum una anni cyclum continet, reliquae tributorum catalogum ab eo quem edidit Purchas parum diversum. Unam denique Mexicani codicis paginam prostantis in bibliotheca Caesarea, incertae interpretationis, aenea tabula expressit Robertsonus in historia Americae [12]. Alium ejusdem generis codicem argumenti mythici ac ritualis, servatum Bononiae in bibliotheca instituti Clementini, commemorat Clavigerus [13], cujus apographon vidi Romae apud V. C. Linum Josephum Fabrega Mexicanum in antiquitatibus patriis eximie versatum. Ex duobus autem libris, quos Mexicanarum picturarum apographa continentes in bibliotheca Vaticana a se conspectos testatur Mercatus [14], unum tantum inspicere mihi contigit, qui paginis centum quinquaginta tribus ostendit pictas figuras cum adjecta interpretatione Italico sermone expressa [15]. In his pri-

---

„ ris „. Non enim me movet, quod scholiastes aliique *κυρβιων* vocabulum reddant *ϛηλας*, ac sermonem esse putent de cippis in quibus enarrabantur itinerum directiones: cum *κυρβεις* proprie sint ligneae tabulae, (Plut. in Solone opp. tom. I. p. 92. Schol. Aristoph. ad Nub. v. 447. Suidas et Etymolog. M. v. *κυρβεις*) *γραπτυς* autem rectius dici videatur de tabulis scalpturatis quam de cippis inscriptis, nec aliqua ratio suppetat, cur poetam hic ab usitatiore loquendi consuetudine recessisse existimemus. Huc quoque pertinet, quod Eustathius in epist. dedicat. praemissa comment. in Dionys. Perieg. pag. 6. adnotet, Sesostrin tabulas peragrati terrarum orbis et Aegyptiis et Scythis tradidisse: *και σεσωϛρις δε, φασιν, ὁ αιγυπτιος πολλην περιεληλυθως γην, πιναξι τε δεδωκε την περιοδον, και της των πινακων αναγραφης ουκ αιγυπτιοις μονον αλλα και σκυθαις εις θαυμα μεταδουναι ηξιωσεν*. Nec longe me a vero abesse existimo, dum Colchos Aeaeosve Apollonii, Scythis conterminos, eosdem esse putem quos Eustathius Scythas vocat, illas autem *κυρβεις* ab Eustathio reddi vocabulo magis vulgari *πινακας* sive tabulas.

[8] *Purchas his pilgrimes* tom. 3. pag. 1065. sqq. Ex his duas tabulas priores denuo recudit Kircherus Oed. tom. 3. p. 32. Ipsum codicem postremo migrasse in bibliothecam regis Galliae, produnt Malespeines ad *Warburt. essay sur les hiérogl.* tom. I. p. 18. et Papillon *traité histor. de la gravure en bois* tom. I. p. 364.

[9] Part. 2. p. 108. Clavigero l. cit. tom. 2. p. 64.

[10] Gemelli Careri *giro del mondo* tom. 6. pag. 68. 38.

[11] *Historia de Nueva España escrita por Hernan Cortes. Mexico* 1770,

[12] *History of America* lib. 7. uot. 7. Habes etiam Mexicanae picturae specimen in Museo Wormiano pag. 383.

[13] Lib. cit. tom. 2. pag. 187. 189. *Altre erano mitologiche, contenenti gli arcani della lor religione, e di questa spezie è il volume che si conserva nella gran biblioteca dell' instituto di Bologna. — Egli è una pelle grossa e mal conciata, fatta di parecchi pezzi, dipinta da per tutto, e piegata a foggia de' nostri paraventi da letto.*

[14] *Degli obeliscbi di Roma* cap. II. pag. 96.

[15] Biblioth. Vatic. num. 3738. cod. chart. fol. Auctorem aetatemque apographi, saltem prioris partis, discimus ex codicis fol. 5., ubi interpres adnotat: *Furono in questa prima età giganti in questo paese, che sono questi che sa-*

mae paginae quindecim continent picturas mythologicas, scilicet rerum primordia, deorumque ortum et antiquissimas humani generis vicissitudines. Sequitur calendarium rituale paginis quinquaginta comprehensum, una cum deorum imaginibus statis anni temporibus colendorum: accedentibus paginis octodecim, in quibus sunt figurae daemonum qui singulis mensibus praeesse credebantur. Omnia haec accuratius picta tum lineamentorum tum colorum ratione propius absunt ab autographorum Mexicanorum indole, quam quae sequuntur in eodem codice ab alia ut videtur manu profecta. Ex iis prima pagina exhibet schema iatromathematicum [16], subsequentes paginae quatuordecim ostendunt varios ritus consuetudinesque, in reliquis autem quinquaginta quinque exponitur Mexicanae gentis historia, a primo inde tempore quo in illam provinciam advenere usque ad annum vigesimum quartum post Mexicum civitatem ab Hispanis captam. Est in eadem bibliotheca codex Mexicanus autographus [17], scilicet taenia e pellibus conglutinata, longa fere palmos triginta tres, lata sive alta uncias sex cum dimidia, utrinque picta, et in quadratam speciem ita complicata ut fere similis appareat libro ad nostratium modum compacto. Dividitur autem plicarum ope in spatia quadraginta novem, sed quoniam primae ultimaeque paginae adhaereant opercula lignea, relinquuntur pictae paginae nonaginta sex. Alius codex in omnibus fere praefato consimilis, sed amplitudine spectatior, servatur Velitris in museo Borgiano [18]. Hic compactus est e septem pellibus cervinis, spissis, nec magna cum cura praeparatis, quae in extremis marginibus conglutinatae atque conjunctae taeniam efficiunt longam palmos quadraginta quinque cum dimidio, latam uncias quatuordecim, et per plicas divisam in spatia triginta novem, quadrata, quaquaversus obtinentia uncias circiter quatuordecim: continetque pictas paginas septuaginta sex, per

---

no qui detti Tzocuilitxeque, di tanta smisurata grandezza, che riferisce un religioso dell' ordine di S. Domenico, detto Frate Petro de los Rios, ch' è quello che ricopiò la più parte di questa depentura, che vidde con li occhi suoi proprii un dente molare della bocca d' un d' essi, che trovorno li Indiani d' Amaquemeconz andando adornando le strade di Messico anno Domini 1566., quale pesò questo stesso religioso, e pesò tre libre manco un uncia. l' hanno portato al vicerè D. Luis de Velasco.

[16] Pictus cernitur homo nudus brachiis pedibusque utrinque extensis, quem circumstant 20 illa signa, quibus ratione sibi peculiari denotare solebant anni mensiumque dies: a quovis autem signo linea ducta est ad certam humani corporis partem. Subjicitur interpretatio: *Queste sono le 20 lettere o figure, le quali eglino usavano per tutti i lor numeri, le quali dicono che teniano dominio sovra gli huomini, come qui si rappresenta; e di questo modo lor medicavano, quando alcuno s' ammalava o veramente le dolia qualche parte del corpo. — E così ancora i medici usavano questa figura quando curavano, et secondo il giorno et l' ora nella quale alcuno s' infermava. Così vedevano se l' infermità era conforme con il segno che regnava.* Juvabit haec comparare cum Aegyptiorum iatromathematice, de qua nonnulla monuimus supra pag. 523.

[17] Biblioth. Vatic. num. 3776. Videtur autem haec esse Mexicanarum picturarum collectio, cujus meminit Acosta, apud Clavigerum tom. I praef. pag. 22. Notitiam ejus pro humanitate sua mecum communicavit cl. Fabrega: quo comite et interprete codicem ipse inspexi.

[18] Pleniorem hujus codicis descriptionem, quam nostri hic erat instituti, cum figurarum interpretatione et Mexicanae chronologiae ac mythologiae expositione, prelo subjiciendam parat amicissimus Fabrega, qui in scheda ad me data argumentum ejus hisce verbis comprehendit: *Il codice Borgiano contiene un calendario rituale storico ed astronomico, pieno d' ingegnosi repertorj addattati al loro sistema e calcoli. Da esso si rileva in gran parte il loro culto religioso, le loro tradizioni storiche, l' economia dei lor tempi, e il lor sistema astronomico.*

Aaaa 2

taeniae longitudinem, uti in Vaticano codice, perque ambas ejus facies horizontali ordine dispositas. Argumentum in utroque codice idem est, deorum daemonumque monstrificae imagines, rerum origines fabulosae, et superstitiosi ritus ad hemerologiam aliquam illis peculiarem, cyclorumque quas fingebant evolutiones ordinati: magnaque in parte ambo codices inter se conveniunt. Etiam artis modus in uno alteroque is est, quem in Mexicanis monumentis invenit Clavigerus: figurae difformes et monstrosae, omnes fere a latere conspiciendae, torpentes aliae, aliae vehementi motu agitatae; rudia et incompta partium lineamenta, quamquam satis praecisa, colores pulcri, sed uniformes et crudi, uti in Aegyptiorum picturis. Sunt tamen in Borgiano codice colores magis floridi quam in Vaticano, atque figurae ampliores clarioresque [19].

In universum autem ut ex monumentis hactenus recensitis definiam hujus picturae scripturaeve naturam, illud maxime facit ad eam dignoscendam, quod non singulis figuris singulas ideas successive exprimit, ut in hieroglyphicis suis faciunt Aegyptii, sed figuras ea ratione ordinat et componit, ut complexu suo locisque et actionibus ad invicem relatis totam rem exprimendam insimul significent, quemadmodum apud nos fit in tabulis pictis. Ab eo vero quo hodie nos utimur pingendi genere duabus praesertim rebus differt: prima, quod in ea nulla habeatur seu pulcritudinis seu accuratae imitationis ratio, quamquam barbara quaedam observetur elegantia et operosa minutarum quarundam rerum delineatio; neque in figuris componendis atque ordinandis claritati studeat aut facilitati, sed multum relinquat conjecturae: secunda, quod plurimas res tropice exprimat aut aenigmatice, quod rarius quidem fit apud gentes cogitata sua alphabeticarum litterarum ministerio declarare assuetas. Hujusmodi sunt, quod apud Mexicanos expeditionem militarem tropice indicat scutum cum telorum fasciculo, diem circulus quadripartitus, regis vel civitatis nomen aenigmatice innuit arbor vel animal vel quae alia res eodem quo illud significatur vocabulo, saeculum annorum quinquaginta duum orbita e quatuor signorum et tredecim globulorum repetitione compositus, annorum autem quamvis seriem cycli illius pars historicis picturis adjecta, et quae alia sunt hujus generis plurima. Ideoque pro vulgari quae obtinet hieroglyphicorum notione, ut picturae sint intellectu non obviae, non male Mexicanas picturas hieroglyphicorum nomine insignivit Acosta, uti Lovisianensium scalpturas Lafitau. Nec satis recte Kircherus eos quibus Mexicana methodus dicitur hieroglyphica, ex eo refellit quod nihil sub illis figuris lateat arcanis rationibus involutum [20]: nam arcanae istae rationes non pertinent ad hieroglyphicorum naturam, neque a Mexicana methodo proscribuntur. Warburtonus autem, dum Mexicanas picturas eo distinguit ab hieroglyphicis, quod illae essent rerum imagines ad naturam pictae, adjectis notis nonnullis arbitrariis ad res figura destitutas indicandas, hae vero abbreviatas exhiberent et tropicas rerum effigies [21]; non advertit, quod in Mexi-

---

[19] Est et hujus loci commemorare lapidem Solis imagine anaglyptice scalpta aliisque Mexicanorum symbolis per orbem dispositis insignem, qui nuper inventus in urbe Mexico, insimul cum statua lapidea, aeri incisus sistitur in libro: *Descripcion de las dos piedras que con ocasion del nuevo empedrado, que se està formando en la plaza principal de Mexico, se hallaron en ella el año de* 1790. *por D. Antonio de Leon y Gama. Mexico* 1792.

[20] Oedip. tom.3. pag.28.

[21] Lib. cit. §. 2. 3. 4.

canis picturis multa jam sint abbreviata, multa tropica, in hieroglyphica autem methodo notae etiam adhibeantur cyriologicae, atque si arbitrarias appellare placet eas notas quas inter et rem significatam nulla apparet affinitas, arbitrariae notae aeque apud Aegyptios occurrunt atque apud Mexicanos [22]. Nam et symbolicae notae, ubi longius recedant a prima ac naturali significatione, facile accipi possunt pro arbitrariis, et illud admodum difficile est, cyriologumenas notas, quibus rei notionem adumbrari supra monuimus [23], distinguere ab iis, quas, quoniam nulla ipsis sit cum re significata cognatio, sed ortum trahant ab inventoris consilio peristasibus a significatae rei natura omnino alienis promoto, arbitrarias jure appellamus; nec video quo modo evinci possit, inveniri in picturis Mexicanorum istiusmodi notas arbitrarias [24]. Sed quod jam diximus, non figurarum modus nec significatio discrimen constituunt picturam inter atque methodum hieroglyphicam, sed ordo earum et dispositionis ratio [25].

A reliquarum autem gentium moribus in hac tantum re differre videntur Me-

---

[22] Nostris quidem hominibus arbitrariae videntur numerorum notae apud Mexicanos, quoniam ignoramus cur unitatem globulo indicaverint, 20 signo quod aliquo modo simile est vexillo, 400 penna, 8000 crumena. At forsan globuli exprimunt calculos ad supputandum adhibitos, vel nuces cacao, quibus pro moneta utebantur. Vexillum illud initio pannum denotare potuit, qui pariter ipsis praestitit usum pecuniae, penna auri quantitatem more eorum in penna collectam, crumena saccum cacao refertum; postea quae pecuniae notae erant ad quamvis quantitatem significandam esse translatae. Conf. Claviger. tom.2. pag.165.

[23] Pag. 440.

[24] Equidem in primitivis picturis atque characteribus nil arbitrarii uspiam fuisse existimo. Quae enim signa nullam omnino affinitatem habent cum re significata, ad res mente conceptas declarandas minus sane opportuna sunt quam reliqua quaecunque, dum nisi quis data opera edicerit, nihil significent, ac nisi quotidie repetantur, facile in oblivionem abeant. E diverso cyriologica signa ab omnibus intelliguntur nulla praemissa institutione; quae vero cyriologumena sunt aut tropica aut symbolica, licet non omnibus sint intellectu obvia, tamen in ea gente apud quam inventa sunt et genio ejus accommodata, a doctioribus facile explicantur, atque ubi non sint perfecte intellecta, aliquam tamen ideam offerunt vero significatui affinem. Itaque ab his initium factum reor omnis scriptionis, postea autem evenisse ut multa ex iis, prasertim quibus denotarentur quantitates aut aliae ideae abstractae, frequenti usu abbreviata, arbitrariorum signorum naturam induerent, quod apud Sinenses evenisse multi arbitrantur; atque postremo accessisse signa vere arbitraria, singulis plerumque nec numerosis hominum coetibus propria, ut illa sunt quibus utuntur grammatici et mathematici.

[25] Vide supra pag. 438. De Brosses *méchan. du lang.* apud Court de Gébélin *monde prim.* tom.3. pag.395. scripturam quam vocat Mexicanam, ab ea cui pro inventionis aetate primum locum tribuit, hoc pacto distinguit, quod hanc appellet imaginem solitariam, illam ex imaginibus continuatis constare dicat: quod minime repugnat nostris rationibus, at vero Mexicanae methodo ab Aegyptia distinguendae sufficere non videtur. Dum enim hieroglyphicam scripturam e symbolis compositam esse ait rerum qualitates exprimentibus, nimis coarctat significatum vocabuli, contra quam faciunt veteres scriptores supra adducti. Sed valde doleo librum auctoris a multis celebrati ad manus mihi non esse, nec licere sententiam ejus et argumenta propius considerare. Ex loco modo citato disco, in universum ab eo sex statui scripturae genera, quorum primum est rei imago solitaria; secundum imagines continuatae, more Mexicano; tertium symbola allegorica seu hieroglyphica, more Aegyptio, quibus rerum qualitates exprimuntur; quartum notae quae ideas significant, seu characteres Sinici; quintum notae quae syllabas repraesentant, more Siamensium; sextum characteres alphabetici, more Europaeo. Illud praeterea ab eo urgeri, Aegyptiorum methodum hieroglyphicam alphabeticis litteris esse antiquiorem, atque ab hieroglyphicis perventum esse ad alphabetum, quod quidem quo tempore quove a populo inventum sit, sciri non posse.

xicani aliique septentrionalis Americae populi, quod aliqua mentis cultura imbuti, litterarum vero carentes ministerio, librorum loco magnam habuerint picturarum copiam, picturamque suam certa ac praefinita lege rebus sub sensus non cadentibus exprimendis adaptaverint. Pleraeque enim vetustae gentes, cum ante tum post inventas aut advectas sibi litteras, in publicis monumentis, maxime in lapideis, inque locis deorum defunctorumque honori consecratis, in sacris quoque utensilibus, usae inveniuntur pictura a Mexicana methodo, si naturam ejus et elementa spectes, non multum distante: dum figuris quamvis rudibus ac incultis et rem nobilitari et factorum clariorem convehi putarent notitiam omniumque captui magis quam sunt litterae accommodatam. Veterum inprimis Scandinavorum multa exstant monumenta quae incomptis figuris ex parte cyriologicis ex parte symbolicis vel facta notabilia vel ritus consuetudinesque et mythos memoriae produnt: in quibus ad Aegyptiam simplicitatem quam proxime accedunt effigies quae scalptae intra sepulcrum amplissimum prope Kivik Scaniae, superstitiosos ritus exprimere videntur [26]. Integrae quoque rupes conspiciuntur in Norvegia, hominum, animalium naviumque figuris inscalptae [27]: et obelisci illi ad triginta usque palmorum altitudinem evecti, victoriaeque ac pacis memoriam anaglyphis commendatam ostendentes, qui in Scotia passim obvii sunt, probabili ratione Danis tribuuntur, Scotorum aliquando domitoribus [28]. Utque utensilium exemplum afferam, duo servantur in museo regio quod Hafniae est, rhyta ex auro purissimo, singula centum unciarum pondere, longitudine plusquam pedum duorum, inventa prope Mögeltönder Juthlandiae, in loco ubi fama est stetisse aliquando celebre Scandinavicae superstitionis sacrarium. In horum utroque barbara rudique arte caelatae sunt hominum deorumque mirae effigies, animalia quoque cujusque generis, et monstra ex hominum brutorumque partibus composita, pugnae et venationes, deorumque placandorum ritus, nec non astrorum varii aspectus, globulique et catenulae et alia hujusmodi hinc et inde sparsa: in altero praeterea circa orificium est inscriptio Runica [29]. Lappones pariter et Finni in magicis praestigiatorum qui apud eos sunt

[26] Vide supra pag. 343. not. 43.

[27] Suhm *samlinger til den Danske historie* tom. 2. fasc. 3. pag. 215.

[28] Consule quae de hujus generis monumentis disseruimus supra pag. 350. 351. et confer Wormii monumenta Danica pag. 92.

[29] Alterius, quod inventum fuit anno 1639, iconem sistunt Wormius in monum. Danic. lib. 5. num. 6. pag. 344., Jacobaeus in museo regio tab. 15. aliique Danicarum rerum scriptores. Alterum inventum anno 1734, praeter alios luce donavit Joach. Rich. Pauli in *zuverlässiger abriss des an.* 1734 *bey Tundern gefundnen güldnen horns*. Sunt fere inter se similia, sive magnitudinem spectes et formam sive operis modum: figurae autem in singulis caelatae diversae sunt. Quod prius repertum fuit, ita describit Wormius lib. cit, pag. 354: „Cornu ex „auro nitidissimo et pretiosissimo, in quo arte „prisca variae emicant hominum et anima„lium figurae hieroglyphicae, quae mysticum „eorum sensum indagantium ingenia indies fa„tigant. Ex duplice constat lamina, quarum „interior solida et integra, laevis utraque su„perficie; exterior vero non contigua est ut „prior, sed ex undecim conflata contiguis „quasi latis anulis, suis internodiis distinctis „et divisis. Hi duum generum figuris sunt „exornati, quarum alterae punctulis quibus„dam constant stylo laminae impressis; alte„rae eminentes sunt et solidae, non quidem „malleo e superficie procusae encolaptice, ut „jam in ejusmodi fieri solet operibus, sed ex „solido auro fusae et fabrefactae, ac peculiari „arte agglutinatae anaglyptice, ut exstent et „emineant supra laminam. Magnitudinem „quod concernit, rotundum cum sit et incur„vum, prona sui parte longitudinis aequat „pedes duos romanos cum 5 pollicibus: supi„na pedes 2 cum pollice: linea recta ab una

tympanis, mysteria sua mirificis figuris adumbrant, quas Aegyptiorum hieroglyphicis assimilandas putaverunt nonnulli [30]. Scythas praeterea Indosque pictura ad res memoriae tradendas antiquitus usos, testantur monumenta quae in illis regionibus adhuc supersunt [31]: innuitque Eustathius in commentario in Iliadem [32], Scythicos populos nonnullos pro epistolis transmittere consuevisse tabellas aliquas figuris variisque notis incisas.

Idem quoque credi potest de Phoenicibus, quos symbolicis signis usos esse affirmant Macrobius [33] et Philo Byblius, quamquam monumenta Phoenicia figuris insignita praeter numos admodum pauca ad nostram aetatem pervenerint. Fieri et potest ut symbola illa receperint ab Aegyptiis, a quibus multa mutuatos esse Phoenices ex numis modo dictis constat [34], atque ex anaglypho Carpentoractensi cujus in-

---

„ extremitate transversim ad alteram ducta, „ pedem continet et pollices 9. Orificium ma- „ jus ex quo bibitur in circumferentia praecise „ habet pedem unum „. Figurarum in eo sunt divisiones octo horizontales, qui latiorem rhyti partem ambiunt, altera alteri subjecta: reliqua pars lineolis tantum ornatur et undulis. In altero rhyto supersunt tantum sex divisiones figurarum: nam exterioris laminae pars aliqua periit. Figurae autem quamquam in utroque sint per ordines quosdam sive anulos distributae, tamen non sunt accurate ordinatae per series, uti in monumento Kivikensi, sed sparsae atque confusae, fere ut videmus in tympanis Lapponicis. Mirae earum prodierunt interpretationes, dum alii systema mythologicum, alii calendarium, alii moralis doctrinae praecepta ex iis extundere sint aggressi.

[30] Freret in *Mém. de l' acad. des inscript.* tom.*6*. pag. *609*: *Les Egyptiens et les Chinois sont les seuls nations de notre continent qui ayent employé cette écriture. On pourroit peut-être leur joindre les Lappons et les Finlandois, dont les tambours magiques representés et expliqués par Scheffer, paroissent avoir beaucoup de rapport avec l' écriture hiéroglyphique des Egyptiens*. At vero ubi inspexeris tympanorum ectypa in Schefferi *Lapponia* cap.*9*. pag.125.—129, atque in *Museo Wormiano* pag.*386*; cujusmodi tympana duo etiam prostant in museo Borgiano nuper advecta e Lapponia, figuras aliquas videris mira ruditate delineatas perque totam aream varia directione sparsas; fere ut sunt icunculae et characteres in magicis gemmis Alexandrinorum, non ad sermonis seriem explicandam, sed ad gentis illius deastros, Tiermes, Tiur, Sturra-passe et Seithas repraesentandos, coelestia quoque corpora, animantium varia genera, ritus superstitiosos vulgaresque consuetudines.

[31] Stranlenberg in *description historique de l' empire Russien*, tom. 2. pag. 201. sqq. refert se vidisse in Siberia rupes pyramidesque et obeliscos figuris insimul et characteribus insignes. Confer Warburton. lib. cit. tom.2.part.1. p.70. tab.*3*. Sunt et apud Indos antiqua antra veterumque templorum ruinae mirificis figuris refertae, quibus deorum heroumque res gestae exprimuntur: de quibus vide Niebuhr *reise nach Arabien* tom.2. p. *32*. tab. 5. sqq. et Chambers *account of the sculptures and ruins at Mavalipuram* in *Asiatick researches* tom.1. pag.145. sqq.

[32] In Iliad. Z. pag. *632*., quem locum infra sistimus. Scythae quae ipsi dicuntur forsan Sinenses sunt, quod eo magis arridet cum recentiores eos appellet, *των τινες υϛερον σκυθων*. Sed fieri etiam potest, ut idem ei acciderit quod Warburtono, qui §. 7. ad hieroglyphicam scripturam Scythis vindicandam utitur auctoritate Clementis Alexandrini strom. lib. 5. cap. 4. pag. 567: *αλλα γαρ ου μονον αιγυπτιων οἱ λογιωτατοι, προς δε και των αλλων βαρβαρων, ὁσοι φιλοσοφιας ωρεχθησαν, το συμβολικον ειδος εζηλωσαν. φασι γουν και ιδανθυραν των σκυθων βασιλεα, ὡς ιϛορει φερεκυδης, δαρειω διαβαντι τον ιϛρον πολεμον απειλουντα πεμψαι συμβολον αντι των γραμματων, μυν, βατραχον, ορνιθα, οϊϛον, αροτρον*. Quo loco non de scriptura sermonem esse, neque de pictura, sed de donis aenigmaticis, palam fit ex Herodoti lib.4. c.131. Murem enim, ranam, avem, sagittam et aratrum Dario dono miserunt Scythae, non harum rerum effigies.

[33] Saturn. lib. 1. cap. *9*: „ Phoenices in sacris imaginem mundi exprimentes draconem „ finxerunt in orbem redactum caudamque „ suam devorantem, ut appareat mundum et „ ex se ipso ali et in se revolvi „. De hoc symbolo Aegyptiis familiari confer quae supra annotavimus pag.452. not.*46*.

[34] Pertinent huc praeter varia numismata anepigrapha, numi Cossurensium et Gau-

scriptionem Phoeniciis litteris conceptam explicavit Barthelemius[35]. Nullo autem pacto accedere possum Warburtono[36], ubi Phoenices vera hieroglyphica usu adhibuisse asserit, atque e Sanchoniathone illo quem fabularum suarum vadem sistit Philo, a Phoenicum Urano picturam inventam fuisse docet, a Taauto scripturam hieroglyphicam; eoque velut praeclaro exemplo utitur ad humanae mentis progressum a pictura ad scripturam demonstrandum. Quaecunque enim Sanchoniathoni tribui possit auctoritas, cujus nomine ad Evemero fidem conciliandam abusus videtur Philo, ex verbis ejus illud tantum colligitur, Taautum pro stelis hastisque et baetyliis ab Usoo et Urano in deorum heroumve honorem inventis, substituisse imagines quasdam cultiores, quae attributis suis indigitarent singulorum deorum naturam. Hoc, nec aliud dicere voluisse Philonem sive Sanchoniathonem quem se secutum profitetur, ex orationis serie manifestum fit: *τον ουσωον ανιερωσαι δυο στηλας πυρι τε και πνευματι, και προσκυνησαι, ἁμα τε σπενδειν αυτοις εξ ὡν ηγρευε θηριων. ουσωου δε και υψουρανιου τελευτησαντων, τους απολειφθεντας αφιερωσαι αυτοις ραβδους, και τας στηλας προσκυνειν, και τουτοις ἑορτας αγειν κατ' ετος. — ετι δε επενοησε θεος ουρανος βαιτυλια, λιθους εμψυχους μηχανησαμενος. — θεος ταυτος μιμησαμενος τον ουρανον, των θεων οψεις, κρονου τε και δαγωνος και των λοιπων διετυπωσε, τους ἱερους των στοιχειων χαρακτηρας. επενοησε δε και τῳ κρονῳ παρασημα βασιλειας, ομματα τεσσαρα εκ των εμπροσθιων και οπισθιων μερων, (δυο μεν ανεωγοτα,) δυο δε ἡσυχῃ μυοντα· και επι των ωμων πτερα τεσσαρα, δυο μεν ὡς ἱπταμενα, δυο δε ὡς υφειμενα. το δε συμβολον ην, επειδη κρονος κοιμωμενος εβλεπε και εγρηγορως εκοιματο· και επι των πτερων ὁμοιως ὁτι αναπαυομενος ἱπτατο και ἱπταμενος ανεπαυετο. τοις δε λοιποις θεοις δυο ἑκαστῳ πτερωματα επι των ωμων, ὡς ὁτι δη συνιπτατο τῳ κρονῳ. και ἑαυτῳ δε παλιν επι της κεφαλης πτερα δυο, ἑν επι του ἡγεμονικωτατου νου και ἑν επι της αισθησεως*[37]. „ Usoum, inquit Sanchoniathon, cum geminos cippos Igni

---

litarum, in numophylaciis passim obvii, qui cum Phoenicia epigraphe conjungunt typos ex Aegyptia mythologia desumptos. V. Gesner. num. urb. et pop. tab.45. n. 1. sqq. Turrismut. num. Sicil. tab.96. *Saggi di diss. dell' accad. di Cortona* tom.1. p.35. Etiam numus Gazensium apud Dutens *explicat. de quelqu. médailles Gr. et Phénic.* diss. 2. tab. 1. num. 1. aliusque Tarsensium ibid. diss.1. pag.1. Prostant et gemmae in quibus juxta symbola Aegyptia conspiciuntur litterae Phoeniciae: quo e genere vidi sardam in museo Biancanii Bononiae, scarabaei figura insignem. Etiam veteres Persas symbolicas figuras mutuo accepisse ab Aegyptiis et suae gentis genio accommodasse, jam suspicari faciunt monumenta Persepolitana luce donata a peregrinatoribus supra citatis pag. 313. not. 3. Sed amplius patet ex amuletis quae iisdem ac illa characteribus insignita insimul exhibent varia symbola plane Aegyptia: cujusmodi amuleta complura prostant in dactyliotheca Borgiana, alia sistunt Raspe *descriptive catalogue of engraved gems*, num.634. sqq. 15099. sqq. tab.9. 10.11., et Caylus *recueil* tom.1. tab.18. tom.3. tab. 12. tom.4. tab.22. tom.5. tab.13.

[35] In *Mém, de l'acad. des inscript.* tom. 32. pag. 729.

[36] Loc. cit. §.3. p. 73. *It is not from analogy alone, nor yet from the nature of the thing, we conclude, that the hieroglyphics now described were an improvement of an earlier picture-writiny used by the Egyptiens, and resembling that of the Americans. Ancient history records the fact. We are told in that exquisite fragment of Sanchoniatho, preserved by Eusebius, that „ the god Taautus, having imitated Uranus' s art of picture-writing, drew, „ the portraits of the gods, and delineated the „ sacred characters which formed the elements „ of this kind of writing„. Here we see that Uranus practised a kind of picture-writing, which Taautus afterwards emproved: Taautus or Thoth was the Egyptian Mercury.*

[37] Philo Byblius apud Porphyrium transcriptum ab Eusebio praep. evang. lib. 1. cap. 10. pag.35. 37. 39.

„ Ventoque dedicasset, mox utrique adorationis cultum exhibuisse, quasque venando ceperat ferarum sanguine libare. Posteaquam autem supremum isti omnes diem obiissent, qui superstites remansere, virgas et cippos in eorum honorem consecratos adorasse, festosque dies solemni ritu quotannis peregisse. — Praeterea Coelus deus Baetylia reperit, animatos lapides insolenti arte molitus. — Taautus deus Coelum imitatus, Saturni ac Dagonis caeterorumque deorum formas effinxit, sacros elementorum characteres. Quin et Saturno regiae potestatis argumentum excogitavit, oculos quatuor, nempe in vultu binos totidemque in occipite, quorum duo quidem connivere videbantur; alas pariter in humeris quatuor, duas quidem ad volatum explicatas, duas vero demissas. Scilicet oculorum symbolo significatum volebat, Saturnum et dormiendo cernere et dormire vigilando: alarum autem, eundem et volare quiescendo et volando quiescere. Caeteris vero diis alas in humeris duas tantum attribuit, quippe qui Saturnum volando sequerentur. Sibi ipsi rursus in capite addidit alas duas, unam ad mentem omnium praesidem denotandam, unam ad sensus indicandos „. Nihil hic de litterarum inventione, nihil de scriptura hieroglyphica: sed ipse Warburtonus, quo Sanchoniathonem in partes suas traheret, atque successivam hieroglyphicorum inventionem ex eo illustraret, coactus fuit a recepta lectione recedere, legens: *των θεων οψεις — διετυπωσε, τους τε ἱερους των στοιχειων χαρακτηρας*: „ expressit deorum effigies et sacros litterarum characteres „. Perperam enim *στοιχεια* et hoc loco et alio, ubi inquit Sanchoniathon [38]: *ταautος ὁς ευρε την των πρωτων στοιχειων γραφην*: „ Taautus qui invenit primorum „ elementorum picturam „: accipit Warburtonus de litterarum elementis, cum ex auctoris instituto pateat, loqui eum de naturae elementis, quae a Phoenicibus sub mortalium heroum nomine et figura adorata fuisse affirmat, quod jam viderat Cumberlandus [39]. Nempe Usous instituerat naturae elementa sub stelarum forma venerari; Coelus adinvenerat Baetylia, lapides aliquos animatos, fere ut famigeratae illae Daedali statuae; Taautus singulis tribuit suas figuras symbolicas, et picturis ea distinxit. Adscribitur quidem eidem Taauto sive Mercurio litterarum inventio, dum de Sanchoniathone inquit Philo [40]: *πολυφροντιστως εξεμαστευσε τα ταautου, ειδως, ὁτι των υφ' ἡλιον γεγονοτων πρωτος εστι ταautος ὁ των γραμματων την ἑυρεσιν επινοησας, και της των υπομνηματων γραφης καταρξας· και απο τουδ' ὡσπερ κρηπιδα βαλομενος του λογου, ὁν' αιγυπτιοι μεν εκαλεσαν θωυθ, αλεξανδρεις δε θωθ, ἑρμην δε ἑλληνες μετεφρασαν. — ὁ δε σαγχουνιαθων συμβαλων τοις απο των αδυτων ἑυρεθεισιν αποκρυφοις αμμουνεων γραμμασι συγκειμενοις, ἁ δη ουκ ην πασι γνωριμα, την μαθησιν ἁπαντων αυτος ησκησε, και τελος επιθεις τῃ πραγματειᾳ, τον κατ' αρχας μυθον και τας αλληγοριας εκ ποδων ποιησαμενος, εξηνυσατο την προθεσιν.* „ Praecipuam in pervestigandis Taauti scriptis diligentiam adhibuit, quoniam sciret omnium qui lucem hanc aspexerant illum litteras primum invenisse, ac scribendorum commentariorum auctorem exstitisse: atque ab hoc velut orationis fundamenta jecit, quem Thoyth dictum ab Aegyptiis, Thoth vero ab Alexandrinis, Graeci Hermen seu Mercurium reddidere. —— Sanchoniathon cum incidisset in arcanos libros in templorum pe-

---

[38] Ibid. pag. 36.

[39] *Sanchoniatho's Phenicien history* pag. 38.

[40] Loc. cit. cap. 9. pag. 31. 32.

„ netralibus repertos, qui quoniam scripti essent Ammuneorum litteris non cun-„ ctis erant intellectu obvii, diligenti studio quae in omnibus iis continebantur „ eruit, atque laboris exitum consecutus, quae ab initio occurrebant fabulis et „ allegoriis sublatis, susceptum opus perfecit „. Sed ista nullo pacto cohaerent cum superioribus, neque iis illustrandis inserviunt. Nam Philo hoc loco non aliud fecit, quam litterarum inventionem referre ad Mercurium, quem omnium artium scientiarumque inventorem celebravit antiquitas; cujusmodi vero fuerint Ammuneorum litterae, quibus Taauti libros scriptos reperit Sanchoniathon, hieroglyphicae an alphabeticae, non indicat, nec viri docti definivere hactenus [41]. Itaque ex hac Philonis narratione, quam tanti fecerunt qui hoc argumentum tractaverunt, ego quidem quae utilitas percipi possit non video. Quod vero reliquum est minime negavero, habuisse Phoenices, ante inventas litteras alphabeticas, et antequam societatem inirent cum Aegyptiis, ut caeteri fere populi, praeter exsistentium rerum pictas imagines signa aliqua tropica atque symbolica, quorum ope cogitata sua cum absentibus communicarent.

Usos etiam esse Graecos ante inventas litteras alphabeticas litterarum loco signis tesserisque, adnotat Eustathius ad narrationem Homeri de Bellerophonte [42]: *ὁι παλαιοι, ὁποιοντι και οἱ αιγυπτιοι εποιουν, ζωδια τινα ἱερογλυφουντες και λοιπους τε χαρακτηρας εις σημασιαν ὡν λεγειν εβουλοντο, ὁυτω και αυτοι, καθα και των τινες υστερον σκυθων, εσημαινον ἁ ηθελον, ειδωλα τινα και πολυειδη γραμμικα ξεσματα εγγραφοντες ητοι εγγλυφοντες πιναξι, τουτ᾽ εστι σανισι, αλλοιαις τε και ταις εκ πυξων, εξ ὡν αἱ λεγομεναι πυξιδες.* „ Quod olim facere as-„ sueverant Aegyptii, qui hieroglyphica ratione animalium figuris aliisque cha-„ racteribus cogitata sua exprimebant, idem et fecerunt veteres Graeci, et se-„ quiori tempore Scytharum pars, scilicet ut quae significare vellent, ea expri-„ merent icunculis et multifariis linearum sulcis in ligneas, praesertim buxeas ta-„ bellas incisis „. Tesserarum quidem consuetudo figuris notisve insignium, quae ab iis tantum intelligebantur, inter quos de significatu earum convenerat, litteris procul dubio antiquior fuit, et apud Graecos omni fere tempore obtinuit, nec de alia re intelligendi videntur versus Homeri:

πεμπε δε μιν λυκιηνδε; πορεν δ᾽ ὁγε σηματα λυγρα;
γραψας εν πινακι πτυκτῳ θυμοφθορα πολλα:
δειξαι δ᾽ ηνωγει ᾡ πενθερῳ, οφρ᾽ απολοιτο.

„ Misit Proetus Bellerophontem in Lyciam, deditque ei signa perniciosa; scri-„ bens in tabella complicata exitialia multa; ostendereque jussit suo socero Joba-„ ti, quo periret „.
Et mox de Jobate:

---

[41] Warburtonus §. 29. pro alphabeticis litteris accipit in sacris tantum usitatis, cum tamen, si Philonis mentem perspicio, istae eaedem illae sint quarum inventio Taauto tribuitur, quasque Warburtonus putat fuisse hieroglyphicas.

[42] Iliad. Z. v. 168. Eustath. pag. 632.

και τοτε μιν ερεεινε, και ητεε σημα ιδεσθαι,
όττι ρα οἱ γαμβροιο παρα προιτοιο φεροιτο.
αυταρ επειδη σημα κακον παρεδεξατο γαμβρου,
πρωτον μεν —.

„ Tum ille interrogavit Bellerophontem, et petiit signum videre, quod utique sibi a Proeto genero ferret. At postquam signum exitiale accepit generi, primum quidem — „. Ubi vero Eustathius hujusmodi notas tesserasve comparat cum Aegyptiorum hieroglyphicis, non aliud fecisse videtur quam faciunt hodierni dum Mexicanas picturas aut Sinicos characteres appellant hieroglyphica. Nam si in Graecia unquam viguisset scriptura vere hieroglyphica, mirum sane qui omnis ejus periisset memoria, ac soli Eustathio innotuisset, cum reliqui Graeci scriptores omnes de hac scribendi methodo velut de re solis Aegyptiis usitata locuti inveniantur. Caeterum apud Graecos Italosque antiquissimo aevo eadem fuit artis conditio quae apud incultas gentes supra memoratas, ut tropicis signis supplerentur quae ex rudium figurarum actionibus intelligi nequirent, symbolaque admiscerentur quamplurima ad eas res denotandas quae non possunt cyriologice significari; et quamquam mature ad naturam accurate imitandam se converterint Graeci, remansit tamen in picturis scalpturisque eorum symbolicum quid tropicumque et compendiarium; atque a vetustissimo illo more ut pictura esset pro litteris repetendum videtur, quod Graecorum artificum opera res cogitatas exprimant potius quam res factas.

§. VII.

Picturam sane apud Aegyptios antiquissimam esse constat, sive eo vocabulo complectamur omnes effigierum ante oculos ponendarum modos, sive angustiori significatu eum tantummodo qui ad illas exprimendas pigmentorum ope utitur [1]

[1] Frustra quaeri existimo utrum antiquior sit plastice an pictura quae proprie ita dicitur, nec omnino istas artes, ubi de originibus sermo est, ab invicem esse separandas. Nam uno eodemque tempore ut casus tulit, aut in molli arena lineis impressis, aut in duro corpore carbone pictis, rerum formas imitari coeperunt homines. Deinde utramque artem sensim excoluerunt, quin et frequenter in unum contulerunt et unius ejusdemque signi alias partes fingendo expresserunt alias pingendo, ut quaevis pars uno alterove modo facilius clariusque reddi posse visa. Inde simulacra et anaglypha pigmentis infecta, quibus ut reliquae gentes sic inprimis Aegyptii diu multumque usi sunt. Eum autem accuratiorem pingendi modum, a Graecis adinventum et a nobis hodie usitatum; qui colorum umbrarumque degradatione, formis quoque pro distantiae ratione imminutis atque obscuratis, res uti ab oculis nostris percipiuntur, reddere studet, hunc Aegyptii aeque ac Mexicani, ignorasse videntur, saltem nullum in monumentis eorum reperitur hujusmodi artis indicium. Caeterum Aegyptios picturae quae coloribus fit ingentem antiquitatem apud se tribuisse, cum ex Manethone constat, qui Tosorthrum tertiae dynastiae regem secundum ei operam dedisse tradit, γραφης επεμεληθη, tum e Plinio lib. 35. cap. 2: „ Aegyptii sex millibus „ annorum apud ipsos inventam picturam, priusquam in Graeciam transiret, affirmant, „ vana praedicatione, ut palam est „. Loquitur et Plato lib. 2. de leg. tom. 2. pag. 656. de scalpturis picturisque Aegyptiis ante decem millia annorum factis, easque nec pulcriores nec deformiores fuisse inquit quam quae suo tempore fiebant, eo quidem quod lege vetitum esset vel minimum quid novare circa effigies expri-

De statuis dicere huc non attinet, sed et figurarum complexus scalpro incisi aut coloribus picti commemorantur vetustissimi operis, quibus et deorum fabulae et principum virorum res gestae et ritus consuetudinesque ac reipublicae instituta repraesentabantur: cujusmodi inprimis sunt quae in Osymandyae monumento exscalpta, in Labyrintho autem picta enarrat Diodorus [2]. Ab hoc deinde monumentorum genere, quod tropis symbolisque scatuisse ad oculum demonstrant quaecunque Aegyptiorum opera aevum tulere, transierunt ad scripturam hieroglyphicam, dum figuras ad instar litterarum ordinare inciperent, et pro sejunctis atque solitariis ideis singularibus effigiebus aut effigierum complexibus expressis, idearum seriem successivo figurarum ordine pingere instituerent [3]. Nam quod reliquas gentes quae nobis innotuere, fugisse videtur, adverterunt Aegyptii, pictura paucas tantum res, easque admodum imperfecte exprimi posse magno apparatu, ubi vero singulis ideis suae notae adsignarentur, et notae istae ea ordinarentur serie qua ab humano intellectu concipiuntur et sermone proferuntur, omnia quae cogitantur declarari atque cognitio eorum commode ab uno homine ad alterum transferri. Hoc quando apud eos coeptum sit, frustra quaeritur: nam omnem

---

mendas: *εν αιγυπτῳ δε δη πως το τοιουτον φῃς νομοθετεισθαι; θαυμα και ακουσαι. παλαι γαρ δηποτε, ὡς εοικεν, εγνωσθη παρ' αυτοις ὁ λογος, ὁν πανυν λεγομεν ἡμεις, ὁτι καλα μεν σχηματα, καλα δε μελη δει μεταχειριζεσθαι ταις συνηθειαις τους εν ταις πολεσι νεους. ταξαμενοι δε ταυτα, ἁττα εςι και ὁποι' αττα, απεφηναν εν τοις ἱεροις· και παρα ταυτα ουκ εξην ουτε ζωγραφοις ουτ' αλλοις, ὁσοι σχηματα και 'οποι' αττα απεργαζονται, καινοτομειν, ουδ' επινοειν αλλ' αττα η τα πατρια· ουδε νυν εξεςιν, ουτ' εν τουτοις ουδ' εν μουσικῃ ἁπασῃ. σκοπων δ' εὑρησεις αυτοθι τα μυριοςον ετος γεγραμμενα η τετυπωμενα, ουχ ὡς επος ειπειν μυριοςον, αλλ' οντως των νυν δεδημιουργημενων ουτε τι καλλιονα ουτ' αισχιω, την αυτην δε τεχνην απειργασμενα.* " Quo
" autem pacto in Aegypto hanc legem sancitam esse dicis? Mirum hoc quidem auditu est. Nam id olim, ut mihi videtur, illi cognoverunt, quod nunc nos dicimus, oportere in civitatibus juvenes bonis figuris et bonis cantibus assuescere. Quae vero et qualia sunt hujusmodi, in templis ab eis est commonstratum, ac praeter illa neque pictoribus neque aliis figurarum vel quorumcumque artificiorum fabris nova ulla licebat inducere, neque etiam excogitare praeter patria, neque hodie licet aut in his aut in universa musica. Itaque si observes, invenies ibi quae decem annorum millibus retro depicta formatave quomodocunque fuerunt, non, ut ita dicam, decies millies, sed revera nil pulcriora, nec turpiora iis quae hodie pinguntur, verum eodem artis modo facta ". Ad quae recte intelligenda ac cum monumentis quae supersunt conciliaada, opus est advertere, Platonem res a se in Aegypto observatas pro suae orationis instituto explicavisse, nec de veris earundem causis anxie quaesivisse. Ideo cum Aegyptiorum opera a Graecis quam longissime distare videret, inter se autem certam servare similitudinem, parviores differentias, quae obviae sunt in monumentis ac plurimum faciunt ad aetatem eorum dignoscendam, neglexit: eam autem legem, qua cautum erat ne in figmentis suis a patriis institutis recederent artifices, orationis licentia extendit usque ad figurarum lineamenta.

[2] De Osymandyae sepulcro vide supra p.419. sqq. De Labyrintho inquit Diodorus lib. 1. c. 66: *ταις γλυφαις και ταις αλλαις χειρουργιαις υπερβολην ουκ απελιπον τοις επιγιγνομενοις. εισελθοντι μεν γαρ την περιβολον οικος ην περιστυλος, ἑκαστης πλευρας εκ τετταρακοντα κιονων αναπληρουμενης. και τουτου μονολιθος ην οροφη, φατναις και ξεσμασι τισι διαγεγλυμμενη, και γραφαις διαφοροις πεποικιλμενη. ειχε δε της πατριδος της ἑκαςου των βασιλεων υπομνηματα, και των ἱερων και θυσιων των εν αυτῃ, ταις καλλιςαις γραφαις φιλοτεχνως δεδημιουργημενα.* " Ad scalpturas
" caeteramque operum sollertiam posteris nihil reliquum fecere conditores. Murum enim ingressis domus occurrit undique columnis suffulta, quadragenis scilicet in quoque latere. Tectum ejus ex uno constans lapide praesepibus et aliis ornamentis excultum, diversisque picturis variegatum erat. Patriae enim regum singulorum monimenta cum templis et sacris ibi frequentatis pulcherrimis picturis elaborata continebat ". Conf. Strab. lib. 17. pag. 1165.

[3] Conf. supra pag. 438.

historiam ita antevertit, ut ne traditio quidem ea de re supersit [4]. In universum quidem omnis litterarum inventio adscribi solet Thoth sive Hermeti, quem Graeci Mercurium appellant, sed quem non esse aliud quam humanae mentis genium sive symbolum, alio loco monuimus, jamque a multis animadversum fuit. Evenisse autem eo aevo quo Aegyptii adhuc Aethiopesque unus populus erant, suadet sacerdotalis traditio a Diodoro nobis transmissa [5]; et firmari videtur monumentis hieroglyphice scriptis, quae inter Meroes rudera detexit Brucius [6]. Etiam in meridionali Aethiopia Sofalam versus, ubi collocanda videtur Agisymba veterum, hieroglyphici characteres antiquorum aedificiorum ruinis inscalpti superesse feruntur [7], qui vero utrum ad autochthones sint referendi an ad seriores Aegyptios colonos, incertum est. Sensim quoque introductum fuisse hoc scribendi genus certisque praeceptis successive definitum, notarumque numerum subsequentibus saeculis varia accepisse incrementa, uti quidem in linguis formandis evenire assolet, jam supra advertimus [8]: praesertim aenigmaticae notae magna ex parte et notae phoneticae sero accessisse videntur. Sed cum Warburtono facere nequeo, qui tres statuit epochas, primam notarum synecdochicarum, alteram notarum metaphoricarum, tertiam aenigmaticarum [9]. Nam quemadmodum sermo hominum jam statim ab initio metaphoricis vocabulis abundasse noscitur, atque in rudium populorum picturis multa significantur metaphorice, imo aenigmatice; sic quoque putandum est Aegyptiorum methodum hieroglyphicam a primis incunabulis omnis generis tropis fuisse refertam.

Quod vero evenire videmus in linguis gentium, ut natae augeantur, atque ubi ad maximum adoleverint vigorem et elegantiam, luxuriari incipiant, post marcescant atque ad aliquam velut infantiam redeant, idem accidisse reor scripturae hieroglyphicae. Aureum ejus saeculum fuisse, quo et maxime floruere reliquae res Aegypti, sub Sesostridarum imperio, quo tempore summa rerum apud sapientes fuit, quos sacerdotes appellant, et cuivis hominum classi sua jura suumque officium, penes reges autem non imperandi arbitrium, sed reipublicae tutela, legumque custodia populo consentiente latarum [10]. Luxuriari coepit lingua hieroglyphica postquam Aethiopica invasione labefactata fuit vetus reipublicae forma, et post varias turbas Psammetichus imperium occupavit tyrannice, quod li-

---

4 Dorignius l. c. pag. 263. dum primos characteres hieroglyphicos apud Aegyptios excogitatos asserit ab Athothe Menae filio, annis ante aeram vulgarem fere 2000, non alio nixus fundamento, quam quod Manetho apud Syncellum pag. 54. libros anatomicos ab illo scriptos fuisse perhibeat: aequo sane jure Homerum aut Pherecyden Graecarum litterarum inventorem dixisset, quorum alter poetarum apud Graecos agnoscitur vetustissimus, alter primus pedestri oratione libros scripsisse fertur.

5 Vide supra pag. 430.

6 Vide supra pag. 121. not. 1.

7 *Voyages de Vincent le Blanc, redigés par Bergeron en* 1648. part. 2. pag. 25. Sed brevia sunt nec satis clara quae de hisce quae appellat hieroglyphicis refert peregrinator, atque dum addit, quod ejusmodi figurae conspiciantur quoque inter ruinas Persepoleos, suspicari facit, esse ea potius anaglypha historica quam characteres hieroglyphicos.

8 Supra pag. 455.

9 L. c. §. 3.

10 De Aegyptiorum politia consule Herod. lib. 2. cap. 80. 109. 147. 164. — 169. 177. lib. 6. cap. 60. Platon. in politico tom. 2. pag. 290. in Timaeo tom. 3. pag. 24. Isocrat. encom. Busir. tom. 2. pag. 394. sqq. Aristot. de republ. lib. 7. cap. 10. Diodor. lib. 1. cap. 28. 54. 70. — 80. 94. 95. Strab. lib. 17. pag. 1135. 1165. Plut. de Is. pag. 392. 396. tom. 2. pag. 353. 354. apophth. reg. tom. 2. pag. 174.

cet posteri ejus moderate, nec sine gloria tenuerint, tamen vetera instituta inde a Sabaconis Sethonisque temporibus in pejus abiisse, et post Graecos Caresque et Tyrios colonos a Psammeticho receptos, et regis custodiam iis commissam, rempublicam non parum fuisse mutatam, nemo est qui possit dubitare. Nec fieri potuit quo minus regibus suspecti essent sacerdotes, quibus ab antiquo favebat populus, novis regibus mercenariorum terrore obtemperare compulsus. Inde repetendum puto quod sacerdotes doctrinas suas mysteriis et aenigmatibus, quibus olim moderatius usi, totas involverent, quo et apud populum in honore manerent, et sub religionis specie vitarent regum invidiam, peregrinos praeterea a quibus periculum sibi imminebat, ab instituti sui penitiore cognitione removerent [11]. Certe Pythagoras, qui solus inter Graecos stante Aegyptio imperio sacerdotum renitentiam vicisse videtur ac rite fuisse initiatus, sub mysteriorum aenigmatumque involucro de republica bene ordinanda atque administranda philosophatus noscitur, nec alium sibi scopum proposuisse, quam ut civitates Magnae Graeciae constitueret ad reipublicae formam, ei similem, quae in Aegypto exstiterat ante aetatem Psammetichidarum. Ad hanc epocham referendam censeo maximam partem monumentorum quae in nostris museis adservantur, ex obeliscis vero qui Romae sunt Pamphilium et Barberinum, grandibus illis oppido recentiores et aenigmaticorum characterum copia luxuriantes [12]. Etiam sub Persis usque ad Ochi victoriam, eadem fere ac sub Psammetichidis auctoritate gavisi videntur sacerdotes. Nam quod Cambyses sacrificulos nonnullos, commessatores Apidis, interfici jussisset, id universi ordinis potentiae non multum nocuisse, inde arguitur, quod invito pontifice Memphita statuam suam ante Vulcani templum ponere Darius non sit ausus [13], quodque Herodoto et Platone Aegyptum invisentibus sacerdotum institutum magno adhuc in honore esset [14]. Sed ab Ocho male mulctati, et mox a Cleomene praefecto Alexandri Macedonis, Ptolemaeis mite imperantibus adulari didicerunt, unde factum ut Graecis Aegyptiisque in unum populum coalescentibus utraque gens sensim descisseret ab avitis moribus [15]. Inde hieroglyphica scriptura in publicis monumentis rarius adhiberi coepta, nec facile nisi in iis quae deorum cultui immediate essent dedicata [16]: no-

[11] De occulta philosophiae tradendae ratione apud Aegyptios, qua usi etiam sunt Pythagorei, vide Jablonsk. prolegom. ad Panth. Aeg. §. 51. sqq.

[12] Vide supra pag. 75. 78. 472. 474.

[13] Herodot. lib.2. c.110. Diod. lib.1. cap.58.

[14] Dominationem Persarum in Aegypto avitae istius populi religioni nullum notabile detrimentum attulisse, egregie probavit Jablonskius in prolegomenis ad Pantheon Aeg. §. 62. 63. Docet enim e Diodoro lib.1.cap.95. et e Polyaeno strategem. lib.7. cap. 11. n.7., Darium cum sacerdotibus in Aegypto familiariter conversatum esse, et defuncto Apide praemium statuisse ei qui novum esset inventurus. Affirmat quoque Persas in universum subactarum gentium religiones turbare non consuevisse, Graecorum in Asia exemplum adducens, qui sub Persarum dominio veterum deorum cultum conservaverunt. Cujus rei alia exempla peti possunt ex Judaeorum Phoenicumque historia, et variarum gentium quae minorem Asiam tenuere. Nam licet Persae belli impetu deorum quoque templa destruxisse accusentur, pacata provincia, tributis atque auxiliaribus contenti, tum deorum cultum tum civitatis administrationem, incolis concessisse videntur.

[15] Confer Jablonskium loc. cit. §. 64., qui licet non de hieroglyphica scriptura disputationem instituat, sed de theologia atque scientiis Aegyptiorum, multa tamen affert nostris rationibus consentanea.

[16] Inter hieroglyphicae methodi exempla allata a Warburtono lib. cit. §.3., unum est petitum e Plut. de Is. pag.400. tom.2. pag.355., ex quo, si Plutarcho sermo fuisset de notis hiero-

tarum quoque typi atque interpretatio Graecorum ingenio plus minusve accommodari coepere. Templa tunc exstructa fuisse Alexandriae cum ornatu ex parte Aegyptio, ex parte Graeco, quam notissimum est e numis Alexandrinis. Obelisci quoque erecti fuere a Ptolemaeis, quamquam ut videtur non aucti novorum hieroglyphicorum additione. In superiore autem Aegypto in oppido Cous, ubi Apollonopolis parva olim fuisse putatur, hodie adhuc superest templum ad Aegyptiae architecturae modum exstructum atque hieroglyphicis inscriptum, quod a Cleopatra et Ptolemaeo Arveridi deo dicatum praedicat Graecus qui adjectus est titulus [17]. Exstat etiam in museo publico Britannico, quod Londini est, fragmentum sacelli e basalte viridi hieroglyphice ornatum et Graeco epigrammate insigne, e quo licet mutilo illud tamen liquet Ptolemaei cujusdam consanguineum aut amicum id instaurasse [18]. De eo statuarum genere quod ad hoc aevum ablegat Winkelmannus [19], ac hierogly-

---

glyphicis, consequeretur, Aegyptios adhuc sub Ptolemaeorum imperio annales suos hieroglyphice scribere perseverasse. Ait enim Ochum, qui annis tantummodo triginta antevertit epocham Lagidarum, in annalibus Aegyptiis gladio assimilari consuevisse. Sed scriptoris verba aeque bene, quin et rectius de loquendi quam de scribendi modo accipi posse videntur. Inquit enim: *και γαρ τον ωμοτατον περσων βασιλεα και φοβερωτατον ωχον, αποκτειναντα πολλους, τελος δε και τον απιν αποσφαξαντα και καταδειπνησαντα μετα των φιλων, εκαλεσαν μαχαιραν, και καλουσι μεχρι νυν ουτως εν τω καταλογω των βασιλεων, ου κυριως δηπου την ουσιαν αυτου σημαινοντες, αλλα του τροπου την σκληροτητα και κακιαν οργανω φονικω παρεικαζοντες.* Sic ibidem pag.434. tom.2. pag. 363. adnotatur, eundem regem ab Aegyptiis asinum appellatum fuisse, eo quod apud ipsos asinus scelestum et impurum animal putabatur: *και των περσικων βασιλεων εχθραινοντες μαλιστα τον ωχον, ως εναγη και μιαρον, ονον επωνομασαν.* Etiam Aelianus var. hist. lib.4. cap.8. advertit: *ότι τον ωχον οἱ αιγυπτιοι τη επιχωριω φωνη ονον εκαλουν, το νωθες αυτου της γνωμης εκ της ασθενειας του ζωου διαβαλλοντες, ανθ' ὧν εκεινος τον απιν προς βιαν κατεθυσεν ονω.*

[17] V. Paul Lucas *voyage en* 1714. tom.3. p.2. et apud Montfaucon *antiqu. expl.* suppl. tom.2. tab. 5. num. 2. Pococke *descript. of the East*, vol.1. pag. 277. Ejusd. inscript. antiqu. Graec. et Lat. lib.1. cap.8. pag.88. Epigramma, quod ex emendatione Bouhierii ita se habet:

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΘΕΟΙ ΜΕΓΑΛΟΙ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΕΣ
ΕΥΣΕΒΕΙΣ - - ΚΑΙ ΤΑ ΤΕΚΝΑ ΑΡΩΗΡΙΔΙ
ΘΕΩΙ ΜΕΓΙΣΤΩΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ

atque spectare videtur ad Ptolemaeum VII Physconem, incisum est in fronte templi loco maxime conspicuo, quare ab ipsis conditoribus ibi collocatum reor, non ut alia sunt hujusmodi, ob aedificium ornamentis auctum vel ad devotum numini animum demonstrandum, posterius adjectum. Dolendum quidem est, hujus templi nullam reperiri apud peregrinatores delineationem, praeter illam satis incomptam, quam Lucas dedit loco citato.

[18] V. supra pag. 497. Graecae litterae quae adhuc leguntur in ejus lapidis epistylio, sunt:

ΛƐωϹ ΑΝƐΝƐωϹƐ

[19] Vide supra p.486. Winkelmannus, qui in artis historia l.2. c.3. §.1. tom.1. p.107. Kircherum secutus negat, Aegyptios post provinciam a Cambyse captam amplius usos fuisse hieroglyphicis, et statuarum post id tempus scalptarum inde repetit criterion; in monumentis ineditis tract. praelim. c.2. p.21. opinionem Kircheri refellendam censuit e duabus statuis in museo Capitolino prostantibus, quas ex artis modo sub Ptolemaeis factas putat, atque in aversa earundem parte hieroglyphicas notas conspici ait. Sed quod memoria lapsus asseruit: nam utraque statua prorsus caret hieroglyphicis. De reliquo ex duabus illis simulacris alterum, quod Isidem refert dextera gestantem cornu copiae, Graecum Romanumve opus est, a scalptore profectum non admodum perito; ab Aegyptia autem arte prorsus abhorrens ex Aegypto nihil habet praeter nomen Isidis et basalten lapidem. Alterum vero, repraesentans Isidem dextra gerentem clavem, sinistra florem loti, plane Aegyptium est, nec ullum offert indicium, e quo concludere possis auctorem ejus aliquid mutuatum fuisse a Graecis. Singularis enim quae ei inest elegantia, et corporis habitus in eo diversus a vulgari Aegyptiorum signorum modo, quod praeter tunicam peplo etiam fimbriatio indutum

phicis ornatum inveniri modo affirmat modo negat, alio loco diximus; non posse certo aliquo argumento huic saeculo vindicari. Bembinam autem tabulam recte huc

---

sit, quodque utraque vestis plicis gaudeat symmetricis, ad illud evincendum minime sufficiunt. Nam et elegantia illa prorsus differt ab ea quam Graeci sectati sunt, et peplum fimbriatum, nodo inter mammas constrictum, quod Aegyptium non esse ex Herodoto arguit Winkelmannus, aeque abhorret a Graeca consuetudine, neque omnino deprehenditur in Graecis operibus nisi ubi Aegyptias deas mulieresve fingere voluerunt'. Ad artem quod attinet, Winkelmannus dum ante Ptolemaeos in Aegyptiis operibus nil novatum fuisse affirmat, nimis tribuit Platoni, cujus locum hac de re modo adduximus nota 1. Nam ex ipsis obeliscis artium in Aegypto vicissitudines colligi posse, supra docuimus, et multa praeterea exstant opera Aegyptia, quae licet nihil iis insit quod Graecum appellare possis, multum distant ab obeliscorum scalpturis, sive actus spectes sive indumentorum modum. Observatur tamen in omnibus genuina quaedam simplicitas tum lineamentorum tum actuum, quam deserere religioni sibi duxerunt Aegyptii, quamque Platonem spectasse reor, reliqua more suo poetice adornantem. Ab hac non abest illa Isidis statua Capitolina, nec quicquam habet quod Graecum sit, vel quod Aegyptii Graecorum ope destituti efficere non potuissent. Medio autem loco inter elegantissimum hoc simulacrum et vetusta illa signa Aegyptia veste prorsus plana induta, stat fragmentum figurae virilis ad naturalem fere hominis magnitudinem e granitico lapide scalptae atque a tergo hieroglyphicis insignitae, quod asservatur in museo Borgiano. Scilicet plicae in veste ad pedes usque promissa ejusdem indolis sunt, at pauciores et depressiores; cujusmodi etiam occurrunt in parva statua e granite in villa Albania, quae virum repraesentat stantem et veste talari indutum. Aliud autem est in museo Borgiano ejusdem classis monumentum, scilicet inferior pars exiguae statuae e lapide steatico, referentis Isidem eodem more vestitam ac est statua Capitolina, cum summa et ipsius figurae et hieroglyphicorum quae a tergo sunt elegantia. Negotium quidem facessere videtur Herodotus, qui lib. 2. cap. 36. mulieres in Aegypto uno tantum amiculo uti inquit, consentiente magno Aegyptiarum statuarum numero, Sed idem viros duas vestes gestare ait, raro autem in monumentis viriles figurae conspiciuntur plus uno amiculo, eoque plerumque perbrevi indutae. Qui fit igitur ut monumenta in muliebri cultu cum Herodoto conveniant, dissentiant in virili? Mihi quidem res aliter videtur expedienda, nec de statuarum habitu ex illo Herodoti loco judicium ferendum. Is enim ni fallor de plebeiis loquitur mulieribus, negotia in foro et per agros obeuntibus: nam magnatum uxores filiaeque ex orientalium populorum consuetudine in gynaeceis seclusae, Graeco peregrinatori vix sese conspiciendas obtulere. Quae autem de vulgo sunt mulieres in Aegypto hodie quoque singulae unum gestant indusium, nobiliores duabus tribusve vestibus amiciuntur: idemque apud veteres Aegyptios usu obtinuisse ex reliquarum fere gentium consuetudine probabile fit, nec divitum uxores in gente ad eum culturae luxusque gradum provecta unico amiculo fuisse contentas. Satis etiam nota est inscriptio Saitica apud Plutarchum de Isid. p. 396. tom. 2. pag. 353., τον εμον πεπλον ουδεις πω απεκαλυψε, et Aeschylus in supplicibus ver. 241. Danai Aegyptii filias πεπλοισι βαρβαροισι και πυκνωματι involutas ait: quae non satis commode de tunica illa membris adstricta quam habent Aegyptiae statuae explicari posse videntur. Nam πεπλος, quamquam a poeta de quavis veste dici possit, tamen ut plurimum vestem amplam solutamque significat, cujusmodi est palla illa fimbriata quam gestat Isidis statua Capitolina, de qua hic sermo est. In statuis autem fingendis, cum virilibus tum muliebribus, id spectasse videntur Aegyptii, ut figuras quasi nudas repraesentarent, insimulque accurate observarent id quod ex eorum opinione honestum decorumque censebatur. Inde est quod viros ut plurimum nudos finxere, praecinctorio tantum lumbos velante: mulieres autem a collo usque ad pedes subtilissimo linteo membris musculisque velut agglutinato contectas. Sed ab hoc more, qui solemnior fuit apud Aegyptios, et simplicitate sua duris illis lapidibus, quibus plerumque usi inveniuntur apprime accommodatus, ob varias causas recesserunt modis variis, quos hic enarrare non vacat: dum pro hoc nostro instituto adnotasse sufficiat, in anaglyphis, maxime in iis quae facta reperiuntur e lapide calcareo molli, saepe conspici muliebres figuras duplici veste indutas et plicarum symmetria decoras. Quae cuncta faciunt ut Capitolinam Isidem et quae aliae sunt hujus classis statuae, donec nova argumenta aliter sentire cogant, genuinis accenseam operibus Aegyptiis; neque a Macedonibus sub Ptolemaeis, neque a Jonibus sub Psammeticho, quae sententia est cl. Feae in annot. ad Winkelmanni historiam loc. cit., hoc statuarum genus introductum putem.

referre videtur Caylus [20]. Nam accurata Aegyptiorum animalium delineatio, hominum quoque lineamenta vere Aegyptia, motusque et amictus, atque universus pingendi modus, tabulam istam in hac provincia fabrefactam testantur antiquis moribus nondum eliminatis: sed insimul nonnulla ei insunt nova atque a veteri more aliena quae ab Aegyptiorum cum Graecis commercio derivanda videntur. Haereo tamen sitne potius ad Psammetichidarum tempora reportanda, nam sane maximam partem probe Aegyptia est, et quae peregrina apparent, nulla certa ratione a Graecis repeti possunt. Postremorum denique Lagidarum deperditi mores, intestina bella, Romanorumque praefectorum rapinae omnia pessumdedere. Antiquae mox in Aegypto civitates eversae, sacerdotum sodalitia derelicta, librique eorum defossi, et hierogrammatum ordo fere exstinctus, reliqui autem sacerdotes ad sacrificulorum et pollinctorum officia detrusi. Diodorus adhuc in Aegypto cum sacerdotibus collocutus videtur, qui antiquitatis notitiam affectabant, licet maximam partem res, quas tamquam a sacerdotibus acceptas tradit, e Graecis auctoribus, qui sub prioribus Ptolemaeis de Aegypto scripserant, hausisse intelligatur: at Strabo ei suppar veteres Aegyptiorum scientias Heliopoli extinctas deplorat, neque in reliqua Aegypto describenda sacerdotes auctores laudat. Festinasse quidem videtur Strabo, et multa quae scire potuisset neglexisse, Chaeremonem quoque immerito damnasse: illud tamen ex narratione ejus argui potest,

---

[20] *Recueil d' antiquités* tom. 7. p. 36. Tabulam istam, quam et mensam Isiacam vocitare solent, nunc asservatam Augustae Taurinorum in museo regio, cum Romae reperta fuisset, et circa an. 1530 a Cardinali Bembo acquisita, multi jam tunc a Romano artifice profectam credidere, neque Pignorius, qui accuratam ejusdem delineationem ab Aenea Vico aeri incisam ann. 1559, docto commentario illustravit an. 1605, ausus est definire utrum ab Aegyptio homine facta esset, an ad normam tantum artis Aegyptiae. V. Laur. Pignorii tabul. Isiac. pag. 13. ed. Amst. 1669. Merito autem Kircherus Aegypto eam vindicavit, Oedip. tom. 3. p. 81. inquiens:,, Certe ,, tabulam in Aegypto a veteribus hieromantis ,, concinnatam, ipsarum figurarum ratio et my- ,, stica compositio, quin et artificium stylus- ,, que pingendi, quae Aegyptiorum ingenium ,, prorsus sapiunt, sat superque demonstrant,,. Quibus maxima ex parte subscribendum censeo. Nam exigui ponderis hac in re mihi videtur sententia Jablonskii, qui in *specimine novae interpretationis tabulae Bembinae* in Miscell. Berolin. tom. 6. pag. 141., eo solo argumento nixus, quod secundum interpretationem ab ipso excogitatam, nec magna probabilitatis specie gaudentem, Aegyptiorum festa in ea non ad Aegyptii sed ad Romani anni normam ordinata essent, ipsam tabulam ad Commodi aut Caracallae aetatem detrudendam putat. Distare quidem eam magno intervallo a maximis illis obeliscis primus obtutus docet: insunt et nonnulla quae ab iis operibus dissentiunt quae ad Psammetichidarum saeculum pertinere existimo, praesertim ornamentum illud quod mensae superficiem ambit, et plantarum quarumdam nimis delicata delineatio. Inter symbola quoque nonnulla sunt quae hucusque in nullo antiquo opere Aegyptio deprehendi, atque in hieroglyphicis characteribus hinc et inde peregrinum quid offenditur. Quae omnia in causa sunt ut judicium, quod de ea tulit Caylus, a veritate proxime abesse putem. Attamen et artis et idearum symbolorumque historia apud Aegyptios hactenus ita parum cognita est, ut aetatem operis universo sui habitu veterem Aegyptum asserentis, ex parvis indiciis definire verear; praesertim cum nulla alia supersint hujus generis opificia Aegyptia, de lapideis autem monumentis deque mumiarum picturis non satis bene conclusio fieri videatur ad figuras sulcis in aere incisis ac malta repletis expressas. Sane breves aliquae inscriptiones hieroglyphicae in aere, ex Aegypto advectae, quae sunt in museo Borgiano, in characterum pingendorum modo prope accedunt ad tabulam Bembinam: et ipsum illud artificium, excavationes in aere factas malta argentove obducendi, Aegyptiis aliisque populis orientalibus omni tempore acceptum, apud Graecos autem Romanosque tarde usitari coeptum, argumentis accedit, quae tabulam eam in Aegypto factam fuisse suadent.

tunc temporis paucos tantum in Aegypto superfuisse qui gentis vetustatem callerent, nec magnam iis fidem habitam [21]. Secundo autem saeculo post Aegyptum ab Augusto captam, cujus aevi hominibus cordi fuit veteres quascunque superstitiones, oblivioni fere traditas, nova veste donatas in lucem revocare, revixit Aegyptiae quoque antiquitatis studium, dum et ipsi imperatores, locupletissimae provinciae incolas sibi devincire studentes, Aegyptiae religioni multum tribuere instituissent. Quem Augustus videre noluit Apidem, hujus commessatorem gessit se Titus: Hadrianus vero cum in Aegypto peragranda Antinoum suum perdidisset, Aegyptiis diis eum adscribi jussit et Aegyptio habitu fingi. Ubique jam per Romanum orbem cernebantur simulacra templaque Aegyptiorum deorum, quos deinde intra ipsum aeternae urbis pomoerium recepit Antoninus Caracalla [22]: et Plinio scribente non matronae tantum sed et quirites Harpocratem et Aegyptiorum numinum statuas in digitis portare coeperant [23]. Primi quidem in Italia culti videntur Alexandrini dii, medium locum tenentes inter Graecos et vere Aegyptios: sed mox et antiquiores Aegyptios ritus diligere coeperunt Romani et semiferos deos nativo habitu fictos venerari. Multa hujusmodi simulacra jam tunc ex Aegypto advecta fuere, multi lapides hieroglyphico more scripti. Denique in ipsa Italia institutum est hieroglyphicas notas inscalpere, cujus rei clara testimonia exstant monumenta in museo Borgiano et in eo quod est in collegio Romano, Hadriani vel Antoninorum aevo accensenda: quin et ex obeliscis eum qui nunc stat in monte Pincio, Romae post Antoninorum tempora inscalptum fuisse dubio carere videtur [24]. Multa etiam nunc ex Aegypto afferuntur monumenta hieroglyphica, quae sub imperatoribus facta fuisse suspicor: sed haec res minus certa. Pro certo autem affirmari potest, Aegyptios in cadaveribus condiendis, fasciisque et loculis hieroglyphice inscribendis veterem morem servasse usque post Theodosii tempora, qua de re supra disputavimus [25]. Vixere etiam sub imperatoribus non pauci Aegyptiarum rerum interpretes, in quibus post Chaeremonem hiero-

---

[21] Strab. lib. 17. pag. 1159: *εν δε τη ἡλιουπολει και οικους ειδομεν μεγαλους εν ὁις διετριβον οἱ ἱερεις. μαλιστα γαρ δη ταυτην κατοικιαν ἱερεων γεγονεναι φασι τοπαλαιον, φιλοσοφων ανδρων και αστρονομικων· εκλελοιπε δε και τουτο νυνι το συστημα και ἡ ασκησις. εκει μεν ουν ουδεις ἡμιν εδεικνυτο της τοιαυτης ασκησεως προεστως, αλλ᾽ οἱ ἱεροποιοι μονον και εξηγηται τοις ξενοις των περι τα ἱερα. παρηκολουθει δε τις εξ αλεξανδρειας αναπλεοντι ες την αιγυπτον αιλιω γαλλω τῳ ἡγεμονι, χαιρημων τουνομα, προσποιουμενος τοιαυτην τινα επιστημην, γελωμενος δε τοπλεον ὡς αλαζων και ιδιωτης.* „Heliopoli domos amplas vidimus in quibus „sacerdotes habitabant. Hanc enim perhibent „olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiae et astronomiae deditorum. „Nunc is ordo ac studium defecit, nec quisquam nobis tali exercitationi praefectus ostendebatur, sed homines tantum qui sacrificia „curarent atque ritus eos peregrinis commonstrarent. Comitatus quidem est Aelium Gallum praefectum ex Alexandria navigantem in „Aegyptum, quidam nomine Chaeremon, qui „ejusmodi scientiam profitebatur: sed ob „ignorantiam et arrogantiam fere plurimum „deridebatur „. Credibile autem est hunc eundem esse Chaeremonem Stoicum, quem Porphyrius Aegyptias res non vulgari studio scrutatus, virum veritatis amantem et valde accuratum celebrat, honorisque causa appellat hierogrammatea: epist. ad Aneb. p. 6. 7. 8. de abstin. lib. 4. pag. 360. 371. Constat enim Strabonem in aliis damnandis pluries prodidisse suam ignorantiam, cujus rei luculenta exempla habemus in Eratosthene, Eudoxo, Pythea, quos veraces demonstraverunt secutae aetates.

[22] Vide *Num. Aeg. imper. in mus. Borg.* pag. 252. not. 35.

[23] Plin. lib. 33. cap. 3.

[24] Vide supra pag. 76.

[25] Vide supra pag. 263. not. 48.

grammatea, Hermapionem, et Apionem Plistonicen, quorum scripta perierunt, eminent Plutarchus, Clemens, Porphyrius, et Philippus ille qui ex Horapolline aliisque compilavit lexicon hieroglyphicum. Ex horum scriptis in universum colligitur, eo aevo non prorsus desiisse hieroglyphicorum ad veterum mentem interpretandornm scientiam; attamen multa a Graecis hominibus ad novas significationes Graecorum ingenio adaptatas traducta fuisse. Neque Aegyptiae antiquitati multum nocuisse videtur Severus, dum ex Aegypti adytis auferri jussit libros, quicunque occultum quid continere putabantur, atque in Alexandri sepulcro concludi [26]; quin potius tot libris Aegyptiis Alexandriam advectis, quos mortuo imperatore in vulgus prodisse vix dubitandum, mysteriorum amori novos stimulos additos reor; quemadmodum nec Diocletianus multum effecit, qui chemicos libros ex universa Aegypto collectos igni combussisse fertur [27]. Alexandrini autem illi philosophi, circa Severi tempora orti, quibus propositum erat, abstrusam doctrinam et theurgiam, quam affectabant, a Magorum praestigiis parum distantem, per Orphicam disciplinam, perque philosophiam Pythagorae ac Platonis derivare a veterum Aegyptiorum sapientia, Aegyptias origines curiose scrutati videntur, antiquitatis monumenta in suas partes trahere studentes, atque ex hieroglyphicis occultam theosophiam daemonumque ordines et potestates extundere adlaborasse. De his intelligendus mihi videtur Ruffinus, ubi ait, Canopi, quae civitas theurgorum tunc temporis sedes erat, sub praetextu litterarum Aegyptiarum magiae fuisse paene publicam scholam [28]. Nec defuisse Alexandriae qui veterum hieroglyphicorum interpretationem profiterentur, constat ex ejusdem Ruffini aliorumque narratione de crucis figura inter Serapei scalpturas observata [29]. Prae-

[26] V. supra pag. 521.

[27] V. supra pag. 525.

[28] Ruffin. hist. eccles. lib. 2. cap. 26: „ Jam „ vero Canopi quis enumeret superstitiosa fla- „ gitia? ubi praetextu sacerdotalium littera- „ rum, ita enim appellant antiquas Aegyptio- „ rum litteras, magicae artis erat paene pu- „ blica schola „. Conf. supra pag. 432. not. 31. De postremis Neoplatonicis circa Canopum degentibus, vide Eunap. vit. sophist. in Aedesio pag. 59. sqq. Qua ratione inductus Warburtonus §. 40. asserat, hieroglyphicos characteres, ab eo inde tempore, quo Alexandriae coepit cultus Serapidis, ad magiam traductos fuisse, me omnino fugit. Nam amuleta illa sive phylacteria, de quibus loquitur, antiquissimae originis esse, capite praecedenti §. 12. not. 2. 3. adstruere conatus sum: ea autem apud Aegyptios a remotissimo inde tempore figuris notisque in hieroglyphica scriptione usitatis insigniri consuevisse, jam e scarabaeis constat, qui ab Aegyptiis amuletorum loco gestari soliti, hodie quoque magno numero supersunt: conf. supra pag. 446. not. 36. Sic pariter Graeci Arabesque et alii populi, quisque in amuletis suis scripturae suae characteres adhibuere: neque hic usus hieroglyphicis proprius est atque peculiaris, nec ante Arabum tempora illam opinionem invaluisse reor, ipsis litteris hieroglyphicis inesse virtutem magicam. In iis enim qui afferuntur versus Lucani a nobis adducti supra pag. 432:

Saxis tantum volucresque feraeque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas;

magicae linguae non aliud significant quam obscuras barbarasque formulas, nullo pacto vim magicam ipsis figuris inhaerentem. Quod vero in antiquarum superstitionum sentina, recentibus illis mysteriis, cum astrologia, chemia et magia conjunctis, signa quaedam servata fuerint ex hieroglyphica Aegyptiorum scriptura, non aliunde est repetendum quam ab antiquitatis et obscuritatis affectatione, quae pariter in causa est ut et Graeca quaedam et Arabica aliaque peregrina admisceri soleant hujusmodi superstitionibus.

[29] Ruffin. lib. cit. cap. 29: „ Signum domi- „ nicae crucis inter illas quas dicunt *ἱερατικάς* „ i. e. sacerdotales litteras, habere Aegyptii „ dicunt, velut unum ex caeteris litterarum „ quae apud illos sunt elementis, cujus litte-

terea gnostici aliique falsorum mysteriorum assertores, chemici quoque et qui astrologiam ac magiam professi sunt, Aegyptia affectaverunt hieroglyphica; quae ad novos significatus detorserunt, aliqua tamen ut videtur cum veteri sensu affinitate servata; unde et quaedam hieroglyphicorum notitia ad Arabes usque pervenit, suntque barbarae imagines nonnullae, hieroglyphicis characteribus ad Aegyptiorum monumentorum imitationem inscriptae, quas a praefatis hominibus, maxime a chemicis seu alchemistis, quos vocant, fictas reor [30].

Itaque nullum tempus definiri potest, quo hieroglyphici characteres vel in-

---

„ rae seu vocabuli hanc esse asserunt interpre- „ tationem; *vita ventura*. Dicebant ergo hi „ qui tunc admiratione rerum gestarum (tem- „ plis per Aegyptum jubente Theodosio de- „ structis) convertebantur ad fidem, ita sibi „ ab antiquis traditum, quod haec quae nunc „ coluntur, tamdiu starent, quamdiu viderent „ signum istud venisse in quo esset vita „. Fusius Socrates hist. eccl. lib. 5. cap. 17: *εν τω ναω του σαραπιδος λυομενου και γυμνουμενου ηυρητο γραμματα εγκεχαραγμενα τοις λιθοις, τα καλουμενα ιερογλυφικα. ησαν δε οἱ χαρακτηρες σταυρων εχοντες τυπους. τουτους ὁρωντες χριστιανοι τε και ἑλληνες, τη ιδια ἑκατεροι θρησκεια προσηρμοζοντο. χριστιανοι μεν γαρ σημειον του κατα χριστον σωτηριωδους παθους ειναι λεγοντες τον σταυρον, οικειον ειναι τον χαρακτηρα ενομιζον. ἑλληνες δε τι κοινον χριστω και σαραπιδι ελεγον· ει ὁ σταυροειδης χαρακτηρ αλλο μεν χριστιανοις, αλλο δε ἑλλησι ποιειται το συμβολον. τουτων δε αμφισβητουμενων, τινες των ἑλληνων τω χριστιανισμω προσελθοντες, τα ιερογλυφικα τε γραμματα επισταμενοι, διερμηνευοντες τον σταυροειδη χαρακτηρα, ελεγον σημαινειν ζωην επερχομενην. τουτο πλειον οἱ χριστιανοι εις την οικειαν θρησκειαν ἁρπασαντες, αλαζονικωτερον διετεθησαν. ὡς δε και δι' ἑτερων γραμματων ἱερογλυφικων εδηλουτο, τελος ἑξειν το του σαραπιδος ἱερον, ὁτε σταυροειδης φανη χαρακτηρ, τουτο γαρ ειναι την επερχομενην ζωην, πολλω πλεους προσηρχοντο τω χριστιανισμω. και τας ἁμαρτιας εξομολογουμενοι εβαπτιζοντο. τα μεν ουν επι τω σταυροειδει χαρακτηρι γενομενα τοιαυτα ακηκοα.* „ Dum Serapidis templum destrueretur ac nudaretur, inventae sunt in eo litterae lapidibus incisae quas hieroglyphicas appellant. „ Eae litterae crucis formam referebant. Quas „ cum cernerent gentiles simul et Christiani, „ suae quisque religioni adaptabant. Nam Chri- „ stiani signum esse dicentes salutaris Christi „ passionis, propriam religionis suae notam, „ crucem scilicet, esse censebant. Gentiles „ vero commune quiddam Christo et Serapidi „ esse affirmabant; si quidem crucis effigies „ aliud apud Christianos aliud apud gentiles si- „ gnificat. Dum haec inter illos agitatur con- „ troversia, quidam ex gentilium errore ad „ Christi fidem conversi, qui hujusmodi litte- „ rarum notitiam habebant, notam hanc cru- „ cis forma depictam interpretantes, venturam „ vitam significare docuerunt. Hoc igitur „ Christiani, utpote quod ad religionem suam „ magis faceret, avide arripientes, animos „ efferre coeperunt. Posteaquam vero aliis „ etiam hieroglyphicis litteris indicatum est, „ finem tunc habiturum Serapidis templum, „ cum nota crucis apparuisset: id enim desi- „ gnare venturam vitam; multo plures ad „ Christianam religionem se contulerunt, ac „ peccata sua confitentes baptismum Christi „ susceperunt. Atque haec sunt quae de cru- „ cis symbolo auditione accepi „. Conf. Sozomenum supra adductum pag. 459. not. 85. et Theophan. chronogr. pag. 49. Caeterum characterem hunc *σταυροειδη* vulgo putant eum esse, quem vocant crucem ansatam sive characterem tauticum, qui nobis dicitur clavis; atque praefatorum scriptorum auctoritate alii usi sunt ad affirmandum vitam aeternam eo significari, alii ad phallum sub ejus specie latentem revelandum. Sed praeterquod ex ipsa narratione appareat, quam parum fidendum sit interpretationi ab illis scriptoribus allatae, quod jam advertit Kircherus Oed. tom. 3. pag. 227., si verum est, quod scribit Socrates, characterem illum cruciformem tunc primum in vulgus prolatum fuisse, vix credibile videtur, sermonem fuisse de clavi, qua in Aegyptiis lapidibus nil est vulgatius, sed intelligendum esse aliud quoddam signum ad crucis formam accedens, cujusmodi plura occurrunt in hieroglyphicis, sed rarius obvia. Cernitur inter alia in obeliscis Flaminio et Lateranensi character qui crucis formam multo quam crux illa ansata exactius imitatur, nec video quid obstet, quominus iste inter Serapei hieroglyphica conspectus historiae supra narratae occasionem praebere potuisset.

[30] V. Caylus *recueil d' antiquités* tom. 5. tab. 32. tom. 6. tab. 7. num. 3.

telligi vel in usu esse prorsus desierint [31]. Quae autem probabili ratione statui posse videntur hieroglyphicae scripturae epochae atque vicissitudines, hae fere sunt:

1. Ante inventas litteras alphabeticas ad omnia, quaecunque memoriae mandanda censuerunt Aegyptii, usi sunt litteris hieroglyphicis, a primitiva simplicitate atque paupertate sensim auctis et per symbola ad aenigmata traductis.

2. Inventa scriptura alphabetica, hanc in epistolis et quae alia sunt communis vitae usibus inservientia adhibuere Aegyptii, eandemque sub hieraticae scripturae appellatione ornatiorem et occultiorem redditam in libris, forsan et mature in linteis mumiarum integumentis, usurpavere: hieroglyphica autem scriptio servata est in lapidibus inque aliis publicis sacrisque monumentis; etiam in cadaverum involucris et in libris sacratioribus nonnullis.

3. Postquam sub Psammetichidarum imperio auctoritas sacerdotum deprimi coepit, mysteria affectarunt, et data opera hieroglyphicam scripturam aenigmatis augere studuerunt.

4. Sub Ptolemaeorum dynastia hieroglyphica scriptura fere non nisi in iis monumentis adhiberi perseveravit, quae Aegyptiis diis immediate essent dedicata, inque cadaveribus patrio more ornandis. Sensim quoque ad novas ideas a Graecis Aegypto invectas exprimendas traducti fuerunt characteres hieroglyphici, veteribusque monumentis novae interpretationes adstructae.

5. Aegyptia Graecaque religione in Aegypto in unum conflatis et antiquo sacerdotum Aegyptiorum instituto fere exstincto, sensim periit veterum hieroglyphicorum genuina intelligentia, quam Romanis Aegypto imperantibus e tenebris eruere frustra conati sunt eruditi viri, et pro sincera veterum inscriptionum interpretatione mixtum quid proposuere ex Aegyptiis Graecisque notionibus. Tamen continuatum est in lapidibus, in cadaverum integumentis et in libris ad mysteria pertinentibus, cum vetera scripta hieroglyphica accurate describere, tum nova pro saeculi ingenio concinnare.

6. Tertio quartoque vulgaris aerae saeculo ad nova mysteria, theurgica, gnostica, magica, chemica traducti fuerunt characteres hieroglyphici, ac vetus sen-

---

[31] Vulgaris opinio est hieroglyphicorum usum atque intelligentiam post Aegyptum a Cambyse expugnatam prorsus cessisse, quam inter alios tuendam suscepit Kircherus, Oedip. tom. 3. pag. 515. obel. Pamphil. pag. 103. obel. Minerv. pag. 15., nullo usus idoneo argumento. Quod enim Cornelium Tacitum in Aegyptum profectum ait ad hieroglyphica discenda, sed neminem invenisse qui vetustos illos interpretaretur characteres, unde ipse hauserit hactenus reperire non potui. E diverso legimus in annalibus ab eo scriptis lib. 2. cap. 60. a nobis adductis supra pag. 19., sacerdotes Thebaeenses Germanico Caesari iter per Aegyptum facienti, hieroglyphicas vetustarum molium inscriptiones exposuisse. De Strabonis loco quem ad hieroglyphicorum cognitionem tunc temporis penitus exstinctam comprobandam afferre solent nonnulli, modo diximus not. 21. At Kircherus ipse suam damnat sententiam, dum Graecis auctoribus, Neoplatonicis maxime, quin et Arabibus passim utitur ad suis explicationibus fidem conciliandam; atque dum Romae quoque hieroglyphica saxis insculpta fuisse affirmat: de obel. Minerv. pag. 16. Donec enim hieroglyphica incidebantur, donec homines exsistebant qui certis hieroglyphicis certas res significari sibi persuasum habebant, qui deperdita dici possit scriptura hieroglyphica, ego non video. An Graeca lingua apud Byzantinos deperdita dicenda, eo quod multa vocabula Homerica tunc non amplius intelligebantur, quod Christianis scriptoribus multa vocabula aliud significabant quam Platoni aut Xenophonti, quodque multa e barbaris linguis in Graecam transierant?

sus fere oblivioni traditus. Attamen usque ad Aegyptum ab Arabibus captam aliqua superfuisse videtur eorum intelligentia, sed eo pacto ut pro veteri significatione quisquis pro ingenio suo novam substitueret, veteri aliquo modo affinem.

§. VIII.

Post hieroglyphicorum ortum et vicissitudines consideranda occurrit origo alphabeticae scripturae apud Aegyptios, quos omnium primos alphabetum invenisse, reliquisque populis, quotquot ejusmodi scriptione usi comperiuntur, aut immediate aut mediate communicasse existimo. Ut ita sentiam, contra quam faciunt hodie plerique, non me movet Platonis auctoritas nec qui alii veteres scriptores huic opinioni faverunt; nam litterarum prima inventio, ut reliqua quae spectant ad antiquissimas rerum origines, aeque ac nos latuerunt Graecos Romanosque scriptores; sed rationes petitae ex ipsius rei natura exque iis quae scimus de Aegyptiorum hieroglyphicorum indole. Ardua enim inprimis res est rerum inventores indagare, praesertim ubi de iis agitur quae vitae maxime sunt necessariae et multis populis communes. Plerumque ab exiguis initiis natae, post sensim adolevere, ac diu singulorum hominum privato commodo inservientes, paullatimque ad plures diffusae, denique nemine advertente in publicum usum transiere, ac demum postquam communis vita earum ministerio aucta et ampliata animos in se convertit, coeptum est quaeri de inventoribus. Inde ut plurimum uniuscujusque rei inventio adscripta fuit ei homini, qui rem jam introductam certis praeceptis circumscripsit, aut notabiliter auxit, aut publica auctoritate firmandam curavit: unde est quod saepe res inventae exstitisse comperiantur ante eos qui earum perhibentur auctores. Sic chartarum inventionem Alexandrinis tribuit Varro, membranarum Pergamenis sub Eumene [1]: quamquam Aegyptios diu ante Alexandrum libris ex papyro usos esse constet ex Herodoto [2]; in pellibus autem ad id praeparatis scribere, eodem Herodo-

---

[1] Plin. lib. 13. cap. 11; „ Papyrum Alexan„ dri Magni victoria repertam, auctor est M. „ Varro, condita in Aegypto Alexandria; an„ tea non fuisse chartarum usum. — Mox „ aemulatione circa bibliothecas regum Ptole„ maei et Eumenis, supprimente chartas Pto„ lemaeo, idem Varro membranas Pergami „ tradit repertas „.

[2] Lib. 2. cap. 100. supra pag. 519. Quo temporis quidem intervallo coeperint Aegyptii scribere in plagulis ex papyri cortice compactis, prorsus ignoratur, et operam perdere reor qui conjectura id assequi tentant. Antiquissimam autem apud eos consuetudinem fuisse existimo, ut apud alias gentes plerasque, in arborum, palmarum praesertim, foliis, plantarumque corticibus ac philyris, aut stylo scribere aut pigmentis, inter quae cum seligere instituissent quae huic usui essent aptiora, eaque opportunius praeparare, praetulisse papyri philyras, inque his ad chartae usum conglutinatis solis scribere perseverasse. Sed et apud Graecos jam antiquitus in usu fuisse chartas, praeter versum Platonis comici citatum a Guillandino de papyro pag. 21;

τα γραμματεια τους τε χαρτας εκφερων:

credere suadet Graecorum librorum Alexandro vetustiorum copia, cum vix alia res suppeteret, qua ad tot libros conficiendos satis commode uterentur; inprimis si animum advertimus ad librorum quae fuit Platone scribente vilitas. V. Plat. in Euthyphr. opp. tom. 1. pag. 23. Nec video cur ab usu earum abstinuerint, cum saltem inde a Psammeticho frequens ipsis esset cum Aegyptiis commercium. Conf. Theophr. de hist. plant. lib. 4. cap. 9. Quae vero de Numae libris chartaceis contra Varronis sententiam affert Plinius lib. 13. c. 13., non satis certa videntur. De papyri natura et usu praeter Guillandinum consule Caylus *sur le papyrus* in *Mém. de l'acad. des inscr.* tom. 26. cl. Fea *miscellanea filolog. critica ed antiqu.* tom. 1. num. 1. cl. Schow praefat. ad chartam papyraceam adserv. Velitris in mus. Borgiano.

to prodente [3], vetusta sit Graecorum barbarorumque consuetudo. Itaque in hoc quoque sapientes putandi sunt Aegyptii, quod omnia inventa retulerunt ad Thothum, humanae mentis genium, cum veros inventores cognoscere raro liceret. Sed non homines tantum ignorantur qui utilium inventionum auctores exstitere, etiam inter gentes magna est disceptatio, atque exterorum pro partibus afferuntur testimonia; dum qui res jam inventas aliunde receperunt quodvis inventum tribuere soleant ei populo, a quo ipsis fuerit communicatum, nec ultra quaerere de prima origine: cujusmodi est ubi a Graecis Phoenices laudantur alphabeti auctores. Multae praeterea res ad quas unumquemque hominem natura ipsa invitare videtur, perperam ad certum hominem certumve populum tanquam inventorem referri solent, ac caeteris inde communicatae credi: cujus generis sunt magna pars inventionum memoratarum a Plinio [4]. At vero sonos pingere res videtur ita difficilis, atque ita extra communem cogitationum tramitem posita, ut vix putemus apud plures gentes exstitisse alphabetorum inventores. Ea etiam apparet inter omnium alphabetorum elementa affinitas, ut ad communem omnibus originem referri posse facile nobis persuadeamus: praetereaquod omnes gentes quas antiquitus alphabeto usas novimus, unum occupavere terrae tractum continuum, mare mediterraneum circumjacentem, angusta plerumque latitudine, circa Nilum vero porrectum usque ad catarractas, et in orientem procurrentem usque ad sinum Persicum. In Africa enim solos Aegyptios et qui in Libye fuerunt Phoenicum Graecorumque coloni litterarum ministerio usos invenimus ante Alexandrum Macedonem: in Europa Graecos Italosque et Phoenicum colonos in Hispania: in Asia Phoenices, Hebraeos et qui alii fuere Syriae atque minoris Asiae populi, porro Babylonios, Persas, Medos et Bactrianos. Qui vero ulteriora tenuerunt, quosque Aethiopum, Indorum, Scytharum et Celtarum nomine complexi sunt veteres geographi, litterarum alphabeticarum expertes fuisse videntur [5].

---

[3] Lib. 5. cap. 58: *τας βιβλυς διφθερας καλευσι απο τυ παλαιυ ιωνες, ότι κοτε εν σπανει βιβλων εχρεωντο διφθερησι αιγειησι τε και οιεησι. ετι δε και το κατ' εμε πολλοι των βαρβαρων ες τοιαυτας διφθερας γραφυσι.* „ Prisca consuetudine „ libros Jones appellant diphtheras, quod ali„ quando penuria biblorum, pellibus caprinis „ ovillisque utebantur: adhuc quoque ad meam „ usque memoriam multi barbarorum talibus „ in pellibus scribunt „. Ubi quos *διφθεραις* opponit, omnino videntur fuisse libri chartacei: quemadmodum et advertit Theodorus Gaza de mens. pag. 302., *βυβλια* sive *βιβλια* olim de iis tantum libris dici consuevisse, qui essent e papyro Aegyptia, postea vero de quovis libro usurpatum. Conf. Eustath. ad odyss. φ. pag. 1913. De Ctesia adnotat Diodorus lib. 2. c.32., usum esse commentariis regiis in membrana exaratis: *ταις βασιλικαις διφθεραις, εν αίς οί περσαι τας παλαιας πραξεις κατα τινα νομον ειχον συντεταγμενας.* Conf. Agath. de reb. Justinian. lib. 2. pag. 66. Zenob. adag. cent. 4. num. 11. Diogen. adag. cent.3. num.2. cent.4. num. 95. Anonym. de incredib. cap. 3. Galen. de diffic. respir. lib.3. init. Polluc. onom. lib. 7. segm. 211. lib. 10. segm. 57. Hesych. v. *διφθεραλοιφος*.

[4] Lib. 7. cap. 56.

[5] Scio equidem in his multum esse disceptationis, neque hic de singulis dicere vacat. De syllabario Aethiopico, quod inter vetustissima inventa referunt nonnulli, infra sermo recurret. Indi Gangisque accolas circa Alexandri aetatem litteris caruisse ex Megasthene aliisque docet Strabo lib. 15. pag. 1035. 1044., quibus non refragatur Nearchus ibid. narrans Indorum nonnullos, cum Graecos imitati epistolas scribere coepissent, linteis bene compactis ad hoc fuisse usos. Conf. P. Georgii fragm. Thebaica de mirac. SS. Coluthi et Panesniv, pag. 283. praef. pag. 206. Quin et diu post Alexandrum, fortassis et post vulgaris aerae initia, litterarum usum ab Indis fuisse receptum, suspicari facit scriptorum monumentorum in eis regionibus inopia annaliumque defectus quo laborant. Vetustissimum autem quod afferri solet Indicae scriptu-

Jure igitur quaeri videtur, quaenam inter illas gentes prima invenerit scripturam alphabeticam, et populis sibi conterminis communicaverit: quod ut definiamus scrutari opus est, qui factum sit ut sonos pingere discerent homines. Nequaquam enim mihi persuadeo, exstitisse unum uspiam hominem, qui ut Theuthus ille Platonis divino numine afflatus perspexerit, omnia ea quae verbis proferuntur, exiguo comprehendi sonorum numero, sonosque illos arbitrariis figuris pingere instituerit. Sed lento passu et per multos gradus eo ventum existimo, ut sententiae dispescerentur in vocabula, vocabula in syllabas, syllabae in sonos componentes; pariterque ut pro sententiis pingerentur vocabula, inde pro vocabulis syllabae, denique nudae litterae. Ex primitiva illa pictura, cujus perfectiorem methodum Mexicanam scripturam appellare solent, oriri non potuit scriptio alphabetica: siquidem per eam non singulae res sententiaeve exprimuntur, nec successivo idearum ordine, sed integra facta et complicatarum idearum argumenta singulis figurarum complexibus declarantur. Pergendum erat ad methodum hieroglyphicam, ejus naturae cujus illa fuit qua solos Aegyptios usos comperimus hactenus: quo totum per partes distribuere discerent homines, partesque eas ordinata serie exponere, quemadmodum faciunt qui rem cogitatione conceptam sermone declarant. Sed quo a facti sive sententiae partibus, vel quod idem est, a vocabulis pingendis transiretur ad syllabas, opus erat ut qui res exprimerent per similitudines et aenigmata, vocabulorum sonos respicere inciperent, quod in aenigmatis sermone prolatis apud omnes populos fieri assolet, quodque pariter in ideis pingendis ab Aegyptiorum hieroglyphis factum esse, docemur ab Horapolline loco supra adducto [6]. Ubi vero usu probatum esset, res quarum vocabula simili sono efferuntur una eademque figura pingere, facilis via patebat ad scripturam alphabeticam. Pro multis exemplis quae ex analogia afferri possent ad demonstrandam hieroglyphicarum notarum commutationem in nudas litteras, insistamus uni illi quod exhibet auctor

---

rae specimen, lamina aenea reperta inter rudera oppidi Monguir, et luce donata in *Asiatick researches* tom. 1. pag. 123., quam annis ante Christum 23 exaratam putant, aevi esse prorsus incerti, jam in adnotationibus p. 142. subinnuit perspicacis ingenii vir Warren Hastings. Alia vero quae ibidem pag. 279. sistitur inscriptio Indica in antro exarata prope Gya, quae majorem quam illa prae se fert antiquitatis speciem, singularem habet affinitatem cum litteris Aegyptiis, uti occurrunt in recentioribus hujus gentis monumentis, in tabula plumbea Borgiana atque in aenea Galvani, de quibus dictum est supra p. 499. 500., et credere suadet accepisse Indos litteras ab Aegyptiis, quo tempore Romanis Aegyptum tenentibus frequentius quam ante fuit Indos inter et Aegyptios commercium. Neque Persae Indis contermini, ante Sassanidarum imperium litteras habuisse videntur sibi proprias, sed usi esse litteris Chaldaicis, quae et Syriae dictae et Assyriae, Phoeniciisque litteris cognatae, late obtinuere per Asiam superiorem. Refert enim Herodotus lib. 4. cap. 87. ex duabus columnis quas Europaeae expeditionis monumenta ad Bosporum statuit Darius, alteram Graecis litteris inscriptam fuisse, alteram Assyriis: credibile autem non est, neglexisse eum patriis litteris facta sua testari, si tales tunc fuissent apud Persas. Quos vero Persepolitanos characteres appellare solent, non videntur esse litterae alphabeticae neque vulgares, sed cifrae quaedam sive notae idearum, iis affines quibus utuntur Sinenses, a solis forsan Magis usurpatae. Inspice auctores citatos supra pag. 313. not. 3. et pag. 536. not. 34. Sunt et qui Scandinavicis litteris, quas Runas vocitant, ingentem tribuunt antiquitatem, sed quos egregie refellit Joh. Ihre in dissertationibus de Runarum in Suecia antiquitate, origine et occasu, negans evinci posse probabili aliquo argumento, quod Runae ullae exstiterint ante quintum vulgaris aerae saeculum, nec aliud esse Runas quam Latinas litteras septentrionalium gentium utilitati accommodatas.

[6] Pag. 454., ubi consule quae de hoc disputavimus argumento.

praefatus admodum foecundum, persequamurque argumentum usque ad ortum litterarum alphabeticarum. Accipitrem pingentes Aegyptii, inquit Horapollo, praeter alias res significant ψυχην εγκαρδιαν, *animam in corde habitantem*, quoniam βαιηθ sive ⲃⲁⲓϩⲏⲧ, quod accipitris vocabulum est, in duas syllabas divisum, altera sui parte animam altera vero cor denotat. Inde factum ut pro quacunque re, cui indicandae in sermone inserviret syllaba βαι sive ⲃⲁⲓ, in hieroglyphicis poneretur caput accipitris, pro ηθ sive ϩⲏⲧ pedes ejusdem. Cujusmodi ubi multa hieroglyphicis essent inserta, quibus et interpretatio eorum reddebatur difficilior, et recedebatur ab antiquo rerum pingendarum studio; exstitit heros ille secundi Mercurii pater, qui vocalia signa separavit a rerum effigiebus, quo et ad vetus institutum revocaret scripturam hieroglyphicam, et vocalibus notis in unum collectis ac novarum additione auctis, syllabicam efficeret scribendi rationem. Novum hinc hierogrammatum studium, res propter methodi simplicitatem perutilis, sed ob notarum multitudinem non satis commoda. Inventum inde excolere, singulas syllabas quotquot lingua continet accurate distinguere, vocabula dissolvere in syllabas, unicuique suam notam tribuere ab hieroglyphicis derivatam, affinibusque syllabis affines notas accommodare, multiplex labor erat, quo ad linguae sonorumque naturam investigandam invitabantur. Sensim inde emerserunt quae syllabis insunt communia elementa, ad quae denotanda cum coeptum esset adhibere novos characteres, formatos ex syllabarum characteribus denuo dissectis, syllabasque ex simplicium illorum characterum compositione conflare, numerus quoque notarum usui necessariarum sensim diminui coepit, et prima illuxerunt alphabeticae scriptionis initia, latentis adhuc et cum syllabica methodo commixtae [7]. Tunc opus ad finem perduxit secundus Mercurius, qui in immensa illa vocum sonorumque varietate perspexit simplicium elementorum vim et virtutem, numerumque eorum et cujusvis naturam definivit, et artem grammaticam adornavit: quod Plato, vocabulis quidem a Graeca grammatica petitis et ad Aegyptiam scripturam translatis, cum orationis illa quae ei inerat ubertate et jucunditate declarat in Philebo [8]: *επειδη φωνην απειρον κατενοησεν, ειτε τις θεος ειτε και θειος ανθρωπος, ὡς λογος εν αιγυπτῳ θευθ τινα τουτον γενεσθαι λεγων· ὁς πρωτος τα φωνηεντα εν τῳ απειρῳ κατενοησεν, ουχ ἑν οντα, αλλα πλειω· και παλιν ἑτερα, φωνης μεν ου, φθογγου*

---

[7] Cum Gogueto *de l' origine des loix* part. 1, lib. 2. cap. *6.* et cum Debrosses apud Court de Gèbèlin *monde primitif* tom. *3.* pag. *395.* haec mihi est communis sententia, ante inventum alphabetum coeptum fuisse syllabas exprimere: at in ea re ab iis dissentire cogor, quod veram atque perfectam scripturam syllabicam ante alphabetum exstitisse putant, atque nationes nonnullas eo constitisse neque ultra progressas esse. Cum enim admodum sit difficile definire numerum ac naturam syllabarum sive sonorum compositorum, quos unaquaevis lingua complectitur, eos ipsos qui hoc tentaverunt, prius de labore abbreviando deque sonis compositis in simplices sonos dispescendis cogitasse existimo, quam opus illud perfecisse. Neque ullum novi populum vero syllabario usum. Quo enim utuntur hodierni Aethiopes, alphabetum est vocalibus litteris destitutum, ut sunt orientalium gentium alphabeta pleraque, nec aliud faciunt quam singulis characteribus adnectere lineolas quasdam ad vocalem sonum modificandum, eadem ratione qua Hebraei puncta adjicere solent. Indorum quoque et Tartarorum scriptura veris litteris constat, quas ipsi vel compendii gratia vel venustatis aut obscuritatis affectatione vario modo connectere solent, uti apud nostrates faciunt tachygraphi.

[8] Opp. tom. 2. pag. 18.

δε μετεχοντα τινος, αριθμον δε τινα και τουτων ειναι· τριτον δε ειδος γραμματων διεστησατο τα νυν λεγομενα αφωνα ἡμιν. το μετα τουτο διῃρει τα τε αφθογγα και αφωνα μεχρις ἑνος ἑκαστου, και τα φωνηεντα και τα μεσα κατα τον αυτον τροπον· ἑως αυτων αριθμον λαβων, ἑνι τε ἑκαστῳ και ξυμπασι στοιχειον επωνομασε. καθορων δε, ὡς ουδεις ἡμων ουδ᾽ αν ἑν αυτο καθ᾽ ἀυτο ανευ παντων αυτων μαθοι, τουτον τον δεσμον αυ λογισαμενος, ὡς οντα ἑνα, και ταυτα παντα ἑν πως ποιουντα, μιαν επ᾽ ουτοις ὡς ουσαν γραμματικην τεχνην επεφθεγξατο προσειπων. „ Postquam infinitam vocem cogitatione comprehendit, sive deus aliquis sive homo divinus, qualis apud Aegyptios Theuth quidam fuisse fertur, qui primas in ipsa vocis infinitate vocales litteras consideravit, quod non una sed plures sunt: rursusque alias, quae non vocis sed soni participes essent, atque harum numerum certum similiter definivit: tertiam deinde speciem litterarum distinxit, earum quas nunc mutas vocamus. Postremo soni expertes mutasque discrevit, usque singulas quasque, vocalesque et medias eodem modo: donec earum numero in singulis speciebus et in universis reperto, elementa vocavit. Cumque videret neminem nostrum quicquam horum seorsim percepturum, nisi universa percepisset, hoc velut vinculum, unum quoddam existens, et in unum dispersa redigens meditatus, quam unam in his esse artem grammaticen animadvertit, eo nomine appellavit „. Deque eadem re alium mythum profert in Phaedro [9]: ηκουσα τοινυν περι ναυκρατιν της αιγυπτου γενεσθαι των εκει παλαιων τινα θεων, ὁυ και το ορνεον, το ἱερον, ὁ δη καλουσιν ιβιν· αυτῳ δε ονομα τῳ δαιμονι ειναι θευθ. τουτον δε πρωτον αριθμον τε και λογισμον ἑυρειν και γεωμετριαν και αστρονομιαν, ετι δε πεττειας τε και κυβειας, και δη και γραμματα. βασιλεως δ᾽ αυ τοτε οντος αιγυπτου ὁλης θαμου, περι την μεγαλην πολιν του ανω τοπου, ἡν οἱ ἑλληνες αιγυπτιας θηβας καλουσι, και τον θεον αμμωνα. παρα τουτον ελθων ὁ θευθ τας τεχνας επεδειξε, και εφη δειν διαδοθηναι τοις αλλοις αιγυπτιοις. ὁ δε ηρετο ἡντινα ἑκαστη εχει ωφελειαν, διεξιοντος δε, ὁ τι καλως η μη καλως δοκει λεγειν, το μεν εψεγε το δε επηνει. πολλα μεν δη περι ἑκαστης της τεχνης επ᾽ αμφοτερα θαμουν τῳ θευθ λεγεται αποφηνασθαι, ἁ λογος πολυς αν ειη διελθειν. επειδη δε επι τοις γραμμασιν ην, τουτο δε ω βασιλευ το μαθημα, εφη ὁ θευθ, σοφωτερους αιγυπτιους και μνημονικωτερους παρεξει· μνημης τε γαρ και σοφιας φαρμακον ἑυρεθη. ὁ δ᾽ ειπεν, ω τεχνικωτατε θευθ, αλλος μεν τεκειν δυνατος τα της τεχνης, αλλος δε κριναι τιν᾽ εχει μοιραν βλαβης τε και ωφελειας τοις μελλουσι χρησθαι. και νυν συ πατηρ ων γραμματων, δι᾽ ευνοιαν τουναντιον ειπες η δυναται. τουτο γαρ των μαθοντων ληθην μεν εν ψυχαις παρεξει μνημης αμελετησιᾳ, ἁτε δια πιστιν γραφης εξωθεν υπ᾽ αλλοτριων τυπων, ουκ ενδοθεν αυτους υφ᾽ ἀυτων αναμιμνησκομενους. ουκουν μνημης, αλλ᾽ υπομνησεως φαρμακον ἑυρες· σοφιας δε τοις μαθηταις δοξαν, ουκ αληθειαν ποριζεις. πολυηκοοι γαρ σοι γενομενοι ανευ διδαχης, πολυγνωμονες ειναι δοξουσιν, αγνωμονες ὡς επι το πληθος οντες, και χαλεποι ξυνειναι, δοξοσοφοι γεγονοτες αντι σοφων. „ Audivi equidem circa Naucratin Aegypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit avis quam ibin vocant, daemoni autem ipsi nomen Theuth. Hunc primum omnium numerum et computationem invenisse, geometriamque et astronomiam, talorum rursus alearumque ludos, et litteras utique. Erat tunc totius Aegypti rex Thamus in magna il-

[9] Opp. tom. 3. pag. 274.

„ la superioris regionis civitate, quam Aegyptias Thebas Graeci appellant, deumque Ammona vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstravit suas, dixitque eas distribui deinceps Aegyptiis caeteris oportere. Verum ille quae cujusque utilitas foret, interrogavit: et ipso referente, quod bene videbatur dictum, probabat, quod contra, vituperabat. Multa itaque de qualibet arte in utramque partem Thamus fertur Theutho ostendisse, quorum singula si enarrare pergamus, prolixior erit oratio. Cum vero ad litteras descendissent, disciplina haec, inquit Theuth, o rex, sapientiores et memoria promptiores Aegyptios faciet: memoriae namque et sapientiae remedium id est inventum. At ille, o artificiosissime Theuth, inquit, alius quidem ad artis opera fabricanda idoneus est, alius ad judicandum promptior, quid emolumenti damnive sint utentibus allatura. Atqui et tu litterarum pater propter benevolentiam contrarium quam efficere valeant affirmasti. Nam illarum usus propter recordationis negligentiam oblivionem in animo discentium pariet: quippe qui externis litterarum confisi monumentis, res ipsas intus animo non revolvent. Quamobrem non memoriae sed monitionis remedium invenisti: sapientiae quoque opinionem potius quam veritatem discipulis tradis. Nam cum multa absque doctrina perlegerint multarum rerum periti videbuntur, cum ob ipsam illam multitudinem ignari sint, consuetudine quoque molestiores, utpote qui sapientia ipsa non sint praediti, sed opinione sapientiae subornati „.

Hoc modo litterarum inventionem per gradus perfectam videmus, ex analogia reliquarum rerum quae ad maturitatem perducuntur sensim; et intelligimus singulos passus per quos a pictura, quae apud rudes gentes cogitatis declarandis inservit, ventum sit ad alphabetum, nobilissimum humanae mentis opificium, inque singulis passibus modum rationemque perspicimus. Quo tempore id factum sit, prorsus ignoratur: ante Mosis aetatem evenisse, qui divinam legem vulgaribus litteris omnibusque cognitis exaravit, e sacris paginis constat: apud solos vero Aegyptios fieri potuisse, ideo existimo, quod nullam aliam gentem invenio hieroglyphica methodo usam. Iidem invento vulgari scribendi modo, elegantiae mysteriique gratia superaddiderunt methodum hieraticam, servata syllabicarum notarum parte, reliquisque litteris accentuum discrimine multiplicatis [10].

---

[10] Vide quae de hieraticis litteris Aegyptiorum adnotavimus supra p. 425. 432. 435. 501. Hodie apud Indos maxime hujusmodi obtinent sacra alphabeta, in ulteriori penisula Pali, ab iis qui circa Gangis ostia habitant et in citeriori peninsula, Samscrit dicta. V. Laloubere *roy. du Siam* tom. 2. pag. 92. Mantegat. alph. Barman. p. 14. P. Paulini a S. Barth. gramm. Samscrdam. p. 1. sqq. ejusd. codd. Ind. mus. Borg. p. 1. 15. Sed et reliquae per Asiam gentes, Syri inprimis et Armeni, alio alphabeto utuntur in libris ritualibus, alio ad vulgarem scriptionem, quae quidem alphabeta figuris tantum litterarum differunt, non numero aut potestate. Ac Europaei pariter in variis scriptionum generibus diversas characterum formas adhibere solent, ab una quidem eademque origine promanantes, admodum tamen inter se dissimiles. Hujusmodi itaque litterarum discrimina, lege aut consuetudine sancita, non apud solos Aegyptios sed et apud alios antiquos populos observata fuisse, omnino credibile est: verum scriptores non invenio qui hujus rei meminerint, nec monumenta ex quibus probari possit; nisi huc trahere velimus quod aucto apud Graecos litterarum numero, ac forma nonnullarum immutata, alphabetum ita instauratam tardius in publicis monumentis adhibitum sit quam in privatis, praesertim quod Athenienses non ante olympiadem 95 in publicis scriptionibus novum admiserint alphabetum. Harpocrat. v. *αττικοις γραμμασιν*. Chron. Euseb. an. 1617. Chandler. inscript. in Asia min. et Graec. praesertim Athenis coll. part. 2. num. 1. — 28. Ex eo

Nec desunt veteres scriptores, quibus aeque ac nobis persuasum fuit, litteras ortum traxisse ex Aegypto, sive vetustam aliquam traditionem secuti, sive quod hieroglyphicam methodum agnoverint alphabeticae scripturae parentem. De Platone jam diximus. Tacitus in annalibus [11] adnotat, Aegyptios vindicare sibi litterarum inventionem, caeterum varias esse hac de re traditiones. „ Primi, inquit, per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant, et antiquissima monimenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur, et litterarum semet inventores perhibent. Inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tamquam reppererint quae acceperant. Quippe fama est, Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis ejus auctorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem, vel Linum Thebanum, et temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, sexdecim litterarum formas; mox alios, et praecipuum Simonidem, caeteras repperisse „. Citat et Plinius in naturali historia [12] antiquos auctores, qui litteras in Aegypto inventas affirmavere: „ Litteras semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius; alii apud Syros repertas volunt [13]: utique in Graeciam in-

---

enim Theodoreti loco quem affert Warburtonus §. 29. ad comprobandum Graecos habuisse sacrum quoddam alphabetum, nihil omnino argui posse existimo. Inquit nempe Theodoretus in genes. quaest. 16: *εν τοις ἑλληνικοις ναοις ιδιοι τινες ησαν χαρακτηρες γραμματων, ὁυς ἱερατικους προσηγορευον*; „ in Graecis templis proprii erant litterarum characteres, quos sacerdotales appellabant „. Verum *ἑλληνες* et *ἑλληνικα* patribus ecclesiae usurpantur pro gentibus quibuscunque ad antithesin *χριστιανων*: neque omnino hoc loco de alphabeto sermo esse videtur, sed de hieroglyphicis Aegyptiorum, quae a sequioris aevi scriptoribus interdum *ἱερατικα γραμματα* dicta fuisse supra monuimus pag. 432. Neque de sacris illis litteris in Meroe et in Babylone, de quibus scripsisse Democritum auctor est Laertius lib. 9. segm. 36: *εγραψε περι των εν βαβυλωνι και εν μεροη ἱερων γραμματων*: quid cujusve generis fuerint, aliquo modo constat. Potuerunt esse figurae hieroglyphicae, vel etiam scripta quaedam, non characterum sed argumenti ratione, sacra appellata. Quae vero de regiis Aethiopum characteribus, qui similes essent hieraticis litteris apud Aegyptios, scribit Heliodorus aethiop. lib. 4. pag. 174: *επελεγομεν την ταινιαν γραμμασιν αιθιοπικοις, ου δημοτικοις, αλλα βασιλικοις εστιγμενην, ἁ δη τοις αιγυπτιων ἱερατικοις καλουμενοις ὡμοιωνται*: parum faciunt pro re a caeteris scriptoribus ignorata.

[11] Lib. 11. cap. 14. Conf. Voss. de arte gramm. lib. 1. cap. 10.

[12] Lib. 7. cap. 56.

[13] Euseb. praep. evang. lib. 10. c. 5: *εισι όι συρους γραμματα επινοησαι λεγουσι πρωτους*. „ Sunt qui ajunt Syros omnium primos excogitasse litteras „ Clem. Alex. strom. lib. 1. c. 15. p. 362: *καδμος δε φοινιξ ὁ των γραμματων ἑλλησιν ἑυρετης, ὡς φησιν εφορος. ὁι δε φοινικας και συρους γραμματα επινοησαι πρωτους λεγουσιν*. Etiam Syriis litteris Semiramidem illam vetustissimam reginam usam fabulatur Ctesias apud Diodorum lib. 2. cap. 13. S. Gregor. Naz. or. 1. cont. Jul. p. 99: *ου φοινικων τα γραμματα, ὡς δε τινες αιγυπτιων, η των ετι σοφωτερων ἑβραιων*; „ Nonne sunt litterae Phoenicum inventum, sive ut aliis placet Aegyptiorum, aut sapientiorum adhuc Hebraeorum? „ Ad quae scholiastes: *πρωτους λεγουσι γραμματα τυπωσαι τους αιγυπτιους, επειτα συναγαγειν φοινικας, και ες ἑλλαδα κομισαι καδμον τα παλαια γραμματα ις'*. „ Primos ajunt Aegyptios litteras invenisse, postea Phoenices ordinasse, et Cadmum in Graeciam attulisse antiquas litteras 16. „. Sic quoque Nonnus Dionys. lib. 4. v. 259. inquit, Cadmum litteras in Aegypto didicisse, et Graecis denuo ordinatas communicasse:

αυταρ ἁπασῃ
ἑλλαδι φωνηεντα και ευφρονα δωρα κομιζων
γλωσσης οργανα τευξεν ὁμοθροα· συμφυεος δε
ἁρμονιης στοιχηδον ες αζυγα συζυγα μιξας
γραπτον ασιγητοιο τυπον τορνωσατο σιγης,
πατρια θεσπεσιης δεδαημενος οργια τεχνης,
αιγυπτιης σοφιης μεταναστιος· ημος αγηνωρ
μεμφιδος ευναετης ἑκατομπυλον ῳκισε θηβην·
και ζαθεων αρρητον αμελγομενος γαλα βιβλων,
χειρος οπισθοποροιο χαραγματα λοξα χαρασσων
εγραφεν αγκυλα κυκλα.

„ tulisse e Phoenice Cadmum, sedecim numero. — Anticlides in Aegypto invenisse quendam nomine Menona (*al.* Merona) tradit, quindecim annis ante Phoroneum antiquissimum Graeciae regem; idque monumentis adprobare conatur. E diverso Epigenes apud Babylonios DCCXX annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis auctor inprimis: qui minimum, Berosus et Critodemus, CCCCXC annorum [14]. Ex quo apparet, aeternum litterarum usum „. Cum Gellio, litteras in Aegypto a Mercurio repertas affirmante, faciunt Plutarchus in quaestionibus convivalibus [15]: *ἑρμης λεγεται θεων εν αιγυπτῳ γραμματα πρωτος ἑυρειν, διο και των γραμματων αιγυπτιοι πρωτον ιβιν γραφουσιν, ὡς ἑρμῃ προσηκουσαν*: et Diodorus bibliothecae libro primo [16]: *τιμασθαι δ' υπο του οσιριδος μαλιστα παντων τον ἑρμην, διαφορῳ φυσει κεχορηγημενον προς επινοιαν των δυναμενων ωφελησαι τον κοινον βιον. υπο γαρ τουτου πρωτον μεν την τε κοινην διαλεκτον διαρθρωθηναι, και πολλα των ανωνυμων τυχειν προσηγοριας, την τε ἑυρεσιν των γραμματων γενεσθαι. — καθολου δε τους περι τον οσιριν τουτον εχοντας ἱερογραμματεα, ἁπαντ' αυτῳ προσανακοινουσθαι, και μαλιστα χρησθαι τῃ τουτου συμβουλιᾳ.* „ Apud Osirin in maximo ante omnes honore positus fuit Hermes, eximia ingenii perspicacitate in excogitandis vitae humanae commodis instructus. Hic enim primus, ut ferunt, et communem loquelam articulatim distinxit, et multis rebus nomine destitutis nomen indidit, litterasque invenit. In universum Osiridi fuit loco hierogrammatei, cum quo omnia communicabat, et cujus maxime consilio utebatur „. Fuere et inter

---

Alia ratione utitur Eupolemus apud Eusebium praep. ev. lib. 9. cap. 26: *ευπολεμος παρα τῳ αλεξανδρῳ φησι μωσην πρωτον σοφον γενεσθαι, και γραμματα παραδȣναι τοις ιȣδαιοις πρωτον· παρα δε ιȣδαιων φοινικας παραλαβειν, παρα δε φοινικων ἑλληνας.* „ Eupolemus apud Alexandrum Polyhistorem inquit, Mosen primum exstitisse sapientem et litteras tradidisse Judaeis, a Judaeis autem Phoenices accepisse, a Phoenicibus Graecos „. Berosus in Babylonicis apud eundem Alexandrum tradit, Oen quendam sive Oannen, monstrum humano capite et piscis corpore, e mari rubro enatum, litteras aliaque inventa hominibus ostendisse. Syncell. chron. pag. 28. 38. Hellad. Besant. apud Phot. cod. 279. pag. 1594.

[14] Intelligenda esse annorum millia, jam ipsum suadet orationis institutum, contra quam censet Harduinus; confirmant etiam loca Ciceronis de divinat. lib. 1. cap. 19. „ Contemnamus Babylonios, et eos qui ex Caucaso coeli signa servantes, numeris et motibus stellarum cursus persequuntur: condemnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut imprudentiae, qui CCCCLXX millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent „: et lib. 2. cap. 46. „ Nam quod ajunt CCCC et LXX millia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicunque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt „. Moderatior quidem Berosus apud Syncellum pag. 14. annales Babyloniorum usque ad Alexandrum annorum circiter 150000 comprehendere ait. Sed mox ibid. p. 17. annorum colligit 432000. Simplicius autem comment. 46. in Aristol. lib. de coelo, Babyloniorum observationes annis circumscribit 1903: *δια το μηπω τας υπο καλλισθενȣς εκ βαβυλωνος πεμφθεισας παρατηρησεις αφικεσθαι εις την ἑλλαδα, τȣ αριστοτελȣς τοτε επισκηψαντος αυτῳ. ἁς τινας και διηγειται ο πορφυριος χιλιων ετων ειναι και εννεακοσιων τριων μεχρι των χρονων τȣ μακεδονος σωζομενας.*

[15] Lib. 9. num. 2. supra pag. 435. Conf. Aelian. de anim. hist. lib. 10. cap. 29. Mart. Capell. sat. lib. 2. pag. 42.

[16] Cap. 15. Confer infra §. 9. Mart. Capella satyr. lib. 3. pag. 49: „ Admoverat Latoides unam priori loco Mercurialium ministrarum, artem grammaticam, aetate longaevam, quae se in Memphide ortam rege adhuc Osire memorabat, diuque obtectam latibulis, ab ipso repertam educatamque Cyllenio. Gestabat inter alia ceram fago illitam et gallarum gummeosque commixtionem et Niloticae fruticis collemata „. Adde S. Cyrill. lib. 1. contr. Julian. pag. 30,

Graecos nonnulli qui hunc Mercurium Aegyptiarum litterarum inventorem e Graecia oriundum fabularentur, qua de re Cicero libro secundo de natura deorum [17]: „ Mercurius quintus quem colunt Pheneatae, qui et Argum dicitur interemisse, „ ob eamque causam Aegyptum profugisse, atque Aegyptiis leges et litteras tradi- „ disse. Hunc Aegyptii Thoth (*al.* Thoith) appellant, eodemque nomine anni „ primus mensis apud eos vocatur „. Alii, in quibus est Varro, litteras ab Iside repertas ajunt. S. Augustinus libro decimoctavo de civitate dei [18]: „ Aegyptii non „ multum ante annorum duo millia litteras magistra Iside didicerunt: non enim „ parvus auctor est in historia Varro, qui hoc prodidit „.

Eorum qui Phoenices prodidere alphabeti auctores, principes sunt Critias poeta elegiacus apud Athenaeum [19]:

φοινικες ἑυρον γραμματ᾽ αλεξιλογα:

„ Poenices invenerunt litteras sermonis adjutrices „: Mela libro primo de situ or-

---

[17] Cap. 22. Conf. Serv. ad aen. lib. 1. v. 297. lib. 4. v. 577. Arnob. contr. gent. lib. 4. p. 59. Scilicet id sibi arrogavit Graecorum vanitas, ut quae ab exteris tarde acceperant, jam antiquissimis temporibus ac memoriae tantum non prorsus oblitteratae apud se exstitisse, atque e Graecia ad exteros propagata denuo ad se redisse fabularentur. Primam huic ostentationi ansam praebuere mythi Aegyptii de Jo sive Luna, a Danao Argum delati, atque ibi nova veste donati, ut Jo sive Isis Aegyptia dea in Peloponneso nata videretur, et Cadmus Danausque e Graeca stirpe oriundi. Postea Plato in Timaeo, cujus verba sistimus supra pag. 35., Cecropiam deam ex Attica Sain migrasse dixit: et quae alia sunt hujusmodi. Qui vero hoc argumentum serio consilio tanquam veram historiam exponit, Diodorus est lib. 5. cap. 57: ακτις ἡλιου παις εκ ροδου εις την αιγυπτον απαρας εκτισε την ἡλιουπολιν ονομαζομενην, απο του πατρος θεμενος την προσηγοριαν. ὁι δ᾽ αιγυπτιοι εμαθον παρ᾽ αυτου τα περι την αστρολογιαν θεωρηματα. υστερον δε παρα τοις ἑλλησι γενομενου κατακλυσμου και δια την επομβριαν των πλειστων ανθρωπων απολομενων, ὁμοιως και τα δια των γραμματων υπομνηματα συνεβη φθαρηναι. δι᾽ ἡν αιτιαν ὁι αιγυπτιοι καιρον ευθετον λαβοντες εξιδιοποιησαντο τα περι την αστρολογιαν· και των ἑλληνων δια την αγνοιαν μηκετι των γραμματων αντιποιουμενων, ενισχυσαν ὡς αυτοι πρωτοι την των αστρων ἑυρεσιν εποιησαντο. ὁμοιως δε και αθηναιοι κτισαντες εν αιγυπτῳ πολιν την ονομαζομενην σαϊν, της ὁμοιας ετυχον αγνοιας δια τον κατακλυσμον. δι᾽ ἁς αιτιας πολλαις υστερον γενεαις καδμος ὁ αγηνορος εκ της φοινικης πρωτος υπεληφθη κομισαι γραμματα εις την ἑλλαδα· και απ᾽ εκεινου το λοιπον οἱ ἑλληνες εδοξαν αει τι προσευρισκειν περι των γραμματων, κοινης τινος αγνοιας κατεχουσης τους ἑλληνας. „ Actis Helii filius e „ Rhodo in Aegyptum profectus Heliopolin „ condidit, parentis nomine illi imposito. Et „ ab hoc Aegyptii astrologiae scientiam acce- „ perunt. Post cum in Graecia diluvio oppres- „ sa maxima pars hominum periisset, littera- „ rum monumentis simul deletis; hanc Ae- „ gyptii occasionem adepti, studium astrolo- „ giae sibi manciparunt: cumque Graeci per „ ignorantiam, litterarum culturam non am- „ plius sibi vindicarent, ipsos omnium pri- „ mos astrorum notitiam reperisse rumor in- „ valuit. Sic etiam Athenienses, licet Sain in „ Aegypto urbem condidissent, tamen eidem „ oblivionis errori diluvium obnoxios fecit. „ Quam ob causam post multa inde saecula, „ Cadmus Agenoris ex Phoenicia in Graeciam „ litteras attulisse creditur: et post hunc Grae- „ ci litterarum inventioni subinde adjecisse „ aliquid putantur, communi quadam igno- „ rantia eos impeditos tenente „. Hygin. fab. 277: „ Graecas litteras Mercurius in Aegyptum „ detulisse primus dicitur, ex Aegypto Cad- „ mus in Graeciam „.

[18] Cap. 40. Ibid. cap. 39: „ Neque enim „ quisquam dicere audebit, Aegyptios mirabi- „ lium disciplinarum peritissimos fuisse, ante- „ quam litteras nossent, i. e. antequam Isis eo „ venisset, easque ibi docuisset „. S. Isidor. orig. lib. 1. cap. 3. „ Aegyptiorum litteras Ysis „ regina, Inachi filia, de Graecia veniens in „ Aegyptum, reperit et Aegyptiis tradidit „. Etiam in epigrammate Anthologiae Latinae cl. 8. num. 4. inventio litterarum Aegyptiarum tribuitur Isidi.

[19] Dipnos. lib. 2. c. 22. pag. 28. Legitur idem versus apud Eustathium in Odyss. Ξ. pag. 1771.

bis [20] : „ Phoenices sollers hominum genus , et ad belli pacisque munia eximium , „ litteras et litterarum opera commenti „ : et Lucanus in pharsalicis [21] ;

Phoenices primi , famae si creditur , ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris .

Cujus opinionis ea origo est , quod vetustiores apud Graecos litterarum typi appellabantur Phoenicii , quodque ex Herodoti aliorumque sententia , Cadmus primas litteras e Phoenice in Graeciam attulisse credebatur . Herodotus libro quinto [22] : ὁι δε φοινικες ὁυτοι ὁι συν καδμῳ απικομενοι , των εσαν οἱ γεφυραιοι , (ὁυς υστερον αθηναιοι εδεξαντο) αλλα τε πολλα , οικησαντες ταυτην την χωρην , εσηγαγον διδασκαλια ες τους ἑλληνας , και δη και γραμματα , ουκ εοντα πριν ἑλλησι , ὡς εμοι δοκεειν . πρωτα μεν , τοισι και ἁπαντες χρεωνται φοινικες · μετα δε χρονου προβαινοντος , ἁμα τη φωνη μετεβαλον και τον ρυθμον των γραμματων . περιοικεον δε σφεας τα πολλα των χωρων τουτον τον χρονον ἑλληνες ιωνες · οἱ παραλαβοντες διδαχῃ παρα των φοινικων τα γραμματα, μεταρρυθμισαντες σφεων ολιγα , εχρεωντο . χρεωμενοι δε εφατισαν , ὡσπερ και το δικαιον εφερε , εσαγαγοντων φοινικων ες την ἑλλαδα , φοινικηια κεκλησθαι — . ιδον δε και αυτος καδμηια γραμματα εν τῳ ἱρῳ του απολλωνος του ισμηνιου εν θηβησι τησι βοιωτων , επι τριποσι τισι εγκεκολαμμενα, τα πολλα ὁμοια εοντα τοισι ιωνικοισι [23] .„ Phoenices isti qui „ cum Cadmo advenerunt , quorum Gephyraei fuere (quos postea receperunt „ Athenienses) , dum hanc regionem incolunt , cum alias multas doctrinas in „ Graeciam induxere , tum vero litteras , quae apud Graecos , ut mihi videtur , „ antea non fuerant . Et primas quidem illas , quibus omnes etiam Phoenices utuntur : sed progressu temporis , una cum sono mutaverunt et modum litterarum . „ Et cum ea tempestate in plerisque circa locis eorum accolae ex Graecis essent „ Jones , qui cum litteras a Phoenicibus discendo accepissent , earum illi pauca „ commutantes , in usu habuerunt : et utentes confessi sunt , ut aequitas ferebat , „ vocari Phoenicias , quod essent a Phoenicibus in Graeciam illatae . Vidi et ipse „ apud Thebas Boeotias in Ismenii Apollinis templo , litteras Cadmeas in tripodibus quibusdam incisas , magna ex parte consimiles Jonicis „ . Dionysius Mythologus apud Diodorum libro tertio [24] : παρ' ἑλλησι πρωτον ἑυρετην γενεσθαι λινον ρυθμων και μελους · ετι δε καδμου κομισαντος εκ φοινικης τα καλουμενα γραμματα , πρωτον εις την ʽελληνικην μεταθειναι διαλεκτον , και τας προσηγοριας ἑκαστῳ ταξαι , και τους χαρακτηρας διατυπωσαι . κοινῃ μεν ουν τα γραμματα φοινικια

---

[20] Lib. 1. c. 12. Etiam Plinius lib. 5. c. 12: Ipsa „ gens Phoenicum in gloria magna est inventionis litterarum „. Curt. de reb. Alex. l. 4. c. 4.

[21] Lib. 3. v. 221. Tatian. ad Graec. cap. 1: την δια γραμματων παιδειαν φοινικες εξευρον . Theodoret. adv. Graec. lib. 1. pag. 467. τα γραμματα φοινικας ἑυρηκεναι λογοποιυσι ὁι ελληνες , και τον καδμον ταυτα πρωτον εις την ἑλλαδα κομισαι . „ Fabulantur Graeci Phoenices primas invenisse litteras , et Cadmum primum eas in „ Graeciam detulisse „ . Confer supra not. 13.

[22] Cap. 58.

[23] Cap. 59. , ubi et affert ipsa epigrammata ab Amphitryone , Scaeo et Laodamante in tripodes incidi jussa : quibus quidem quae fides sit habenda , nondum convenit inter eruditos. Conf. Aristot. de mirab. auscult. opp. tom. 1. p. 1164. Plin. lib. 7. cap. 58. Paus. lib. 5. cap. 17.

[24] Cap. 66. Conf. Suid. v. λινος χαλκιδευς . Zenob. adag. cent. 4. num. 45. Plutarch. quaest. conviv. lib. 9. num. 2. opp. tom. 2. pag. 738. Timon. Sillogr. apud Sext. Empir. adv. Mathem. lib. 1. c. 2. p. 11. Ephor. apud Clem. Al. strom. lib. 1. cap. 16. pag. 362. aliosque .

κληθηναι, δια το παρα τους ἑλληνας εκ φοινικων μετενεχθηναι, ιδιᾳ δε των πελασγων πρωτων χρησαμενων τοις μεταθεισι χαρακτηρσι, πελασγικα προσαγορευθηναι. — τον δ' ουν λινον φασι τοις πελασγικοις γραμμασι συνταξαμενον τας του πρωτου διονυσου πραξεις και τας αλλας μυθολογιας, ἀπολειπειν εν τοις υπομνημασιν. „ Linum Graecorum primum rhythmos et melodiam invenisse : etiam cum „ Cadmus litteras quae vocantur e Phoenice in Graeciam apportasset, primum ad „ Graecorum pronunciationem transtulisse, suumque cuique nomen attribuisse et „ characterem effinxisse. Hinc litteras communi vocabulo Phoenicias denominatas, quod videlicet Graecis e Phoenice essent allatae : specialiter autem Pelasgicas, quoniam Pelasgi primi usi sint characteribus illis translatis. Linum itaque ajunt litteris Pelasgicis discripsisse primi illius Bacchi gesta caeterasque „ mythologias, atque in commentariis reliquisse „. Sed neque hac in re constans sibi traditio : nec certa aliqua ratione affirmari posse existimo, Cadmum primum Graeciae attulisse litteras. Nam praeter quod omnia quae de eo feruntur fabulis sint involuta, pars inde natis, quod Cadmus unum sit ex nominibus Mercurii, alii veterum Cecropem Aegyptium [25], alii Orpheum Thracem [26], alii Palamedem Argivum [27], Graecarum litterarum inventores celebrant : ut Promethea [28] taceam et Mercurium, et Musas Cretenses [29]. Quod vero pro certo colligere est e locis Herodoti et Diodori modo adductis, vetustorum in Graecia monumentorum characteres, qui et figura essent incomptiores sive obtusiores ac orientalium gentium litteris similiores, et numero angustiores, quam qui postea obtinuere apud Graecos, modo Phoenicios dictos fuisse, modo Pelasgicos, modo Jonicos, sive, ut Harpocration adnotat, Atticos [30] : id nec Phoeniciam eorum originem evincit, neque excludit Aegyptiam. Cum enim utriusque gentis litterae inter se essent affines, frequentius autem Graecis commercium esset cum Phoenicibus quam cum

---

[25] Tacit. annal. lib. 11. cap. 14. supra adductus pag. 556. Conf. Plutarch. de gen. Socrat. supra pag. 456.

[26] Alcidamas declam. contra Palamed. p. 186.

[27] Gorgias declam. pro Palamed. pag. 190. Euripides fragm. e Palamede. Tzetzes chil. 5. v. 804.

[28] Aeschylus in Prometh. vinct. v. 459,

[29] Diodor. lib. 5. cap. 72: *φασι κρητες τες φοινικας εκ εξ αρχης ἑυρειν τα γραμματα, αλλα τες τυπες των παρ' αυτων υπο μεσων ἑυρημενων γραμματων μεταθειναι και παραδεναι υσερον τοις ἑλλησιν.* „ Cretenses ajunt, Phoenices non ab initio invenisse litteras, sed figuras litterarum apud „ se a Musis inventarum immutasse et postea „ tradidisse Graecis „.

[30] Demosthenes contra Neaeram pag. 873: *και τετον τον νομον γραψαντες εν σηλη λιθινη εσησαν εν τῳ ἱερῳ τε διονυσε παρα τον βωμον εν λιμναις. και ἁυτη ἡ σηλη ετι και νυν ἑσηκεν, αμυδροις γραμμασιν αττικοις δηλεσα τα γεγραμμενα.* „ Et nunc legem inscribentes cippo lapideo, collocarunt in templo Bacchi in Limnis „ juxta aram. Qui et ipse nunc ibi stat, obscuris litteris Atticis ostendens quae scripta „ sunt „. Ad quae Harpocrat. v. *αττικοις γραμμασιν· αντι τε παλαιοις. την γαρ των κδ' σοιχειων γραμματειαν οψε ποτε παρα τοις ιωσιν ἑυρεθηναι. θεοπομπος δε εν τῃ κε' των φιλιππικων εσκευωρησθαι λεγει τας προς τον βαρβαρον συνθηκας, ἁς εκ αττικοις γραμμασιν εσηλιτευσθαι, αλλα τοις των ιωνων.* „ Atticis litteris i. e. antiquis : namque tarde ab Jonibus inventam „ esse scriptionem 24 elementorum. Theo„ pompus inquit, foedera cum rege Persarum „ servari cippo inscripta, non Atticis qui„ dem litteris sed iis quibus utuntur Jones „. Conf. Pausan. lib. 1. cap. 2. Chron. Euseb. ad an. 1617. Hesych. v. *αττικα γραμματα*. Itaque Herodotus intelligendus est de Jonibus in Europa i. e. de Atticis, Theopompus vero de Jonibus in Asia, qui maturius in publicum usum receperunt auctius alphabetum. Secundum Hesychium v. *σαμιων ὁ δημος*, primi Samii Graecis tradiderunt alphabetum Jonicum litterarum 24, Athenienses autem receperunt Euclide archonte.

Aegyptiis, jam haec causa esse potuit, ut vetustás apud se et desuetas litteras potius Phoenicias appellarent: fere ut nos a gente incultis moribus famosa, cum in aedificando tum in litteris pingendis barbariem, Gothicam dicere consuevimus, quamquam nec architecturam illam neç illas litterarum formas Gothi introduxere.

§. IX.

Nos quidem hac in re auctoritati non multum tribuere, supra advertimus: attamen dum alphabetum in Aegypto natum asserimus, jucundum visum est declarare quid de eo senserint veteres auctores, neque omittendum est dicere de hodiernis, qui eam sententiam vel tueri vel oppugnare instituerunt. In his maxime favent nostris rationibus Warburtonus et Deguignius, quorum prior alphabetum quidem in Aegypto inventum censet atque ex hieroglyphicis ortum, in hoc vero a nobis dissentit, quod ex characteribus hieroglyphicis natum putet id notarum genus quo hodie utuntur Sinenses, ex hoc vero litteras alphabeticas. Ait enim hieroglyphicos characteres ex parte affines esse picturis Mexicanorum, ex parte notis Sinensium; has vero, cum ab hieroglyphicis sint derivatae, natura sua litteris ita esse vicinas, ut alphabeto invento non aliud fiat quam typorum numerus diminui [1]. Habuisse autem Aegyptios praeter hieroglyphica proprie sic dicta, inque obeliscis et aliis hujus generis monumentis obvia, scripturam zoographicam symbolicam, qua in libris maxime usi sint hierogrammates, cujusque typos compendii gratia sensim eo reduxerint ut demum plane similes fierent characteribus Sinicis, atque in iis exarandis non amplius de ipsa figura cogitarent notarii, nec de symbolica affinitate eam inter et rem significandam, sed solummodo de re quae ea figura indicabatur [2]. Inde Hermetem illum Aegyptium, Osiridis regis a secretis, cum et remedium quaereret obscuritatis ac ambiguitatis quae conjunctae sunt cum omni hieroglyphica scribendi ratione, et modum quo res ad imperium spectantes caelaret a reliquis Aegyptiis, quibus tunc temporis familiares erant notae hieroglyphicae, excogitasse scripturam alphabeticam, dictam epistolographicam [3]. Quae postea cum vulgo innotuisset, adornasse sacerdotes mysterii gratia novum alphabetum, dictum hieraticum sive hierogrammaticum, Herodoto memoratum sub sacrarum litterarum nomine [4]. Vulgare autem Aegyptiorum alphabetum id esse, quod sedecim litteris constans ex Aegypto in Graeciam deportavit Cadmus: atque ex hoc Mosen formasse alphabetum Hebraicum, figuris immutatis ne similes essent animalibus, et sex adjectis novis litteris [5]. Haec fere Warburtonus, cui quae maxime adversari videntur, paucis exponam. Aegyptios habuisse characterum genus Sinicis notis natura sua simile, probari non potest: dum Florentinus obeliscus, quo documento utitur, vulgaribus hieroglyphicis inscalptus sit, ruditer quidem exaratis [6]; Alexandrini autem obelisci, de quibus obiter affirmat Hundingtonus, figuras in eis incisas accedere ad Sinicarum notarum speciem [7], scalpturae modo

---

[1] *Essay sur les hiérogl.* §. 4. 5.
[2] Ibid. §. 26.
[3] Ibid. §. 27.
[4] Ibid. §. 28.
[5] Ibid. §. 31.

[6] Vide supra pag. 84. 85. 488.
[7] *Account of the porphyry pillars in Egypt*, in *Philos. transact* num. 161. pag. 624., et in Ray's *collect. of voyages* 1693. apud Warburt. §. 26: *The Franks call these pillars aguglias*,

nihil differant a reliquis obeliscis [8]. Neque illud satis constat, Sinensium characteres ortum trahere ab hieroglyphicis. Nam schemata illa quae exhibet Kircherus [9] et quibus lexica sua ornare solent Sinenses, hieroglyphica non sunt, sed characteres aliqui zoomorphici, qui ad vulgares eorundem notas eodem plane modo se habent, atque alphabeta zoomorphica, quibus ornamenti gratia usi inveniuntur Armeni [10] aliique populi, ad vulgares ipsorum litteras [11]. Sed quaecunque sit Sinicorum characterum origo, litterae alphabeticae non propius ab iis absunt quam ab hieroglyphicis: e contrario nullam prorsus alphabeti inveniendi occasionem praebent characteres qui ex conventione tantum ideis exprimendis inserviunt, nulla vel rei figuratae vel soni ideae correspondentis ratione habita, cujusmodi saltem nunc sunt ii quibus utuntur Sinenses. Denique Warburtonus, cum Diodorum [12] secutus mythis ad historias traducendis intentum, alphabetum ab Aegyptii regis scriba inventum asserit, non litteras ex hieroglyphicis ortas demonstrat, nec modum attingit transeundi a characteribus qui ideas repraesentant ad eos qui sonos denotant, sed litterarum inventionem attribuit uni homini, qui singulari mentis vi instructus praeconceperit magnam eam utilitatem ex alphabeticis characteribus percipiendam, ideoque excogitare aggressus sit. Quae sententia et communi refragatur experientiae, nil saltu fieri, nec res vere novas humana providentia inveniri, sed casu adjuvante sensim provenire; et insimul omnia ea quae de hieroglyphicis ipse disputat, quantum spectat ad alphabeti inventionem, inutilia reddit. Nam aeque apud Mexicanos aut apud Graecos Phoenicesve exsistere potuit vir sive daemon aliquis, qui alphabeti utilitatem praeviderit, quam apud Sinenses aut Aegyptios,

Warburtoni vestigiis maximam partem insistens Deguignius [13], nonnulla correxit, quaedam exposuit uberius, multa autem addidit quae nobis ingeniosius dicta videntur, quam verius. Enim vero amplexus Kircheri [14] opinionem, Sinenses esse Aegyptiorum coloniam, ex Sinicorum characterum indole explicandam putat hieroglyphicae scripturae naturam, imo viam parari posse ad ipsas notas hieroglyphicas interpretandas. Hodiernam enim Sinensium scripturam natam docet ex antiquiori, quae simul complectebatur tres scribendi methodos Aegyptiis usitatas, hieroglyphicam, hieraticam, epistolographicam: testes adducens lexica Sinica, ubi hodiernis characteribus adscripti sunt alii vetustiores, qui figura sua eandem ac illi rem modo cyriologice modo symbolice significant, modo Phoeniciae Aegy-

---

and the English in particular Cleopatra's needles. — The hieroglyphic characters wherewith they are engraved, are probably the aboriginal Egyptian letters, long become obsolete, and they resemble the Chinese characters, each whereof represents a word or rather an entire sentence. Besides they seem to be written the same way, namely from top to bottom. Abutitur Warburtonus verbis Hundingtoni, qui non figurarum ratione characteres obeliscorum comparat cum Sinicis, sed tantum propter modum significandi.

8 Vide de iis supra pag. 93. sqq. 473.

9 Oedip. tom. 3. pag. 16. sqq. P. Martini hist.sin. pag. 23. Deguign. dissert. infra citand.

10 Vide Alphabetum Armenum editum Romae 1784. et Kirch. Oed. tom. 3. pag. 41. Alia hujusmodi alphabeta anthropomorphica, zoographica, ornithoidea, ichthyomorphica, anthophylloidea, habes in *Nouveau traité de diplomatique* tom. 2. tab. 19.

11 Ita quoque sentit Bayerus in museo Sinico, grammat. lib. 2. §. 3. pag. 94.

12 Lib. 1. cap. 15. supra pag. 557.

13 Dissertationibus duabus in *Mém. de l'acad. des inscript.* tom. 29. 34., quas indicavimus supra pag. 424. not. 1.

14 Oedip. tom. 3. pag. 11.

ptiaeve linguae sonos syllabice aut alphabetice exprimunt [15]. Eandem autem esse figuratae apud Aegyptios scripturae rationem, et inveniri inter notas hieroglyphicas, praeter typos cyriologicos atque symbolicos, alios qui alphabeticarum litterarum speciem referunt [16]. Inde, cum apud Aegyptios essent duo figuratae scriptionis modi, quadratus alter proprie dictus hieroglyphicus, integras figuras pingens cum aliqua delineationis accuratione, alter cursivus sive hierogrammaticus vel hieraticus, figuras plerumque adhibens abbreviatas et velut festinanter exaratas, huncce cursivum modum servasse Sinenses; reliquos autem populos alphabeticam scripturam mutuatos esse ab Aegyptiis [17]. Credibile enim esse primum alphabetum ab his fuisse inventum [18], sed cuicunque ex orientalibus populis tribuere velimus inventi alphabeti honorem, certe typos videri ex Aegyptiorum hieroglyphicis depromptos, dum veterum alphabetorum typi, Phoenicii, Hebraici, Aethiopici, et figura sua et nomine agnoscantur exsistentium rerum imagines compendiariae phonetica ratione translatae [19]. Posse autem Sinensium characteres magna ex parte dissolvi in litteras Phoenicias [20], quibus similes fuere Aegyptiorum litterae alphabeticae, ut colligitur ex Plutarcho qui primam Aegyptii alphabeti litteram ibin repraesentasse ait: nam Alef Phoenicium esse picturam abbreviatam ibidis volantis [21]. In his quae affirmat Deguignius, cum circa hieroglyphicorum naturam multa sint quae nostris rationibus refragentur, de iis supra dictum est [22]: ad Sinenses vero quod attinet, cognatio illa quam eos inter et Aegyptios, characterum indicio adducti asserunt Kircherus et Deguignius, omni deseritur historiae traditionisve subsidio, neque omnino, ubi spectes locorum distantiam et interjectas gentes marisque immensum fere tractum, credibilis videtur. Sed nec Sinica illa lexica documento esse possunt, quorum ne in ipsa quidem Sina magnam esse auctoritatem, arguere est ex Sinensium grammaticorum sententia de characterum suorum origine et vicissitudinibus: scilicet initio characteres ducentos quatuordecim arbitrarie compositos fuisse e sex lineis diverso modo exaratis, deinde primariorum

---

15 *Mém. de l' acad. des inscr.* tom. 29. p. 13. 16. tom. 34. pag. 5. 15. 21.

16 Ibid. tom. 29. pag. 23. tom. 34. pag. 3.

17 Ibid. tom. 34. pag. pag. 8. 35.

18 Ibid. tom. 29. pag. 12.

19 Ibid. tom. 29. pag. 5. 6. tom. 34. pag. 36.

20 Ibid. tom. 29. pag. 14. tom. 34. pag. 29.

21 Ibid. tom. 29. pag. 11. Plutarchi locum sistimus supra pag. 435. Nolim tamen cognationem inter Aegyptiorum Phoenicumque alphabeta affirmare ex auctoritate Plutarchi, qui cum dixisset primum apud Aegyptios elementum esse ibidem, statim subjungit, Alef, quae prima est littera Phoenicum, bovem significare: *καδμον φασι το αλφα παντων προταξαι, δια το φοινικας ούτω καλειν τον βουν, ου δευτερον ουδε τριτον, ώσπερ ήσιοδος, αλλα πρωτον τιθεσθαι των αναγκαιων*: quaest conv. lib. 9. num. 2. tom. 2. pag. 738. Cui accedit Hesych. v. *αλφα βοος κεφαλη*. Itaque si recte scripsit Plutarchus, aut diversae erant utriusque alphabeti litterae, aut differenti serie ordinatae, aut vero quod magis arridet, sed non facit pro Deguignii rationibus, litterarum nomina non proveniebant a primitiva figurarum significatione, sed serius adinventa fuerant a grammaticis. Conf. infra not. 24. Quae vero nunc in monumentis Phoeniciis conspiciuntur illius elementi figurae aeque bene assimilari possunt capiti bovino quam ibidi.

22 Pag. 427. not. 7. pag. 435. not. 41. pag. 456. Illud vero quod cum Kirchero Obel. Pamphil. pag. 134. asserit Deguignius *Mém.* tom. 34. pag. 3., reperiri inter Aegyptiorum hieroglyphica characteres aliquos alphabeticos, negare licet, donec vel ex veterum scriptorum testimoniis probetur vel e monumentorum evidentia. Inter aenigmaticas notas nonnullas fuisse phoneticas, ex Horapolline adstruxi supra p. 454., sed alphabetica elementa ex illarum analysi nata in hieroglyphicas inscriptiones unquam fuisse recepta, nullum idoneum documentum in medium adlatum reperio.

Eeee 2

illorum characterum modificatione et compositione sensim crevisse notarum numerum, ipsas vero notarum figuras progressu temporis varia ratione fuisse immutatas, ac recentiores ita distare a vetustioribus, ut quae harum adhuc occurrunt in inscriptionibus amplius non intelligantur [23]. Verumenimvero si e lexicis constaret, hodiernorum characterum loco olim adhibitas fuisse rerum figuras, qui talis nasci potuerit opinio et a grammaticorum coetu approbari, ego quidem non video: quin potius suspicor ipsos lexicographos signis illis adjectis non characterum qui hodie usu obtinent originem indicare voluisse, sed varias formas quibus pro lubitu usi sunt veteres calligraphi, praesertim cum maxima pars eorum signorum quae tanquam primitivos characteres affert Deguignius ejusdem naturae sint ac illa apud Kircherum, quae librariorum otia esse pro certo mihi habeo persuasum. At sint vetustissimae characterum formae illae quas hodiernis subjicere solent lexica, qua de re pronunciare meum non est, tamen facere non possum quin phoneticas interpretationes a Deguignio allatas ingenii lusus existimem, et Sinicos characteres aeque bene ad Germanicas aut Celtibericas voces exprimendas traduci posse rear quam ad Phoenicias Aegyptiasve. Caeterum alphabetorum antiquissimos characteres fuisse rerum figuras abbreviatas, cum Deguignio aliisque mihi quoque videtur vero quam simillimum: sed quae hodie noscuntur Phoenicum, Hebraeorum, Aethiopum litterae jam nimium recessere a primitiva figura, nomina autem quae ipsis imponuntur forsan a sequioribus grammaticis memoriae juvandae causa inventa fuerunt [24].

Sunt et scriptores nonnulli, qui ab eodem quo Warburtonus exorsi principio, primis hominibus pro litteris fuisse rerum imagines, et hanc esse omnis scripturae originem, deinde alphabeticos typos non casu nec arbitrio ex hieroglyphicorum numero fuisse adlectos, sed primitive ab earum rerum figuris, quae commu-

---

[23] Deguign. *Mém.* tom.34. pag.12. Duhalde *descript. de l'emp. de la Chine* tom.1. pag.272. Conf. Freret *écriture Chinoise tirée d' une lettre du P. du Mailla écrite en Chine* 1735. in calce libri: *Essay sur les hiérogl. de M. Warburton.* Gebelin *monde prim.* tom.3. pag.420.

[24] Non immerito Herm. Hugo in libro de prima scribendi origine cap. 3. eos ridet, qui in littera ב *beth* agnoscunt domus figuram, in ג *ghimel* cameli, et sic porro, dum aequo jure quamcunque aliam rem in illis figuris latere dicere possis, exilis autem illa hujusmodi rerum umbra, quam in hodiernis Hebraeorum litteris apprehendisse sibi visi sunt plerique, prorsus evanescat, si inspexerimus vetustiores Phoeniciarum litterarum formas, cujusmodi videmus in *Nouveau traité de diplom,* tom.1. tab.7. apud Dutens *expliç. de médailles Grecques et Phéniciennes* diss.2. tab. 3. Barthélémy *explicat. d' un basrelief. Egypt.* in *Mém. de l'acad. des inscr.* tom. 32. pag. 729. aliosque. Initio non alia fuisse arbitror litterarum nomina quam ipsi illi soni quibus indicandis inservirent. Postea apud Phoenices grammaticos aliquos aut ludimagistros, cum pueros litteras docerent, coepisse unicuique litterae adjungere obviae cujusdam rei vocabulum, cujus recordatione adjuta ipsa littera facilius tenaciusque adhaereret memoriae; forsan et schemata publicasse, ubi litteris juxta adscripta essent hujusmodi vocabula, unde factum ut in publicam consuetudinem abiret litteras iis vocitare vocabulis. Postremo et Graecos grammaticos, incertum quo tempore, Phoenices in hoc esse imitatos, atque dum commodum existimarent ut cuivis litterae suum esset nomen proprium, maximam partem servasse nomina Phoenicia. In universum quam parum ad origines investigandas faciant litterarum nomina, luculentum exemplum praebent Runae, quas cum ex alphabeto Latino desumsissent septentrionales veteres, nomina ipsis imposuerunt Scandinavica a rebus quae sibi maxime erant obviae, a glacie, a grandine, similibusque. Worm. litterat. Runica pag. 83.

ni sermone maxime sunt necessariae, desumptos demonstrare aggressi sunt [25]. At vero cum adeo sit difficile definire quaenam illae res sint omnium maxime necessariae, litterarum autem qui hodie exstant typi quibuscunque fere rebus significandis aequo jure adaptari possint, in diversissima abiere, nec multum profecisse videntur. In his Gebelinus [26], qui primitivum alphabetum a Chaldaeis concinnatum asserit e sexdecim litteris sive figuris hieroglyphicis, quibus ante gentium dispersionem utebantur homines ad turrim Babel aedificandam congregati. Id evenisse statim post dispersionem, nec plus quam sexdecim litteras fuisse assumptas, juxta numerum generationum quae sunt a protoplaste usque ad duces coloniarum a Senaar profectarum: quando quidem tunc temporis sermo constaret e paucis vocibus radicalibus, quae res exprimerent paucis illis figuris denotatas. Instituisse itaque Chaldaeos harum figurarum combinatione exprimere omnes voces ex primaevis illis derivatas aut postea adinventas [27]. Aegyptios autem et Sinenses post dispersionem perseverasse primaevas illas figuras adhibere ad res tantum, non ad sonos exprimendos, et successive auxisse figurarum, quibus utebantur, numerum. Postea vero a Chaldaeis accepisse Aegyptios litteras alphabeticas, Phoenicum ministerio, et sic reliquas gentes ad quas commercii causa commearent Phoenices [28]. Multa praeterea disserit circa primaevas litterarum figuras, earumque in hodiernis alphabetis vestigia, quibus immorari non vacat.

Inter eos qui damnavere Warburtoni sententiam, Dorignius [29] omnem negat inter hieroglyphicas notas, Sinicos characteres, picturam atque alphabetum cognationem, picturam a solis Americanis scripturae loco adhibitam asserens, hieroglyphica a solis Aegyptiis, characteres idearum non nisi a Sinis populisque conterminis, alphabetum denique initio a Syris sive Phoenicibus. Aegyptios hieroglyphicis cyriologicis uti coepisse annis fere bis mille ante aeram vulgarem [30], symbolicis vero atque arcanis post annos circiter sexcentos [31]. Eo enim tempore Sesostrin ab Asiatica expeditione reversum novorum colonorum innumerabilem multitudinem Aegypto intulisse, quo factum ut Aegyptii novis hominibus ex universa Asia collectis permixti avitae linguae usum veterumque hieroglyphicorum cognitionem perderent, inque horum locum sacerdotes notas substituerent symbolicas, quae theologiae aliisque scientiis sibi concreditis occultandis inservirent. Trismegistum autem, virum Phoenicium, quem Mercurium appellaverunt, quemque Sesostris epistolis suis praefecerat et secum adduxerat in Aegyptum, docuisse Aegyptios usum alphabeti, veteresque inscriptiones hieroglyphicas descripsisse litteris alphabeticis, Ammoneis dictis a civitate No-ammon in Delta, ac distribuisse in libros quadraginta duo. Aegyptios enim usque ad id temporis ignorasse scripturam alphabeticam, indicio esse Cecropem et Danaum, qui ex Aegypto in Graeciam profecti litteras non attulere, sed Cadmus Phoenix septem annis ante adventum Danai: Mosen autem litteras didicisse a Jethro in Madian Arabiae [32]. Ista

---

[25] Hujus classis scriptores nonnullos citatos habes apud Gébélin *monde prim.* tom.3. p.397; ubi alii quoque adducuntur, qui in cujusque litterae typis agnoscere sibi visi sunt figuram actumque organi cujus ope effertur. Quae omnia nobis nimium abesse videntur a probabilitatis specie, quam ut iis esset immorandum.

[26] *Monde primitif* tom.3. p.401. sqq.

[27] Ibid. pag.416.

[28] Ibid. pag. 424.

[29] *L' Egypte ancienne* tom.1. pag.281.

[30] Ibid. pag. 263.

[31] Ibid. p.288. 290. 341.

[32] Ibid. pag. 328.

quidem quam parum habeant firmitatis, nemo est quin videat: magis sunt attentione digna quae de alphabeto a Phoenicibus invento disputat [33]. Phoenices, ait, arithmeticam excogitavere et numerorum characteres, qui licet supputando solum inservirent, tamen occasionem praebuerunt advertendi, posse et alias res cogitatas exprimi characteribus. Vir postea exstitit qui mentis suae acie vidit, quod lingua exiguo tantum simplicium sonorum numero proferendo idonea esset, et hisce sonis singulis suum adsignavit characterem: quo vero novorum characterum inveniendorum laborem sublevaret, ad sonos significandos eosdem adhibuit characteres qui numerorum loco jam olim adhibebantur: nam Phoenices omni tempore iisdem characteribus pro alphabeti elementis et pro numerorum notis usi videntur. Ingeniosa haec sunt, et lubens iis subscriberem, si persuadere mihi possem, exstitisse uspiam qui animi impetu creasset alphabetum, atque si credibile putarem, primitivos numerorum characteres ejus fuisse indolis cujus sunt Phoenicum et reliquarum gentium alphabeta, videlicet ut singuli numeri singulis typis exprimerentur. At vero illud mihi videtur numeralium characterum genus antiquissimum, quo usi inveniuntur Americani veteresque populi plerique, quo et apud nos, ipsa natura magistra, utuntur homines ineruditi quicunque: ut repetita unitate indicentur reliqui numeri, usque dum repetitorum signorum copia compendium quaerere cogat. Unitatis autem nativa nota punctum est aut globulus aut lineola recta, quibus nil pingitur simplicius: ideoque Mexicanos ad numeros indicandos repetitis globulis usos videmus, idemque observamus in numis Italorum; Canadenses vero veteresque Graecos ac Romanos lineis perpendicularibus, quod et Aegyptii fecisse videntur, et apud nos plerumque faciunt qui numerorum notas usu receptas pingere nesciunt. Alphabeticos characteres ante ordinatum alphabetum pro numeris fuisse, nullum indicium ex historia neque e monumentis afferri potest. Neque a numeralibus notis, quae aeque ac caeteri idearum characteres ipsam rem cogitatam significant, facilius pergitur ad sonorum typos; quinimo difficilius, cum omnium sint simplicissimae et maxime abstractae, neque ullam opportunitatem praebeant animum advertendi ad significatae rei naturam et vocabulum. Sinicos autem characteres a numeris ortum trahere potuisse reor, ipsorumque Sinensium de inventis characteribus traditiones hujusmodi conjecturae subsidia ferre videntur [34]. Nam vero in eo plane assentio Dorignio, quod Sinicos characteres

---

33 Ibid. pag. *318*.

34 Vide Freret *écriture Chinoise* et Malepeines *écriture des Chinois* in calce libri: *Essay sur les hierogl. de M. Warburton* pag. 540. 550. Bayer mus. Sinic., gramm. lib. 2. §. 3. pag. *96*. Duhalde tom. 1. pag. 272. Ista quidem, quae a Sinicis hominibus profecta videntur, licet inter se pugnent, omnia tamen eo collimant, ut antiquissimos characteres arbitrario instituto rebus designandis ac velut enumerandis adjunctos prodant, posteriores ex his compositos. Praesertim illa characterum ratio, *Coua* dicta, quae continetur in libro *Y-king*, arithmeticum quid prae se ferre videtur. Quae vero ex epistola missionarii Pekinensis de Sinicorum characterum origine et vicissitudinibus affert Gébélin tom. 3. pag. 387., nimis sapiunt Europaeum ingenium, quam ut missionarium ea a Sinis accepisse putem. Sunt quidem inter characteres eorum nonnulli qui graphicum quid ostendere videntur, ut character *chao* unguis, character *tsao* herba, character *yu* pluvia, apud Bayerum mus. Sin. tom. 1. tab. 7. num. 7. *9*. 12., sed hos perpaucos esse, ex ipsis iis scriptoribus arguo qui Sinicos characteres a pictura natos affirmavere. Fieri autem potest, ut id scripturae genus, quo olim usi sunt Magi Persarum (conf. supra pag. 552. not. 5.) et quo hodie utuntur Sinenses, ea ratione ortum sit quam exponit Shukfordus *histoire du monde sacrée et*

prorsus separet ab Aegyptiis : et affinitatem illam , quam illusoria quadam similitudine adducti inter utrosque agnoscere solent viri docti , totum hoc argumentum obscurasse atque implicuisse arbitror . Quaecunque enim sit Sinicae scripturae origo , qua de re in hac gentis distantia et certorum monumentorum penuria nil certi affirmari posse videtur , hoc satis constat , hodiernos Sinas suis uti characteribus nulla ratione habita affinitatis signum inter ac significatum , contra quam fecere Aegyptii , qui in unoquoque signo inter hieroglyphica recepto significandi rationem demonstravere , atque in novis characteribus inveniendis indicandae rei vel figuram respexerunt , vel qualitates aut habitus , vel denique vocabulum . Itaque recte Tychsenius V. C. [35] ex Sinicis characteribus alphabetum oriri posse negat , adstipulante gentis historia , quae de alphabeticis litteris quaerendis nunquam cogitasse comperitur : at vero dum hoc extendit ad characteres Aegyptios , vulgari opinione seductus utriusque populi scripturam confundit .

Ea autem est Tychsenii sententia [36] , Aegyptios caruisse alphabeticarum litterarum usu , usque dum circa Psammetichi aetatem Phoenices , quos inter atque Aegyptios ab antiquissimis inde temporibus commercium fuit , litteras apud se ab hominum memoria usitatas Aegypto inferrent . Phoenices enim primos invenisse litteras , constare cum e veterum scriptorum consensu , tum e litterarum nominibus Phoeniciam originem profitentibus . De scriptoribus supra diximus: monuimus etiam nil certi colligi posse e singularum litterarum nominibus , quibus quo tempore aut qua occasione apud Syriae populos appellari coeperint , omnino ignoratur . Graecos tarde in usum recepisse Phoenicia illa elementorum nomina , jam inde argueret aliquis , quod Latini apud quos duravere vetustiores Graecarum litterarum figurae , nomina illa nunquam admiserint , sed in eo quoque antiquum morem servantes sola simplicium sonorum prolatione indicaverint litteras . E contrario alios novimus populos qui litteris a contermina gente sibi communicatis ex patria lingua nomina addidere , quibus nulla omnino cum litterarum figura affinitas . Sic veterum Scandinavorum grammatici litteris Latinis in usum receptis nominum loco adjunxere vocabula Scandinavica [37] : pariterque Phoenices litteris acceptis ab Aegyptiis imponere potuere nomina Phoenicia . Neque illud quod obji-

---

profane , *trad. de l'Angl.* tom. 1. pag. 236. , et rustici hominis in Anglia exemplo illustrat , qui cum scribere nesciret , lineis rectis , curvis , duplicatis , decussatis , caet. denotabat quascunque res , quarum meminisse sua intererat . Potest et fieri ut ad quantitates designandas hujusmodi simplicibus notis uterentur antiqui illi in superiori Asia philosophi , utque numerorum notas ad res exsistentes significandas traducerent , fere ut Pythagorei numerorum vocabulis ideas adumbrare instituerunt . Istiusmodi vero notae , sive reales sive numerales , cum initio ab exigua hominum societate ad usus suos inventae postea in vulgus fuissent diffusae ac progressu temporis augerentur , in novis notis componendis aut fingendis interdum etiam respici potuit ad significandae rei figuram . Sed quod supra monui , in universum arbitrariae illae notae natura sua minus sunt opportunae quam imitativae , et rudes homines hisce potius quam illis uti videmus ; quamobrem in scripturae originibus parum iis tribuere velim , Sinicasque notas ab imitativis derivare malim quam ab arbitrariis , quanquam hodie in Sinica scriptione pauca tantum supersint imitativae scriptionis vestigia , nec amplius singulorum characterum prototypa investigare detur , ipsi praeterea Sinenses de hujusmodi scripturae suae origine nihil compertum habeant , Persepolitani autem characteres , qui omnium proxime a Sinicis absunt , omnino appareant arbitrarii .

35 *Uber die buchstabenschrift der alten Aegyptier* in *Gotting. bibl. der alt. litt.* fasc. 6. pag. 42. 15.

36 Ibid. pag. 45. 50.

37 Vide supra pag. 562. not. 24.

cit Tychsenius, Phoenices usos inveniri elementis nonnullis quae in Aegyptiorum idiomate non occurrunt, impedimento est quominus Phoenicium alphabetum Aegyptiae originis fuisse putemus. Nam praeter quod simili argumento negari possit, Graecorum alphabetum derivandum esse a Phoenicio, aut a Latino Anglicum Hispanicumve hodiernum; nondum satis constat quot quibusve litteris constiterit antiquissimum alphabetum Phoenicium, neque ex Copticae linguae barbarie certa ratione colligi potest quae fuerit veteris alphabeti Aegyptii conditio. Opus saltem foret accurate novisse Graecarum litterarum sonum, quo tempore coeptum est Aegyptium sermonem Graecis litteris exprimere, quo intelligeremus qui soni tunc exstiterint in ore Aegyptio: quamquam nec illud sufficere, obvium documentum praebent Arabum aliarumque orientalium gentium vocabula nostratibus litteris picta, ex quibus qui judicium ferret de istarum gentium alphabetis procul sane a vero aberraret. Exstitisse in veteri Aegyptiorum alphabeto et γ et δ, credere faciunt hominum locorumque nomina Aegyptia, in quibus apud antiquiores scriptores utrumque elementum offendimus [38]: quod vero in Coptico sermone nulla sit eorundem utilitas inde forsan derivandum, quod jam circa Coptici alphabeti initia coeperint Graeci δ confundere cum τ, γ cum κ, uti hodie faciunt. Litteras autem a Phoenicibus inventas non ante Psammetichi aetatem Aegypto fuisse illatas, arguit Tychsenius e narratione Herodoti [39] de ducentis qua-

---

[38] Hujusmodi sunt in Genesi cap. 45. v. 10. alibique Gosen vel Gessen, Aegypti regio. Exod. cap. 14. v. 2. et Jerem. cap. 46. v. 14., *Migdol* vel *Magdalum*. Apud Herod. lib. 2. cap. 42. et alios passim *μενδης* oppidum. Apud Diod. lib. 1. cap. 47. 61. *οσυμανδυας* et *μενδης* reges. Apud Syncell. e Manethone, Eratosthene aliisque, pag. 60. 70. 73. 74. 91. 96. 101. 103. 104. 109. 147. *σεσογχωσις*, *μισφραγμουθωσις*, *τοιγαραμαχος*, *γνευρος*, *αγκουνιος*, *κογχαρις*, *σμενδης*, *διαβιης*, *αρχονδης*: et alia.

[39] Lib. 2. cap. 30: *απο δε ταυτης της πολιος (τη ουνομα εστι μεροη) πλεων, εν ισῳ χρονῳ αλλῳ ἥξεις ες τους αυτομολους, εν ὅσῳπερ εξ ελεφαντινης ηλθες ες την μητροπολιν την αιθιοπων. τοισι δε αυτομολοισι τουτοισι ουνομα εστι ασμαχ· δυναται δε τουτο το επος κατα την ἑλληνων γλωσσαν, οἱ εξ αριστερης χειρος παριστάμενοι βασιλεϊ. απεστησαν δε αὑται τεσσερες και εικοσι μυριαδες αιγυπτιων των μαχιμων ες τους αιθιοπας τουτους, δι' αιτιην τοιηνδε. επι ψαμμητιχου βασιλεος φυλακαι κατεστασαν εν τε ελεφαντινῃ πολι προς αιθιοπων, και εν δαφνῃσι τῃσι πηλουσιῃσι αλλη δε προς αραβιων και συρων, και εν μαρεῃ προς λιβυης αλλη. ετι δε επ' εμευ, και περσεων κατα ταυτα αἱ φυλακαι εχουσι, ὡς και επι ψαμμητιχου ησαν· και γαρ εν ελεφαντινῃ περσαι φρουρεουσι και εν δαφνῃσι. τους ων δη αιγυπτιους τρια ετεα φρουρησαντας απελυε ουδεις της φρουρης· οἱ δε βουλευσαμενοι και κοινῳ λογῳ χρησαμενοι, παντες απο του ψαμμητιχου αποσταντες ησαν ες αιθιοπιην. ψαμμητιχος δε πυθομενος, εδιωκε· ὡς δε κατελαβε, εδεετο πολλα λεγων και σφεας θεους πατρωους απολιπειν ουκ εα και τεκνα και γυναικας. των δε τινα λεγεται δειξαντα το αιδοιον ειπειν, ενθα αν τουτο ῃ, εσεσθαι αυτοισι ενθαυτα και τεκνα και γυναικας. ουτοι επει τε ες αιθιοπιην απικοντο, διδουσι σφεας αυτους τῳ αιθιοπων βασιλεϊ. ὁ δε σφεας τῳδε αντιδωρεεται. ησαν οἱ διαφοροι τινες γεγονοτες των αιθιοπων· τουτους εκελευε εξελοντας, την εκεινων γην οικεειν. τουτων δε εσοικισθεντων ες τους αιθιοπας, ἡμερωτεροι γεγονασι αιθιοπες, ηθεα μαθοντες αιγυπτια. μεχρι μεν νυν τεσσερων μηνων πλου και ὁδου, γινωσκεται ὁ νειλος, παρεξ του εν αιγυπτῳ ρευματος. ουτοι γαρ συμβαλλομενοι μηνες ἑυρισκονται αναισιμουμενοι εξ ελεφαντινης πορευομενῳ ες τους αυτομολους τουτους.* ,, A Meroe per alterum tantum temporis, quo ,, ad ipsam, quae est Aethiopum metropolis, ,, ex Elephantina pervenisti, navigando pervenies ad Automolos (sive transfugas) quibus nomen est Asmach: quod verbum Graeca lingua idem pollet, quod a sinistra manu ,, regi assistentes. Isti cum essent Aegyptii ,, bellatores, ducenta et quadraginta millia, ,, ad hos Aethiopas transiere hac de causa, ,, Sub rege Psammeticho fuerant in praesidiis ,, collocati, alii in urbe Elephantina versus ,, Aethiopas, et ad Daphnas Pelusias alii adversus Arabes et Syros, alii in Marea adversus Africam. Mea adhuc aetate etiam ,, per eadem loca Persarum praesidia locantur,

draginta millibus militum qui Psammeticho imperante in Aethiopiam secessisse feruntur, collata cum verbis Diodori [40], asserentis Aethiopes caruisse litteris alphabeticis. Inde quoque quod circa ea tempora Phoenicium alphabetum usu receptum esset in Aegypto, factum esse putat, quod post dodecarcharum imperium certior sit clariorque Aegypti historia, neque ut ante donec solis uterentur hieroglyphicis, fabularum tenebris obruta. Quod cum caput sit universae disputationis, nostrisque rationibus e diametro oppositum, attentius ad examen revocare opus est. Itaque quod ad veteris historiae fabulositatem attinet, quaero utrum Phoenicum Babyloniorumve historia, quos ab antiquo litteris usos esse omnes consentiunt, certior clariorque sit quam Aegyptia? Periere Babyloniorum Phoenicumque annales, periere et annales Aegyptii: non solum quos ipsi scripserant veteres hierogrammates, sed et ii quos ex vetustis monumentis concinnaverant Alexandrini. Quae de Aegyptiis nos scire existimamus, maximam partem accepimus a peregrinatoribus, quorum quae in gentium quas adiere historia tradenda accuratio esse soleat, exponere supervacaneum reor. Aegyptiorum operum magnificentia in admirationem rapti peregrinatores Graeci, de hac gente magis quam de reliquis miras fabulas congerere gestierunt: at vero e parcioribus notitiis quae de Asianis populis leguntur apud Herodotum aliosque, arguere est, horum populorum veterem historiam, aeque ac Graecorum Aegyptiorumque origines, fabulis fuisse refertam. Secessio autem illa vigintiquatuor myriadum, vereor ne et ipsa maxima saltem ex parte fabulis sit accensenda. Quicunque enim noverit naturam regionis quae Aegyptum et Axumam interjacet [41], vix sibi persuadebit, exercitum ducentorum quadraginta millium hominum unquam a Syene ad Axumam penetrare potuisse. Si vero putemus, milites Aegyptios Psammeticho infensos ita virtute et prudentia praeditos omnibusque rebus instructos fuisse, ut solitudines illas superare valerent, et ferocissimas gentes quae omni tempore Aethiopiam tenuere circa Axumam oppidum, primo impetu ex avitis sedibus detrudere: auditu sane mirabile est, Carum Jonumque satellitum formidine perculsos agmine facto fugisse e patria, quam a Psammeticho tyranno et a mercenariis vindicare, multo erat facilius quam interiorem Aethiopiam expugnare. Etiam seditionis causa quam affert Herodotus, praesidiorum fastidium, in fortibus praesertim viris,

---

„ quemadmodum sub rege Psammeticho erant. „ Cum igitur triennium Aegyptii in praesidio „ fuissent neque vices eorum alii exciperent, „ comuni usi consilio, a Psammeticho ad „ Aethiopiam sibi transeundum omnes putave„ runt. Quos, re audita, Psammetichus in„ secutus, et ubi est assecutus, multis verbis „ obsecrabat, dehortabaturque patrios deos ac „ liberos deserere. Ibi quidam illorum fertur „ ostenso veretro dixisse, ubicunque id esset, „ illic etiam sibi uxores et liberos fore. Hi po„ steaquam in Aethiopiam profecti sunt, sese „ Aethiopum regi tradiderunt: quos ille ita „ remuneratus est. Erant ei nonnulli Aethio„ pum dissidentes, quos cum sustulissent, ter„ ram illorum jussit istos incolere. Aethio„ pes, his colonis inter se collocatis, facti „ sunt mansuetiores, moribus Aegyptiacis im„ buti. Ad quatuor igitur mensium partim na„ vigationem partim iter, cognoscitur Nilus, „ praeter id quod fluit per Aegyptum. Tot „ enim menses computanti reperiuntur impen„ di ab eo qui ex Elephantina ad hos Automo„ los pergat „. Conf. Plutarch. de fug. tom.2. pag.601.

40 Lib.3. cap.3. supra pag.430.

41 Consule Krump, *reise nach Aethiopien* pag.219. sqq. Poncet *voyage en Ethiopie* in *Lettres édifiantes et curieuses des missions etrangéres de la comp. de Jésus*, fascic. 4. pag 254. sqq. Bruce *travels* tom. 4. pag.327. 548. sqq.

quorumque ea erat multitudo ut in tribus oppidis custodiendis non magnus labor esse posset, adeo incredibilis visa est sequioribus historicis, ut aliam substituendam duxerint depromptam ab etymologia vocabuli Axumae [42], quod locum denotat sinistrum: nempe Psammetichum in acie a sinistris collocasse Aegyptios, a dextris peregrinos [43]. Id fabulae veri inesse reor, fuisse Axumae veterem Aegyptiorum mercatorum coloniam, et in turbis civilibus, quo tempore dodecarchas intestinis dissensionibus debiles destrueret Psammetichus, militum Aegyptiorum aliquam cohortem per deserta illuc evasisse. Sed quicunque fuerint Axumenses illi Aegyptii, mores Aegyptios ab iis inter Aethiopes propagatos testatur Herodotus, unde Tychsenius arguit, quod si tunc Aegyptiis fuissent litterae alphabeticae, Aethiopes scribente Diodoro iis carere non potuissent. Cui argumento quae opponi possunt multa sunt; quod vero omnem vim ejus tollere videtur, hoc est. Scimus post Psammetichi tempora Aegyptios Aethiopesque mixtos habitasse circa Tachompso et Philen [44]: qui igitur factum ut Diodoro scribente nemo Aethiops litteras calleret? Sed non hoc dicere voluit Diodorus, e cujus verbis illud tantum colligitur, Aethiopum gentem nullas habuisse suas litteras alphabeticas, sed vulgo rerum figuris uti consuevisse pro litteris; quod obstaculo non est quominus eas Aethiopum tribus, quae vel circa catarractas habitabant cum Aegyptiis vel in Axumensi provincia, Aegyptiis litteris usas credamus. Tam late autem patet nomen Aethiopum, ut quae de Aethiopibus indistincte affirmant scriptores veteres, raro ad omnes eas gentes sint extendenda, sed videndum qui sint Aethiopes de quibus eo loco sermo esse possit. Diodorus hic loqui videtur de Meroënsibus, qui vetera instituta usque ad Ptolemaeorum tempora servavere; quamquam et horum nonnullos ante Diodori aetatem Graecas litteras didicisse, inde argueret aliquis, quod ipse [45] Ergamenem regem Meroës Graecis scientiis imbutum, Philadelpho Aegyptum tenente, veteres mores subvertisse narret. Neque hic de sui temporis hominibus quae ipse resciverat prodit Diodorus, sed antiquiorem auctorem describit, forte Hecataeum Abderitam. Caeterum ex Herodoti verbis non consequitur, Automolos Aegyptios omnia quecunque ipsi didice-

---

[42] Vide supra pag. 122. not. 4.

[43] Diodor. lib. 1. cap. 67: *δια δε των μισθοφορων κατορθωκως την βασιλειαν ὁ ψαμμητιχος, τετοις το λοιπον μαλις' ενεπιςευσε τα κατα την αρχην, και διετελεσε ξενοτροφων μεγαλας δυναμεις. στρατευσαντος δ' εις την συριαν αυτε, και κατα τας παραταξεις τες μεν μισθοφορες προτιμωντος, και τατποντος εις τα δεξια μερη, τες δ' εγχωριες ατιμοτερον αγοντος, και τον ευωνυμον τοπον απονεμοντος της φαλαγγος· οἱ μεν αιγυπτιοι δια την υβριν παροξυνθεντες, και γενομενοι το πληθος πλειους των εικοσι μυριαδων, απεςησαν, και προηγον επ' αιθιοπιας, κεκρικοτες ιδιαν χωραν ἑαυτοις κατακτασθαι. — κατελαβοντο μεν της αιθιοπιας την κρατιςην, κατακληρεχησαντες δε πολλην χωραν, εν ταυτη κατῳκησαν.* „Quod conductitio „ergo militum praesidio regnum vindicasset „Psammetichus, huic deinceps administrationis „negotia praecipue commisit, magnasque pe„regrinorum copias alere perrexit. Suscepta „dehinc in Syriam expeditione, cum externos „in acie praeferens in dextra collocaret parte, „popularibus vero neglectius habitis sinistrum „attribueret locum, Aegyptii hac indignitate „permoti plures quam 200000 deficiunt, et „novas occupare sedes Aethiopiam versus „iter intendunt. — Optimum Aethiopiae tra„ctum, agris longe lateque sortito divisis, ad „incolendum sibi vindicarunt„. Conf. Strab. lib. 1. 2. 16. 17. pag. 109. 179. 1115. 1134. Mel. lib. 3. c. 15. Agathem. de geograph. lib. 2. cap. 5. Plin. lib. 6. cap. 30. Ptolem. geogr. lib. 8. cap. 8. Heliod. aethiop. lib. 8. pag. 362. Steph. v. *ευωνυμιται* et *αυτομολοι*. Vopisc. in Aurelian. cap. 33. 41. Et auctores citatos supra pag. 121. not. 2.

[44] Herod. lib. 2. cap. 29. Strab. lib. 17. p. 1173.

[45] Lib. 3. cap. 6.

rant docuisse Aethiopes. „ Mansuetiores reddiderunt et Aegyptios mores iis communicaverunt „. Sic Americanae tribus multa didicerunt ab Europaeis atque in universum mansuetiores factae sunt, at litteras nondum adoptaverunt. Nihil igitur ex locis illis Herodoti ac Diodori elici posse reor, quod obstaret nostrae opinioni de Aegyptiis ab hominum memoria alphabeticis litteris usis.

CAPUT TERTIUM

De stelis Aegyptiis atque de obeliscis originem trahentibus a stelis.

§. I.

Reliquum est dicere de stelis Aegyptiis, quas cum tota hac de obeliscis disputatione arcte connexas esse, jam statim a limine monui. Scilicet Arabes scriptores, quos secuti sunt Kircherus [1] aliique, obeliscos ajunt esse easdem illas stelas sive columnas Hermeticas, in quibus Aegyptiorum scientias scriptas fuisse asserit Jamblichus, Pythagoramque et Platonem philosophiam suam ex illis hausisse. E diverso Pauwius [2] et recentiores plerique negant obeliscis aliquid commune esse cum stelis, existimantes in obeliscis formam praecipue esse spectandam, in stelis res inscriptas. Nostram vero sententiam jam supra declaravimus [3], stelarum vocabulo comprehendi obeliscos, sed eo pacto ut stele quemcunque significet cippum columnamve aut erectam tabulam, cui res suas inscripserint Aegyptii, obeliscorum autem nomine intelligi stelas quasdam lapideas quadrilateras, vel saltem ad quadratae trabis formam accedentes, et sensim coarctatas, quas altitudine spectabiles diis dono offerre atque in templis collocare consueverant. Quam cum hoc loco amplius accuratiusque exponere et confirmare instituamus, opus est nonnulla praefari de vocis illius significatione.

Stelarum vocabulum, cujus apud Graecos frequens usus est, modo columnam reddidere auctores Latini, modo pilam aut cippum aut tabulam, interdum vero ubi sermo esset de rebus Aegyptiis Graecam vocem retinuerunt, cum in sua lingua nullam invenirent quae illi omnino satisfaceret. Quid vero ea significatum voluerint Graeci Aegyptiarum rerum scriptores, colligitur ex modo quo eam adhibuerunt, ubi de Graecis rebus locuti sunt [4]. Nimirum qui aut informes lapides erigebantur pro monumentis, aut vero columnae seu pilae forma cylindrica, conica aut angulata, e lapide aut metallo, sive rudes sive litteris figurisve insignes, ista omnia stelas dixere veteres: ita tamen ut post primaevorum cipporum aetatem, qui rudes fuere et informes, ubi stelas invenimus absolute dictas plerumque intelligenda sint monumenta lapidea, non admodum grandia, proceriora ta-

[1] Obelisc. Pamphil. pag. 45. 47. 105. Obelisc. ex Isaei rud. effos. pag. 19.

[2] *Recherch. sur les Egypt.* tom. 2. pag. 72. 73.

[3] Pag. 128. 145, 151. 174. 175. 182.

[4] Quod stipites interdum palosve et metas in stadio στηλας dixere poetae, ad rem nostram non facit, quibus de monumentis tantum agitur; neque illud quod apud infimae Graecitatis scriptores nonnunquam στηλας invenimus pro statuis.

men quam lata, planis faciebus et epigrammate decora, cujusmodi apud Graecos cum in sepulcris, tum et praesertim in viis, confinibus, foris, dicasteriis et templis statui solebant, defunctorum memoriam, civitatum et clarorum virorum res gestas, damnatorum civium crimina, regionum terminos, foedera, leges, morum praecepta, deorum laudes, et vota suscepta solutave declarantia. De sepulcralibus stelis supra dictum est, pariterque de rudibus illis monumentis quibus ad quamcunque rem memoriae tradendam usi sunt prisci homines. Apud Graecos in horum locum successere stelae litteratae, crebro et anaglyphis decorae, aut quadrata Mercurii simulacra quae et ipsa non raro insigniebantur epigrammatis, regionum terminos itinerumque directiones demontrantibus, aut morum praecepta complectentibus sive alia quaecunque cum acumine et brevitate expressa. Quae enim ut omnibus ante oculos obversarentur cupiebant civitatum rectores, ea incidi curabant in simulacris Mercurii, quem ut communem omnium locorum genium in urbe agrisque et viis venerari consueverant [5]. Antiquissimi moris fuisse inscriptis stelis regionum limites dirimere, docemur a Strabone de columnis Herculis disputante [6]: *εθος παλαιον υπηρξε το τιθεσθαι τοιουτους ὁρους, καθαπερ οἱ ρηγινοι την στηλιδα εθεσαν την επι τῳ πορθμῳ κειμενην πυργιον τι, και ὁ του πελωρου λεγομενος πυργος αντικειται ταυτῃ τῃ στηλιδι· και οἱ φιλαινων λεγομενοι βωμοι κατα μεσην που την μεταξυ των συρτων γην. και επι τῳ ισθμῳ τῳ κορινθιακῳ μνημονευεται στηλη τις ἱδρυμενη προτερον, ἡν εστησαν κοινῃ ὁι την αττικην συν τῃ μεγαριδι κατασχοντες ιωνες, εξελαθεντες εκ της πελοποννησου, και οἱ κατασχοντες τον πελοποννησον. επεγραψαν επι μεν του προς τῃ μεγαριδι μερους, "ταδ' ουχι πελοποννησος αλλ' ιωνια"· εκ δε θατερου, "ταδ' εστι πελοποννησος ουκ ιωνια"* [7]. „ Vetusti moris fuit hujusmodi ponere limites, quemadmodum Rhegini columellae loco in freto turriculam posuerunt, cui opposita est turris Pelori: et Philaenorum arae in medio prope terrae quae est intra Syrtes. Et in isthmo Corinthiaco memoratur posita columna antiquitus, quam communi consilio collocaverunt Jones qui e Peloponneso pulsi Atticam et Megaridem occupaverunt, et qui Peloponnesum obtinuerunt: inscriptumque fuit in parte Megaridi obversa: *Non hic Peloponnesus, sed est Jonia*: et in altera parte: *Hic Peloponnesus est, non est Jonia* „. Memoratur et ab Herodoto [8] stele a Croeso erecta in Cydra oppido, cum epigrammate Phrygum Lydorumque terminos declarante: et quae alia sunt hujusmodi. Leges quoque in stelis exaratas adducunt oratores Attici, Andocides [9], Lysias [10], Demosthenes [11], quarum nonnullae Solone videntur antiquiores, pleraeque post ejus aetatem latae. Nam quas ipse novas leges tulit,

---

[5] Vide quae de Hermis supra disputavimus pag. 217. sqq.

[6] Lib. 3. pag. 259.

[7] Conf. Plutarch. in Theseo tom. 1. pag. 11. qui columnam illam a Theseo statutam tradit; et Eustath ad Iliad. N. pag. 954., apud quem epigrammata, rectius forsan, ita se habent: *ταδ' ου πελοποννησος αλλ' ιαονευς: ταδ' εστι πελοποννησος ουκ ιαονευς*. Columnam postea eversam fuisse a Doribus, qui Codro Athenis regnante Megaridem occupavere, auctor est Strabo lib. 9. pag. 602.

[8] Lib. 7. cap. 31.

[9] Orat. de myster. pag. 12: *ὁ νομος κελευει, ὁς εν τῃ στηλῃ εμπροσθεν του βουλευτηριου.* „ Jubet lex quae scripta est in pila ante curiam „. et ibid. pag. 15.

[10] Apolog. super caede Erat. pag. 94: *αναγνωθι δε μοι και τουτον τον νομον εκ της στηλης της εξ αρειου παγου.*

[11] Orat. in Neaeram pag. 873. supra pag. 573. not. 30.

eas scribendas curavit in tabulis ligneis, quas *κυρβεις* et *αξονας* appellant. Scholiastes Aristophanis [12]: *κυρβις ή σανις ενθα ησαν οί νομοι γεγραμμενοι. απολλοδωρος δε φησι πασαν δημοσιαν γραφην και νομους κυρβιν καλεισθαι· ότι οί παλαιοι λιθους ίσταντες το δοξαν ανεγραφον, όυς μεν απο της στασεως στηλας, κυρβεις δε απο της εις υψος αναβασεως, 'οιονει κορυφεις· υστερον δε ξυλα λελευκωμενα γραφοντες κυρβεις όμοιως εκαλεσαν αυτα.* „ Tabula in qua leges scriptae erant, Cyr„ bis dicitur. Apollodorus autem ait, omnem scripturam publicam et legem ita „ appellari, eo quod veteres placita sua lapidibus inscribebant, quos a stando „ stelas vocabant, a cuspide cyrbes, unde et postea cum lignis dealbatis ad hoc „ uti instituissent, eodem vocabulo ea appellavere „. Rarius apud Graecos leges invenimus in stelis aeneis, qui Romanorum mos fuit, in aeneis tabulis leges incidere et alia quaecunque ut servarentur reipublicae interesset: siquidem Capitolio in turbis Vitellianis incenso tria millia aenearum tabularum periisse feruntur [13]. Foedera et pacta frequenter occurrunt in stelis modo lapideis modo aeneis: ut celebres illae quinquaginta annorum induciae, de quibus Thucydides [14]: *σπονδας εποιησαντο αθηναιοι και λακεδαιμονιοι και οί ξυμμαχοι κατα ταδε, και ωμοσαν κατα πολεις. — ετη δε ειναι τας σπονδας πεντηκοντα αθηναιοις και τοις ξυμμαχοις τοις αθηναιων, και λακεδαιμονιοις και τοις ξυμμαχοις τοις λακεδαιμονιων, αδολους και αβλαβεις, και κατα γην και κατα θαλασσαν.— στηλας δε στησαι ολυμπιασι και πυθοι και ισθμῳ και εν αθηναις εν πολει και εν λακεδαιμονι εν αμυκλαιῳ.* „ Indu„ cias fecerunt Athenienses et Lacedaemonii et socii, istis conditionibus, et „ in singulis civitatibus jurejurando sanxerunt. — Esse inducias annos quinqua„ ginta Atheniensibus et Lacedaemoniis et utrorumque sociis, sinceras et innoxias, „ terra marique. — Et columnas statui Olympiae, et Pythone, et in Isthmo, et

---

[12] In Nub. v.447. Erant autem, si recte quidem intelligo veterum loca de hoc argumento, collecta a Meursio in Solone cap. 24., nec satis apte conciliata, velut cippi quidem lignei pentaëdri, quorum tria latera inscripta, reliqua duo, scilicet summum et infimum, axibus prominentibus munita, quorum ope subrecti starent intra coronides quadratas, ita ut circumagi possent, et modo unum modo alterum latus inscriptum oculis obverti. Vide inprimis Plutarch. in Solone tom. 1. pag.92: *ισχυν δε τοις νομοις πασιν εις έκατον ενιαυτους εδωκε, και κατεγραφησαν εις ξυλινους αξονας, εν πλαισιοις περιεχουσι στρεφομενους· ών ετι καθ' ήμας εν πρυτανειῳ λειψανα μικρα διεσωζετο· και προσηγορευθησαν, ώς αριστοτελης φησι, κυρβεις. και κρατινος ό κωμικος ειρηκε που· " προς του σολωνος και δρακοντος, οίσι νυν φρυγουσιν ηδη τας καχρυς ταις κυρβεσιν". ενιοι δε φασιν ιδιως, εν οίς ίερα και θυσιαι, κυρβεις, αξονας δε τους αλλους ωνομασθαι.* Et Arpocrat. v. *αξονες: οί σολωνος νομοι ξυλινοις ησαν αξοσι γεγραμμενοι. ησαν δε ώς φησι πολεμων εν τοις προς ερατοσθενην, τετραγωνοι το σχημα. διασωζονται δε εν τῳ πρυτανειῳ, γεγραμμενοι καθ' άπαντα τα μερη. ποιουσι δ' ενιοτε φαντασιαν τριγωνον, όταν επι το στενον κλιθωσι της γωνιας.*

[13] Sueton. in Vespas. cap. 8: „ Aerearum ta„ bularum tria millia, quae simul conflagrave„ rant (cum Capitolio) restituenda suscepit: „ undique investigatis exemplaribus, instrumen„ tum imperii pulcherrimum ac vetustissimum „ confecit, quo continebantur paene ab exordio „ urbis senatusconsulta, plebiscita de societa„ te et foedere ac privilegio cuicunque conces„ sis „. Conf. Polyb. lib.3. cap.26. Liv. lib.3. cap. 57. lib. 6. cap. 1. Macrob. saturn. lib. 1. cap.13. 14. De Graecis Libanius in descriptione templi Fortunae Antiochiae, in Allatii excerpt. Graec. Sophist. pag. 90: *και στηλαι χαλκαι κατα μεσον έστηκασιν εδαφος, εγκεκολαμμεναι τα της πολεως νομιμα.* „ Columnae aeneae po„ sitae sunt in medio pavimento, inscriptas „ habentes leges civitatis „.

[14] Lib. 5. cap.18. Narrat postea cap.57. bello renovato post annos decem, adjecisse Athenienses infra columnae inscriptionem, quod Lacedaemonii foedus essent transgressi. Conf. cap. 23. Pausan. lib.5. cap.23.

„ Athenis in arce , et Lacedaemone in Amyclaeo „ . Idem [15] de centum annorum foedere Athenienses inter Argivosque et Mantinenses refert , placuisse ut pactiones scriberentur ab Atheniensibus in columna lapidea in acropoli , pariterque ab Argivis in Apollinis templo in foro , a Mantinensibus in templo Jovis in foro ; ab omnibus vero in commune statueretur aenea columna Olympiae certamine instante : *τας δε ξυνθηκας , τας περι των σπονδων και των ὁρκων και της ξυμμαχιας , αναγραψαι εν στηλη λιθινη , αθηναιους μεν εν πολει , αργειους δε εν αγορα εν του απολλωνος τῳ ἱερῳ , μαντινεας δε εν του διος τῳ ἱερῳ εν τη αγορα · καταθεντων δε και ολυμπιασι στηλην χαλκην κοινη ολυμπιοις τοις νυνι* . Dionysius Halicarnassensis [16] , cum narrasset Servium Tullium aedificasse Dianium in Aventino , commune Latinorum templum , legesque sanxisse foederis et annui conventus , addit : *ἱνα δε μηδεις χρονος αυτους αφανιση , στηλην κατασκευασας χαλκην , εγραφεν εν ταυτη τα τε δοξαντα τοις συνεδροις και τας μετασχουσας της συνοδου πολεις . ἁυτη διεμεινεν ἡ στηλη μεχρι της εμης ἡλικιας εν τῳ της αρτεμιδος ἱερῳ κειμενη , γραμματων εχουσα χαρακτηρας ἑλληνικων , οἱς τοπαλαιον ἡ ἑλλας εχρατο* . „ Quae ne „ injuria temporis delerentur , aeneam columnam fecit ; in qua incidit concilii de- „ creta , et nomina populorum qui illi conventui interfuerant . Haec columna ad „ meam usque aetatem perduravit , in Dianae fano erecta , characteres Graeca- „ rum litterarum habens , quibus olim Graecia utebatur „ . Honorarias stelas a priscis Graecis in viventium honorem perraro statutas invenio , ut qui eos tantum hoc praemio dignos putarent qui per totum vitae spatium strenue se gessissent pro patria , aut vero pro ea pugnantes occubuissent : Lacedaemonii ne in sepulcris quidem viri nomen inscribi permiserunt nisi quis obiisset pro patria , nec mulieris nisi in sacerdotio vita functae [17] . Meminit Herodotus [18] stelae in foro Samiorum , undecim triremium praefectis positae , qui a reliqua classe ducibusque deserti , pugnam contra Persas soli sustinuerant , quamobrem Samiorum populus iis ut probis viris concessit , ut nomina ipsorum adjectis patrum nominibus in publico monumento scriberentur : *σαμιων νεες ἑνδεκα εμενον μουναι , αποπλωσαντων των στρατηγων , και εναυμαχεον . τουτων τοις τριηραρχοις το κοινον των σαμιων εδωκε δια τουτο εν στηλη αναγραφηναι πατροθεν ὡς ανδρασι αγαθοισι . εστι ἁυτη ἡ στηλη εν τη αγορα* . Commemoravimus et supra [19] e Pausania stelas , quibus cives in variis pugnis caesos florente republica honoraverant Athenienses . Secutarum aetatum adulationes hic non moramur , abunde notas e scriptoribus atque monumentis . Quos vero ob insigne delictum damnassent civitates , horum nomen crimenque in stelis inscribere consueverant : unde factum ut *στηλιτευειν* diceretur pro vituperare . Athenienses pulsis Pisistratidis in acropoli statuerunt stelen , tyrannorum scelus commonstrantem , cujus meminit Thucydices [20] : *ἡ στηλη περι της των τυραννων αδικιας ἡ εν τη αθηναιων ακροπολει σταθεισα* . Sic pariter Alcibiadis [21] et Diagorae [22] crimina stelis fuere incisa . Crebro et stelas invenimus in

---

[15] Lib.5. cap. 47. Memorantur et stelae foederum a Demosthene in orat. de Megalopolitis pag. 156.

[16] De antiqu. Rom. lib.4. cap. 26.

[17] Vide supra pag.355. not.36.

[18] Lib.6. cap.14.

[19] Pag.361. not.58.

[20] Lib.6. cap.55.

[21] Nepos in Alcib. cap. 4.

[22] Suid. v. *διαγορας ὁ μηλιος* aeneam stelen fuisse ait .

templis collocatas, in quibus vel beneficia memorabantur a diis accepta, vel deorum heroumve historiae, vel quae dona essent ipsis oblata aut pecuniae in templorum usum erogatae. Commemorat Athenaeus [23] stelen in acropoli Atheniensium, quae continebat recensionem donariorum: et Strabo [24] refert nonnullos pro famigeratis illis columnis Herculis accepisse duas pilas aeneas cubitorum octonûm Gadibus in templo Herculis, in quibus scripti erant sumptus in eo templo aedificando facti: *οἱ δε (ειναι φασι) τας εν τῳ ἡρακλειῳ τῳ εν γαδειροις χαλκας (στηλας) οκταπηχεις, εν ἁις αναγεγραπται το αναλωμα της κατασκευης του ἱερου*. Xenophon cum ab Asiatica expeditione redux agrum in Elide Dianae consecrasset cum luco et fano et simulacro cyparissino, ut ipse narrat [25], stelen posuit juxta fanum dedicationis titulo inscriptam: *και στηλη ἑστηκε παρα τον ναον γραμματα εχουσα·" ἱερος ὁ χωρος της αρτεμιδος· τον δε εχοντα και καρπουμενον, την μεν δεκατην καταθυειν ἑκαστου ετους, εκ δε του περιττου τον ναον επισκευαζειν· εαν δε τις μη ποιῃ ταυτα, τῃ θεῳ μελησει"*: „ Propter fanum pila erecta est, quae „ haec continet: *Fundus Dianae sacer: hoc qui possessor fruitur, quotannis consecrato decumam, de reliquo fanum sartum tectum conservato: si quis non fecerit, dea vindex esto* „. De stelis in templo Aesculapii quod Epidauri fuit, narrat Pausanias libro secundo [26]: *στηλαι δ᾽ εἱστηκεσαν εντος του περιβολου, το μεν αρχαιον και πλεονες, επ᾽ εμου δε ἑξ λοιπαι. ταυταις εγγεγραμμενα και ανδρων και γυναικων εστιν ονοματα, ακεσθεντων υπο του ασκληπιου· προσετι δε και νοσημα ὁ τι ἑκαστος ενοσησε, και ὁπως ιαθη. γεγραπται δε φωνῃ τῃ δωριδι. χωρις δε απο των αλλων εστιν αρχαια στηλη, ἱππους δε ἱππολυτον αναθειναι τῳ θεῳ φησιν εικοσι*. „ Pilae „ vero intra ambitum priscis temporibus multae steterunt, e quibus sex aetate „ mea reliquae. In iis virorum foeminarumque, qui a deo curati fuerunt nomina „ incisa sunt: morbus etiam quo quisque laborarat, et curationis ratio. Scripta „ autem sunt omnia Dorica lingua. Seorsum est ab aliis antiqua pila, quae testatur Hipolytum Aesculapio dicasse equos viginti „. Hymnum etiam a Pindaro compositum, et ad Jovem Ammonem in Libyam missum, in ejusdem templo incisum fuisse stelae triangulae, quae se scribente adhuc superstes erat, idem Pausanias auctor est [27]. Memorantur et ab Hesychio [28] stelae in quibus descripti erant fines Asiae, servaturque nunc Oxoniae stela lapidea, complectens Graecae historiae epochas praecipuas a Cecrope usque ad Lagidas [29].

§. II.

Haec breviter monenda erant de stelarum usu apud Graecos, ut cum iis comparemus quae de Aegyptiis stelis traduntur ab antiquis scriptoribus. In Aegy-

---

[23] Lib. 11. cap. 7. pag. 476. Antiquissimas quae supersunt inscriptiones ad donaria spectare, advertimus supra pag. 355. not. 35.

[24] Lib. 3. pag. 258.

[25] De expedit. Cyri lib. 5. cap. 3. num. 13.

[26] Cap. 27. pag. 173. Sic quoque Alexandriae in Serapeo servabantur curationum documenta, de quibus Aristides oratione in Serapidem opp. tom. 1. p. 55. *ὥστε περισπουδαστον ἡλιου φως τοις θεαταις εδειξεν, ὡν ἱεραι θηκαι ἱερων βιβλων απειρους αριθμους εχουσιν*.

[27] Lib. 9. cap. 16. supra pag. 46.

[28] V. *καμαροι· στηλαι εν αἱς αναγεγραπται ὁ περιορισμος της ασιας*.

[29] Exarata in Paro insula anno ante aeram vulgarem 264. Publici juris fecerunt una cum reliquis marmoribus Oxoniensibus, Seldenus an. 1628, Prideaux an. 1676, Maittaire 1732, Chandler 1763, et novissime Roberts libro cui titulus: Marmorum Oxoniensium inscriptiones Graecae ad Chandleri exemplar editae, Oxonii 1791. pag. 8. num. 25.

pto informe illud rudeque genus quo caeteras fere gentes olim usas videmus ; memoratum non invenio, eam quidem ob causam quod Graeci, quibus maximam saltem partem debemus quae de illo populo nobis innotuere, tum primum Aegyptios frequentare coeperunt, cum isti jam diu rudiores mores deposuerant et cultioris vitae artes ad eum quem apud se attigere gradum provexerant. Cum Graecorum Hermis aliquo modo conferri possunt statuae illae atque icunculae habitu mumiaco quae hieroglyphicis litteris inscribi solebant, quod quidem in aliis quoque statuarum generibus fieri consuevit, nec non in aedificiorum columnis et parietibus, in antris et in rupium frontibus, in aris sarcophagisque ac mumiarum indumentis, inque omni utensilium genere. Videntur enim Aegyptii velut de industria id egisse, ut quaecunque intueretur aliquis, notabilem quandam sententiam perciperet aut factum memorabile aut scientiarum theoremata : fere ut postea fecerunt Arabes, quorum et aedificia et utensilia vestesque epigrammatum copia insigniri consueverunt. De iis quae ad sepulcra spectant apud Aegyptios, supra disputavimus [1], etiam de variis statuarnm, anaglyphorum et amuletorum generibus [2]. Commemoravimus quoque vasa hieroglyphice inscripta [3] atque aediculam [4], quibus adjungenda est ara servata in museo Cayliano [5]. In Aegypto autem quae hodie spectantur ingentia aedificia, antra pariter et rupium complanatae facies, hieroglyphicis inscalptis pictisque contecta esse, abunde notum est e peregrinatorum relationibus [6]. Quae vero res sint infinita hac inscriptionum multitudine comprehensae, omnes hactenus latet, nec quicquam profecisse existimo qui vel omnes eas historici argumenti esse affirmaverunt, vel theologici vel astronomici. De singulis enim singulatim erat quaerendum, et accurate advertendum quid ex cujusque monumenti forma, loco, aetate, aliisque peristasibus conjici possit de cujusvis inscriptionis argumento.

Omnino etiam consulendi sunt veteres scriptores, quamquam parum sit quod hac de re nobis tradidere, nec fere aliud ex eorum dictis colligere sit, quam quod in templis scriptae essent res ad religionem spectantes, in adytis arcanae scientiae, in statuis, pyramidibus et grandibus aedificiis conditorum nomina et consilium [7]. In stelis maxime atque obeliscis quid inscriptum credebatur adnotaverunt, de obeliscorum quidem argumento, si Hermapionem excipias, perfunctorie tantum locuti, et cum magna inter se dissensione [8]. De stelis autem uberius accuratiusque quid in singulis propositum esset tradiderunt. Nam et in finibus imperii terminorum tropaeorumque loco scriptas stelas positas fuisse narrant, et in foris templorumque atriis stelas in quibus leges aliaeque res ad vitae commoda spectantes erant inscriptae, nec non deorum laudes veterumque factorum narrationes, et in adytis antrisque alias quae altioris indaginis scientias complectebantur.

Ex primo illo genere maxime inclaruerunt stelae Sesostridis, commemoratae

---

[1] Pag. 261. 279. sqq. 304. 310. not. 35. pag. 318. sqq. 374. sqq.

[2] V. supra pag. 476. sqq.

[3] V. supra pag. 482. 492. Fuit et in museo Cayliano vasculum aeneum hieroglyphice inscriptum : *Recueil* tom. 6. tab. 14. 15.

[4] V. supra pag. 496.

[5] *Recueil d' antiquités* tom. 1. tab. 19.

[6] Consule inprimis Nordenium, Pocockium, Vanslebium, Sicardum et Paulum Lucas.

[7] Vide auctores citatos supra pag. 457. 458.

[8] Confer supra sect. 3. cap. 7. pag. 176. sqq.

ab Herodoto, Manethone, Diodoro, Strabone, Plinio, in contermina Syria positae et in Athiopiae partibus, quas expeditionum ab eo susceptarum terminos populosque armis ejus subactos significasse ajunt [9]: eadem fere ratione atque Darius [10], et Alexander [11], Ptolemaeusque Evergetes [12] expeditionum suarum monumenta reliquere [12], Bacchusque et Hercules fecisse narrantur [13]. Quis ille fuerit Sesostris, et quando vixerit, quasque res gesserit, varie disceptatum est inter eruditos, quorum quidem sententias singulatim recensere operosius foret, et ultra limites libri jam ad nimium volumen protracti constitutum [14]. Quare breviter exponam, quae circa hoc argumentum mihi visa sunt ad veritatis speciem proxime accedere. Aegyptum existimo quo tempore habitari coepta, colonos recepisse alios ex Arabia pastoritio vitae genere utentes, alios ex Aethiopia jam terram colere doctos. Illi tenuerunt paludes Pelusiacas et partem Delta, cum Babylone et Heliopoli usque mediam Heptanomida. Aethiopes condidere Thebas et Abydum, multaque oppida in Thebaide et Delta: ac per plura saecula vario successu bella gesserunt cum pastoribus. Ad hanc aetatem pertinere videtur historia Osiridis, qui ex Aethiopia advena, cum agrorum cultum novis inventis auxisset, et artes quibus communis vita juvatur docuisset Aegyptios, denique a pastorum principe Baby, quem Graeci Typhonem appellant, dolo circumventus periit, occasionemque praebuit ritibus lugubribus. Praevaluere postea Thebaei, Memphinque condidere, et pastoribus eripuere Heliopolin, quin et ipsum Pelusium sive Abarin: sed quoniam divisi essent in multas civitates nullo certo foedere conjunctas

---

[9] Herodot. lib. 2. cap. 102. — 106. supra pag. 32. Manetho apud Syncell. pag. 59. supra pag. 37. Diodor. lib. 1. cap. 55. supra pag. 40. Strab. lib. 16. 17. pag. 1113. 1138. supra p. 41. Plin. lib. 6. cap. 28. 29. supra pag. 43.

[10] Herodot. lib. 4. cap. 87: ὁ δε δαρειος θηησαμενος και τον βοσπορον, στηλας εστησε δυο επ' αυτω λιθε λευκε, ενταμων γραμματα, ες μεν την ασσυρια, ες δε την ἑλληνικα, εθνεα παντα ὁσαπερ ηγε. „ Darius Bosporum contemplatus, duos „ ad eum cippos erexit e candido lapide, inci- „ dens litteris in uno quidem Assyriis, in alte- „ ro autem Graecis, omnes gentes quas duce- „ bat „. Ibid. cap. 91: επι τετον ων τον ποταμον απικομενος ὁ δαρειος, στηλην εστησε και ενθαυτα, γραμματα εγγραψας λεγοντα ταδε· " τεαρε ποταμε κεφαλαι υδωρ αριστον τε και καλλιστον παρεχονται παντων ποταμων· και επ' αυτας επικετο ελαυνων επι σκυθας στρατον ανηρ αριστος τε και καλλιστος παντων ανθρωπων, δαρειος ὁ υστασπιος περσεων τε και πασης της ηπειρε βασιλευς". „ Ad „ Tearum amnem cum pervenisset Darius, cip- „ pum erexit etiam illic, his litteris inscri- „ ptum: *Teari amnis capita optimam aquam „ atque pulcherrimam cunctorum amnium con- „ tinent, et ad ea pervenit exercitum ducens „ adversus Scythas vir optimus atque pulcher- „ rimus cunctorum hominum, Darius Hystas- „ pis filius, Persarum cunctaeque continentis „ rex* „. Et cap. 92: δαρειος απικετο ες ποταμον, τῳ ενομα αρτισκος εστι. ὁς δη δια οδρυσεων ρεει. — αποδεξας χωριον τῃ στρατιῃ, εκελευε παντα ανδρα λιθον ἑνα παρεξιοντα τιθεναι ες το αποδεδεγμενον τετο χωριον. ὡς δε ταυτα ἡ στρατιη απετελεσε, ενθαυτα κολωνες μεγαλες των λιθων καταλιπων, απηλαυνε την στρατιην. „ Cum ad „ Artiscum fluvium venisset Darius qui per „ Odrysas fluit, ostenso certo loco copiis suis, „ jussit illuc virum quemque praetereuntem „ ponere unum lapidem: quod cum exercitus „ fecisset, grandes acervos lapidum istic reli- „ quit „.

[11] Diodor. lib. 17. cap. 94. Curtius lib. 8. cap. 3. Philostr. vit. Apollon. lib. 2. cap. 15.

[12] Cosmas Indopleustes topograph. Christ. lib. 2. in Montfauc. collect. patr. et script. Gr. tom. 2. pag. 140.

[13] De Bacchi stelis Apollodor. lib. 3. cap. 5. num. 1. Dionys. Perieg. vers. 1162. De Herculis Strab. lib. 3. pag. 258. Philostr. vit. Apollon. lib. 5. cap. 5. Hesych. v. στηλας διστομες. Tacit. de mor. Germ. cap. 34.

[14] Consule inter alios cl. Bandinii comment. de obelisco Caesaris Augusti e Campi Martii ruderibus eruto, cap. 1. 2.

neque inter se concordes, saepe obnoxii fuere pastorum Deltensium Arabumque invasionibus, interdum et ab his sub jugum missi. Usque dum Sesostris sive Sethos Amenophis filius, expugnato iterum Pelusio, pastoribusque vel in paludes se recipere vel in Arabiam Syriamque migrare coactis, arma sua usque in Palaestinam protulit, et in patriam redux totius gentis caput fuit constitutus. Is omnes Aegypti civitates in unius reipublicae formam redegit, legesque quas ab Hermete, antiquo Aegyptiorum sacerdotum numine sibi traditas fingebat, universo populo suffragante pertulit, quibus et regis et populi jura definiebantur, et classium officia variique ordines accuratius aequiusque constituebantur quam antea. Idem et muro aedificato in isthmo Heroopolitano cavit ne novis ex Arabia advenis reipublicae status turbaretur, Aethiopumque seu Nubarum invasiones repressit, et classem paravit in sinu Arabico quae Indicas merces adveheret; ipsam vero Aegyptum canalibus per omnes praefecturas effosis salubriorem fertilioremque reddidit. Quo factum ut posteri grato animo memoriam ejus colerent, et res ab eo gestas laudationibus et hymnis ad miraculum usque augerent [15]. Secuti principes legibus a Sesostride latis obnoxii, tranquillum reipublicae statum servare adnixi sunt, pacisque artes coluere et urbes aedificiis ornavere, nec de imperii finibus propagandis cogitarunt; nisi quod Mendes seu Osymandyas, quem confuderunt cum Memnone Homerico, Arabes Syrosque et Aethiopes repulisse videtur, quos Indos Bactrosque nominavere Graeculi Aegyptiarum rerum interpretes; quodque Sesak, qui Sesonchis esse videtur in Manethonis dynastia vicesima secunda, Graecis Asychis vel Sasychis dictus, Judaeam cepit et Hierosolyma deripuit. Non enim ea erat Aegyptii imperii sub Sesostridis conditio, ut magnas expeditiones a regibus susceptas aut dissitas provincias ab iis captas credere possimus; donec reipublicae forma sub Psammeticho mutata dictatoriam potestatem reges sibi adrogarunt, et exercitu ex popularibus exque conductitio milite conflato Asiam insulasque et Cyrenen tentavere, atque cum Phoenicen et Cyprum sibi subjecissent, Persarum arma in se converterunt.

Itaque quae columnae statutae credebantur ad veterum regum potentiam imperiique terminos denotandos, has appellabant stelas Sesostridis. In his quas in Palaestina vidit Herodotus [16], atque a sacerdotibus in Aegypto a Sesostride positas fuisse audiverat, jure a nomine ejus dictas existimo, cum nil credere vetet conterminam regionem jam vetustissimo tempore Aegyptiorum regibus tributum pendisse. Scriptum in iis fuisse tradit nomen regis et patriam, quodque armis suis provinciam subegisset; adjectis praeterea genitalibus muliebribus, ad gentis desidiam significandam; quemadmodum in aliis stelis, ab eodem rege positis apud populos qui fortiter pugnaverant pro patria, sed quas Herodotus ipse non conspexerat,

---

[15] De Sesotride vide inprimis Herodot. lib.2. cap.102 — 111. Aristot. de republ. lib.7. c.10. meteor. lib.1. cap.14. Manethon. apud Joseph. contra Apion. lib. 1. cap. 14. 15. 26. et apud S. Theoph. ad Autolyc. lib. 3. cap.20. Apollon. argon. lib. 4. v. 261. et schol. Diodor. lib. 1. cap. 53. — 59. 94. Strabon. lib. 16. pag.1114. 1115. lib.17. pag.1138. 1139. 1139. 1157. Plin. lib.6. cap.29. lib.33. cap. 3. Tacit. annal. lib. 6. cap. 28. Plutarch. de Isid. p.421. tom.2. p.360. Pausan. lib.1. cap.42. Aelian. var. hist. lib. 11. cap. 4. Justin. hist. lib.1. cap. 1. Clem. Alex. protrept. cap.4. pag. 43. Eudoc. viol. pag. 374. Chron. Pasch. pag.47.

[16] Lib.2. cap.102. 106. supra pag.33. Conf. Maneth. apud Syncell. pag. 59. Diodor. lib. 1. cap. 55. supra pag.37. 40.

juxta inscriptionem virilia inscalpta ostendebantur. Quas vero in Jonia a se visas, armatique viri effigie et litteris insignes, Sesostridi tribuit Herodotus [17], de illis nil certi affirmari potest. Non enim similes erant iis quas a Sesostride statutas acceperat ab Aegyptiis, Jones vero Memnonis imaginem in iis inscalptam esse ajebant. Armatura autem quam Aegyptium quid Aethiopicumque prae se tulisse affirmat, ad monumenta illa Aegypto vindicanda non sufficit: nam armati viri quos cernimus in numis Phoeniciis parum differunt ab iis qui occurrunt in lapidibus Aegyptiis. Inscriptio etiam, quamquam vetustis litteris Asiaticis exarata, facili errore pro Aegyptia haberi potuit; quique eam interpretatus erat, magis respexisse videtur ad locum quem obtinebat, quam ad ipsarum litterarum modum et significationem. Sed etiam si stelas illas Aegyptias putare velimus, non ideo opus est credere quod positae fuerint a rege Aegyptio qui hanc provinciam imperio suo adjecisset; nam scimus Aegyptios colonos patria profugos, ut in Graecia et Colcho, ita in anteriori quoque Asia consedisse, qui tenuere Larissam Aegyptiam aliaque oppida inter Ephesum et Cumas sita [18]. In Aethiopia pariter quae commemorantur stelae Sesostridis, in promontoriis insulisque Troglodytices et usque ad Cinnamomiphoron [19], a negotiatoribus Aegyptiis positas conjicio, qui in illis regionibus ob commercii opportunitatem colonias condidere, honoremque tribuere Sesostridi, qui primus auctor exstitit ut mare Aethiopiam inter Arabiamque et Indiam Aegyptiis navibus frequentaretur.

Osiridis autem stelas, quas in Troglodytica ad expeditionem ejus demonstrandam constitutas refert Diodorus [20], ad fabulas ablegandas puto, pariterque quas in Indiae finibus ab eo positas fuisse affirmat Tzetzes [21]. Nullas enim expeditiones suscepisse videtur Osiris, nisi quod ex Aethiopia in Aegyptum transierit, ubi postquam insignibus beneficiis populum sibi devinxisset, Typhonis fraude occubuit et inter deos est relatus: quo factum ut historia ejus in fabulam converteretur variisque modis adornaretur. Ea autem constans est de Osiride traditio, primum ad cultiorem vitam perduxisse Aegyptios, artesque communi vitae utiles exercere docuisse, legibusque uti et certa reipublicae forma. Quamobrem a Pseudo-hermete [22] recte ei tribui arbitror stelas quae res continebant ad mortalium utilitatem pertinentes, cujus generis inprimis illae sunt, quarum meminit Galenus [23], tradens moris fuisse apud Aegyptios artium inventa, postquam a peritorum virorum consessu fuissent approbata, stelis inscribere in sacris locis positis, inventoris quidem nomine suppresso, quo et vanitatem et invidiam cohiberent. Tribuuntur et Osiridi stelae in deorum honorem positae, ut illa cujus epigramma affert Theo Smyrnaeus [24]: „ Regis Croni et reginae Rheae primogenitus filius, rex omnium Osiris: diis immortalibus, Spiritui et Coelo et Terrae et Nocti et Diei et Amori, rerum quae sunt quaeque erunt parenti, consecrat monumenta virtutis suae atque moderatae vitae„. Atque a Diodoro [24]* commemorantur stelae duae

[17] Lib.2. cap.106. supra pag.33.

[18] Xenoph. cyropaed. lib. 7. cap. 1. §.21. de reb. Graec lib.3. cap. 1. §.5.

[19] Strab. lib.16. pag.1113. lib.17. pag.1138. Plin. lib 6. cap.28. 29. supra pag.41. 43.

[20] Lib.1. cap.20. supra pag.38.

[21] Chiliad. 8. vers. 583. supra pag.50.

[22] Sac. lib. fol.32. supra pag.20.

[23] Adv. Julian. cap.1. supra pag.46.

[24] Mathem. Platon. lib. 2. cap. 47. supra pag. 45.

[24] * Lib. 1. cap. 27. supra pag. 39. Confer quae de hoc loco monuimus supra pag.373.

in Nysa Arabiae sive Aethiopiae, quarum alteri inscriptum erat: „ Ego sum Isis „ totius terrae regina, ab Hermete erudita, et quae ego lege sanxi nemo solve„ re potest. Ego sum Croni novissimi dei filia natu maxima. Ego sum uxor et „ soror Osiridis regis. Ego sum quae prima fruges mortalibus reperit. Ego sum „ mater Ori regis. Ego sum quae in Canis sidere exoritur. Mihi Bubastus urbs „ est aedificata. Vale, vale Aegypte, quae nutristi me „. In altera inscriptum ferebatur: „ Pater mihi est Cronus deorum omnium natu minimus, sum vero Osi„ ris rex, qui exercitum duxit in omnem regionem, usque ad inhabitabiles In„ dorum terras, et in plagis ad Arctum vertentibus usque ad Istri amnis fontes, „ et rursus in oppositis terrae partibus usque ad Oceanum. Sum vero filius Croni „ primogenitus, et germinavi e pulcro generosoque ovo, semen cognatum diei. „ Nec est locus in orbe ad quem ego non pervenerim, distribuens omnibus quae „ a me fuerunt inventa „. Alia praeterea in iisdem stelis scripta fuisse inquit, sed quae vetustate jam olim essent corrupta.

Stelarum in vituperationem positarum unum tantum exemplum adlatum invenio, scilicet quod Plutarchus [25] narrat, Technatin regem, patrem Bocchoridis, imprecationes contra Minen sive Menam, qui primus Aegyptios a tenui frugalique victus ratione ad luxum traduxisse fertur, stelae inscribi, et sacerdotibus collaudantibus Thebis in templo servari jussisse. Nam in Arabica expeditione periculum fecerat Technatis, quem alii Tnéphachthum appellant, obvium cibum et supellectilem tenuem opportuniores esse homini rebus gerendis intento. Plurimae autem memorantur stelae, quibus commendata erat rerum egregie gestarum memoria, omnisque Aegypti et adjacentium regionum historia. „ Aegyptiis, inquit „ Proclus commentario in Timaeum [26], rerum olim gestarum semper recens adest „ memoria: servatur autem ea annalibus, hi vero stelis, quibus facta atque in„ venta, quaecunque nova et mirabilia sunt, inscribi solitum „. Ab eodem citatus Crantor refert, affirmare prophetas Aegyptios, in stelis apud ipsos descriptam esse historiam de Atlantide, quam ab Aegyptiis in nomo Saitico se accepisse ait Plato, monumentorum quidem genere, in quo prodita esset, non indicato. Praeterea Dio Chrysostomus [27] et Aristides sophista [28], Platonem ut videtur imitati, universam veterem historiam asserunt ab Aegyptiis in stelis perscriptam intra templa servari.

Omnium autem maxime celebrantur stelae Hermetis, astronomiam atque astrologiam, theologiam etiam ac philosophiam complexae, et in antris adytisque servari dictae. Primus earum meminit Manetho hierogrammateus apud Syncellum [29], professus se hausisse futurarum rerum cognitionem e libris in templorum adytis repositis, quos secundus Hermes, cognominatus Trismegistus, communi Aegyptiorum dialecto litterisque hieraticis descripserat e stelis prioris Hermetis, qui Thoth appellatur, sacra dialecto et hieroglvphicis litteris usi. Suspicor equidem duos istos Hermetes ipsius Manethonis commentum esse, quo et inter se conciliaret varias de Hermete seu Mercurio traditiones, et duas adumbraret scientiarum artiumque apud Aegyptios aetates: alteram prioris Hermetis, ad

---

[25] De Isid. pag.395. tom. 2. pag. 354. supra pag. 44.
[26] Lib. I. supra pag.49.
[27] Orat. 11. supra pag.44.
[28] Orat. Aegypt. supra pag.47.
[29] Pag.40. supra pag.36. 37.

quam pertinent monumenta lapidea, litterae hieroglyphicae, poetica dialectus et obscurior confusiorque disciplinarum tradendarum ratio; alteram Trismegisti, cujus sunt libri litteraeque alphabeticae, pedestris sermo et clarior perfectiorque scientiarum methodus. Plato enim, qui vix centum annis praecessit Manethonem, unum tantum Mercurium acceperat a sacerdotibus in Aegypto, Theut illum alphabeti inventorem [30], nec plures agnoscunt antiqui scriptores; exceptis qui concinnaverunt libros pseudohermeticos, et qui ex hisce hauserunt, quorum nonnulli tres produnt Aegyptios Mercurios [31]. Antiquitus autem sacerdotes Aegyptii unum sibi finxisse videntur Hermetem sive patrem scientiae, quem et Thoth seu caput appellavere, utpote sui ordinis progenitorem et praesidem, ad quem omnia inventa, quae acutioris ingenii essent retulere, dum quae ad communis vitae utilitatem spectarent, Osiridi regibusque adscriberent. Ei conjunctus affinisque erat Anubis, Sirii astri genius, astronomiae et praedictionum praeses, ideoque et ipse Hermes dictus, et mox cum Thoth in unum coactus: quo fit ut in Aegyptiis fabulis quae de Mercurio traduntur, modo ab unius natura, modo ab alterius sint repetenda. Videturque hic esse quem Manetho, Anubidis vocabulo in Graecum converso αγαθον δαιμονα appellat, et secundi Hermetis patrem renunciat, avumque Tati; ea ratione scientiarum, inprimis astronomiae, progressum innuens, ut primo loco poneret promptum et eruditum ingenium, dein coelestium corporum assiduam observationem, mox excultam disciplinam, ultimo institutionem librorum ope traditam. Secundum enim Hermetem ob perfectam scientiam appellat Trismegistum, Tat autem cujus nomen in Aegyptio idiomate manum significat, non alius esse videtur quam scriba sive amanuensis, aut ipsius scriptionis personificatio.

In Hermeticis stelis ante diluvium statutis in Seriade Aethiopiae, de quibus hic Manethoni sermo est, scripta fuisse astrologica, patet ex epistola ejus ad Ptolemaeum Philadelphum: contra ac plerique credidere, qui historiam Aegypti ex illis a Manethone congestam affirmaverunt. Astrologica pariter ex occultis stelis sapientissimi Hermetis se hausisse asserit apotelesmatum auctor, qui Manethonis nomen sibi adrogavit [32]. Quare et stelas, quas praedictiones et vaticinandi praecepta continentes, auctore non nominato, citant Melampus palmomantis [33], et Trebellius Pollio [34], ad hunc referendas existimo: neque alii auctori tribuisse Aegyptios illas in quibus coeli terraeque dimensiones scriptas commemorat Achilles Tatius [35]. Videtur etiam de Hermeticis stelis cogitasse Martianus Capella [36], ubi ait, universam astrorum scientiam per multa annorum millia Aegyptiorum adytis clausam delituisse; atque ubi Athanasiam introducit jubentem, deorum stemmata litteris concepta quae animantium credebantur effigies, adscribi saxis quibusdam eminentibus quae stelae appellantur, et intra specum per Aegyptiorum adyta collocari. Omnino autem philosophiam et theurgicam disciplinam hieroglyphi-

---

[30] In Philebo et in Phaedro supra pag. 553. 554.

[31] Julian. Aug. apud S. Cyrill. lib. 5. contr. Jul. pag. 176. Hermias in Phaedr. Platon. ms. S. August. de civ. dei lib. 18. cap. 39.

[32] Lib. 5. vers. 1. supra pag. 38.

[33] Supra pag. 38.

[34] In XXX. tyr. cap. 22. supra pag. 48.

[35] Isag. in Arati phaenom. num. 1. supra pag 48.

[36] Lib. 2. 8. supra pag. 50.

cis litteris scriptas inveniri in antiquis stelis Hermetis, quas in Aegyptiis adytis servatas jam Plato et Pythagoras lectitassent, auctor est Jamblichus in libro de mysteriis [37]: cum quo et facit auctor sacri libri Trimegisto adscripti, dum ait Isidem et Osirin ab Hermete edoctos doctrinam de daemonibus in occultis stelis exarasse [38].

§. III.

Haec fere sunt quae de stelarum argumento, et de locis ubi collocari solitae, leguntur apud veteres scriptores: de forma autem nihil adnotatum invenio, nisi quod Martianus Capella loco adducto eminentia saxa appellat, nec tamen majora quam ut intra specum collocarentur; quodque Pseudo-hermes eas conjungit cum obeliscis. Quae nullo modo obstant quo minus et parviores tabulas Aegyptias, anaglypticis figuris et litteris hieroglyphicis inscalptas, inter stelas referamus, modo ita factae sint ut recte statui possint. Quo e genere jam alio loco [1] nonnullas recensuimus, e lapide, ligno, metallo, maximam quidem partem ita parvas ut rectius appellaveris portatilia stelarum imitamenta sive apographa. Possent et huc trahi anaglypha quaedam e lapide calcareo, quibus adjectae sunt inscriptiones hieroglyphicae, supra memorata [2], nisi potius parietibus vestiendis inservisse viderentur quam recte statuta fuisse.

Stele autem bifrons e granite rubro, alta circiter palmos duodecim, lata sex, crassitudine palmari, lateribus planis et cacumine convexo, prostat in hortis Barberinis, hieroglyphicis quidem litteris destituta, anaglyphis autem in utroque latere decora [3]. Scilicet utrinque inscalptus est vir barbatus, qui throno insidet, praecinctorio tenus nudus, capiteque gestans pileum modioformem cum serpentulo et vitta et duabus pennis eximiae altitudinis, quibus adjectus est discus. Is altera manu tenet sceptrum cum capite upupae, altera pateram cui insistit icuncula arietis, quae suspicari facit, repraesentari hic Ammonem deum sive genium aliquem ei cognatum. Supra caput ejus in apside tabulae cernitur globus, duabus alis vulturinis utrinque deorsum explicatis instructus; in throni autem latere inscalpti sunt viri duo, eodem ac ille corporis habitu, sed cum capite calanticato, qui adversi stantes ligonem grandem pedibus in humum deprimere adnituntur, manibus autem flores colligunt e ramusculis quibus ipse ligo cinctus est et obvolutus. Infra hanc sedentis viri effigiem interjecto brevi spatio conspicitur minoris moduli figura, centaurum referens salientem et arcum tendentem. Haec in altero lapidis latere barbata est, in altero imberbis atque ut videtur muliebris: in caeteris rebus ambo latera prorsus sunt similia. Artis in hoc lapide modus propius accedit ad eum qui est in secundae aetatis obeliscis: de reliquo nulla occurrunt indicia ex quibus certum quid statuere possis de aetate aut patria ejus.

Aegyptias stelas e lapide arenaceo duro, altas inter palmos novem et undecim,

---

[37] Sect. 1. cap. 2. supra pag. 48.
[38] Supra pag. 20.
[1] Vide supra pag. 487. 495.
[2] Pag. 310. not. 35. pag. 488. 493.
[3] Aeri incisam sistunt Winkelmann *monum. ined.* fig. 79. et Pococke *descr. of the East* vol. 2. part. 2. tab. 91. pag. 107., quorum ultimus memoria lapsus fragmentum esse ait obelisci qui stetit in insula Tiberina.

latas usque ad tres cum dimidio, vertice fastigiato, et hieroglyphicis litteris valde nitidis refertas, magno numero vidit Niebuhrius in Arabiae monte in deserto nonaginta circiter millibus passuum a Sues ad ortum brumalem, alias stantes alias humi fractas, alias in campo positas alias intra eversi aedificii ambitum quinquaginta passuum longitudine, quod medium locum obtinebat. Agnoscebatur in eo aedificio Aegyptiae architecturae modus, columna capituli loco habens quatuor vultus humanos, complures humanarum figurarum protomae ad Aegyptiae artis indolem; atque in extrema parte aedificii integra adhuc servabatur parva cella, hieroglyphicis characteribus decora, cujus lacunar quadrata pila subrigebatur [4]. Locum pro coemeterio accepit peregrinator, nescio quam bene, et stelas pro cippis sepulcralibus. Probabilior mihi videtur sententia, fuisse hic Aegyptiae religionis sacrarium, quorum in hisce viciniis pleraque commemoraverunt scriptores veteres [5], cum sacerdotum sodalitio, qui aut coloniam commercii gratia in orientale Arabici sinus latus deductam comitati essent, aut intestinis turbis sub Psammeticho vel sub Persis e patria profugissent: lapides autem illos pertinere ad Hermeticarum stelarum genus, in quibus Aegyptiorum sacerdotum disciplinae erant perscriptae.

---

4 Niebuhr *description de l'Arabie* pag. 347: *A dixneuf lieues d'Allemagne de Suès on voit sur une montagne haute et escarpée dans le territoire de la tribu de Leghat un grand cimetiere, où sont plusieurs pierres sepulcrales dressées verticalement et couvertes d'aussi beaux hiéroglyphes que ceux des anciens monumens Egyptiens*. Idem *reise nach Arabien* tom. I. p. 235: *Der sogenannte Djäbbel el mokatteb ist so steil und hoch, dass wir unsere kameele am fusse des berges stehen lassen und über* $1\frac{1}{2}$ *stunden zubringen mussten um hinauf zu klettern. Nachdem wir diesen beschwerlichen berg erstiegen hatten, wunderten wir uns nicht wenig; als wir hier mitten in der wüsten einen prächtigen Egyptischen todtenacker sahen; denn so wird ihn jeder Europäer nennen, wenn er gleich keinen todtenacker von dieser art in Egypten gefunden hat, wo die meisten alterthumer nach und nach mit erde bedeckt sind. Man sieht hier noch eine menge, theils aufrechtstehende theils umgefallene oder zerbrochene steine, 5 bis 7 fuss lang, und 2 bis* $2\frac{1}{2}$ *fuss breit, voller Egyptischer hieroglyphen. Diese können wol nichts anders als leichensteine gewesen seyn. Von einem gebäude, dessen figur ich auf der tab.* 44 *abgebildet habe, ist fast nichts mehr übrig als die mauern. Es scheint zum theil in der erde gebaut gewesen zu seyn; denn inwendig ist es noch viel tiefer als die erde umher, und auch in diesem gebäude sieht man viele mit hieroglyphen beschriebene steine. An dem breitem ende ist eine kleine kammer, die noch izt bedeckt und von einem viereckigten pfeiler unterstüzt ist; und in derselben viele hieroglyphische schriften, so wol rund um an den wänden als an dem pfeiler. Man findet in diesem gebäude auch brustbilder nach dem geschmack der alten Egypter, und architectonische zierrathen von eben der art wie Norden in Oberegypten gezeichnet hat; ingleichen eine kleine viereckigte säule oben mit* 4 *köpfen. Alle die leichensteine mit den hieroglyphen und die brustbilder sind ein feiner und harter sandstein. — Ich besuchte diesen berg noch einmal, und copiirte den grösten theil der hieroglyphen von drey steinen, wie auf der* 45 *und* 46 *tabelle. Die meisten von den hier vorkommenden figuren findet man auch auf den alten denkmählern in Egypten. Diese hieroglyphen sind eben so schön als die Egyptischen: ein zeichen dass die künste auch hier geblüht haben, und dass eine stadt mit reichen einwohnern in der nähe gewesen, woferne man nicht beweisen kann, dass etwa gewisse Egypter, die ihre verstorbene anverwandten nicht als mumien aufbewahrten, diesen ort in der wüste besonders heilig gehalten, und deswegen ihre todten ausserhalb landes gebracht haben. Ehmals kann dieses land viel stärker bevölkert gewesen seyn*. Inspice tab. 44. 45. Confer etiam supra pag. 373.

5 Diodor. lib. I. cap. 27. lib. 3. cap. 42. 44. Strab. lib. 16. pag. 1113. Supra pag. 39. 41. et addend. ad pag. 41.

§. IV.

Esse etiam inter ea monumenta quae nobis hodie obelisci audiunt, nonnulla quae rectius forent stelis accensenda, jam supra monui, cum parvitate sua nimis distent ab ea mole quam in obeliscis admirati sunt veteres. In his obeliscus qui dicitur Mahutaeus [1], pariterque Mediceus [2], Matthaejanus [3] et Minerveus [4], quorum inscriptionibus superstant accipitrum simulacra, deorum laudes continere videntur, et pertinere ad stelas Osiriacas, honoris devotionisque causa in sacris locis constitutas. Idemque dicendum de Borgiano [5] atque de Albanio [6], qui notarum quibus insigniuntur paucitate, non aliud quam sacras quasdam formulas expressisse credi possunt. Minimus autem ille qui Florentiae stat [7], nullum dedicationis indicium prae se ferens, sed incompta scalptura multas res exiguo spatio comprehendens, referendus videtur ad Hermeticas stelas, in adytis ad posterorum institutionem reponi consuetas.

Ejusdem quoque generis esse existimo obeliscum quem vocant Barberinum [8], licet longe majorem atque ornatiorem, et grandium figurarum anaglyphis in capituli faciebus decorum. Nam ingens illa coarctatarum notarum copia et varietas, quae non sunt ad eam elegantiam symmetriamque compositae, ac caeterorum obeliscorum notae, lapidem designant non decoris gratia in templo positum deorumque laudibus celebrandis destinatum, sed qui ad eum finem inscalptus esset atque erectus, ut notabilium rerum cognitio ejus ope traderetur. Ut vero Hermeticis stelis obelisve accenseam, faciunt anaglypha illa quae in capitulo esse dixi, quae in hoc ut in reliquis obeliscis, deorum simulacra quibus singuli essent consecrati, exprimere reor. In uno enim ex capituli lateribus conspicimus Thoth sive Hermetem, ex ibidis capite disco ac lunula insigni, quod ei vultus loco est, noscibilem, in throno sedentem, sinistraque manu tenentem palmae ramum, cui velut baseos loco adhaeret canis icuncula; quae omnia Aegyptio Mercurio propria esse constat. Altera manu porrecta clavem Niloticam applicat baculo capite anserino insigni, qui mali instar sustinens velum nauticum insistit vasculo rotundo, quod scaphio sive patellae impositum manu subrigit genius e regione constitutus; forsan ad agrorum ubertatem commerciique utilitatem, et in universum beneficia Aegyptiis à Nilo derivata, artium ab Hermete inventarum, inprimis geometriae ministerio aucta indicanda. Genius ille barbatus est et praecinctorio talari indutus, capiteque gestat ornamentum Isiacum, compositum e disco et duabus pennis altis atque recurvis, quae una cum duabus aspidibus subriguntur cornubus orygis. Is recte stat ad sedentem deum conversus, dextraque porrecta scaphium sustinet cum vasculo, malo ac velo supra dictis, sinistra pone demissa tenet clavem. In medio stat mensa frugibus aliisque donis onusta, in quibus lanx est cujusmodi manu gestare solent sacerdotes ubi diis sacra faciunt, cui praeter alia imposita est icuncula ingeniculata. Eadem barbati genii

---

[1] Vide supra pag. 79. §. 9.
[2] Ibid. pag. 84. §. 3.
[3] Ibid. pag. 80. §. 11.
[4] Ibid. pag. 79. §. 10.
[5] Ibid. pag. 83. §. 1.
[6] Ibid. pag. 80. §. 11.
[7] Ibid. pag. 84. §. 4.
[8] Ibid. pag. 77. §. 8.

effigies mensaque fruges sustinens conspiciuntur in opposita lapidis facie ; sed sedentis dei simulacrum, quod praefato consimile fuisse suspicor, temporis injuria periit, relicta tantum manu cum palmae ramo, de cujus vertice pendet clavis cum velo nautico ei applicato, ima sui parte contingens monticulos duos, quos scaphio impositos genius ille porrigit, forsan montium illorum Cnophi et Mophi, inter quos Nilus nasci ferebatur, indigitamentum ; caetera plane similis ei quem ex priori latere descripsimus. In reliquis lateribus quae interjacent, pariter sunt sedentium deorum imagines, geniorumque coram iis stantium, qui in hoc praesertim a praefatis differunt quod praecinctorium habent ad genua tantum pertingens. In altero quidem est deus humanâ forma et vultu barbato, capite gerens tiaram modioformem cum disco et duabus plumis erectis, quibus in Aegypto et reges et dii insigniri consueverunt, dextraque gestans clavem ; quem Arverin esse conjicio, Solis genium lucisque moderatorem, palmae rami symbolo quod sinistra tenet, ad Hermetem relatum. Hujus qui e regione stat genius dextra scaphium porrigit, cui oculus impositus est : mensa intermedia varii generis vascula et triplicem loti ramum sustinet. In quarto autem lapidis latere Solis effigies est sive dei Heliopolitani, vir capite accipitrino cum globo serpente cincto, quo virtutem numinis ac potentiam significarent, et mundi vertentiumque saeculorum gubernatorem esse demonstrarent. Dextra tenet sceptrum cum capite upupae, quod aratriforme appellari solet, sinistra clavem protendit deorsum versus craterem mensulae coram eo stanti impositum, e quo assurgit germinans planta. Adstans genius praecinctorium gestat in acutum angulum collectum et funiculis constrictum, quae solemnior videtur augustiorque sacrificantium consuetudo : dextera icunculam scaphio insidentem deo offert, sinistra adorantis more elata. Quae vero summam trabem circum circa ambiunt astra conjicere faciunt, argumentum ab astronomia fuisse depromptum, ideoque lapidem dicatum Hermeti, illius scientiae inventori ac praesidi, insimulque Soli omnium astrorum principi coelique regi ac moderatori, cui pro genio ac ministro adesse credebatur Arveris, a Graecis Apollo dictus : quatuorque geniis denotari universi mundi elementa, eo quidem pacto, ut qui oculum sustinet, ignem repraesentet luci cognatum ; qui pueri icunculam, aërem vivificantem ; qui vasculum et velum nauticum, aquam ; qui monticulos duos, terram.

§. V.

Sed dum obeliscum Barberinum Hermeticam stelam appellari posse existimem, minime affirmare velim, tantae magnitudinis lapidem olim in antro absconditum fuisse. Nam quod stelas Hermeticas in adytis poni consuevisse ajunt veteres, intelligi etiam potest de sacratiore templi parte, quemadmodum collocati inveniuntur parvi illi obelisci quos in Thebarum ruderibus commemorant peregrinatores [1]. Neque illud pro certo habeo, omnes ejus generis stelas a vulgi aspectu fuisse seclusas, cum ipsa jam scriptura hieroglyphica obstaret ne imperiti homines iis abuterentur. Sed hierogrammates qui initio parvis lapidibus ad disciplinas suas inscribendas contenti, hos ab aëris inclementia hominumque et brutorum injuria in specubus servare instituerant, post cum coepissent grandioribus stelis uti, nulla re vetabantur in conspicuis locis eas erigere circa habitationes

[1] Vide supra pag. 113.

suas aut in templis Hermeti dicatis, quas cum intueretur vulgus, stelas accipiebat pro lapidibus, ut ait Porphyrius [2], litteras pro animantium figuris. Nam quod diximus, a parvis cippis coeptum est progredi ad pilas proceriores, ab his denique ventum ad ingentes illos lapides quos antiqui scriptores obeliscos vocavere, sive puri essent sive inscripti. Scilicet cum advertissent ipsam columnarum magnitudinem percellere hominum animos, atque excelsas illas trabes graniteas ex uno lapide factas insigne videri templorum ornamentum, non tam ad res memoriae tradendas, quam ad sacras aedes decorandas et deorum benevolentiam praeclaris donis promerendam, obeliscos in templis dedicavere, quos modo ob festinationem puros ac mole tantum sua propriaque et genuina pulcritudine spectabiles erexerunt, modo ad antiquum morem servandum, et pietatem in deos expressis quoque verbis testandam, hieroglyphicis litteris inscribi curaverunt. Quod cum facerent illud videntur observasse, ut in summa inque ima lapidis parte deorum simulacra, quibus quisque esset consecratus, anaglyptice ficta repraesentarent.

De iis qui extra Urbem sunt ne conjecturam quidem proponere ausim, quandoquidem justis iconismis prorsus careamus, inprimis vero figurae illae in summis locis inscalptae diligentiam peregrinatorum fugerint, quae vero in imo sunt aggesta humo occultentur. Inter Romanos obeliscos ad Barberinum proxime accedit Pamphilius [3], sive scalpturae modum spectes sive figurarum notarumque indolem et distributionem. Hunc Isidi filioque Oro dicatum fuisse conjicio, quamquam hariolatio sit potius quam conjectura; nam uti nunc erectus stat obeliscus, admodum difficile est certi quid rescire de pyramidio, quae sola ejus pars inscalpta habet figurarum syntagmata a notarum textu discreta: neque omnino fidem habere possumus iconismis a Kirchero propositis, qui cum ex aliis monumentis tum ex ipsis illis notis quae in hoc obelisco oculis percipiuntur, de scalpturis accurate exprimendis parum sollicitus agnoscitur; quique dum quaecunque in hoc obelisco temporis inclementia vitiato desiderabantur, ex fragminibus una cum eo repertis se fideliter supplevisse affirmat [4], vix iis persuadebit qui ingenium ejus noverint;

---

[2] Supra pag. 47.

[3] Vide supra pag. 74. §. 5.

[4] Libro quem scripsit de hoc obelisco praemisit testimonium a Jacobo Viva datum hisce verbis: „ Non te, amice lector, latere arbitror obeliscum nuperrime in foro Agonali erectum, olim quidem dum adhuc in hippodromo jaceret, constitisse ex uno integro saxo, postea vero barbarorum furore humi afflictum prostratumque in plura frusta fuisse distractum, quorum nonnulla in hoc casu tantum vitii acceperunt, ut in obelisci restauratione alicui usui amplius esse nequierint; unde oportuit in eorum locum substituere ex simili lapide alia frusta, quae priorum lacunas supplerent, quod ea artificum industria factum, ut vix apparentibus commissuris in unum denuo ac integrum saxum coaluisse videatur. Praeterea, quod potissimum ad rem nostram facit, omnes ac singulae hieroglyphicorum imagines ac figurae, quae desiderabantur, incisae fuerunt in hisce noviter adjunctis fragmentis, et quidem eo penitus modo, situ, ordine ac loco, quem in integro olim obelisco obtinebant, ita ut, candidus lector noverit, nil omnino de novo additum, mutatum, aut ex proprio sensu confictum, excepto in unico exiguo spatio ob certam rationem, cujus in opere fit mentio; sed omnia ex antiquis fragmentis ingenti cura ac studio decerpta suis quaeque locis fideliter fuisse insculpta ac translata. Quod haud adeo difficulter fieri potuit, siquidem singulari numinis providentia factum, ut omnia prorsus praedicta antiqua fragmenta adhuc reperta fuerint eo ipso in loco, ubi humi prostrata jacebat moles, ex quibus, ut dixi, facile praefatas hieroglyphicorum figuras excerpere licuit. Atque haec fragmenta ad majorem fidem faciendam, et ne ullus

praeterea ex fragminibus quae ad nostram aetatem pervenere, exque notarum in obelisco suppletarum habitu ac modo, saltem negligenter id egisse arguitur. Exstant quidem in unoquoque latere tres figurae, dei deaeve simulacrum in throno sedentis cum geniis duobus hinc et inde adstantibus, super quibus in summo apice olim fuisse globum duabus alis duabusque aspidibus stipatum, cujusmodi symplegma incalptum esse solet in Aegyptiorum templorum frontibus, indicio nobis sunt fragmina de quibus mox dicetur. Qui vero fuerit figurarum habitus, quae attributa atque ornamenta, iis exceptis quae sunt in illis fragminibus, definiri non potest. Inferior enim pyramidii pars, quae servatur usque fere ad tertiam altitudinis partem, jam nimium distat ab inspicientium oculis; summa autem cuspis cum globis illis, cumque figurarum quae infra globum sunt capitibus ornamentisque et attributis, recentis artificii est. Sed tria supersunt fragmina, quae alio loco suspicatus sum pertinuisse ad obeliscum olim constitutum in circo Agonali [5], quae vero postea accuratiore comparatione instituta, ad ipsum obeliscum Pamphilium pertinere reperi. In his unum, in quo praeter alias notas est prona viri effigies, partem esse e trabis latere meridionali, fidem faciunt pedes hujusce figurae qui remansere in frusto contiguo. Caetera duo e cuspide sunt, ex duobus ejusdem lateribus, satis quidem corrosa et mutila, cerniturque in quovis eorum pars globi illius cum alis aspidibusque de quo dixi: infra quem in altero fragmine sunt duarum, in altero trium figurarum protomae. Sedentes autem quae conspiciuntur in singulis lateribus figurae, throno utuntur tapete contecto, in cujus imo angulo scalptus esse videtur ligo floribus revinctus, pro quo rosam videmus in iconismo. Duae ex iis figuris, scilicet quae occurrunt in lateribus orientali et occidentali, nisi me fefellere telescopia, quorum ope totum obeliscum repetitis vicibus et enixa diligentia perlustravi, muliebres sunt, reliquae duae viriles. In orientali latere ante sedentem deam stat alia mulier, pone deam vir. Huic accipitrinum caput dedit obelisci restitutor, sedenti autem deae in caput imposuit globum in quo est scarabaeus, quae unde decerpserit nescimus. Pariter in latere occidentali, ante sedentem figuram, quae ex restitutoris mente pileum regium gestat, mulier est, pone vir quem idem decoravit galea plumata. In meridionali autem, ad quod pertinet fragmentum illud in quo sunt trium figurarum reliquiae, sedenti deo imberbi, qui super capite capillitio brevi sive galericulo reticulato contecto sustinet pileum Osiriacum, manuque tenet sceptrum aratriforme, adstant mulieres duae calantica decorae sive capillitio prolixo, cujusmodi gestat colossalis dea quae est in museo Capitolino, et thyrsis lotinis instructae. Has Ori nutrices esse suspicor seu Butus deae genios comitesve. Habet vero earum altera super vertice discum cum cornubus, cui superimposita est planta loti cum flore, et versus sedentem porrigit pileum modioformem: altera vertice sustinet pileum modioformem, super quo pariter stat planta loti, ac sedenti porrigit pileolum conicum. Denique in latere boreali, ad quod perinet fragmentum cum duabus figuris, sedens deus capite gestat pileum re-

---

„ forte malevolorum cavillationibus pateret lo-
„ cus, singulari cura pro posteritate adhuc ad-
„ servantur, ut cuilibet, qui id expetierit,
„ exhiberi deinceps valeant; certiusque orbi
„ constet, obeliscum hunc nuper erectum per
„ omnia omnino similem illi, quem olim An-
„ toninus Caracalla imperator in hippodromo
„ collocaverat. Quod idem de reliquis antiqui-
„ tatum monumentis ex variis ergasteriis Ro-
„ manis depromptis et scrupulose ad authore
„ exhibitis judicandum est „.

[5] Vide supra pag. 83.

gium, sinistraque manu lituum tenet, dextra clausa et minitantis instar elata: eique e regione stat mulier manibus adorantis more explicatis, quae vertice sustinet discum cum cornubus et plumis: pone deum est virilis figura, cujus caput cum perierit, haud forsan male hieracomorphon finxit Kircherus. In summa trabe singulis lateribus accipiter est stylobate subrectus, quem comitatur uraeus cum globo, omissa quidem clavi, quae in reliquis obeliscis uraeo appensa esse solet.

Huic autem obelisco jungendus est ille, cujus pyramidium Wanstedii asservatur[4], quem Osiridi, ejusque ac Isidis filio Oro, quem ab antiquiore deo Arveri sive Oro modo distinxerunt, modo cum eo confuderunt veteres, dedicatum fuisse conjicio. Nempe in duobus lateribus sibi oppositis conspicimus Osiridem habitu mumiaco, barbatum et pileo qui ipsi proprius est decorum, sedentem in throno, manibusque pectori applicatis tenentem flagrum ac lituum. In tertio sedet Orus barbatus, praecinctorio tenus nudus, capiteque gestans pileum regium, manibus autem sceptrum et clavem. In quarto idem Orus est, eodemque habitu, sed capite accipitrino cui imminet globus. Ante horum quemcunque posita est arula cum hydreo et flore loti, e regione vero manibus elatis genubusque flexis adorat mulier calanticata et ampliori veste induta; ac pone sedentem stat avis cum capite humano imberbi manibusque ad adorandum elatis. In summa autem cuspide in iis lateribus quae Osiridem inscalptum habent, cernitur lupus decumbens super suggestu, ante quem pariter est arula cum hydreo et loto: in caeteris duobus baris est, cui insistunt simiae cynocephali duae adversae, quae manibus elatis adorant globum grandem duabus stellis stipatum, Isidis sive Lunae deae symbolum.

§. VI.

Campensem obeliscum[1] olim Heliopoli in Aegypto, ut postea Romae Augusto dedicante, Soli sacrum fuisse ut putemus, jam locus suadet ubi statutus fuit, scilicet in urbe Soli consecrata ejusque cultui unice fere dedita: praeterea scarabaei effigies in summa cuspide expressa et infra hanc sedentis dei simulacrum hieracocephalum. Nam licet et scarabaei et accipitris alias quoque, easque antiquiores, significationes fuisse tradant scriptores veteres[2], atque in ipsis obeliscis accipitris figura passim ad quemcunque deum sive ad genericum numinis vocabulum exprimendum adhibitum videatur, scarabaeus autem ad vim procreandi sive foecundatorem deum denotandum, tamen utrumque signum speciali significatione ad Solem relatum fuisse novimus, quod inprimis Heliopoli fieri consuevisse omnino est probabile. Scarabaeus quidem alis explicatis pedibusque exsertis, qui globum amplexus sursum evolat, in quovis cuspidis latere summum locum obtinet: hieracocephalus autem capite calanticato globum cum uraeo sustinens, in duobus tantum lateribus inscalptus fuit, in reliquis duobus locum ejus tenente viro barbato capiteque gestante pileum regium, compositum e pileo conico, quo in Aegypto sacerdotes utebantur, atque e galea modioformi cum apice et spira militibus ut videtur propria, ideoque tributum regibus Aegyptiis quod e classe militari in

---

[4] Vide supra pag. 88. §. 7.
[1] Vide supra pag. 72. §. 4.
[2] Confer supra pag. 443. not. 30. pag. 446. sqq.

sacerdotum ordinem essent adlecti. Hoc representari conjicio Arverin seu Orum, Solis genium et regum in Aegypto progenitorem, de quo supra diximus[3]. Nisi forte magis adriserit alicui pictum sisti ipsum regem Aegyptium sub cujus auspiciis erectus fuit obeliscus, a Plinio Sothin sive ut aliis placet Sesostrin dictum. Nam ex interpretatione obelisci ab Hermapione tradita intelligitur moris fuisse in obeliscis cum deorum honoribus conjungere regum conditorum laudes. Sed ne sedentia simulacra quae in obeliscis obvia sunt pro regibus accipiam, illud maxime obstat quod barbam alant. Homines enim Aegyptii, sacerdotes saltem et reges raso mento utebantur, ob sordium horrorem quae pilis inhaerere solent: deorum vero barbata signa quam plurima hodie quoque supersunt, dum in diis fingendis primaevam sequerentur consuetudinem, barba nondum ab Aegyptiorum moribus proscripta. Caetera inter se similes sunt hieracocephalus et vir barbatus in binis lateribus repetiti, nam et praecinctorio tenus nudi sunt, et thronis insident, manibusque gerunt clavem ac sceptrum aratriforme, et cuicunque e regione decumbit sphinx capite imberbi ac calanticato, manibusque humanis, reliquo corpore leonino, sedenti simulacro dona offerens, qua significari Nilum fluvium deos donis honorantem satis mihi videtur credibile. Mens enim cum robore conjuncta, qui primus est et obvius Aegyptiae sphingis significatus[4], opportune transfertur ad denotandum fluvium magnum ac impetuosum, qui velut provida ac divina mente praeditus adjacentes terras statis temporibus irrigat et foecundat. Supra sphinges autem volant accipiter et vultur, aëris terraeque seu duorum principiorum, activi ac passivi, symbola, quibus Nili originem, a coelo terraque derivatam, adumbrari conjicio. Si vero quis sphingis imagine ipsam Aegyptum denotari maluerit, seu terrae illius genium, sapientem fortemque, non vehementer refragabor, neque incongruum videbitur, huic juxta appingi accipitrem vulturemque rerum primordia indigitantes. Juxta exaratae sunt litteris hieroglyphicis formulae, quibus in throno sedentem sphinx adloquitur et ille respondet sphingi. In trabis singulis lateribus cum ex binis columnis hieroglyphicorum quae sunt in quovis latere, altera in vertice inscalptum habeat accipitrem aeterni numinis symbolum, regio pileo conspicuum, et simulacri instar stylobate subrectum, altera accipitrem pariter pileatum, diademati seu monili insidentem, haec ad Arverin regum patrem ac tutorem praecipue spectare credi potest, illa ad deum Heliopolitanum. Pone utrumque accipitrem conspicitur globus serpente uraeo cinctus de cujus pectore pendet clavis, quo symbolo Aegyptii deum hieracomorphum mundi animum et rectorem praedicasse videntur. In basi autem eaedem illae sedentes effigies olim adfuisse videntur quae sunt in cuspide: at sphingis loco fuit vir flexis genubus dona sedenti offerens. Nunc quidem ex uno tantum latere fragmentum superest, in quo conspicimus virum sedentem in omni re similem ei qui est in cuspide, alterumque virum imberbem praecinctorio tenus nudum, capite gestantem capillitium breve ac cincinnatum sive galericulum, qui flexis genubus subsidens altera manu porrigit vasculum e quo planta enascitur, alteram adorantis more elevat: quo significari suspicor regem conditorem Arveri deo honores exhibentem.

---

3 Pag. 385.
4 Conf. *Num. Aeg. imperat. in mus. Borg.* pag. 140. not. 365.

§. VII.

Etiam obeliscus Flaminius [1] olim stetit Heliopoli, pariterque in binis lateribus hieracocephali sedentem effigiem exhibet, in binis viri pileati, eadem ratione fictas ac in Campensi obelisco: quare et ipse Soli Arveridique dicatus credi potest. Est etiam in pyramidio e regione sedentis sphinx dona porrigens, eodem modo atque in illo, ea tamen in re differens quod barbata sit, quodque in lateribus meridionali et boreali, ubi sedens simulacrum capite gaudet accipitrino, sphinx super capite calanticato sustineat pileum regium; in reliquis ubi sedens simulacrum plane humanum est, super calantica sphingis impositum sit ornamentum Isiacum quod supra descripsimus: cum in illo obelisco sphinges sint imberbes neque in capite aliud habeant praeter calanticam cum uraeo. Itaque si sphinges recte accepimus pro simulacris Nili fluvii, imberbibus illis forte innuitur incipiens aestuatio sive renascens fluvius, barbatis autem amnis jam aetate provectus sive completa inundatio: atque in eundem sensum verti potest quod imberbibus sphingibus adpicti sint accipiter vulturque, fluvii parentes et auctores denotantes, barbatae autem decorentur deorum geniorumque insignibus, pileo nimirum et ornamento sublimi Isiaco. Qui vero imberbem illam sphingem ipsam Aegyptum significare putaverit, haud absone barbatam pro Nilo acceperit, qui Aegyptiae terrae velut maritus est et herus: quamobrem et Isin deam, quae Luna est Aegyptique tutrix, ipsam Aegyptum interpretati sunt veterum nonnulli; Osiridemque heroem, si origines spectemus, ea ratione conjunctum Isidi qua apud Graecos Veneri conjunctus est Adonis, Dianae Virbius, postea pro fratre et marito habitum, Nilum significare dixerunt. In capitulo quod pyramidio subjectum est, ea conspiciuntur figurarum syntagmata quae in obelisco Campensi basin obtinuisse videntur: scilicet in binis quibusque lateribus eaedem illae sedent hieracocephali virique pileati effigies, quae sunt in pyramidii faciebus supra singula latera collocatis, et coram unaquaque vir imberbis ac dempto praecinctorio nudus flexis genubus subsidens sedenti simulacro dona offert, quem regem Aegyptium obelisci auctorem referre existimo. Capite is sustinet ornamentum Isiacum, quo indicatur regem ab Aegyptiis coli ut bonum genium imperiique tutorem. Praeterea gestat calanticam ei similem qua uti solent sphinges: sed in uno latere obelisci calanticae loco habet capillitium cincinnatum, sive galericulus sit ad cincinnorum imitationem factus. Caetera nihil ab invicem differunt quatuor istae figurae ingeniculatae, quae inscalptae sunt in capituli lateribus, nisi quod dona a singulis oblata diversi generis sint. Supra unamquamque conspicitur globus grandis cum duobus uraeis appensis pectore claves sustinentibus, quo significari reor, reges a diis originem trahere; siquidem globus cum uraeo clavem gestante notum est divinitatis symbolum. In baseos lateribus ter occurrit simulacrum hieracocephali stantis, caetera omnia ei similis qui sedet in pyramidio et in capitulo: in quarto latere stat vir barbatus cum pileo regio, pariter praecinctorio indutus manibusque tenens clavem et sceptrum aratriforme. Horum singulis e regione est vir imberbis genua flectens et dona offerens, uti ille qui cernitur in capitulo, cui et in reliquis con-

[1] Vide supra pag. 72. §. 3.

similis est, nisi quod careat capitis ornamento Isiaco, in binis lateribus gestans calanticam more sphingum, in binis galericulum cincinnatum. Denique in scapo infra capitulum super unaquaque hieroglyphicarum litterarum columna inscalptus est accipiter pileatus stylobatae inscripto subrectus.

Apparent praeterea in hujus obelisci pyramidio sub summum apicem extremae quaedem partes scalpturae, aeneo illo ornamento quod vertici impositum est prorsus fere contectae, qua exhiberi vultum tutricis deae Isidis ad infensorum daemonum malignitatem sinistrosque casus quoscunque a lapide avertendos inscalptum, suspicari facit obeliscus Sallustianus, cujus scalpturas magna ex parte desumptas esse ab obelisco Flaminio, jam Kircherus adnotavit [2]. In illius enim vertice tribus lateribus incisus est vultus obversus, cui utrinque adstitutum est flagrum: in quarto latere cernitur deus cum pileo Osiriaco in throno sedens clavemque tenens et sceptrum aratriforme. Infra haec in quavis pyramidii facie est hieracocephalus sedens, cum sphinge e regione decumbente. Porro in capituli tribus lateribus alter hieracocephalus sedens, in quarto vir pileatus, et coram quovis vir genubus flexis dona proferens: infra quos tres accipitres pileati, totidemque hieroglyphicarum litterarum columnae. Denique in baseos duobus lateribus sunt hieracocephali stantes, in tertio vir barbatus et pileatus stans, in quarto figuram eo loco inscalptam aetas invidit: unicuique autem e regione adest vir imberbis flexis genubus dona offerens. In eo autem latere, in cujus vertice conspicitur sedentis dei effigies, Osiridem ut videtur referens, imo loco infra figuram ingeniculatam adjectus est hippopotamus septem stellis circumdatus, quo Typhonem in ursae constellatione degentem indigitari supra monui [3]. Dein cernitur globus grandis, juxta quem baris circulum vehens, intra quem cernitur icuncula Harpocratis: quae ad Solem referri videntur, quem nonnulli Harpocratem esse dixerunt. Porro discus in quo vultus Lunae sive Isidis a latere conspiciendus, et ante discum averruncus genius hastam vibrans: in imo autem lapidis margine stellarum ordo horizontalis. Scilicet corollarium astronomicum, cujus in obelisco Flaminio nullum invenitur vestigium, ab alio lapide aetatis ut videtur multo recentioris mutuatus est, qui Romae concinnavit obeliscum Sallustium, in reliquis fere secutus obeliscum Flaminium, sed cujus scalpturas mira barbarie corrupit atque obscuravit.

§. VIII.

Maximus denique obeliscus, quem Romae videmus in area Lateranensi positum [1], quoniam olim Thebis steterit, Thebaeensi Jovi sacratus fuisse videtur. Hic in pyramidio singulis lateribus effictos ostendit viros duos barbatos et nudos, praecinctorio tantum monilique ut assolet atque pileo decoros, qui recte stantes alterque alterum respicientes manus jungunt, dum alter ea manu quae libera remanet clavem tenet recte demissam, alter manu contra os comitis elata clavem porrigit, tamquam potentiam suam illi communicaturus. Ista in omnibus lateribus eodem prorsus modo se habent: in pileis tantum quos viri illi capite gestant, di-

---

[2] Oedip. tom. 3. pag. 269. Confer quae de hoc obelisco monuimus supra pag. 76. §. 7.

[3] Pag. 445. not. 35.

[1] Vide supra pag. 66. §. 1.

scrimen est, quod quidem significatu carere non existimo, quamquam conjecturas quae ea de re proferri possunt haud satis firmas esse fatear. Scilicet in facie meridionali, quam primariam esse inde colligo, quod in apice ejus inscalptae sint litterae hieroglyphicae, caeteris faciebus apicem purum exhibentibus; inque ea facie quae illi objacet, vir qui clavem effert in capite habet pileum regium, de quo supra diximus: qui vero ipsi adstat pileum habet formae conicae cum plumis utrinque adjectis, qui ab Hermete gestari solitus, sacerdotum insignibus videtur accensendus, sed post Osiridem inter deos receptum huic prae reliquis attributus. In reliquis faciebus duabus qui clavem tenet elatam, capite gestat tiaram modioformem cum duabus plumis sublime assurgentibus et vitta retro defluente, quam galeam regiam appellare possis: qui vero ei est e regione constitutus in occidentali lapidis facie pileum habet conicum simplicem, sacerdotum in Aegypto gestamen, in orientali galeam modioformem cum apice et spira. Conjicio itaque in quavis facie repraesentari Jovem Thebaeum, quem Ammonem vocant et Cronum, qui Osiridem in filii locum adoptat: nam inter hieroglyphicas ejusdem obelisci notas occurrit figura sedentis deae, quae puero quem gremio sustinet eodem plane modo clavem ad vultum admovet: illa autem pileorum diversitate varias eorundem deorum virtutes honoresque indicari. Nempe Ammonem in binis obelisci lateribus universi mundi regem praedicari, in binis custodem Aegypti et propugnatorem: pariterque Osiridem pro diversa ornamentorum ratione variis laudibus extolli, bellatorem, sacrorum institutorem, Hermetis dei alumnum. Capitulum trabis in quovis latere unum idemque praefert figurarum syntagma, Ammonem deum eodem habitu quo fictus est in pyramidii lateribus orientali et occidentali, sed sedentem in throno, qui altera manu super genua porrecta clavem tenet, altera recte extensa aliam clavem protendit contra vultum viri imberbis praecinctorio tenus nudi capiteque calantica tecti, qui genua flectens e regione utraque manu sedenti offert pyxidem sphaericam. Hujusmodi effigiebus significari reges obeliscorum conditores, jam supra conjecturam proposui: hic vero Ammon deus clavi ad regem porrecta filii nomine cohonestare videtur. Solum in capituli lateribus illud deprehenditur discriminis, quod in meridionali et septentrionali pone sedentem deum collocata sit ara sive columella, qua subrigitur pertica superne desinens in discum forma oblongiore et subtus coarctata, qui utrum umbraculi genus sit an clava, definire non ausim: e reliquis vero lateribus ista exulent. Infra capitulum in unoquoque latere incalptum est aeterni numinis symbolum, accipiter stylobatae insistens et regio pileo decorus, comitante uraeo qui globo obvolutus pectore clavem gerit. Quae autem e regione adstitutae sunt effigies, in singulis lateribus proprium quid et peculiare prae se ferunt. Nam in meridionali latere ipse Ammon esse videtur, throno insidens uti in capitulo, caeteraque similis, sed capite calanticato regium pileum sustinens. Is dextra manu clavem tenet super genubus, sinistra elata clavem admovet rostro accipitris, velut ad cognationem cum magno numine testificandam. In orientali latere Osiris est eodem habitu atque in pyramidii latere occidentali, stans et sinistra manu accipitri offerens conum acutum, cujusmodi in obelisco Campensi sphinges sustinent. In lateribus boreali et occidentali stant viri imberbes, quos sacerdotes esse conjicio, capite pileolum subrotundum, caetera Osiridi modo dicto similes, quorum alter flores porrigit versus simulacrum accipitris, alter vascula cylindrica duo. In baseos latere meridionali idem illud figurarum syntagma, quod est in obelisco

Flaminio capituli lateribus meridionali et boreali, bis repetitum fuit, eo tamen discrimine quod in Lateranensi obelisco simulacra hieracocephala recte steterint, cum sedeant in Flaminio. Supersunt enim capita et globi pectoraque et sceptra duorum hieracocephalorum averse stantium, alterique e regione conspicitur adhuc ornamentum Isiacum, quod genuflexa figura capite gestabat, una cum globo uraeis stipato superius insculpto. Reliqua latera periere exceptis paucis quibusdam ornamentorum reliquiis, ex quibus colligitur in singulis lateribus adfuisse binas figuras genua flectentes coram deorum simulacris.

§. IX.

Disceptatur adhuc de duobus quos ultimo loco enarravi obeliscis, Flaminio et Lateranensi, quinam sit quem interpretatus est Hermapion apud Ammianum Marcellinum[1]. Ut Lateranensem obeliscum eum esse credamus quem omnes praecellentem a Ramise seu Rameste rege excisum narrat Plinius, facit lapidis magnitudo qua reliquos omnes hactenus cognitos superat, facit et locus ubi eum olim stetisse affirmat Ammianus: nam Mnevidis regia apud Plinium omnino videtur esse Thebe Aegyptia, ubi imperii fundamenta jecisse fertur Menes, qui aliis est Mineus, aliis Mnevis. Sed alium Ramessen Sethosis sive Sesostridis filium commemorat Manetho, a quo duos obeliscos Heliopoli erectos fuisse, infra dicetur; atque ex his unum esse qui nunc stat ad portam Flaminiam, quemque olim in Circo constitutum explicavit Hermapion, persuadent mihi tum Ammiani verba, qui ut obeliscum interpretatione donatum distingueret ab eo quem tunc nuper erexerat Constantius, veterem eum appellat, tum ipsius interpretationis textus, apprime consentaneus lapidi statuto in Solis civitate, non ita monumento erecto in Thebaei Jovis delubro. Nam et Heliopoleos expressa mentio fit, et tota inscriptio circa Solis et Apollinis honorem versatur: licet vero et Thebis Solem Arverinque cultos fuisse nullus dubitem, tamen in lapide Thebis statuto Jovis Thebaei praecipuam rationem habitam fore existimo. Saltem si Diodoro fides est, Jovi qui Thebis colitur obeliscos Thebis positos dedicavit Sesoosis. Quod vero Ammianus maximum illum obeliscum quem a Thebis advectum Constantius Romae erexit, olim deo Soli speciali munere dicatum fuisse dixit, id fluxisse videtur ex opinione quae jam Plinio scribente praevaluerat, omnes obeliscos Soli sacros esse. Caeterum ut reliqua fere omnia quae de Aegypto tradiderunt scriptores veteres, sic et inprimis quae ad obeliscos spectant, historiam eorum et interpretationem, velut iniquo premente fato ita obscura sunt et aequivoca, hiulca etiam et male brevia, ut fere quicquid volueris ex iis elicere possis, et scriptorum verba in quamcunque partem trahere: quo fit ut quae primo obtutu maximam polliceantur utilitatem, ubi accuratius inspexeris, aut parum juvent aut nova creent impedimenta. Nil sane potest opportunius videri ad hieroglyphicorum intelligentiam, quam obe-

---

[1] Lib. 17. cap. 4. supra pag. 26. Plerique quidem, in quibus Bargaeus epist. de urb. Romae eversorib. in Graev. thes. tom. 4. pag. 1871., Mercatus lib. de obelisc. Rom. cap. 19. p. 203., Kircherus Oedip. tom. 3. pag. 250., de obelisco Flaminio acceperunt: at inter alios Marshamus vir singularis acuminis can. chron. pag. 457., et ante eum Pigafetta, *discorso d'intorno all' istor. dell' Aguglia* pag. 5., Lateranensem obeliscum intelligendum esse affirmaverunt,

lisci interpretatio a vetere auctore, cujus nomen Aegyptiam viri originem testatur, profecta, quaeque et ipsa magnam prae se fert veritatis et sinceritatis speciem. Sed qui eam nobis servavit Ammianus, sermone utitur ita confuso verbisque affectata brevitate ita obscuris, ut quis sit obeliscus quem Hermapion interpretatus est, incertum relinquatur, nec nisi ex conjecturis, quibus multa opponi possunt, queat definiri. Praeterea fragmentum tantum attulit, nec certum suppetit indicium, unde arguere possis quam obelisci partem illud comprehendat. Nam praeter quod nesciamus quae sit illa obelisci facies quam interpres appellat australem, in unaquaque facie complures sunt notarum ordines, inter quos qui sint illi quorum superest interpretatio, scitu haud obvium est. Alii enim sunt in pyramidio, alii in capitulo, alii in scapo, alii denique in basi: nulli autem in his argumentum offerunt quod clare indicet hos aut illos convenire cum interpretatione: breviorque apparet interpretatio quam pro scapi ratione, longior quam pro caeterarum obelisci partium. Etiam dum post tres versus ad tres alios explicandos transit in eodem ut videtur latere ejusdemque ac priores longitudinis, intelligendum putares interpretem de iis versibus sive columnis quae sunt in basi aut in capitulo pyramidiove, in quibus singulis columnae dupliciter sunt divisae ac separatae: at in pyramidio et capitulo, quorum quodvis in singulis lateribus habet bis ternas notarum columnas, oppido breviores sunt quam ut interpretationi respondere queant, in basi autem, ubi columnae sunt prolixiores, non ternae sunt sed quaternae. Si vero de scapo intelligamus, credi potest interpres singula ejusdem latera in duas partes dirimisse, forsan a summitate usque ad mediam fere altitudinem, quo loco interposita sunt terna schemata elliptica, atque ab his secundariorum versuum initium statuisse. Nam ut illud αλλος στιχος δευτερος, ad cujus analogiam supplevi αλλος στιχος πρωτος, de secundariis ejusdem lateris versibus acciperetur, praeter brevitatem de qua dixi, suaderet et subsequens αφηλιωτης στιχος πρωτος, quod argumento esse videtur interpretem post explicatum latus australe perrexisse ad latus orientale, inde ad boreale, et occidentale, et sic notas circum circa incisas absolvisse: inordinate enim rem egisse videretur, si inter australe et orientale latus unum ex caeteris duobus interpretatus foret. Sed pariter ne in illo acquiescamus, obstat quod juxta interpretationem secundarii isti versus ab ejusdem dei nomine incipiant qui in primariis versibus primum locum tenet: in lapide autem prorsus diversae sint notae a quibus incipiunt secundarii illi versus, ab illis quae occurrunt in trabis vertice, ideoque interpretatio hoc modo non videatur posse componi cum monumento. Itaque omnibus reputatis et perpensis, satius duco credere, interpretem non esse eum ordinem secutum qui nobis videtur naturalis et maxime congruus, sed ob rationes nobis ignotas inter latera australe et orientale interposuisse sive occidentale, sive quod mallem boreale, quoniam latera opposita aliquam inter se cognationem servare solent: ipsa vero interpretatione non singulas notas reddi atque explicari, sed sisti tantum epitomen inscriptionis, quam a vetere hierogrammate concinnatam annalibusque insertam, in Graecum sermonem converterit Hermapion. Ita enim brevis est, ut supputatis Graecis vocibus articulisque et copulis, hae in septem illis versibus, quos legimus apud Ammianum, comprehendentes duo scapi latera cum tertii lateris parte tertia, numero vix superent notas quae occurrunt in unoquoque scapi latere: quo consequeretur Aegyptios ad cogitata sua exprimenda multo pluribus opus habuisse notis, quam Graeci vocibus, quod sane non videtur posse conciliari cum

veterum locis de illo scribendi genere, nec cum ea quae natura est cujusque scriptionis ipsas rerum idearumque figuras exhibentis. Quaevis enim hujusmodi figura vel integram sententiam exprimit vel absolutum saltem vocabulum, nomen verbumve: ideoque hujusmodi scriptio ad quodcunque sermonis argumentum absolvendum longe paucioribus signis indiget quam Graeca inprimis lingua, auxiliaribus voculis abundans ubique. Quare donec meliora docear, existimo Hermapionem interpretatum esse epitomen textus notarum quae sunt in scapo obelisci Flaminii, lateribus australi, boreali et parte orientalis, ut tunc quidem constitutus fuit. Intelligimus hoc pacto qui factum ut singuli versus initio mentionem habeant de Sole aut de Apolline, qui licet dii sint in ipsa illa interpretatione ab invicem distincti, tamen uterque exprimi potuerunt effigie accipitris, quae in unaquaque scapi columna primum locum obtinet; ratione quidem propter quam modo ἥλιον verterit interpres, modo απολλωνα, nos hodie latente. Nec illud quidem affirmare ausim priorem interpretem in omnibus assecutum esse mentem inscriptionis, neque Hermapionem accurate reddidisse Aegyptii interpretis verba: universus tamen interpretationis textus ita consentaneus est ei quem credere possumus veterum Aegyptiorum cogitandi loquendique modum, ut certe Kircherum nimia arrogantia usum putem, dum totam ut spuriam rejicit, eo maxime nixus argumento, quod cum interpretatione a se absque documentis prolata non conveniat.



In Museo Borgiano Velitris V. pag. 01.205

And. Roncalli delineavit — C. Antonini incidit

SECTIO QUINTA.

De historia obeliscorum.

Absolutis quae nobis dicenda erant de usu et origine obeliscorum, opus est subtexere notitiam de aetate ac fatis eorum, chronologica ratione ordinatam. Quoniam vero primo in Aegypto antiqui principes obeliscos excidere atque in clarissimis imperii civitatibus erigere instituerunt, postea Ptolemaei reges nonnullos ad nova vel instaurata in Aegypto oppida transtulere, deinde post Aegypti cladem Romani imperatores Romam aut ad alias suae ditionis urbes devexere, postremo autem postquam Urbs variis cladibus vastata esset et obelisci cum caeteris Urbis ornamentis dejecti, Summi Pontifices denuo restituerunt: sponte in quatuor epochas dirimitur obeliscorum historia. Quarum prima spissis obvolvitur tenebris, quibus dispellendis nec documenta nec probabiles conjecturas unquam suffecturas esse existimo. Secunda admodum sterilis est, dum praeter Plinium et Aphthonium nemo sit vetus auctor qui de ea aliquid prodiderit. De tertia autem licet plura suppetant testimonia, tamen de quatuor tantum qui in Urbe sunt maximi obelisci, atque de eo qui Constantinopoli stat in hippodromo, certo constat qui principes eos advexerint.

CAPUT PRIMUM

Prima obeliscorum epocha.

§. I.

Ita sunt brevia, obscura atque dissona, quae de obeliscorum initiis tradidere veteres scriptores, ipsisque monumentis quae hodie supersunt tam parum consentanea, ut prorsus nil certi e dictis eorum colligi queat. Jam Herodotus [1] fabellam tantum affert, eamque plane ridiculam, de Pherone Sesostridis filio, qui oculis captus cum oraculo monente castae mulieris lotio faciem lavisset, eoque pacto visum recepisset, in Solis templo duos obeliscos statuit cubitorum centenûm. Utrum is primus hujusmodi lapides erigere instituerit, an alii jam ante eum fecerint, non adnotat: sed cum de hoc tantum rege hujusmodi factum commemoret, suspicari facit suam fuisse sententiam, quod Phero primus exstiterit obeliscorum conditor, saltem Heliopoli primi obelisci ab eo fuerint erecti. Eandem fabellam repetit Diodorus [2], sed qui jam duorum obeliscorum meminerat, deo qui Thebis maxime colebatur dono datorum a Sesostride, qui singuli erant cubitorum centum viginti [3]. Advertit praeterea multos obeliscos Thebis erectos fuisse a vetustissimis regibus, qui successere Busiridi Thebarum conditori [4]. Quae si recte scripsit, obeliscorum erigendorum consuetudo Thebis antiquior fuit quam Heliopoli:

[1] Lib. 2. cap. 111. supra pag. 2.
[2] Lib. 1. cap. 59. supra pag. 5.
[3] Ibid. cap. 57. supra pag. 4.
[4] Ibid. cap. 46. supra pag. 4.

quod certe facile sibi persuadebit quicunque animum adverterit ad Thebarum antiquitatem et praeclara aedificia a vetustissimis regibus ibi condita, ut taceam syeniticarum lapicidinarum viciniam.

Sed uterque scriptor, dum Aegyptiorum regum historiam persequitur, tantum oblata occasione mentionem injicit de obeliscis: qui vero data opera obeliscorum aliquam historiam texere instituit, Plinius [5], regum conditorum nomina prodit, maximam partem reliquis qui de rebus Aegyptiis scripserunt ignorata, praeterea a librariis adeo corrupta, ut quid ipse scripserit exacte sciri nequeat: quo fit ut in aetate eorum supputanda, inque nominibus cum iis comparandis, quae in Aegyptiorum regum catalogis occurrunt, plurimum arbitrii relinquatur. Videtur autem Plinius auctores secutus esse qui de Heliopoli tantum scripserant, unde factum ut in priori narrationis parte, ubi sermonem habet de antiquis in Aegypto regibus, eorum tantum meminerit qui celebre quod in illa urbe erat Solis templum hujusmodi donariis decoraverant; quamquam nec illos omnes ordinata serie ab eo fuisse enarratos, jam ex iis patet quae postea affert de obeliscis ab Augusto Romam delatis, quos Heliopoli stetisse scimus ex Strabone [6]. Neque omnino hac de re satis accurate scripsisse Plinium, argumento sunt ipsorum qui hodie supersunt obeliscorum scalpturae, ut mox dicetur. Quoniam vero inter veteres scriptores qui aevum tulerunt, is solus obeliscorum historiam pro locorum temporumque ratione persecutus sit; quae ipse de iis prodidit velut totius argumenti basin suspicere solent eruditi. Quam ob causam et in operis nostri limine plurimorum codicum manuscriptorum auxilio usi, contextum ejus integritati reddere totis viribus adnixi sumus, inque notis subjectis nonnulla attulimus quae ad regum nomina ab eo adducta confirmanda et illustranda utilia visa sunt, quae hic per compendium recensere sufficit. Primus qui in Solis templo obeliscum dicavit, Plinio est Mesphres aut simili nomine dictus, qui videtur esse Misaphris sive Mephres Manethonis [7], sed quem epitomae Manethonianae [8] multis generationibus recentiorem faciunt Sesostride filioque, a quibus obeliscos Thebis et Heliopoli statutos Herodotus et Diodorus commemorant. Post Mesphren, qui obelisco suo inscribi curavit somnium, quo jussus eum erexerat, prodit Plinius Sothin quatuor obeliscorum conditorem, qui credi potest Sethos Manethonis [9], inter quem et Misaphrin undecim reges numerantur. Tertius post Sethosin Manethoni est Rameses, quem Plinius vocat Ramisen, eoque regnante Ilium captum esse ait, quem si putemus esse Rampsinitum Herodoti [10], Remphen dictum Diodoro [11], in temporibus supputandis pro illorum saeculorum ratione non magna erit dissensio: nam utrique dicitur Rampsinitus seu Remphes regnasse statim post Proteum, cum quo in Aegypto conversatus fertur Menelaus. Ramises ille, si Plinium audiamus, post obeliscum sive obeliscos Heliopoli erectos, unum statui jussit Thebis [12] omnium maximum atque pulcherrimum, cubitorum ut videtur centum viginti, dum quos Sothis erexerat essent cubitorum quadragenûm octonûm, quos ipse Ramises Heliopoli quadragenûm. Commemorat praeterea duos obeliscos sine notis Heliopoli statutos cubitorum quadragenûm octo-

---

[5] Lib. 36. cap. 8. — 11. supra pag. 9. sqq.
[6] Lib. 17. pag. 1158. supra pag. 6.
[7] Conf. supra pag. 10. not. 3.
[8] Apud Syncell. pag. 59. 70.
[9] Conf supra pag. 11. not. 6.
[10] Lib. 2. cap. 121.
[11] Lib. 1. cap. 62.
[12] Conf. supra pag. 11. not. 11.

nûm, quorum alterum exciderat Zmarres rex, qui videtur esse Smedes seu Smendis Manethonis, tertius post Ramesen juniorem, Diodoro et Aeliano Marros sive Marres dictus [13]; alterum Phius vel Phiosenes, qui forte est Phusenes vel Psusennes Manethonis, qui Smedi successit [14]. Hi itaque sunt quos serie quadam recenset Plinius: Mesphres, Sothis, Ramises, Zmarres, Phiosenes. Postea sermonem instituens de obeliscis Alexandriae statutis, commemorat Nectebin regem [15], qui videtur esse Neco sive Nechao Psammetichi filius, Syncello [16] Nechaab dictus, qui cum obeliscum excidisset octoginta cubitorum, purum, hunc Alexandriam devehendum et in Arsinoëo collocandum curavit Ptolemaeus Philadelphus; et Mestiren [17], qui duo excidi jusserat obeliscos quadragenûm binûm cubitorum, postea positos Alexandriae ad portum in templo Caesaris. Denique de obeliscis disserens qui tunc Romae erant, ex Aegypto advecti, nominat Sothin jam supra memoratum, Campensis obelisci conditorem [18]; Semenpserteum, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, quem Psammenitum vocat Herodotus, Psammacheriten Manetho [19]; et Nuncoreum Sesosidis filium, qui videtur esse Phero Herodoti [20]. Ab hoc Vaticanum obeliscum excisum prodit Plinius, a Semenpserteo Flaminium, quem meliori jure Hermapion [21] tribuit Ramesti sive Rapsi, qui juxta Manethonem successit Sethosi vel Sothidi.

§. I I.

Haec sunt quae apud auctores invenio: ubi vero consulimus ipsos lapides qui aevum tulere, in oculos incurrit duplex scalpturae modus, de quo jam supra monui [1], ejusque indicio duas antiquorum obeliscorum aetates asserui. Scilicet quamquam in unoquoque fere obelisco nonnulla deprehendantur ei propria et peculiaria, sive artis modum spectes sive fingendarum notarum rationem, omnes tamen in duas classes colligi possunt, quarum quaevis comprehendit certum obeliscorum numerum inter se maximam partem convenientium, ab iis autem qui alteram classem efficiunt longe distantium. Harum quae scalpturam ostendit simpliciorem rigidioremque, eam esse vetustiorem facile mecum sentient eruditi; recentiorem autem, quae in notis fingendis atque ordinandis majorem prae se fert varietatem et luxuriam, earumdemque lineamenta molliora et laxiora exhibet, instrumentis praeterea ad saxi duritiem domandam usa videtur magis complicatis et inventu difficilioribus [2]. Inter eos autem obeliscos quos ipse vidi prioris generis esse tres illos maximos qui Romae cernuntur hieroglyphice inscalpti, Lateranensem, Flaminium, Campensem, sequioris generis Pamphilium et Barberinum, argumenta supra attuli, tum in ipsorum obeliscorum descriptione, tum in tractatu de mechanica eorundem. Advertendum est praeterea quod in obeliscis Pamphilio et Barberino multae recurrant notae e maximis illis exulantes, quarum non paucae tardius inter hieroglyphica receptae esse videntur. Hujusmodi, praeter phallica si-

---

13 Conf. supra pag. 13. not. 19.
14 Ibid. not. 20.
15 Ibid. not. 22.
16 Chronogr. pag. 210.
17 Conf. supra pag. 14. not. 41.
18 Ibid. pag. 16. not. 56.
19 Ibid. pag. 15. not. 53.
20 Ibid. pag. 18. not. 84.
21 Apud Ammianum Marcellinum supra pag. 26.
1 Pag. 472. 75. 78.
2 Vide supra pag. 189. 190. 78.

gna de quibus supra diximus [3], sunt figurae quaedam monstrificae ex animalium partibus compositae, humanae quoque figurae novis ornamentis attributisque instructae, et toto habitu ac motu corporis novi quid prae se ferentes atque a veteri simplicitate alienum; nam et brachia pedesque liberius exserunt, et majorem imitantur actuum varietatem. Quae omnia licet per se nihil evincant, cum ex eorundem absentia e maximis obeliscis minime argui possit, nondum in usu fuisse quo tempore illi excidebantur, in quibus ne inscalperentur argumenti ratio in causa esse potuit: attamen ex reliquarum peristaseôn consensu probabile fit, cerebrosas illas et auctiores figuras postmodum ad hieroglyphica signa fuisse adjectas. E contrario ornamenta nonnulla et attributa, in vetustioribus obeliscis accurate et diligenter exprimi solita, ut barba, monile, praecinctorium, clavis, sceptrum, varia capitis gestamina, in hisce saepe omittuntur, saepe negligentius indicantur, utpote res jam abunde cognitae quibus immorari pigebat artificem. Reliqui etiam characteres in utriusque generis obeliscis obvii, in antiquioribus accuratius exscalpti esse solent ad prototypi imitationem, et constanter quotiescunque recurrunt ad eundem modum facti, in sequioribus autem pro scalptoris lubitu in uno eodemque lapide variati observantur, atque prototypo modo plus modo minus conformes: fere ut in Romanis inscriptionibus primi secundique post Christum saeculi litterae scite et uniformiter pictae esse solent, in sequioribus negligenter et formis continuo variantibus. In universum enim quos primae aetatis appellavi, tersum quid ostendunt, exactum et sobrium [4]; iis vero quos secundae aetatis dixi, inest operae quaedam negligentia cum luxuriante ingenio conjuncta. Adeo vero hi ab illis distant, ut notabile temporis intervallum inter utrosque intercessisse putem, aut magnum aliquem eventum gentis genium immutasse: ideoque cum in Aegypti historia post pastorum tyrannidem nullum factum occurrat quo ita mutata sit rerum in illa regione facies, atque Psammeticho imperium occupante evenit, opportunum videtur hujus initia terminum statuere inter utriusque aetatis obeliscos. Scilicet priores obeliscos excisos esse conjicio a successoribus Sesostridis, antequam Aegypto a Sabacone Aethiope capta imperii ordo turbaretur, moxque neglecta tribu militari, ex qua reges adscisci lex jubebat, Setho ex sacerdotum classe rex constitueretur, et turbis inde natis inter duodecim principes divideretur imperium, quibus pulsis Psammetichus vi regnum obtinuit et ad posteros transmisit: sequiores autem a Psammeticho et qui ei successere. De reliquo praeter tres illos quos supra nominavi obeliscos, ad primam aetatem pertinere reor obeliscum Constantinopolitanum, Alexandrinos duos, Heliopolitanum, eosque qui Thebis Philisque hodie sunt superstites; etiam Mahutaeum, Matthaejum et Mediceum, quos quidem stelis quam obeliscis accensere malim. Ad secundam autem aetatem praeter duos supradictos refero obeliscum Insularem, Beneventanum, Wanstedianum, Fajumensem, atque ex parvis Albanium, Borgianum et Florentinum illum omnium minimum. Forsan et huc pertinet obeliscus Catanensis, quamquam si iconismis fidem habemus, non Aegyptium opus videatur, sed ad Aegyptiorum morum imitationem factum [5]. Ad prio-

---

[3] Pag. 476.

[4] Confer supra pag. 67.

[5] Confer supra pag. 87. Quod vero opportune hic advertendum occurrit, ambo illa fragmina quae Catanae sunt, vulgo ad duos obeliscos pertinere credita, unius esse ejusdemque lapidis, cuspidemque adservatam in aedibus Paternoniis respondere summitati trabis in foro

rem autem classem referri possunt Minerveus et Sallustius, quos Romae inscalptos existimo, notarum serie ab antiquis lapidibus desumpta, alterum quidem perite atque accurate, alterum inscite et barbare; qua de re infra recurret disputatio.

§. III.

Superest ut dicam de singulis utriusque aetatis obeliscis, deque regibus quos obeliscorum conditores laudaverunt scriptores veteres, atque ex horum traditionibus cum monumentorum evidentia collatis definire aggrediar, quae circa primaevam obeliscorum historiam videri possint quam proxime accedere ad veritatis speciem. Totius Aegyptiae historiae velut cardo quidam est Sesostris rex, de quo nonnulla jam supra delibuimus; cujus aetas si ad certum annum certumve saeculum figi posset, magna saltem pars dispelleretur tenebrarum, quae gentis illius annales obtegunt. Sed eam ne exactis rationibus definire adnitar, terrent doctorum virorum qui id facere conati sunt tentamina, qui cum in diversissima abierint, nemo eorum suae supputationi certam stabilemque persuasionem conciliare valuit, sed veram Sesostridis epocham adhuc latere inter eruditos fere convenit. Inter antiquos historicos, quibus maxima tribui solet auctoritas, Herodotus Sesostrin nimis recentem facere videtur, dum tertia ante Ilii excidium generatione collocat; Diodorus nimis vetustum, utpote qui praeter quatuor reges et interregnum, multas adhuc generationes inter Sesoosin et Proteum Menelai hospitem intercessisse ait. Ambo quidem scriptores compendiaria ratione tractaverunt res Aegyptias, selectis iis quae peculiariter memoratu digna videbantur, omissis reliquis, quae ad seriem explendam faciebant rerumque nexum demonstrandum: Manethonis autem liber universam Aegypti historiam, regumque nomina successionesque et gestarum rerum seriem complexus, periit, exceptis epitomis quibusdam sterilibus et male fidis. Varii enim scriptores quisque pro suo instituto, dynastias Manethonis ita interpolaverunt, truncaverunt atque confuderunt, ut ne de consilio quidem ordineque libri certiores fieri possimus, omnesne illos reges quorum nomina apud eum legebantur, in totius Aegypti imperio alterum alteri successisse, an diversas dynastias uno eodemque tempore diversis provinciis praefuisse affirmaverit, an vero de singulis dynastiis plures attulerit recensiones, uti in antiquis libris varia ratione proditae inveniebantur. Continuata serie omnes regnum obtinuisse, sententia fuit Africani, Eusebii et Syncelli, qui nobis transmiserunt illas epitomas, sed de quibus non satis constat utrum integrum librum inspexerint an jam ipsi usi sint breviariis ab Apione aliisve concinnatis. Hos oppugnavit acris ingenii vir et singulari eruditione instructus, Joannes Marshamus [1], qui rationibus admodum probabilibus docuit complures ex iis dynastiis quae habentur apud Manethonem, contemporanea dominatione tenuisse praefecturas Aegypti: sed quas cum pro temporum ratione distribuere sategit, multa admisit arbitraria, quin et integras dynastias quas rationibus suis accommodare desperaret, ab Africano confictas et intrusas damnavit.

---

erectae, certior factus sum ab amicissimo Camillo Borgia equite Hierosolymitano, qui cum Catanae esset anno 1794, utrumque fragmentum accurate observavit.

[1] In canone chronico saec. 5. sqq.

Cujusmodi fraudis ne accusem virum laboriosum, qui ut facere solebant ejus aevi chronologi, antiquos auctores ut in suam traherent sententiam, in Manethone quidem interpretando multum sibi indulsisse, et breviora quaecunque temporis intervalla pro consilio suo extendisse aut decurtasse credi potest, putare malo ipsum Manethonem interdum unius ejusdemque dynastiae plures recensiones libro suo inseruisse, atque inde factum ut unus idemque rex mutato nomine pluries recurrat. In his Sesostris esse videtur: nam nomen ejus vulgari modo scriptum legitur in Manethonis dynastia duodecima, subjecta historia de stelis ab eo erectis; in decimanona autem collata cum fragmento quod exstat apud Josephum libro primo contra Apionem [2], sistitur Sethos sive Sethosis Ramesses, narranturque de eo res magnam partem iis consonae quas de Sesostride tradit Herodotus. Quare jam pridem Scaliger [3], Marshamus [4] aliique Sethosin Manethonis Sesostridem Herodoti esse censuerunt. In eo autem Marshamus [5] omnem veterum scriptorum fidem elevat, quod Sesostrin plus quam duobus saeculis Trojanae cladi facit posteriorem: qua in re ut ipsi et, qui jam ante idem senserat, Mercato [6] assentiam, firmiori sane argumento opus foret quam afferre possunt Josephi [7] auctoritas, et ea inter Sesostridis et Sesaci gesta conformitas quod uterque Palaestinam bello petiit. Cum enim Graeci omnes consentiant pluribus generationibus ante Ilii fatum vixisse Sesostridem [8], aut in hoc cum iis standum reor, aut totam Sesostridis historiam ad fabulas ablegandam. Sed nec incommoda videtur Manethonis sententia [9], regem quem Aegyptiorum annales appellabant Sethosin Ramessen, eum esse putantis qui in vetustis Graecorum traditionibus Aegyptus dicitur, fratremque ejus Armain, qui cum res novare tentasset victus est et ad fugam compulsus, a Graecis vocari Danaum: quae et confirmatur Aristotelis [10] rationibus Sesostrin Minoë antiquiorem pronunciantis, et conciliari potest cum genealogiis Peloponnesiacis, juxta quas Danai adventus novem generationibus sive tribus saeculis antevertit bellum Trojanum. Quare est quod in hac supputatione, compluribus licet objectionibus obnoxia, acquiescere satius ducam, quam multa disputare de epocha quam firmis rationibus neminem unquam definiturum esse existimo. Si vero Sesostris ille gestarum rerum magnitudine celebris, Sethos est sive Sethosis Manethonis, annisque floruit trecentis ante bellum Iliacum, atque idem est quem Heliopolitanos auctores secutus Sothin appellat Plinius, quoddam habemus fundamentum, cui superstruere possumus chronologicam obeliscorum recensionem.

Inter omnes eos lapides quos hodie appellant obeliscos, vetustissimi videntur parvi illi quos ex artis modo ad primam aetatem referendos esse censui. Nam et a parvis lapidibus, qui rectius stelae vocantur, initium factum esse, jam per se facile liquet, et rudior quam in caeteris incultiorque est fabrica in parvis obeliscis, Mahutaeo, Mediceo, Mathaejano, licet de reliquo eadem sit scalpturarum ratio idemque saxi tractandi modus, ac in tribus qui Romae cernuntur maximi obeli-

[2] Cap. 15.
[3] Adnotat. in Euseb. chron. num. 534.
[4] Lib. cit. pag. 370.
[5] Ibid. pag. 22. 376.
[6] *Degli obelischi di Roma* cap. 14. pag. 155.
[7] Antiqu. Jud. lib. 8. cap. 4.
[8] Vide auctores citatos supra pag. 578. not. 15.
[9] Apud Josephum contra Apion. lib. 1. c. 15.
[10] De republ. lib. 7. cap. 10.

sci. Attamen pro certo affirmare nolim, tres illos parvos lapides modo dictos pertinere ad primaevas stelas statui consuetas antequam coeptum esset magnos obeliscos excidere: siquidem et postea parvis stelis uti perseveraverunt Aegyptii, et credi potest minorem diligentiam adhibitam fuisse in parvis lapidibus expoliendis quam in magnis. Primo autem in magna Jovis civitate, quam Thebas Aegyptias dixerunt, institutum esse grandes obeliscos in templis statuere, putare suadet antiquus illius oppidi splendor, atque probabile videtur nonnullos ex iis obeliscis qui inter rudera ejus hodie adhuc spectantur, reliquos omnes aetate antevertere. Sed de horum conditoribus nulla ad nos pervenit memoria: nisi quod generatim adnotet Diodorus [10] *, successores Busiridis, qui Thebas condidisse fertur, multis et magnificis donariis urbem eam decorasse, in quibus et fuere obelisci monolithi. Primus rex qui expresso nomine obeliscum diis obtulisse proditur, Mesphres est, pronepos Amoseos sive Tethmoseos, qui victis pastoribus Heliopolin regno suo adjecit, Pelusiumque primus expugnavit [11]. Regnare autem coepit Mesphres annis plus quam ducentis ante Sethosin, secunda autem generatione ante diluvium Deucalionis, septemdecim fere saeculis ante vulgaris aerae initium. Quae fuerit magnitudo obelisco ab eo exciso, non adnotavit Plinius [12]: at inter eos recenset quos operis quodam certamine e syenite lapide fecerunt reges Aegyptii: caeterum Mesphren somnio jussum hunc obeliscum omnium primum statuisse, somniumque ei inscribi jussisse. De regibus qui ei successere praeter nomina annosque imperii nihil memoriae proditum est, usque ad Amenophin, qui a pastoribus regno pulsus in Aethiopiam aufugit, post aucto exercitu in Aegyptum reversus pastorum impetum repressit. Hujus filius Sethosis, qui Graecis Sesostris dicitur, Plinio Sothis, post Pelusium iterum captum, pastoresque ad deditionem coactos vel extra Aegypti fines ejectos, ordinatis rebus imperii et republica firmiter constituta, ad Aegypti civitates aedificiis decorandas et templa splendidissimis donariis augenda se convertit. Hunc Heliopoli quatuor obeliscos quadragenûm octonûm cubitorum erexisse tradit Plinius, ex quibus unus esse videtur is quem Romam devectum Augustus statuit in campo Martio. Nam et hujus auctorem Sothidem appellat idem Plinius, et quod jam alii adverterunt, septuaginta sex pedes cum dodrante, quam ejus mensuram adnotat, parum distant a cubitis quadraginta octo, neque in hujusmodi rebus haerendum est in parvis differentiis. Itaque satis bene pro ea quae in his Aegyptiae historiae tenebris attingi potest probabilitatis ratio, obeliscum Campensem, pulcritudinis laude celebrem, quem in area curiae Innocentianae restitui jussit PIUS SEXTUS, ad Sethosin sive Sesostrin conditorem referri, et annis ante aeram vulgarem circiter mille quingentis excisum credi existimo [13]. Etiam is obeliscus qui hodie adhuc cernitur in loco ubi olim fuit Heliopolis, inter hujus regis opera referri potest: nam et pulcritudo ejus laudatur a peregrinatoribus [14], et magnitudo parum differre videtur ab ea quam obeliscis a Sothide excisis tribuit Plinius. Ab eodem vero Sesostride sive Sesooside duos obeliscos centenûm vicenûm cubitorum Thebis sta-

---

[10] * Lib. 1. cap. 46. supra pag. 4. Conf. Strab. lib. 17. pag. 1171. supra pag. 6.

[11] Manetho apud Josephum lib. cit. c. 14. 15. et apud Syncellum pag. 70. sqq.

[12] Lib. 36. cap 8. sqq. supra pag. 9. sqq.

[13] Confer V.C. Bandinium de obelisco Caes. Aug. cap. 1. 2.

[14] Vide supra pag. 107.

tutos in Jovis templo commemorat Diodorus Siculus [15], qui si recte aestimavit eorum altitudinem, ipsi non supersunt amplius: nam maximi obelisci, qui in iis locis produntur a peregrinatoribus, non excedunt cubitos sexaginta. Sed scimus Graecos scriptores, inprimis Diodorum, Aegyptiorum operum magnitudinem ad miraculum usque augere consuevisse, nec satis constat, quid illo cubiti vocabulo in Aegyptiis rebus significatum voluerint: quare non prorsus abs re esse videtur, si duos obeliscos, qui adhuc stant ante Luxorensis templi aditum omnium in Aegypto superstitum maximi et pulcherrimi [16], pro iis accipimus, qu s a Sesostride excisos prodiderant auctores a Diodoro descripti; praesertim cum in eodem illo templo adhuc exscalpta conspiciatur effigies navigii illius cedrini, quod Sesostrin una cum obeliscis Jovi obtulisse ferunt [17]. Sethosi juxta Manethonem successit filius Rampses, quem Diodorus [18] appellat Sesoosin secundum, Herodotus [19] Pheronem, Plinius Nuncoreum, quemque eum esse conjicio qui Hermapioni dicitur Ramestes, obelisci Flaminii conditor. Scilicet Sesostridis filium Pheronem luminibus receptis duos obeliscos dedicasse in Solis templo, jam apud Herodotum legimus, narratione quidem absona fabella deturpata, quam mutato regis nomine descripsit Diodorus: Plinius autem dum Sesosidis filio Nuncoreo, qui post coecitatem visu reddito ex oraculo Soli sacraverat duos obeliscos, adscribit obeliscum Vaticanum, Flaminium vero Semenpserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, memoria lapsus unum obeliscum pro altero nominasse videtur. Nam ita inter se conveniunt scalpturae obeliscorum Campensis et Flaminii, sive figurarum habitum spectes sive artis modum, ut plane incredibile sit, tot saeculorum intervallo eos distare, quot intercessere inter Sesostridem et Pythagoram. Ubi vero Ramesten illum accipiamus pro Rampse Sethosidis sive Sesostridis filio, tunc et illud perspicimus cur utriusque obelisci eadem fere pulcritudo sit, et cum Plinio unum ex duobus illis obeliscis ad Sesostridis aetatem referre possumus, alterum ad Pythagorae. Intelligimus etiam qui sint αλλοεθνεις illi quibus devictis Aegyptum pacasse et Heliopolin auxisse dicitur Ramestes in obelisci inscriptione [20], nempe pastores, quos ipse una cum patre devicit et fugavit. Scio equidem plures in Aegypto reges Ramestes sive Ramesses aut Rampses dictos fuisse, quin et ipsum illum magnum Sethosin eo nomine usum prodit Manetho apud Josephum: sed ne huic, neque ultimo hujus nominis regi a Manethone memorato tribuam obeliscum Flaminium, obstat longitudo ejusdem, quae nimis superat mensuram obeliscorum quos ab his Heliopoli statutos recenset Plinius. Quod vero obeliscos a Sesostridis filio erectos centenûm cubitorum altitudine prodant Herodotus et qui eum descripsere, id aeque obest obelisco Vaticano [21], caeterum non magnam creat difficultatem, quandoquidem ut modo diximus Graeci Aegyptia opera in majus augere consueverunt. Post Rampsen Sethosidis filium apud Manethonem invenimus Ammenephthen, quem excipit alter Rampses sive Ramises, a quo quatuor obeliscos quadragenûm cubitorum Heliopoli constitutos commemorat Plinius, quin-

[15] Lib. 1. cap. 57. supra pag. 4.

[16] Vide supra pag. 116.

[17] Pococke *descript. of the East* vol. 1. pag. 108. tab. 42.

[18] Lib. 1. cap. 59. supra pag. 5.

[19] Lib. 2. cap. 111. supra pag. 2.

[20] Secundum Hermapionem apud Amm. Marcell. supra pag. 27.

[21] Confer quae de hujus obelisci mensuris disputavimus supra pag. 146. 147.

tum Thebis caeteros omnes mole praecellentem, qui is esse videtur qui nunc stat in area Lateranensi, omnium qui hodie noscuntur maximus, nec pulcritudine alteri secundus. Numerorum quidem notae quibus magnitudinem definiverat Plinius, in libris ejus penitus sunt corruptae, nec multum tribui velim conjecturae qua eas restituere tentavi in Pliniani loci recensione [22]: id saltem probabile videtur plus centum cubitis longum aestimatum fuisse, cum molem ejus miraculo fuisse asserat Plinius, qui idem ipse obeliscis Nuncorei tribuit cubitos centum. Quare si sermo ei fuit de obelisco quem nunc Lateranensem dicimus, iterum recurrendum est ad Graecorum in Aegyptiis rebus hyperbolas, de quibus modo diximus: nam iste non superat cubitos septuaginta quinque [23]. Fabulis quas narrat de multis hominum millibus in obelisco fabricando occupatis, deque regis filio adalligato cacumini lapidis subrigendi, hic immorari piget: quae vero tradit de loco ubi positus fuerat, cum non satis clara sint, duas creavere doctorum virorum opiniones. Alii enim putavere obeliscum stetisse in regione Heliopoleos juxta cubiculum tauri Mnevidis, alii erectum fuisse Thebis in veterum principum regia. Hoc magis convenire cum verbis Plinii, qui ait Ramisen post minores obeliscos Heliopoli statutos, inde digressum esse ad regiam Mnevidis, qui ab aliis auctoribus appellatur Menes, Minis, Mneves, ibique grandem illum erigi jussisse, supra docui [24]. Thebis quoque stetisse obeliscum Lateranensem discimus ab Ammiano Marcellino [25]. Aetatem ejus quod attinet, Plinius Ramise regnante Ilium captum esse affirmat, Manetho autem Ramesen removet ad tertiam generationem ante cladem Iliacam, quamquam et ipse sive epitomatores ejus intervallum temporis inter Danai adventum et bellum Iliacum nimis videantur coarctasse. Nam secundum recensionem Julii Africani inter Sethosis initia, quem apud Josephum Aegyptum Danai fratrem esse affirmat Manetho, et Thuorin, quem Polybum Homeri esse ajunt, anni numerantur non plus centum nonaginta septem; secundum canonem Eusebii decem anni minus: sed alter eorum annos illos distribuit regibus quatuor, alter quinque, incertumque remanet quot reges quisque pro rationibus suis omiserit aut ad alias dynastias transtulerit. Quamquam et illud fieri possit ut Manetho Sethosin duobus tantum saeculis anteriorem fecerit bello Trojano, quod centum fere annis quam vulgo putari solet antiquius facit auctor biographiae Homeri, quae Herodoti nomen praefixum habet [26]. Quae quidem extricare et ad certas rationes redigere cum ultra vires nostras positum sit, aliqua probabilitatis specie contenti obeliscum Ramiseum qui et Lateranensis dicitur, excisum putamus eo saeculo quod praecisset Trojae excidium, sive saeculo ante aeram vulgarem decimotertio. Post Thuorin apud Manethonem succedit nova duodecim regum dynastia annis centum triginta quinque aut centum octoginta, quorum nomina epitomatores nobis inviderunt. Ex his unum fuisse suspicor conditorem duorum obeliscorum, qui postea Alexandriam delati ad templum Caesaris nunc quoque spectantur ad portum ejus civitatis; qui Plinio Mestires dicitur, no-

---

22 Scilicet altus est palmos 148, sive pedes romanos antiquos circiter 112. V. supra pag. *66*.

23 Supra pag. 11. not. 12.

24 Pag. 11. not. 11.

25 Lib. 17. cap. 4. supra pag. 25.

26 Cap. 38. Scilicet Ilii excidium evenisse ait annis ante Xerxis expeditionem 790, hoc est ante aeram nostram annis 1270: cum ex vulgari temporum ratione referri soleat ad annum 1184.

mine e regum catalogis prorsus exulante. Editores quidem qui pro Mestires sive Mestres reposuerunt nomen Mesphees, cogitasse videntur de Mesphre, quem inter obeliscorum conditores primo loco nominat Plinius: sed manuscriptorum codicum auctoritate destituuntur, neque Plinius plus quam unum obeliscum accepisse videtur ab illo rege excisum [27]. Anonymorum regum dynastiam in epitomis Manethonis excipit dynastia vicesima prima, in qua primi reges recensentur Smedes seu Smendes seu Smendis et Phusenes seu Psusennes, quos reor esse Zmarren et Phium sive Phiosenem Plinii, a quibus duos obeliscos quadragenûm octonûm cubitorum sine notis Heliopoli positos narrat, annis post Ilii excidium circiter ducentis. De his quid postea factum sit compertum non est: nam puri illi qui in Augusti Mausoleo reperti, nunc stant in Quirinali et in Exquilino, minores sunt quam ut pro iis accipi possint; nisi dicere velimus cubitum quo hoc loco usus est Plinius fuisse palmi cum dimidio [28].

Omnes vero obelisci de quibus hactenus dictum est, ad eam pertinent, quam primae epochae primam aetatem appellavimus, Sabacone et Psammeticho antiquiores: de iis autem obeliscis hieroglyphice inscriptis, quos secundae aetatis esse atque a Psammeticho ejusque successoribus factos videri supra docuimus, quem quisque erexerit minime constat. Duos quidem a Psammetichidis excisos memorat Plinius, alterum a Nectebi sive Nethebi Psammetichi filio, octoginta cubitorum longitudine, purum; alterum a Semenpserteo Amasidis filio, quem eum esse conjicio, qui nunc stat ante basilicam S. Petri in Vaticano. Uterque ignoratur qua in civitate primitus fuerit erectus, quin et priorem in latomiis jacuisse usque ad aetatem Ptolemaei Philadelphi qui Alexandriam eum devexit, inde arguerunt nonnulli quod Plinius ait, Phoenicem architectum statuisse obeliscum in sex talis *e monte eodem*, ac si monti adjacentem reperisset: sed, quod supra monui [29], Plinius non videtur aliud voluisse indicare, quam stylobaten ex eodem lapide syenite concinnatum. Alter pariter purus est, magnitudine autem praeter obeliscum Lateranensem omnes qui Romae sunt superat, quamquam summa sui parte mulctatus. Id jam in Aegypto accidisse e Plinii verbis colligitur, qui hunc ex *omnibus unum omnino* in molitione fractum adnotat: nam eo scribente pauciores Romae erant obelisci quam ut ad hos respicere potuisset. Caeterum Semenpserteus opus istud patre adhuc superstite suscepisse putandus est, quo defuncto sex tantum mensibus regnavit, Persico bello detentus. Suspicari etiam possumus, obeliscos quos Sai in Minervae templo stetisse tradit Herodotus [30], ab hujus patre Amasi erectos fuisse, qui ex eo nomo oriundus Sain oppidum prae caeteris dilexit: eum autem qui adhuc stat prope Crocodilorum civitatem, postea Arsinoen dictam [31], a Psammeticho, circa cujus initia ea Aegypti pars quae ad Moeridis lacum protenditur, et Labyrintho totius imperii templo atque curiae adjacet, magno in honore fuit: sed haec plane incerta sunt.

---

27 V. supra pag. 14. not. 41.
28 Confer supra pag. 147.
29 Pag. 185. §. 2.
30 Lib. 2. cap. 170. supra pag. 3.
31 Vide supra pag. 108. §. 7.

CAPUT SECUNDUM

Secunda epocha obeliscorum.

§. I.

Aegyptio imperio Persarum impetu subverso, cum Cambyses Psammenitum regem, quem et Psammacheriten appellant et Semenpserteum, cepisset et neci tradidisset, praecipuasque Aegypti civitates ferro ignique vastavisset, cessavit obeliscorum sublevandorum studium. Fertur et Cambyses multos obeliscos mutilasse ac dejecisse [1], ejus vero obelisci, quem Ramises Thebis statuerat, admiratione ita captus fuisse, ut cum oppidum id expugnaret, ventumque esset incendiis ad crepidines obelisci, extingui ignem juberet molis reverentia, qui nullam habuerat urbis [2]. Licet vero Aegyptii post breve tempus Persarum dominio se subtraxerint, novosque reges sibi praefecerint, ac Persis fortiter restiterint, tamen antiquam potentiam non amplius recuperavere, sed continuis bellis tum exteris tum intestinis agitati, ac repetitis vicibus a Persis subacti, de grandibus operibus suscipiendis cogitasse non videntur: donec ab Ocho Persarum tyranno saeva clade attriti post annos viginti in deditionem venere Alexandri Macedonis. Quo defuncto in Aegypto surrexit Lagidarum imperium, annis ante aeram vulgarem paullo plus trecentis, qui veterem Aegypti splendorem restituere satagentes, cum in provinciis aequo jure administrandis tum in urbibus aedificiis ornandis priscorum regum gloriam aemulati reperiuntur. Alexandria tunc imperii sedes facta omnes Graeci orbis civitates operum magnificentia superavit; quamquam nec reliqua in Aegypto oppida neglexerunt, inprimis quae nova tunc condita fuerant, aut Graecis colonis adjuta, aut Indici commercii opportunitate aucta. Sed pauca sunt quae de interiori Aegypto sub Ptolemaeis tradiderunt nobis scriptores, de Alexandriae rebus unice fere solliciti. Obeliscum ibi statutum commemorat Plinius [3] a Ptolemaeo Philadelpho, in Arsinoëo, munus amoris in conjugem eandemque sororem Arsinoen. Hunc olim exciderat Necthebis rex, magnumque opus in eo devehendo statuendoque fuisse tradunt, qua de re alio loco diximus [4]. Architectus fuit Satyrus, sive ut alii prodiderunt Phoenix, statutusque est obeliscus in stylobate e sex talis granitici lapidis compacto; fere ut ille quem in circo maximo Constantius Augustus erigi jussit. Postea Maximus quidam Aegypti praefectus cum navalia Arsinoëo adjacentia ampliare instituisset, inde transtulit in forum, reciso cacumine, dum vult fastigium addere auratum, quod postea omisit. Lapidem in foro jacentem facile putamus postremo in frusta dissectum novis aedificiis inservisse. Alios duos Alexandriae stare scribit [5] ad portum in Caesaris templo, quos excidit Mestires rex; quorum alter hodie quoque erectus stat ad portum

---

[1] Strab. lib. 17. pag. 1158. supra pag. 6. Amm. Marcel. lib. 17. cap. 4. supra pag. 25.

[2] Plin. lib. 36. cap. 9. supra pag. 12.

[3] Loc. cit. supra pag. 13. Confer Mercat. *degli obel. di Roma* cap. 22. pag. 224.

[4] Supra pag. 185. §. 2.

[5] Loc. cit. supra pag. 15.

orientalem, alter humi jacet fractus. Quis eos advexerit statueritque, proditum non invenio, a Cleopatra regina factum esse, satis credibile videtur, a cujus nomine hodie quoque obeliscos illos vocitant. Scio quidem Pocockium [6] in Alexandriae ichnographia, rudera quae iis adjacent Ptolemaeorum aedes appellare, Caesarion autem amplius removere ad occidentem. Sed cum nullum idoneum documentum adferat, potius ex ipsis illis obeliscis arguendum censeo, ibi fuisse templum Caesaris: si enim Plinio scribente quatuor grandes obelisci fuissent ad portum Alexandriae, duo in aedibus regiis, duo in Caesario, non video cur horum meminisset, illos tacuisset.

Neglexit quidem Plinius duos obeliscos qui fuerunt in acropoli, sive quod parvae molis essent, sive quod a peregrinantium frequentia remoti paucis innotuissent. Solus quod sciam eorum meminit Aphthonius sophista [7], qui et solus veterum scriptorum commemorat praegrandem columnam Alexandrinam, quam a Pompeji nomine nuncupant, quamque alii Vespasiano alii Severo Augusto vindicandam rati sunt. Quam enim olim conjecturam proposui [8], esse eam quam in acropoleos enarratione describit Aphthonius, postea variis peregrinatorum relationibus inter se collatis [9], firmatam reperi, nec de re amplius dubitandum esse arbitror. Nam et edito loco positam produnt, in quo stans totam prospicias adjacentem regionem cum portubus ac lacu, nec amplius remotam ab hodierno oppido, quam ut veteris urbis moenibus inclusam fuisse putare possis; et grandium aedificiorum rudera circa eam conspici ajunt, inprimis columnas granitici lapidis, quae ad porticum pertinuisse videntur, qua Aphthonio prodente olim cingebatur, et in columnae vertice invenire narrant statuarum vestigia, quas ei olim institisse idem auctor refert. Quare cum arcem cum columna, obeliscis et reliquis ornamentis, a Ptolemaeis regibus conditam narret Aphthonius, non amplius quaerendum videtur quis Romanorum principum eam erigi jusserit, neque ex Strabonis silentio arguendum, erectam fuisse post Tiberii aetatem; nam Strabonem quam plurima spectatu digna silentio praeterisse satis constat. Jam enim per se parum credibile est, tantae molis opus ornatui tantum et ostentationi inserviens susceptum fuisse in provincia cui avare imperabant Romani; sed ab antiquis regibus, secundo tertiove Ptolemaeo operum magnificentia artiumque amore claris, factum facile nobis persuadebimus. Forte et obeliscorum illorum ab Aphthonio memoratorum fragmina sunt lapides hieroglyphice inscalpti, quos columnae adjacere refert Nordenius [10], pars ab Arabibus Turcisque ad columnae ruinam avertendam basi ejus, quam iidem dum thesauros quaererent labefactaverant, subje-

---

[6] *Destript. of the East* vol. 1. pag. 4. tab.2.

[7] In descriptione arcis Alexandrinae progymn. num. 12. supra pag. 24. Quem locum a reliquis fere scriptoribus neglectum, citat Mercatus *consideraz. sopra gli avvertim. del Latini* pag. 112., sed sermonem esse putat de duobus illis obeliscis qui hodie cernuntur ad portum Alexandriae.

[8] Num. Aegypt. imperat. pag. 397.

[9] Vide Marmol *description general de Africa* part. 2. lib. 11. cap. 14. Sandys *relat. of a journey in* 1610, lib. 2. pag. 114. Villamont *voyages* lib. 3. pag. 687. Breves *relat. de voyages* pag. 236. Bremond *viaggi* pag. 21. Lucas *voyage en* 1714, tom. 2. pag. 23. 37. Norden *travels* tom. 1. pag. 9. Pococke *descr. of the East*, vol. 1. pag. 8. Niebuhr *reise nach Arab.* tom. 1. pag. 48. Irwin *series of adventures in the course of a voyage up the Red sea, and of a route thro' the desarts of Thebais, Lond.* 1780. pag. 370.

[10] Vide supra pag. 101.

cti . Unum saltem ex iis fragminibus , ut Nordenius delineatum exhibuit , videtur esse superior pars obelisci non admodum magni .

§. II.

Ejusdem saeculi esse obeliscos Axumenses [1] , erectos ab Evergete Ptole-

---

[1] Confer supra sect. 2. cap. 3. §. 14. pag. 122. sqq. , atque auctoribus ibi citatis adde *Viaggio nella Ethiopia al Prete Janni, fatto per Don Francesco Alvarez Portughese nel* 1520, cap. 38. apud Ramusium in itinerum collectione tom. I. pag. 204., cujus relationem , cum omnium sit vetustissima , lumen etiam obfundat reliquis supra adductis, hic totam inserere operae pretium esse existimo . En eam : *La chiesa di Chaxumo è molto grande , — ha gran circuito saleggiato di gran pezzi di pietra viva , grandi come sariano coperchi di sepoltura , il qual circuito ha d' intorno molto gran muri . Oltra questo circuito ha un altro circuito grande come d' un castello ò vero città , dentro del quale sono belle habitationi a piè piano , et tutte hanno le lor fontane che buttano l'acqua per certe figure di leoni fatte di pietra di varij colori . Dentro a questo circuito grande son duo belli palazzi fatti in solari , l' uno a man destra , l' altro a man sinistra . — Dentro pure a questo gran circuito appresso la porta che è vicina alla chiesa è un campo di terra quadrato , hoggi vacuo , che già in altro tempo era pieno di case, nel quale in ogni canto è un pilastro quadro di pietra viva di molta altezza et ben lavorato di varij intagli , et vi si veggono lettere intagliate , ma non s' intendono , nè si conosce di che lingua siano : et di tali epitafi sene trovano molti : et questo luogo si chiama Ambacabete , che significa casa di leoni , perche già in altri tempi vi si tenevano li leoni legati . Avanti la porta del circuito grande è una gran corte, et in quella dall'un capo et dall' altro sono alcuni belli poggiuoli fatti di pietra viva , ben lavorati et ben assettati , et sopra questi poggiuoli son poste 12 catedre di pietra , poste per ordine una dopo l' altra , tanto ben lavorate come se fussero di legname , con suoi piedi et banchetti disotto , et non son di un pezzo di sasso , ma di più pezzi : le quali sedie dicono che servivano alli 12 auditori ò vero giudici della giustitia che hoggidi son nella corte del Prete Janni . Fuori di questo circuito son molto belle case , che in tutta l'Ethiopia non ne son delle cosi belle et cosi grandi. Sonvi anchora pozzi assai d'acqua belli et buoni, ornati di bellissime pietre : et cosi nella maggior parte delle case son figure antiche , come leoni , cani , uccelli , et tutti son fatti di pietra durissima et finissima . Dietro alle spalle di questa chiesa cosi grande è un vivajo ò ver lago d' acqua viva a piè d' un monticello , dove hora si fa il mercato : et intorno a quello son molte et simili catedre , lavorate in quel medesimo modo che son quelle del circuito . Questo luogo è posto in capo d' un bel prato in mezzo di due monticelli : et la maggior parte di questa campagna è piena di edificij antichissimi, et ne quali son assai di quelle catedre , con molte colonne con lettere , che non si sa di che lingua siano , ma sono intagliate molto bene . Et in capo di detto luogo son molte rovine di pietre , parte in piedi et parte distese in terra , le quali sono molto alte et belle, et con bellissimi lavori di fregi , tra lequali n' è una in piedi , posta sopra un' altra lavorata come pietra d' altare , et come incastrata in quella . Et questa ritta di sopra è grandissima , lunga 64 braccia et larga 6, nelli fianchi 3, et molto diritta et ben lavorata , tutta incavata in finestre dal piede fino alla cima , cioè una finestra sopra l' altra . Et la sommità di detta pietra rassembra a una mezza luna , nella quale sono cinque chiodi nella parte verso mezzo giorno , in forma d' una croce inchiodati nella medesima pietra , la ruggine de quali correndo al tempo della pioggia per la detta pietra per un palmo lontano dalli detti chiodi par sangue rappreso. Et perche alcuni potrebbono dire , come è possibile che una pietra tanto alta sia stata misurata : di sopra ho detto che era incavata a modo di finestre per infino alla cima dove era la mezza luna , et tutte queste finestre erano d' una medesima misura, et noi avendo misurate quelle che si potevano aggiungere , facendo conto delle altre , dalle prime alle ultime trovammo esser braccia 64. Et questa pietra cosi alta da piede verso mezzo giorno ha la forma d' una porta , lavorata nella medesima pietra , col catenaccio che par serrata . Et la pietra sopra la quale è posta questa è grossa un braccio , et molto bene quadra : et questa similmente è posta sopra l' altre pietre grandi e picciole , nelle quali non potei sapere quanto quella si entrasse adentro , ò vero se ella arriva al piano . Appresso di queste sono infinite pietre molto belle et ben lavorate , le quali pa-*

maeo, qui orientalem Aethiopiam armis subegit, omnino assentirem Brucio, nisi dubium moveret maximus ex illis obeliscis, cujus iconem libro suo inseruit, qui barbarum quid prae se fert atque a Graeca elegantia prorsus alienum, eorumque opinioni favet, qui sexto vulgaris aerae saeculo statutos putant, quo tempore Axumitae reges amicitia commercioque Byzantinis erant conjuncti. Certe propius ad eorum temporum genium accedere videntur; neque tunc in Aethiopia defuisse magnorum operum conditores, documento sunt spatiosae illae ecclesiae columnarum multitudine subrectae, quae in illis regionibus inveniuntur mira industria in antris e continuo saxo excisae [2]. Quare de horum obeliscorum aetate hactenus nil definiri posse existimo.

CAPUT TERTIUM

Tertia obeliscorum epocha.

§. I.

Graecum in Aegypto imperium sequiorum Ptolemaeorum ignavia luxuriaque a pristina potentia dejectum, qui et domesticis turbis, dum frater fratrem regno pelleret, occasionem praebuere Romanis ut pro arbitris se gererent, diutius tamen stetit quam reliqua regna ab Alexandri successoribus condita. Nam et Macedonia et Asia et Syria stante adhuc Romana republica in provinciae formam redactae fuere: Aegyptus autem usque post pugnam Actiacam, qua totum orbem Romanum suae auctoritati subjecit Caesar Octavianus, indigenis regibus paruit. Sed victis ad Actium M. Antonio triumviro et Cleopatra quae ex Lagidarum prosapia ultima Aegyptum tenuit, Caesar Aegyptum invasit, cumque et Antonius et Cleopatra mortem sibi conscissent, Alexandriae totiusque regni potitus est, anno ante aeram vulgarem tricesimo; provinciam autem sibi reservavit, quae non ut caeterae senatorio teneretur imperio, sed velut peculium Caesaris ab equite Romano administraretur. Ingentem inde praedam reportavit, utpote e provincia et sua ubertate et Indici commercii opportunitate praedivite. Duos quoque obeliscos Heliopoli Romam devehi jussit [1], qui tamen non ante annum vicesimum post Aegyptum captam Romae statuti fuere, fidem faciente epigrammate quod incisum legitur in utriusque obelisci stylobate [2]. Nam qui in eo notatur annus decimusquartus tribuniciae potestatis Caesaris Augusti, incidit in annos

reva che fussero state quivi condotte per mettere in opera, et quelle altre cosi grandi parimente rizzate in piede. Di queste erano alcune lunghe 40 *braccia, et altre* 30: *et nella maggior parte di queste pietre sono intagliate lettere grandi, che alcuno della terra non le sa leggere. Et tra queste pietre che giaciono in terra tre son molto grandi et di belli lavori, et una di esse è rotta in tre pezzi, et ciascuna passa la lunghezza di* 80 *braccia, et è larga* 10, *appresso delle quali son altre pietre nelle quali dovevano essere incastrate*. Eadem habes anglice apud Purchas tom.2. pag.1050.

[2] Vide Alvarez loc.cit. cap. 52. sqq. p. 210. sqq.

[1] Strab. lib.17. pag.1158. supra pag 6. Plin. lib.36. cap.9. supra pag.15. Ammian. Marcell. lib.17. cap.4. supra pag.25. Confer Mercat. *degli obel.* cap 24. pag.232. Bandin. de obel. Caes. Aug. cap. 7. 8.

[2] Vide supra pag. 51. 52. Conf. Bandin. lib. cit. cap.9.10. Castal. ad inscript. obel. Flaminii.

ante aeram nostram decimum atque nonum, incipiens a die vicesimo septimo mensis Junii. Deportatos jam fuisse ante annos decem aut duodecim, e Strabone arguendum censuerunt viri docti [3], quem Aegyptum duce Aelio Gallo provinciae praefecto, anno ante aeram nostram decimonono peragrasse ajunt: is enim in Aegypti descriptione duorum obeliscorum meminit ab Heliopoli Romam devectorum. Sed praeter quod de anno quo Aegyptum invisit non satis constet, quin et probabile videatur tardius multo quam putant hoc evenisse, fieri etiam potuit ut auctor qui saltem non ante vicesimum vulgaris aerae annum librum suum absolvit, ea quae de obeliscis habet Romam delatis, non ut in itinere invenerat retulerit, sed uti erant quo tempore ultimam manum libro admoveret. Nullo enim pacto credibile videtur tot annis Romae jacuisse obeliscos, cùm nullum inveniamus impedimentum quo ab iis erigendis detineretur imperator, qui ad Urbem ornamentis augendam advexerat. Neque enim erectio consilium imperatoris tardare potuisse videtur, sed lapidum mari devehendorum difficultas, quos praegrandibus navibus et singulari arte ad hoc aedificatis devectos esse constat. De harum quidem forma nihil produnt veteres, nec mihi est ea machinarum fabricandarum peritia, ut hac super re probabile quid in medium afferre possim. De ejus autem magnitudine quae priorem obeliscum in Circo collocandum uña cum basi sua sive stylobate advexit, adnotarunt Cedrenus et vetus auctor qui scripsit de imperiis Caesarum [4], continuisse vectores mille ducentos, nautas ducentos, frumenti modiûm quadringenta millia, praeterea linteamen, chartam, vitria ac piper: narratque Plinius, Augustum miraculi gratia Puteolis navalibus perpetuis dicasse, sed incendio consumptam esse. Utrumque obeliscum Soli donum dedit, testante epigrammate modo laudato, sive quod jam a primis conditoribus Soli fuissent oblati, sive quod tunc invaluisset opinio obeliscos natura sua Soli sacros esse. Alterum vero statuit in circo Maximo [5] circa mediam spinam, quatuor astragalis aeneis pedalis altitudinis subrectum, super trunco quadrato e lapide syenite, alto palmos quindecim, lato quoquoversus tredecim, cui subjectum erat podium altum palmos quatuor cum besse, ipsae spinae insidens altae palmos quinque et trientem [6]. Inde factum ut in numis imperatoriis [7] et in marmoribus anaglypticis circum cum ludis repraesentantibus, quo emblemate in sepulcralibus arcis saepissime usi inveniuntur Romani veteres [8], constanter obeliscum expressum videamus, plerumque globo in summo vertice decorum, cujusmodi ornamento ex aere aurato jam et eum quem in circo Augustus statuit gavisse affirmant nonnulli [9]; utque po-

---

[3] Bandin. lib. cit. cap.3. pag.10. cap.7. p.32. cap.8. pag.42. Conf. Fabric. bibl. Gr. lib.4. c.1. §.1., qui cum Cornelio Gallo confundit Aelium Gallum, quem comitatus est Strabo. Aelius autem quo anno Aegypto praeesse coeperit, non satis constat: nam Petronium quidem usque saltem ad annum ante Christum 19 Aegyptum rexisse scimus, sed quando eum exceperit Aelius, nemo vetus scriptor prodidit.

[4] Vide supra pag. 31. 32.

[5] Ursinum et Marlianum qui obeliscum in circo ab Augusto erectum negant, sed in molitionis nisu fractum asserunt, merito confutavit Bandinius lib. cit. cap. 8. pag. 40.

[6] Mercat. lib. cit. cap.24. pag.234.

[7] Vide supra pag.63. Advertendum est, Augusti numismata cum circo et obelisco, citata a Bandinio cap.8. pag.40., ex eo genere esse quod contorniatum appellant, tardius multo procusum, ideoque nil facere ad obeliscum ab ipso Augusto erectum comprobandum.

[8] Vide supra pag.58.

[9] Mercat. cap. 24. pag. 234. Sed adversari videtur Plinius lib. 36. cap.10. ei tantum qui fuit in Campo globum impositum fuisse inquiens.

stea ad reliquos circos qui Romae erant decorandos alii ex Aegypto afferrentur obelisci, scriptores autem obeliscum Soli sacrum inter res circo proprias et necessarias referrent [10]. Meminit hujus Dio in rebus Neronis [11], narrans imperatorem e Graecia reducem coronas mille octingentas octo, quas ex curruum certamine victor obtinuerat, obelisco Aegyptio in Circo imposuisse: ac denuo in rebus Antonini Caracallae [12], tradens graculum summo obelisco insidentem ludis circensibus praesagium tulisse de caede imperatoris. Denique post majorem obeliscum a Constantio in circo constitutum, hicce sequiorem locum obtinens Lunae sacer creditus est [13].

Alterum Augustus posuit in campo Martio pro gnomone ad aequinoctia solstitiaque meridianae horae umbra designanda et cujusque diei in toto anno longitudinem: addito globo in vertice pyramidii, cujus rotunditate umbra in se ipsa colligeretur, ne penumbra ab acuta cuspide longius projecta inquirentium oculos falleret, machinaeque utilitatem turbaret [14]. Ita enim intelligendum esse Plinium, neque ut nonnulli putaverunt de horologio solari, probabilibus argumentis definiverunt viri docti, mathematici inprimis, quorum dissertationes atque epistolas libro quem de hoc obelisco scripsit, adnexit V. C. Bandinius [15]. Sed ipsius auctoris verba, qui solus veterum hanc rem commemorat, hoc loco repetere e lectoris utilitate esse videtur. En ea: „ Ei qui est in Campo divus Augustus addidit mirabilem usum, ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium „ ita magnitudines; strato lapide ad magnitudinem obelisci, cui par fieret umbra „ brumae confectae die sexta hora, paullatimque per regulas quae sunt ex aere „ inclusae singulis diebus decresceret ac rursus augesceret: digna cognitu res et „ ingenii foecundi. Manilius mathematicus apici auratam pilam addidit [16], cujus „ vertice umbra colligeretur in se ipsa, alias enormiter jaculante apice, ratione „ ut ferunt a capite hominis intellecta. Haec dierum observatio triginta jam fere „ annis non congruit, sive solis ipsius dissono cursu et coeli aliqua ratione mutato, sive universa tellure aliquid a centro suo dimota, ut deprehendi et in aliis „ locis accipio; sive Urbis tremoribus ibi tantum gnomone intorto, sive inundationibus Tiberis sedimento molis facto: quamquam ad altitudinem impositi „ oneris in terram quoque dicantur acta fundamenta [17] „. Cessavit itaque post annos quinquaginta sex operis utilitas, quae forte causa fuit ut post Plinium nemo ejus meminerit, Ammiano et qui scripserunt de Urbis regionibus [18] obeliscum

---

[10] Tertullian. de spectac. cap.8. supra p. 21. Cassiod. var. lib. 3. epist. 51. S. Isidor. etymol. lib. 18. cap. 31., et vetus epigramma supra pag. 30. Joh. Lydus ms. supra pag.31.

[11] Histor. Rom. lib.63. cap.21. supra p.21.

[12] Lib.78. cap.8. supra pag.21.

[13] Cassiodor. loc. cit.

[14] Plin. lib. 36. cap. 10. supra pag.16. Conf. Bandin. cap.12.

[15] Qui et ipse hac de re disputat cap.21. 22. Confer etiam supra pag.156. 157.

[16] Conf. Bandin. cap. 13.

[17] Conf. Bandin. cap. 14. qui obelisci fundamenta terrae motibus inclinata fuisse asserens, haec subjungit: „ Quod quidem mirifice confirmatur ex hoc quod subnectam experimento. Duabus ingentibus quadratis marmoreis basibus superponebatur stylobata. Sub hisce paullo amplior pariter quadrata basis seu area ex lapide tiburtino porrigebatur. Stylobata et basibus amotis, Jacobus Stuartus architectus summa quidem sollertia investigare sategit, num amplior haec basis seu area ad libellam composita aquae quae undique inibi affluebat superficiei responderet: invenitque angulum illum, cujus latera ad meridiem et occidentem respiciebant, maxime depressum et per duas anglicani pedis uncias humiliorem opposito „.

[18] Vide supra pag.28. 29.

tantum in Campo stantem memorantibus. Post Urbem a barbaris vastatam, bonis litteris renascentibus cum coeptum esset antiquitatis reliquias conquirere, regulae ex aere inauratae inventae narrantur in sepulti obelisci vicinia, strato lapidi inclusae, una cum zodiorum ventorumque imaginibus cumque inscriptione eo spectante, qua de re ab aevi illius scriptoribus obscure et confuse prodita vide Bandinium libro citato [19]. Caeterum quo tempore erutus est obeliscus, patuit eundem olim subrectum fuisse trunco quadrato e lapide syenite alto palmos novemdecim cum quadrante, lato duodecim, cui subjecti erant gradus marmorei duo, singuli palmorum paullo minus quatuor, infra quos erat basis e tiburtino lapide alta palmos duos cum besse: ita ut totius stylobatae altitudo supra pavimentum e tiburtino pariter lapide stratum, esset palmorum fere triginta [20]. Uterque autem obeliscus in trunco lapidis syenitae, cui impositus fuit, bis inscriptum habuit epigramma conditorem et tempus et deum cui dicatus esset declarans:

IMP. CAESAR . DIVI . F
AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS
IMP. XII. COS . XI. TRIB. POT. XIV.
AEGYPTÓ . IN . POTESTÁTEM
POPVLI . RÓMÁNI . REDÁCTÁ
SÓLI . DÓNVM . DEDIT

Tertium ex Aegypto obeliscum advexit Cajus Caesar quem Caligulam vocitant, statuitque in circo Vaticano [21], Augusti et Tiberii nominibus inscriptum, monente epigrammate in ima trabe duobus lateribus repetito [22]. Hic Romanorum obeliscorum solus Urbis cladibus superstes, rectus permansit in circo supra dicto usque donec Dominicus Fontana architectus jubente Sixto V. pontifice maximo transferret in aream Divi Petri; eodem fere modo constitutus ornatusque ac hodie quoque cernitur [23]. Nam cum in circi spina media insertum fuisset podium e marmore albo, altitudine aequans spinam, altam palmos quatuor cum dimidio, super hoc subrigebatur obeliscus stylobate, alto palmos viginti et unum cum quadrante, e tribus frustis syenitae lapidis compacto, et altero ejusdem lapidis trunco quadrato, alto palmos undecim et dimidium, super stylobate imposito, praetereaque quatuor astragalis aeneis deauratis, altis palmum cum quadrante, qui trabem sublevabant et a trunco illo separabant; ita ut obeliscus super spina sublevaretur palmis triginta quatuor, super pavimento circi triginta octo et dimidio. Latitudo trunci astragalis subjecti in orientali latere est palmorum duodecim et dimidii, in occidentali tredecim, in binis reliquis tredecim cum quadrante. E tribus lapidibus qui stylobaten efficiunt, summus lapis ad coronidis modum fa-

---

19 Cap. 17.
20 Bandin. cap.20. pag.106. append. pag.74.
21 Plin. lib.36. cap.11. supra pag. 18.
22 Vide supra pag. 52.
23 Mercat. cap. 25.

ctus, altus est palmos quatuor, latus ubi maxime extenditur quindecim; qui medio loco stat forma fere cubica colligit palmos tredecim, nisi quod tribus unciis angustior sit in lateribus orientali atque occidentali; infimus altus palmos quatuor et quadrantem, latus quindecim et trientem, ad crepidae instar formatus est, aeque ac coronis Aegyptii quadratarii opus. Scilicet quod ex operis modo colligitur, lapides istos ex Aegyptiorum aedificiorum ruinis extraxerunt, quibus mandatum erat obeliscum ex ea provincia Romam deferre. Nam nullo pacto credibile est ipsum obeliscum in Aegypto hac ratione subrectum stetisse, quae adeo abhorret a simplicitate atque soliditate architecturae Aegyptiae, et ab ea quae inde oritur apta et concinna partium harmonia; dum uti hodie stat obeliscus olimque a Cajo fuerat erectus, truncus cui insidet, amplitudine vix superet imam ipsius obelisci partem, alter autem qui in stylobate medium locum tenet priori sit angustior, quo fit ut difficulter sustineri videatur. E contrario in Augusti obeliscis, de quibus modo diximus, justam proportionem videmus stylobaten inter et trabem, quamquam credibile sit stylobatas obeliscorum in Aegypto latiores adhuc fuisse et multo humiliores. Porro in Cajano obelisco circa imam trabem infra inscriptionem, tabulae quaedam aeneae auro obductae ornatus gratia applicatae fuisse feruntur [24], in summo autem vertice globus fuit ex eodem metallo pariterque inauratus, quem peripheria sua palmos decem et dimidium collegisse prodit Philippus Pigafetta [25], pede sustentum ex eodem metallo alto palmos undecim cum besse, quadrifariam dilatato et velut in quatuor ramos diviso, qui quatuor pyramidii angulos amplecterentur, iisque sine clavorum ope firmiter insiderent. Navem qua hunc obeliscum Cajus Caesar importavit, omnium quae unquam in mari visae sunt mirabiliorem appellat Plinius [26], cui pro saburra essent centum viginti millia modiûm lentis, narratque Claudium imperatorem turribus Puteolis ex pulvere exaedificatis perductam Ostiam portus gratia mersisse: scilicet ut refert Suetonius [27], quo demersae navi congestisque pilis superponeret altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.

§. II.

Tres solos obeliscos hactenus dictos Romae commemorat Plinius, quo scribente non plures ibi exstitisse reor, cum sane sui instituti esset omnium qui tunc aderant meminisse. Plurimos autem postea advectos fuisse constat, sed quis importaverit erexeritve, de eo tantum scimus qui nunc stat in area Lateranensi,

---

24 Petrarcha lib. 6. epist. 2. apud Mercat. loc. cit. pag. 244. et apud Nardin. Rom. vet. lib. 7. cap. 13. Pigafetta *discorso d' intorno all' Aguglia* pag. 15.

25 Lib. cit. pag. 11. sqq. et apud Bandinium pag. 75. not. 2. Refellit ibidem Pigafetta vulgarem opinionem, quae tunc invaluerat, contineri in ea pila cineres Caesaris dictatoris, docens in ea non aliud deprehensum fuisse quam cretam coctilem, quae in pila fundenda formandaque nuclei vices sustinuerat. Cui assentit Cicarellus in vita Sixti V., apud Nardinum loc. cit., dum affirmat Fontanam architectum qui eam disrupit, deprehendisse fusam absque ullo foramine.

26 Lib. 16. cap. 40. supra pag. 8. lib. 36. cap. 9. supra pag. 15.

27 In Claudio cap. 20. supra pag. 19.

ab Ammiano Marcellino [1], atque ab auctore epigrammatis stylobatae olim incisi [2] edocti. Qui licet non in omni re concordes, in eo tamen consentiunt, Constantinum Magnum primum de obelisco ex Aegypto deportando cogitasse, Constantium autem victo Magnentio Romae erexisse in circo Maximo. Quod enim in epigrammate obeliscus appelletur opus Constantini a rupe Thebis avulsum, impudentis adulatoris est, quem primus ipsius obelisci obtutus refellit. Dum vero in eodem epigrammate dicitur, voluisse Constantinum obelisco decorare urbem sibi cognominem, verius hoc videtur quam quod ait Ammianus, Constantinum eo consilio sustulisse obeliscum e templo Solis, quod Thebis erat, ut Romae sacraret, velut in templo totius mundi. Nam de Constantinopoli sua ornanda sollicitus fuit, non ita de veteri Roma, illamque ut huic aequaret inprimis opus erat obeliscis, quibus haec abundabat; quin et ad circum Constantinopoli conditum absolvendum obeliscus omnino videbatur necessarius. Narrare pergit Ammianus, obelisco convecto per alveum Nili, projectoque Alexandriae, navem amplitudinis hactenus inusitatae aedificatam esse, sub trecentis remigibus agitandam: Constantino autem vita digresso urgentem effectum intepuisse, tandemque sero navi impositum obeliscum per maria fluentaque Tibridis delatum fuisse in vicum Alexandri tertio lapide ab Urbe sejunctum, inde chamulcis tractum in circum Maximum, et machinarum multitudine multisque hominum millibus operi admotis erectum. Haec ita conjuncta profert ut plane videatur dicere voluisse adlatum obeliscum statim fuisse erectum: a Constantio autem erectum affirmat, cum victo Magnentio tyranno et Roma recepta, Urbis ornamentis obeliscum addere statuisset. At epigrammatis auctor obeliscum ante Magnentii tyrannidem a Constantio Romam dono missum ait, ibique jacuisse, eo quod nemo crederet tantam molem subrigi posse, usque dum ipse Constantius tyranno caeso operi manus admoveri juberet. Qua in re falli virum qui operi interfuit, de eo tantum celebrando occupatus, haud facile putarem, quamquam non satis videatur credibile, voluisse Constantium ad Romam, a suo imperio sejunctam et Constanti fratri adjectam, transferre donum quod Constantinus pater destinaverat Constantinopoli, quae orientalis imperii ipsi Constantio adsignati caput erat. Potuit autem in eo errare, quod obeliscum Constantinopoli destinatum dixit, iisdem forte rationibus seductus quas supra innuimus, sed quae non obstant quominus Romanum populum sibi parum faventem donis demulcendum duceret Constantinus. Hoc enim si admittimus, facilius procedunt omnia. Scilicet quem Constantinus Romam deportare praeceperat, ipso defuncto ex provincia quae tunc parebat Constantio hujus permissu eo est delatus, ideoque haud inepte donum ejus appellari potuit. Sed turbato Urbis statu humi relictus est, donec rebus pacatis erigendum curaret ipse Constantius. Annum designat Ammianus consulatu Constantii Augusti nono, Juliani Caesaris secundo, qui nostrae aerae annus trecentesimus quinquagesimus septimus, ab Urbe condita MCX, quo anno Constantius mensem majum Romae peregit [3]. Modum ita describit idem auctor: „ Erectis usque periculum altis tra-

---

[1] Lib 16. cap. 10. lib. 17. c. 4. supra p. 24. 25.

[2] Vide supra pag. 53.

[3] Consule Tillemont *histoire des empereurs.* tom. 4. pag. 418., cujus ea est sententia, hoc quidem anno imperatorem jussisse obeliscum Romae erigi, ipsum autem opus non nisi sequenti anno ineunte, absente imperatore, fuisse absolutum.

„ bibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes et longi, ad „ speciem multiplicium liciorum coelum densitate nimia subtexentes, quibus „ colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paullatimque id per ar„ duum inane protentus, diu pensilis, hominum millibus multis tanquam molen„ dinarias rotantibus metas, cavea locatur in media, eique sphaera superponitur „ ahenea aureis laminis nitens, qua confestim vi ignis divini contacta, ideoque „ sublata, facis imitamentum infigitur, aereum itidem auro imbracteatum, ve„ lut abundanti flamma candentis „. Obeliscum positum fuisse super quatuor astragalis aeneis, qui insidebant stylobatae e sex frustis syenitae lapidis concinnato, alto palmos tredecim cum quadrante, lato quoquoversus palmos sedecim, in cujus quatuor lateribus incisi erant versus hexametri viginti quatuor, apparuit quo tempore denuo erutus fuit. Cui stylobatae subjectum erat podium e marmore albo, quod insimul cum spina circi, cui impositum fuit, efficiebat altitudinem palmorum decem: quo factum ut super pavimento circi obeliscus elevaretur palmis circiter viginti quatuor cum dimidio [4]. Ab eo inde tempore duo obelisci steterunt in circo [5], triginta fere passibus distantes, ita quidem ut Constantianus obeliscus medium fere obtineret spinae longitudinem, Augusteus autem amplius remotus esset ad austrum: sive quod Augustus dum suum obeliscum erigeret, antiquiora aedificia quae tunc forte mediam spinam occupabant movere noluerit, sive quod spinae longitudine post id temporis aucta meditullium ejus mutatum fuisset. Minime enim putare possum cum Mercato [6], Constantium sustulisse Augusti obeliscum et in ejus locum posuisse recens advectum, quod sane Ammianus adnotare non omisisset. Neque huic opinioni suppetias fert P. Victor in regionario [7], dum ait in circo fuisse obeliscos duos, alterum jacentem, alterum erectum, quin potius Victor qui ante Magnentii cladem scripsisse credi potest [8], fidem conciliat auctori epigrammatis in stylobate obelisci, qui ipsum diu Romae jacuisse affirmat. De iis qui tres obelicos in Circo fuisse putant [9], nihil dico, cum nullum omnino afferant argumentum commemoratione dignum.

§. III.

Alios praeterea obeliscos vario tempore Romam delatos fuisse advertit Ammianus [1], quorum unus in hortis Sallustii, duo in mausoleo Augusti. Hisce unum in insula Tiberis constitutum adjungit P. Victor [2], et parvos quadraginta duos, qui ubi steterint a nemine veterum proditur. Ex parvis qui hodie supersunt Minerveus et Mahutaeus in Iseo olim steterunt [3], in cujus ruderibus aliorum quoque obeliscorum fragmina inventa narrantur [4]: Mediceus repertus in campo Florae [5] for-

[4] Mercat. cap. 32. pag. 287.

[5] Cassiod. var. lib. 3. epist. 51. supra pag. 30. Mercat. loc. cit. pag. 280.

[6] Loc. cit. pag. 282. Cui assentit Gorius thesaur. vet. diptych. tom. 2. pag. 76.

[7] Supra pag. 28.

[8] Quod etiam rati sunt Petr. Angel. Bargaeus de obel. in Graev. thesaur. ant. Rom. tom. 4. pag. 1926., et Bandinius lib. cit. pag. 40. not. 3.

[9] Vide Mercat. loc. cit. pag. 284.

[1] Lib. 17. cap. 4. supra pag. 26.

[2] De regionib. urb. Romae, supra pag. 28.

[3] Kircher. Oedip. tom. 3. pag. 327. Id. interpret. obelisci inter Isaei rud. effossi pag. 13.

[4] Ibid. pag. 134. 135.

[5] Kircher. Oed. tom. 3. pag. 325. Mercat. cap. 26. pag. 246. Suspicor autem obeliscum Mediceum eum esse qui aliquando stetit in aedibus Ursinis in campo Florae, quamquam pro diverso accipiat Mercatus.

san hortum theatro Pompeii adjacentem decoravit: de Matthaejano qui aliquando stetit ad coenobium S. Mariae in Ara Coeli, deque Albanio invento in Urbis regione de Regula dicta [6], non video quae conjecturae proferri possint. Unus mediae magnitudinis, qui nunc jacet in impluvio Vaticano, repertus fuit extra Urbem in agro Verano via Labicana, haud longe ab ecclesia S. Laurentii, in circo quem nonnulli Castrensem vocant, alii Elagabalo adscribunt, Aureliano alii [7]. Alter qui nunc est in foro Agonali, olim stetit in spina circi a Caracallae nomine dicti, extra portam Capenam via Appia [8].

Duo illi qui steterunt in mausoleo Augusti, ad meridionalem molis partem collocati fuisse videntur quae Pantheon et Capitolium respicit: nam ambo reperti fuere ad ecclesiam S Rochi, ubi forsan olim ostium fuit extimi ambitus sive sepimenti, quamquam interior aditus ad ipsas ducens cameras sepulcrales, fuerit in parte septentrionali. Inquit quidem Mercatus [9] adstitutos fuisse sepulcri lateribus orientali et occidentali, ut alter ad Tiberim spectaret alter ad viam Flaminiam: sed quam sententiam ne satis probabilem putem, obstat et locus ubi inventi sunt et ipsorum obeliscorum symmetria, qui cum non sint magnae altitudinis, si in grandis illius sepulcri lateribus positi fuissent sejuncti, admodum sane parvi et ignobiles visi forent. Etiam quae de stylobatis eorum idem auctor asserit, e conjectura dicta sunt: id tantum constat alterutrum sibi subjectum habuisse truncum lapidis syenitae, altum palmos septemdecim cum dimidio, latum undecim [10]. Pyramidium autem utriusque obelisci recisum erat, non quidem ad planam superficiem, sed tubere relicto in media superficie et canaliculis incisis in ambitu, quibus teneretur ornamentum aeneum in pyramidii locum substitutum, cujus quidem nullae superfuere reliquiae. Quis in eo loco erexerit ignoratur, eorumque opinio qui a Claudio Augusto factum putant [11], Plinii silentio refelli videtur. Potius Vespasianum aut filios id fecisse existimarem, siquidem et Flavii eo sepulcro usi sunt [12]: quamquam et fieri potuerit ut postquam imperatores in eo sepeliri desiissent, novis adhuc ornamentis augeretur aedificium ob Augusti memoriam venerabile.

Obeliscus qui stetit in hortis Sallustii olim subrectus fuit trunco lapidis syenitae alto palmos sex, quem una cum eo inventum fuisse refert Mercatus [13]: vertice autem sustinuisse videtur ornamentum aeneum, cujus aptandi gratia recisi erant summi cacuminis anguli, ut apicis loco esset brevis cylindrus. A Sallustio Crispo praefecto Numidiae advectum putavit Cassius in libro de cursu aquarum veterum [14]: a Claudio Mercatus et Kircherus [15] simul cum iis qui positi fuerunt in mausoleo Augusti. Contra hos urgetur Plinii silentium; quam objectionem ut vitaret cl. Fea in adnotationibus ad librum Bianconii de circis veterum [16] a Vespa-

---

6 Vide supra pag. 80. §. 11.

7 Vide supra pag. 77. §. 8.

8 Vide supra pag. 74. §. 5. Conf. Bianconi *descriz. dei circhi, particolarm. di quello di Caracalla, con note dell' avv. Fea* pag. 46.

9 Cap. 27. pag. 247.

10 Mercat. loc. cit. Is qui stat ad aedem S. Mariae Majoris, etiam nunc veteri trunco insidet, integro nec aliqua sui parte mutato.

11 Mercatus loc. cit. pag. 251. eumque secuti Kircherus Oed. tom. 3. pag. 368. et recentiores plerique.

12 Sueton. in Vespas. cap. 23.

13 Cap. 28. pag. 258.

14 Part. 1. pag. 333.

15 Mercat. loc. cit. pag. 256. Kircher. Oed. tom. 3. pag. 258.

16 Pag. 9.

siano imperatore, qui hortis Sallustianis oblectatus fertur, ibi statutum conjicit. Sed quod jam alias monuimus [17], e scalpturis quae in eo sunt patet, hunc obeliscum ex Aegypto purum fuisse advectum, Romae autem ad Aegyptiorum operum imitationem figuris notisque inscalptum, idque factum esse post Antoninorum saeculum, arte jam ad deterius devergente. Scalpturam enim non esse Aegyptiam, arguitur cum ex Aegyptiarum rerum ignorantia, qua auctor ejus laborasse agnoscitur, tum ex figurarum lineamentis minime Aegyptiis, lapidisque tractandi modo ab eo quem videmus in ejus gentis monumentis prorsus diverso. Tarde autem factum esse, barbarie jam ingruente, colligitur ex incompto ac negligenti operis modo, aeque remoto a Graecorum elegantia ac ab Aegyptiorum diligentia. In humanis figuris quae in hoc obelisco occurrunt, nec vultus Aegyptius est, nec habitus motusve, nec ornamenta aut attributa, sed e longinquo tantum ostentant aliquam Aegyptiorum morum imitationem, uti exhibere potuerit homo eorundem plane ignarus, qui figuras in opere Aegyptio cum eminus festinanterque oculis lustrasset, describere instituisset, non explorato antiqui artificis consilio, neque examinatis figurarum partibus. Idem dicendum de animantibus utensilibusque ac caeteris signis, quae omnia ita sunt deformata, ut primo obtutu perspiciamus, hominem rerum repraesentatarum imperitum, cum e veteri monumento ea signa describeret, ipsum monumentum eminus tantum adspexisse, resque in eo inscalptas aliquo modo adumbrasse contentus de accurata imitatione ne cogitasse quidem. Neque enim avis quae accipitris loco stat, formam habet accipitris, nec quae pro noctua aut pro ansere est, noctuae formam anserisve; sed facilius certiusque quamvis avem ab Aegyptiis fingi solitam agnosces in exiguis sigillis Aegyptiis, incompta quidem arte, sed arte Aegyptia factis, quam in magni hujus obelisci scalpturis, quas maximam partem desumptas videri ab obelisco Flaminio supra advertimus. Illud quoque notatu dignum est, quod eae figurae quae ex obelisco Flaminio exulantes, occurrunt in hujus obelisci latere septentrionali, scilicet in summa cuspide deus throno insidens, inque ima trabis parte hippopotamus et baris cum aliis effigiebus nonnullis, diligentius scalptae sint ad Aegyptiae artis imitationem quam reliquae: eo forsan quod ab humiliori monumento oculisque propius admoto desumpserit scalptor.

Videtur autem una cum Alexandrinorum deorum cultu, stante adhuc Romana republica, Aegyptiae picturae imitatio in Italiam transiisse. Nam ut eas taceam pictas tabulas quae in Herculani Pompejorumque ruderibus inventae fuere Aegyptium modum affectantes, reperiuntur et vascula Campana fictilia Aegyptiis figuris ornata, quo e genere unum prostat in bibliotheca Vaticana, ubi canis protomen basi impositum veneratur sacerdos e regione subsidens. Iseum pariter

[17] Supra pag. 76. 546. Conf. Num. Aeg. imper. in mus. Borg. pag. 402. Kircherus Oed. tom. 3. pag. 269., quamquam in Aegypto factum atque a Claudio Augusto Romam delatum affirmet, tamen haec adnotat: „ Ex dictis patet, ex hisce duobus obeliscis, Sallustio et „ Flaminio, alterutrum ex altero, tanquam „ ex prototypo quodam extractum esse. Quis„ nam vero alio antiquior sit, id certe facile „ determinari non potest: verosimilius tamen „ videtur, hunc (Sallustium) ex illo fuisse „ desumptum, ut supra etiam innui. Obeli„ scus Flaminius magnam sculptoris in genuine exprimendis imaginibus peritiam prae„ bet; hic vero praesens non adeo peritam „ manum sculptoris adeptus est: interdum „ enim quasdam ita transformat, ut a vero ali„ enae videantur „. Scilicet ex scalpturae ruditate imitatorem sive ut ita dicam exscriptorem subodorabatur Kircherus, licet Aegyptium.

quod Romae fuit, praeter artis opera ex Aegypto advecta, aliis quoque ad horum imitationem Romae factis ornatum fuisse, nullus dubito; quin et obeliscum Minerveum ex illius templi ruderibus erutum, qui licet in scalpturarum modo prope accedat ad primae aetatis obeliscos, tamen exile quid prae se fert et timidum, imitatori magis quam auctori conveniens, Romae inscalptum fuisse existimo [18]. Recte etiam Kircherus duo tabularum fragmina e marmore albo, et figuras grandes et notas hieroglyphicas more Aegyptio englyptice simul et anaglyptice fictas ostendentia, quae in eodem Iseo reperta servantur in museo Kircheriano, alterum altum palmos fere tres, latum tres cum dimidio, alterum altum duos cum dimidio, latum quatuor, Romae inscalpta censuit [19]: non quidem ut ipse vult, quod ab hujus generis lapidibus ut nimis mollibus abstinuerint Aegyptii, sed quia marmor est Lunense, et ipsae scalpturae quamquam servent modum Aegyptium, tamen molle quid admixtum habent et minus accuratum, ab Aegyptiis operibus alienum. Hae ex genuina quadam, quae iis inest elegantia, jam primo aerae nostrae saeculo vel secundo ineunte scalptae agnoscuntur; nec multo tardius, forsan Hadriano imperium tenente, facta videtur tabula pariter ex marmore Lunensi, lata quoquoversus palmos tres, quae inventa extra Urbem ad basilicam S. Pauli, nunc prostat in museo Borgiano [20], eadem ratione expolita. Qui lapis cum sit quadratus et crassitudine sensim diminuta ad instar cunei obtusi recisus, marginesque habeat integros, figuras autem ubi marginem attingunt aliqua sui parte carentes, intelligimus eundem cum aliis lapidibus similibus commissum muro vestiendo inservisse: idemque credi potest de iis qui sunt in museo Kircheriano, quamquam nunc amplius non appareat, cum et margines fracti sint et postica pars ad pondus alleviandum post repertos lapides resecta. Falluntur certe qui sub Hadriano imperatore Romae coeptum putant Aegyptiam artem imitari, qui novum in arte modum creare tentavit, non veterem illum quo Aegyptii usi erant exprimere [21]. Quae enim opera eo imperante facta illi opinioni originem dedere, cum duplicis generis sint, nullum ex iis ad veram Aegyptiae artis imitationem factum dici potest, ut sunt lapides de quibus modo diximus. Nam alterius generis ea natura est ut cum Aegyptiarum statuarum robore et sublimitate Graecam elegantiam et nitorem conjungere adnitatur, Aegyptio habitu in

---

[18] Vide supra pag. 80. Jam Kircherus in hujus obelisci interpretatione pag. 14. 15. advertit: „ Hic obeliscus integer et ab omni corruptione immunis hucusque mansit, ut hisce „ temporibus elaboratus videatur: imperfectus „ vero quoad hieroglyphica cernitur, utpote „ in quo complura desunt, nonnulla quoque „ eleganter quidem incepta at non finita videntur. Quaeritur itaque, unde moles haec „ tantam imperfectionis notam incurrerit? — „ Certe haud inverisimile videtur, hujus sculpturae prosecutionem violenta Cambysis invasione suspensam imperfectamque in hunc „ usque diem mansisse. — Fuerunt tamen „ nonnulli, qui hunc obeliscum, dum ex Aegypto allatum adhuc rasum viderent, ab ipsis „ quibusdam tandem sculptoribus sive Aegyptiis, sive Romanis Aegyptiorum veterum „ simiis, hieroglyphicis insignitum fuisse, „ quibus non contradico; fieri enim potuit, ut „ quamvis artis hieroglyphicae ignari, ex alio „ tamen quopiam obelisco veluti prototypo „ quodam excerpta symbola diligenti cura obelisco raso inciderent „.

[19] Ibid. pag. 16. Ex his alterum, in quo quidem nullae sunt notae hieroglyphicae, sed tantum grandis figurae Aegyptiae superior pars, publicis juris fecit Winkelmann *monum. inedit.* fig. 76.

[20] Confer supra pag. 546.

[21] Consule Winkelmann *storia delle arti del disegno* lib. 2. cap. 3. §. 9. sqq. *monum. inediti* dissert. praelim. pag. 22.

Antinoi Aegyptii dei honorem modo plus modo minus servato. Ex hoc genere, quod ab Hadriano inventum dici potest, praeter alia sunt statuae duae colossales e lapide syenitae quae nunc telamonum vices sustinent ad ostium musei Pio-Clementini, tertiaque e marmore albo quae est in museo Capitolino, omnes habitu Aegyptio, et fragmentum statuae Antinoi e marmore albo in villa Albania, quod sub calantica Aegyptia comam ostendit Graeco Romanove more elaboratam. Alterum genus aliud non est quam Aegyptiorum hominum morumque repraesentatio, nulla habita artis ratione, sed in itineris memoriam ficta, eodem consilio quo aliarum provinciarum a se peragratarum res memorabiles in Tiburtina villa imitatione exhiberi jussit: cujus generis sunt statuae complures e marmore nigro quae servantur in museo Capitolino. Priori illo genere praeter Hadriani coaevos neminem usum invenio, secundi autem generis quod mores tantum repraesentat Aegyptios, multa prostant opera variis temporibus et ad varios usus facta, quae nobis de artis modo disserentibus negotium non facessunt. Neque hujus loci est dicere de Alexandrinorum deorum statuis icunculisque, Graecis atque Romanis, quas magna cum frequentia occurrere constat. Id solum demonstrare nostri instituti erat, Romanos mature coepisse Aegyptiae artis modum imitari, crebroque usos esse hoc imitationis genere: ne quis miretur, quod integrum obeliscum, nec parvae molis, Romae hieroglyphice inscalptum putemus. Tarde hoc factum diximus, saltem post aevum Antoninorum: neque tamen ad ultima imperii tempora detrudere velim, cum et saxum refractarium a Romanis scalptoribus tractari haud solitum, et imitandi sive exscribendi taedium in causa esse possint, ut major sit hujus scalpturae ruditas quam quae deprehenditur in arcubus aliisque operibus sub Severo et successoribus fabrefactis. Nam nonnulla ei insunt satis scite elaborata, ut hippopotamus de quo diximus et vultus quidam humani. Quod vero cum aliqua probabilitatis specie affirmari posse videtur, hoc est, obeliscum inscalptum erectumque esse eo temporis intervallo quod effluxit Commodum inter et Gallienum.

§. IV.

Praeter obeliscos Romam deportatos, alios invenimus in Italiam inque provincias imperii translatos. Is qui nunc Velitris est in aedibus Borgianis, olim stetit Praeneste in celebri illo Primigeniae Fortunae templo. Alius Beneventi repertus fuit, tertius Catanae, quartus Arelate; et duo sunt Constantinopoli. Arelatensis obeliscus advectus credi potest quo tempore Constantinus Magnus in ea Galliae parte degit, usque ad vulgaris aerae annum CCCXVI. Fertur enim Constantinus Arelatensem civitatem instaurasse, totque beneficiis honorasse, ut ab ejus nomine dicta sit Constantina [1]. Ille autem qui adhuc erectus durat in hippodromo Byzantino statutus fuit ejusdem aerae anno CCCLXXXX, jubente Theodosio seniore: videturque idem esse quem cum ab Alexandria Constantinopolin deportari praecepisset Constantius imperator, morte praeventus est. Exstat enim epistola Juliani Augusti ad Alexandrinos [2], qua eos hortatur, ut obeliscum apud se jacentem, cui Constantinopolin transferendo navigium paraverat Constantius, dono illuc mitterent, ut quemadmodum annona deferenda ita et externo urbis or-

---

[1] Tillemont *hist. des empér.* tom. 4. p. 168. [2] Supra pag. 22.

natu augendo opem suam conferrent Constantinopolitanis, utque apud hos exstaret benevolentiae monumentum, in quod Alexandrini, dum ad urbem adnavigarent, cum hilaritate respicerent. Promittit etiam Julianus statuam suam colossalem Alexandrinis transmittere, ut pro triangulo lapide Aegyptiis notis inscripto esset apud eos aeneum simulacrum viri, cujus desiderio se teneri profitebantur. Credibile inde est Alexandrinos imperatori morem gerentes obeliscum navi imposuisse, sed adversa tempestate coactos Athenas appulisse ibique deposuisse. Nulla enim ejus recurrit memoria usque sub Theodosio, quo imperante Proclus patricius Athenis Constantinopolin deportasse narratur [3], ibique post triginta duum dierum spatium machinis impensum erexisse in circo [4]. Alterum qui stetit Constantinopoli in strategio in foro Theodosiano, illius fragmentum fuisse, affirmant scriptores Byzantini [5]; certe qui in hippodromo stat ima sui parte carere videtur. De hujus stylobate supra diximus [6], hic advertere sufficit, obeliscum sustentari quatuor tesseris aeneis magnitudinis quoquoversus sesquipedalis, quibus subjectus stylobates altus est palmos circiter viginti duos. Scriptores Byzantinos qui a juniori Theodosio erectum ajunt, confutavit Bandurius [7] ex Marcellino Comite [8], qui annum quo erectus fuit adnotat, Valentiniano Augusto IV et Neoterio consulibus; atque e codice Theodosiano, ubi hoc et superiori anno occurrit Proclus urbi praefectus.

§. V.

Obeliscos Romae constitutos, excepto eo qui stetit in circo Vaticano, fractos subversosque, quin et maximam partem terra obrutos fuisse scimus, quando autem et a quo singuli fuerint dejecti, nemo coaevus scriptor prodidit, quo factum ut varias conjecturas hac super re in medium afferrent recentiores qui scripserunt de obeliscis.

Nonnulli terrae motibus, quibus urbs saepe agitata fuit [1], subversos crediderunt, quod licet de uno alterove evenisse facile concedamus, magni tamen illi obelisci natura sua ita solidi sunt, et molis coarctatione, quae ab imo incipiens sensim augetur usque ad acutam cuspidem, gravitatem suam ita habent in baseos centrum collectam, ut vix nisi vehementissimis tremoribus qui terram susque deque verterent, dejici potuerint [2]: nulla autem hujusmodi terrae motuum vestigia sive in campo Martio sive in circo Maximo, quo tempore obelisci eruti fuerunt, apparuisse legimus [3].

Alii, in quibus est Panvinius [4], a priscis Christianis una cum aliis antiqui cultus monumentis destructos putaverunt; quam opinionem validis sane argu-

---

3 Vide auctores citatos supra pag. 29.

4 Vide epigrammata in stylobate obelisci, quae sistimus supra pag. 55. 56.

5 Citati supra pag. 29.

6 Supra pag. 89.

7 Imper. orient. tom. 2. pag. 612. num. 75. pag. 666. num. 115.

8 Supra pag. 30.

1 Mercatus *degli obelischi di Roma* cap. 35. pag. 314. Fea *dissertazione sulle rovine di Roma* in calce edit. Rom. operis Winkelmanniani de artium historia tom. 3. pag. 311. 365.

2 Mercat. loc. cit. pag. 3 5.

3 Id. lib. cit. cap. 42. pag. 379. Bandinius de obelisco Caesaris Augusti e campi Martii rideribus eruto, cap. 20. pag. 105.

4 De ludis Circensibus lib. 1. cap. 17. in Graevii thes. ant. Rom. tom. 9. Petri Angeli Bargaei de privat. public. aedificiorum urbis Romae eversoribus epistola in eod. thes. tom. 4. pag. 1885.

mentis, sed prolixius quam opus erat confutavit Mercatus [5], dum, quod et ipse advertit, obeliscus Vaticanus, qui ecclesiae S. Petri tam prope adstitutus usque ad Sixti V. aetatem intactus permansit, solus sufficiat ad demonstrandum, nec Christianam plebem nec summos pontifices consilium unquam iniisse de obeliscis evertendis.

Ipse Mercatus [6], eumque secuti Kircherus [7], Bandinius [8] aliique, obeliscos a Gothis duce Totila, qui Urbem cepit moeniaque diruit anno aerae nostrae DXLVI, cumque iterum intrasset anno DXLIX totam destruere statuerat, dejectos putant industria, ne in civitate ab iis capta erectae perdurarent trabes lapideae, quarum magnitudine vincerentur saxa quae ipsi in patria sua ad viginti aut triginta usque pedum altitudinem subrigere consueverant. Quare igne admoto astragalos quibus insidebant obelisci liquefecerunt, ruentibusque obeliscis trabes saxaque objecerunt contra quae impulsi diffrangerentur, basin autem eorundem data opera angulorum corrosione deformarunt ne amplius erigi possent. Praeterea et stylobatas atque podia fregerunt et everterunt. Addit Bandinius [9] exsistere in obelisco Campensi in infimae partis lateribus, quae basin spectant, vectium ferramentorumque vestigia, quibus ad obeliscum evertendum usi fuerant barbari.

Nobis quidem cum cl. Fea [10] ea videtur esse probabilior opinio, obeliscos ut reliqua Urbis aedificia vario tempore variisque casibus destructos eversosque fuisse. Quae enim feruntur de Gothorum illa invidia, nulla prorsus gaudent veritatis specie: non enim hi antiquae patriae amore tenebantur, sed novas sibi felicioresque sedes quaerebant, neque de molium praestantia certabant cum Romanis, sed de imperio. Quamquam vero Totilas moenia Urbis diruisset, ipsiusque civitatis regionem Transtiberinam incendisset, postea etiam exercitus parte in Lucania a Graecorum copiis caesa cum de capta Urbe tuenda desperaret, consilium iniisset de ea delenda, tamen eum acceptis mox a Belisario ad portum Romanum degente litteris, quibus vesaniam ejus exprobrabat, ab ea cogitatione destitisse refert Procopius; unde recte arguit Fea [11] non adeo magnam fuisse cladem Urbi ab eo illatam, ac vulgo putari solet. Etiam quod ajunt de vectium ferramentorumque ad eos dejiciendos adhibitorum vestigiis, de obeliscis data opera in plura frusta disruptis, baseosque angulis de industria ablatis, ne amplius erigerentur, aeque precarium est. Nam astragalis liquefactis aut basi igne exesa sponte cadebat obeliscus, cadensque pondere suo frangebatur, emollitae autem baseos anguli decidebant.

Itaque quaerendum de singulorum obeliscorum casibus, non una universae ruinae causa investiganda; sed silentibus scriptoribus illa de re nil certi suppetit. Alii forsan cecidere terrae motibus, alii fortuitis incendiis, alii in Urbis a barbaris captae cladibus, alii denique in civilium bellorum calamitatibus, quae omnium maxime ad Urbem et loca suburbana vastanda fecisse videntur [12]. Cas-

---

[5] Lib. cit. cap. 35. pag. 317. 327. Conf. Fea loc. cit. pag. 267. 278.
[6] Loc. cit. pag. 328.
[7] Oedip. tom. 3. pag. 164.
[8] Lib. cit. cap. 16. pag. 89.
[9] Ibid. pag. 83.
[10] Loc. cit. pag. 343.
[11] Ibid. pag. 274.
[12] Fea loc. cit. pag. 297.

siodoro scribente circa annum DXX, duo adhuc stabant obelisci in circo Maximo [13]. Post id temporis nulla eorum recurrit mentio: at credibile est cecidisse in bellis intestinis, dum circo pro castro uteretur una alterave factio, unde evenit ut adversarii aedificia in eo exstructa ferro igneque vastarent. Cum enim ad oculos appareat maximum damnum ab igne iis esse illatum, probabile fit jam antequam everterentur plurimas fuisse in circo privatorum hominum habitationes, spinae et obeliscis ac reliquis quae ibi erant vetera aedificia adstructas, quibus hostili manu incensis liquefacti sunt obeliscorum astragali, ipsaeque moles ruina sua fractae [14]. Campensis obeliscus memoratur in hodoeporico, quod scriptum putant saeculo octavo aut nono [15]: „ A porta S. Petri usque ad portam et viam „ Salariam in sinistra: Sancti Apollinaris, Sancti Laurentii in Lucina, Obolis„ cum „: et rursus: „ A porta Flaminea usque via Lateranense in dextra: „ Sancti Laurentii in Lucina, Oboliscum, Columna Antonini „. Quod cum de stante obelisco peregrinatoris oculos in se convertente multo probabilius accipiatur, quam de prostrato et fracto ac igni fere pessumdato, juvatur eo Bargaei [16] conjectura, obeliscum non dejectum esse ante annum MLXXXIV, quo tempore Robertus Guiscardus Normannorum dux, cum sibi Urbem intranti hostiliter se opposuissent Romani, ignibus injectis omnia vastavit a porta Flaminia usque ad ecclesiam S. Augustini [17]. Quo immani incendio praeter ipsas flammas adjacentium etiam aedificiorum ruinae obelisco fatales fuere, stylobate quidem, qui jam tunc maximam partem terra obrutus fuisse videtur, excepta summa sui parte, illaeso et immoto. Fracti inde subversique obelisci sensim terra Urbis ruderibus aucta obruti fuerunt et prorsus ab hominum aspectu amoti [18]; alii humi prostrati et semisepulti antiquae magnificentiae tristem servabant memoriam [19]. Qui vero solus

---

13 Vide sudra pag. 30.

14 Objici potest, quod stylobatae obeliscorum in Circo reperti, dum subversi essent et contusi, volitam ruinam demonstrent, inprimis Constantiani obelisci stylobates ita pessumdatus, ut trabi subrigendae amplius inservire non posset. Mercat. lib. cit. cap. 42. pag. 380. 383. Sed hoc post ipsorum obeliscorum casum evenire potuit, dum aliquis vel totum circum adversae factionis sedem destruere aggressus sit, vel lapides illos ad novorum aedificiorum utilitatem alio transferre. Certe in stylobatis nulla ignis vestigia, quo ipsos obeliscos plurimis in locis exesos videmus: quo intelligitur horum ruinam ab illorum eversione fuisse diversam, saltem stylobatas solidis aedificiis cinctos fuisse et contectos quo tempore arserunt obelisci.

15 Apud Mabillonium analect. vet. tom. 4. pag. 505., et Blanchinium prolegom. ad Anastas. Biblioth de vit. pontif. tom. 2. num. 15. pag. 122. 132., et Bandinium lib. cit. cap. 17. pag. 94.

16 Loc. cit. pag. 1884. Cui adstipulatur Fea loc. cit. pag. 342.

17 Vide auctores citatos a Fea loc. cit. p. 339.

18 Qui in circo jacebant, sepulti narrantur ad 24 palmorum altitudinem. Mercat. lib. cit. cap. 42. pag. 381. Campensis obeliscus ruinis obrutus latuit usque ad annum MDII, quando dum pro conficienda latrina terra foderetur in hortulo plebeji viri, basis et inferior obelisci pars detectae sunt. Bandin. lib. cit. cap. 18. pag. 97. Etiam ex iis qui steterunt ante mausoleum Augusti, alter in terra sepultus jacuit usque ad annum MDCCLXXXIII, quo erui jussit PIVS VI. De Minerveo obelisco reperto in profunditate palmorum 15, vide Kircherum in libro quem de eo scripsit pag. 2.

19 Alter ex obeliscis qui fuerunt in mausoleo fractus jacuit in via publica ante ecclesiam S. Rochi usque ad aetatem Sixti V. Pigafetta *discorso d' intorno all' istoria dell' Aguglia* pag. 3. Mercat. lib. cit. cap. 41. pag. 372. Eum qui fuit in hortis Sallustii ad mediam sui latitudinem terra contectum commemorant Marlianus topogr. urb. Romae lib. 4. cap. 23. in Graev. thes. tom. 3., Panvin. lib. cit. cap. 20., Mercat. lib. cit. cap. 28. pag. 257; videturque hic idem esse quem in circo Florae jacere ait Fabius Calvus in descript. Romae veteris regione VI. Obelisci Pamphilii prostrati in circo suburbano

rectus perduravit Caji obeliscus, quo tempore moveri jussit Sixtus V., totum stylobaten astragalosque et pedem trabis aggesta humo contectos habuit [20].

CAPUT QUARTUM

Quarta obeliscorum epocha.

§. I.

Urbs Roma, post exstinctum occidentale imperium, Italiamque occupatam a populis e septentrione advenis, et ipsam Urbem repetitis vicibus ferro igneque vastatam, postremo et Sanctam Sedem translatam in Galliam, ad angustias redacta et fere excisa, tandem cum Gregorius XI. Pontifex Maximus ab Avenione redux anno MCCCLXXVI Apostolicae Sedis honorem Urbi restituisset, denuo revivere coepit, populoque undique affluente augeri, ac novis sensim aedificiis ampliari. Subsequenti inde saeculo renascentibus in Italia humanioribus litteris, mox etiam coeptum est quaerere de antiquae urbis splendore ac de principalium aedificiorum situ modoque, et vetustatis monumenta quae adhuc supererant suspicere. Frequens tunc ab Urbis topographis obeliscorum mentio facta, quos in variis ejusdem locis stetisse prodiderant scriptores veteres, et unus ille qui adhuc rectus stabat in Vaticano a singulis fere laudatus, principum animos ad eos qui laterent detegendos Urbique reddendos excitavere, illum vero qui erat in Vaticano adjacentibus aedificiis fere occultus in clariorem locum transferendum.

De hoc jam cogitasse narratur Nicolaus V. P. M., ut transvectum statueret ante basilicam Vaticanam, et pro quatuor leonibus aeneis, a quibus humo obrutis obeliscum in circo ferri vulgaris fama increbuerat, stylobatae loco ei subjicere quatuor SS. Evangelistarum statuas colossales ex aere, qui totum ejus pondus in sublime elatum sustinerent, in vertice autem poneret statuam aeneam Servatoris mundi crucem auream humero ferentem. Quo morte praevento anno MCCCCLV, postea Paulus II. idem consilium agitasse fertur cum Aristotele architecto; et centum fere annis post Nicolaum Paulus III. exhortatus esse Bonarrotium architectum celeberrimum, ut obeliscum in forum S. Petri tranferret, sed qui veritus ne lapide in molitione fracto famae suae labem impingeret, opus suscipere renuit: quare nec Gregorius XIII, cui Camillus Agrippa architectus obelisci trans-

---

quem dicunt Caracallae, meminere Mollus de triumph. vet. lib. 1. cap. 39. in Gronov. thes. tom. 11., Panvin. lib. cit. cap. 24., Marlian. lib. 5. cap. 27., Mercat. lib. cit. cap.29. p. 263. Alterius autem qui jacuit in circo pariter suburbano, Elagabalo sive ut aliis placet Aureliano adscripto, Panvinius lib. cit. cap. 25., Marlian. lib. 5. cap. 26. De parvo illo qui fuit ante ecclesiam S. Mahuti vide Panvinium lib. cit. cap.17., Mercat. loc. cit. pag. 264., Donat. de urbe Roma lib.4. cap.12. in Graev. thes. tom.3. p.937. De eo qui fuit ad ecclesiam S. Mariae in Aracoeli, Mercatum lib. cit. cap. 25. pag. 245., qui forte idem est quem in area ecclesiae Sanctorum Apostolorum jacere inquit Panvinius lib. cit. cap. 17. Quae autem fides habenda sit Bellonio de admir. oper. ant. praestant. lib. 1. c.8. scribenti: „ Sunt Romae obelisci plures, sed „ longe minores; quorum alii humi prostrati „ post templum Minervae jacent, alii adhuc „ erecti stant post Pantheon; item duo in Ca- „ pitolio juxta murum templi ad Aram coeli vi- „ suntur „: me ignorare fateor. Forte loquitur de obeliscorum fragminibus, de quibus diximus supra pag.81.

[20] Mercat. cap. 25. pag.244. cap.40. p. 366.

portandi exemplar obtulit, rem nimiis periculis obsitam huic committere ausus est [1].

Qui autem Gregorium excepit anno MDLXXXV, Sixtus V., tenax propositi vir et grandia quaecunque animo concipere assuetus, statim a sacri principatus initio consilium cepit de obelisco Cajano in aream basilicae Vaticanae transferendo [2]. Jussit itaque ut congregatio cardinalium praesulumque et nobilium ad hoc ipsum instituta, locum decerneret in quo statuendus esset obeliscus, et architectum eligeret cui opus esset committendum. Confluxere inde ex quampluri-mis civitatibus viri mechanicae artis periti, et congregationi praefatae obtulerunt methodorum ad obeliscum sternendum, transferendum, erigendum exemplaria quingenta, quibus omnibus sententia lata palmam praeripuit methodus proposita a Dominico Fontana Melinensi, cui et mox a pontifice litteris patentibus opus demandatum fuit [3]. Is opus coeptum mense octobri anno MDLXXXV, ad finem perduxit et obeliscum statuit in meditullio areae S. Petri die X septembris anno MDLXXXVI. [4] Modus erigendi idem fere fuit quem describit Ammianus Marcellino [5], sed operarum compendio veterem architectum superasse videtur Fontana. Pegma sive machina quam vulgo appellant castellum, compacta ex fortissimis trabibus assurgebat ad instar turris quadratae, et praealtae, funibusque validissimis a turris vertice descendentibus attrahebatur obeliscus ergatarum trochlearumque ministerio, usque dum super stylobate sublatus subsideret in astragalos stylobatae superpositos. Ad quod efficiendum usus est Fontana ergatis quadraginta, equis centum quadraginta, hominibus octingentis [6]. Servatum esse in obelisco denuo statuendo veterem stylobaten, ipsumque obeliscum eodem modo subrigi quo olim in circo, supra advertimus [7]: podio autem marmoreo, quod et olim in spinam circi insertum eum sustinuit, subjectum est fundamentum quadratum e lapide tiburtino, altum super pavimento areae palmos duos cum quadrante, et tribus gradibus distinctum [8]. Attollitur itaque obeliscus supra pavimentum areae palmis quadraginta et uno, quibus ubi addideris ipsius obelisci longitudinem, habes palmos centum quinquaginta quatuor et semissem. Adjecta praeterea fuit in lapidis vertice pro pila quae olim ibi erat, S.Crucis figura ex aere deaurato, quae una cum stella et quinque monticulis, insignibus Sixti V., caeterisque ornamentis aeneis quae eam subrigunt, alta est palmos viginta sex [9]: ita ut a pavimento usque ad crucis api-

---

[1] Mercat. cap.36 pag.340.

[2] Id. cap.37. pag.346.

[3] Vide librum: *Della trasportazione dell' obelisco Vaticano et delle altre fabriche di N. S. Papa Sisto V. fatte dal cav. Domenico Fontana archit. di S. S. in Roma* 1590 fol.4.5.6.

[4] Ibid. fol.33. Mercatus cap.40. pag.366. die septembris 23 factum esse ait. Numus aeneus in hujus rei memoriam cusus prostat in museo Borgiano: DOMINICVS FONTANA A MELINO NOVOCOMEN. AGRI: Caput hujus. In aversa: CAESARIS OBELISCVM MIRAE MAGNIT. ASPORTAVIT ATQVE IN FORO D. PETRI FELICITER EREXIT A. D. MDLXXXVI: Obeliscus Vaticanus. Numismata Sixti V. in hujus obelisci fundamento posita duo recenset Bonannius in numism. pontif. Roman. a Martino V. usque ad ann.1699. tom.I. pag.413. num.27. 28. In utroque est typus obelisci: in altero autem legitur: SACRA PROPHANIS PRAEFERENDA: in altero eadem est epigraphe quam modo dedimus ex numo Fontanae.

[5] Lib.17. cap.4. supra pag.26.

[6] Fontana *della trasportaz. dell' obel. Vat.* fol.24—33. Mercatus cap.38. pag.352. 360. Kircher. Oed. tom.3. pag.372. Conf. supra pag.187.

[7] Pag.612.

[8] Fontana fol.35. Mercatus cap.40. pag.366.

[9] Fontana fol.34.

cem sint palmi centum octoginta cum semisse. Astragali trabi subjecti includuntur et occultantur a quatuor figuris leonum cubantium ex aere, quae in stylobatae angulis positae obeliscum dorso suffulcire videntur: et in pede obelisci in quovis latere aeneum est ornamentum, nempe sertum appensum cujus medio insidet aquila alis explicatis.

Inscriptiones denique additae sunt [10], in summa trabe infra pyramidium, in latere occidentali, quod respicit basilicam S. Petri;

SANCTISSIMAE CRVCI
SIXTVS V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT
E PRIORE SEDE AVVLSVM
ET CAES. AVG. AC TIB.
I. L. ABLATVM M.D.LXXXVI.

In stylobatae latere occidentali:

CHRISTVS VINCIT.
CHRISTVS REGNAT.
CHRISTVS IMPERAT.
CHRISTVS
AB OMNI MALO
PLEBEM
SVAM DEFENDAT

In ejusdem latere orientali:

ECCE CRVX DOMINI.
FVGITE PARTES
ADVERSAE.
VICIT LEO
DE TRIBV IVDA.

In meridionali:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM VATICANVM
DIS GENTIVM
IMPIO CVLTV DICATVM
AD APOSTOLORVM LIMINA
OPEROSO LABORE
TRANSTVLIT.
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

In septentrionali:

SIXTVS V. PONT. MAX.
CRVCI INVICTAE
OBELISCVM VATICANVM
AB IMPVRA SVPERSTITIONE
EXPIATVM. IVSTIVS
ET FELICIVS CONSECRAVIT.
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

---

[10] Mercat. cap.40. pag. 369. Kircher. lib. cit. pag. 377. Fontan. fol.36.

In eodem latere in ima stylobatae parte legitur :

DOMINICVS FONTANA EX PAGO MILI
AGRI NOVOCOMENSIS TRANSTVLIT
ET EREXIT .

Obeliscus hoc modo erectus ornatusque , solemni pompa consecratus fuit die XXVII septembris anno MDLXXXVI. [11] .

§. II.

Anno sequenti obeliscus qui jacebat in via publica ante ecclesiam S. Rochi , in quatuor frusta diffractus , olim positus in mausoleo Augusti , jubente Sixto V. ab eodem architecto translatus est in collem Exquilinum atque erectus juxta basilicam S. Mariae Majoris [1] . Huic pyramidii loco , quod jam olim recisum fuerat , addita est coronis aenea , cui insident monticuli quinque , stella et Crucis figura , omnia ex aere . Ipsi autem obelisco , qui longus est palmos sexaginta sex , subjacet spira marmorea , quae stylobatae pro coronide est , alta palmos octo cum besse . Stylobates idem est qui et olim obeliscum sustinuit , truncus e lapide syenite altus palmos septemdecim et dimidium . Omnia autem subrigit podium lapidis tiburtini altum palmos decem : ut tota altitudo usque ad coronidem aeneam sit paullo plus palmorum centum duum [2] .

Inscriptiones leguntur in stylobate [3] , latere meridionali , quod basilicam supra dictam respicit :

CHRISTVS
PER INVICTAM
CRVCEM
POPVLO PACEM
PRAEBEAT
QVI
AVGVSTI PACE
IN PRAESEPI NASCI
VOLVIT

latere orientali :

CHRISTI DEI
IN AETERNVM VIVENTIS
CVNABVLA
LAETISSIME COLO
QVI MORTVI
SEPVLCHRO AVGVSTI
TRISTIS
SERVIEBAM

[11] Fontana fol. 33. Mercat. cap. 39. pag. 363. Galesinius in libro cui titulus , *Ordo dedicationis obelisci , quem S.D.N. Sixtus V. P. M. in foro Vaticano ad limina apostolorum erexit: & benedictionis item crucis quam in ejus fastigio collocavit V. Kal. Octobr. feria sexta anno* 1586.

[1] Fontan. fol. 76. Mercat. cap. 41. pag. 372. Kirch. lib. cit. pag. 369.

[2] Auctt. modo citt.

[3] Apud eosdem . Numum Sixti V. hujus obelisci typo insignitum , cum epigraphe : POPVLI CHRISTIANI TROPHAEVM : adfert Bonannus lib. cit. tom. 1. pag. 413. num. 29.

latere boreali :

CHRISTVM DOMINVM
QVEM AVGVSTVS
DE VIRGINE
NASCITVRVM
VIVENS ADORAVIT
SEQ. DEINCEPS
DOMINVM
DICI VETVIT
ADORO

latere occidentali :

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM AEGYPTO ADVECTVM AVGVSTO
IN EIVS MAVSOLEO DICATVM EVERSVM DEINDE
ET IN PLVRES CONFRACTVM PARTES IN VIA
AD S. ROCHVM IACENTEM IN PRISTINAM
FACIEM RESTITVTVM SALVTIFERAE CRVCI
FELICIVS
HIC ERIGI IVSSIT
ANNO M. D. LXXXVII. PONT. III.

In eodem latere in podio inscriptum est:

EQVES DOMINICVS
FONTANA ARCHITECT.
EREXIT

§. III.

Eodem anno e circo Maximo eruti sunt obelisci duo ad viginti quatuor palmorum altitudinem aggesta humo obtecti, alter quidem quem advexerat Constantius, in medio circo, alter ab Augusto adlatus, triginta passibus amplius ad meridiem [1]. Quorum primum statim in aream Lateranensem transferendum curavit Sixtus V., quo in loco erectus fuit a Fontana architecto, die X augusti anno MDLXXXVIII. [2] Vetus stylobates una repertus, cum omnino ruptus esset atque pessumdatus, in ejus locum substitutus fuit stylobates lapidis tiburtini e pluribus truncis coagmentatus, qui insimul cum podio atque coronide ex eodem lapide altus est palmos triginta octo. Apici autem imposita fuit Crucis figura aenea alta palmos novem et dimidium, praeter stellam et monticulos quinque et leones quatuor pariter ex aere. Quae omnia adjecta ad ipsum obeliscum, longum palmos centum quadraginta quatuor, efficiunt totius molis altitudinem palmorum paullo minus ducentis et quinque.

Inscriptiones sunt in stylobate [3], in latere meridionali ad basilicam Lateranensem converso :

---

[1] Mercat. cap. 42. pag. 377. Kirch. lib. cit. pag. 165.
[2] Fontan. fol. 70. 71. Mercat. cap. 42. p. 382.
[3] Apud eosdem.

CONSTANTINVS
PER CRVCEM
VICTOR
A S. SYLVESTRO HIC
BAPTIZATVS
CRVCIS GLORIAM
PROPAGAVIT

in occidentali :

FL. CONSTANTINVS
MAXIMVS AVG.
CHRISTIANAE FIDEI
VINDEX ET ASSERTOR
OBELISCVM
AB AEGYPTIO REGE
IMPVRO VOTO
SOLI DEDICATVM
SEDIBVS AVVLSVM SVIS
PER NILVM TRANSFERRI
ALEXANDRIAM IVSSIT
VT NOVAM ROMAM
AB SE TVNC CONDITAM
EO DECORARET
MONVMENTO

in orientali :

FL. CONSTANTIVS AVG.
CONSTANTINI AVG. F.
OBELISCVM A PATRE
LOCO SVO MOTVM
DIVQ. ALEXANDRIAE
IACENTEM
TRECENTORVM REMIGVM
IMPOSITVM NAVI
MIRANDAE VASTITATIS
PER MARE TIBERIMQ.
MAGNIS MOLIBVS
ROMAM CONVECTVM
IN CIRCO MAX.
PONENDVM
S. P. Q. R. D. D.

in septentrionali :

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
SPECIE EXIMIA
TEMPORVM CALAMITATE
FRACTVM CIRCI MAX.
RVINIS HVMO LIMOQ.

ALTE DEMERSVM MVLTA
IMPENSA EXTRAXIT
HVNC IN LOCVM MAGNO
LABORE TRANSTVLIT
FORMAEQ. PRISTINAE
ACCVRATE RESTITVTVM
CRVCI INVICTISSIMAE
DICAVIT
A. M. D. LXXXVIII. PONT. IIII.

§. I V.

Alterum obeliscum e circo Maximo effossum, una cum veteri stylobate Augusti nomine inscripto, qui jam detectus fuerat sedente Gregorio XIII., [1] statui jussit Sixtus V. in foro portae Flaminiae die XXV martii anno MDLXXXIX. [2] Erectus fuit super veteri stylobate, qui truncus est lapidis syenitae altus palmos quindecim, cui substratum est podium e lapide tiburtino altum palmos pariter quindecim, in summitate autem adjecta coronis ejusdem lapidis cum abaco et spira e marmore albo palmorum septem. Ipse autem obeliscus altus palmos centum septem, ea ratione locatus est in spira, ut incisione facta in lateribus, inter obeliscum et spiram spatium palmare appareat vacuum, ac si astragalis subrigeretur obeliscus. Apici autem imposita est crucis figura ex aere cum reliquis ornamentis uti in obelisco Lateranensi, altitudine palmorum septemdecim cum semisse. Tota itaque molis ut nunc stat, alta est palmos centum sexaginta duos et dimidium.

Inscriptiones tunc adjectae fuere in duobus stylobatae lateribus [3]: scilicet in orientali, quod spectat ad aedem S. Mariae de Populo:

ANTE SACRAM
ILLIVS AEDEM
AVGVSTIOR
LAETIORQ. SVRGO
CVIVS EX VTERO
VIRGINALI
AVG. IMPERANTE
SOL IVSTITIAE
EXORTVS EST

---

[1] Mercat. cap. 42. pag. 380.

[2] Fontan. fol.75. Mercat. cap.43. pag. 387. Kirch. lib. cit. pag.215.

[3] Apud eosdem. Duos numos Sixti V. cum hujus obelisci typo sistit Bonannus lib.cit. tom.I. pag.419. num.31. 32., in quorum altero epigraphe est: BEATAE MARIAE DE POPVLO QVARTVM ANNO IV EREXIT: in altero: QVARTVM ANNO QVARTO EREXIT 1589. Tertium habes ibidem pag. 412. n. 26. cum quatuor obeliscis a Sixto erectis, adjecta epigraphe: CRVCI FOELICIVS CONSECRATA. Servatur et in museo Borgiano numus aeneus: DOMINICVS. FONTANA. CIV. RO. COM. PALAT. ET. EQ. AVR.: Caput hujus. In aversa: IVSSV. SIXTI. V. PONT. O. M. EREXIT: Obelisci quatuor: in exergo 1589. Circa idem tempus Ferdinandus Cardinalis Mediceus parvum obeliscum in campo Florae repertum, statuit in hortis suis in

in septentrionali:

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
A CAES. AVG. SOLI
IN CIRCO MAX. RITV
DICATVM IMPIO
MISERANDA RVINA
FRACTVM OBRVTVMQ.
ERVI TRANSFERRI
FORMAE SVAE REDDI
CRVCIQ. INVICTISS.
DEDICARI IVSSIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

§. V.

Post Sixtum V. cessavit obeliscorum restituendorum studium, licet jam plures innotuissent obelisci in variis locis humi prostrati, usque donec Innocentius X. P. M. illum qui fractus jacebat in circo suburbano Caracallae nomine dicto, erigendum curavit in foro Agonali, opere coepto anno MDCXLIX, ad finem perducto anno MDCLI. Architecto usus est Laurentio Berninio, qui novo ac mirabili invento obeliscum, altum palmos septuaginta duos, stylobate suffultum lapidis syenitae, alto palmos viginti tres et in varia membra subdiviso, statuit supra fontem in rupis quadripartitae formam excavatum, cujus lateribus insident quatuor statuae colossales, Danubii, Gangis, Nili, et Americani fluvii ab argento dicti, quae vario symbolorum apparatu quadripartitam mundi faciem exhibent. Rupis haec alta esse videtur palmos triginta, aeneum autem ornamentum, quod in obelisci vertice adjectum columbam repraesentat cum ramo oleae, Pamphiliae gentis insignia, palmos circiter octo: ita ut totius operis altitudo aestimari possit palmorum centum triginta [1].

Stylobatae inscriptum est qua ad orientem vergit [2]:

NOXIA ÆGYPTIORVM MONSTRA
INNOCENS PREMIT COLUMBA
QVÆ PACIS OLEAM GESTANS
ET VIRTVTVM LILIIS REDIMITA
OBELISCVM PRO TROPHEO SIBI STATVENS
ROMÆ TRIVMPHAT

---

monte Pincio, qui paucis ab hinc annis Florentiam translatus est. Alterum qui aliquando stetit in horto coenobii Arae Coeli, a populo Romano dono sibi datum, in hortis suis in monte Coelio erexit Cyriacus Matthaejus anno 1582., teſtante epigrammate, quod eſt in ejusdem obelisci stylobate. Mercat. cap. 26. p.246. Kirch. lib. cit. pag. 320. 325. Venuti et Amadutii monumenta Matthaejana, tom. 1. praef. pag. 30.

[1] Kircher. interptet. obel. Pamphil. prolegom. hist. obel. §. 3. Bonann. lib. cit. tom. 2. pag. 634. Numus aeneus in museo Borgiano: INNOCENTIVS X. PON. MAX. AN. V.: Caput hujus. In aversa: AGONALIVM. CRVORE. ABLVTO. AQVA. VIRGINE.: Effigies fontis ornatissimi qui est in foro Agonali, cum obelisco superimposito. Eundem numum adfert Bonannus loc. cit. num.26.

[2] Apud Oldoinum in vita Innocentii X. p.650. et apud Bonannum loc. cit. Quas vero inscriptiones adfert Kircherus loc. cit., nunquam incisae fuerunt.

ad meridiem :

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NILOTICIS AENIGMATIBVS EXARATVM LAPIDEM
AMNIBVS SVPERLABENTIBVS IMPOSVIT
VT SALVBREM
SPATIANTIBVS AMOENITATEM
SITIENTIBVS POTVM
MEDITANTIBVS ESCAM
MAGNIFICE LARGIRETVR

ad occidentem :

INNOCENTIVS X. P. MAX.
NATALI DOMO PAMPHILIA
OPERE VVLTVQVE AMPLIFICATA
LIBERAQVE INOPPORTVNIS AEDIFICIIS
AGONALI AREA
FORVM VRBIS CELEBERRIMVM
MVLTIPLICI MAIESTATIS INCREMENTO
NOBILITAVIT

ad septentrionem :

OBELISCVM
AB IMPERATORE ANTONINO CARACALLA
ROMAM ADVECTVM
CVM INTER CIRCI CASTRENSIS RVDERA
CONFRACTVS DIV IACVISSET
INNOCENTIVS X.
PONT. OPT. MAX.
AD FONTIS FORIQVE ORNAMENTVM
TRANSTVLIT INSTAVRAVIT
EREXIT
ANNO SALVTIS MDCLI
PONTIF. VII

§. V I.

Post annos inde quindecim in fundamentis coenobii S. Mariae supra Minervam detectus est parvae molis obeliscus, una cum veteri stylobate sive podio, non excedens palmos viginti quatuor, quem in area ante ecclesiam praefati coenobii statui jussit Alexander VII. P. M. anno MDCLXVII, ejusdem Berninii consilio usus. Subrigitur autem obeliscus dorso elephanti marmorei alti palmos circiter duodecim; qui insistit stylobatae pariter marmoreo, cum podio e lapide tiburtino ejusdem fere altitudinis; adjecto in obelisci vertice aeneo ornamento composito e crucis figura, stella et monticulis, alto palmos sex, ita ut totius operis altitudo sit palmorum circiter quinquaginta quatuor. [1]

Inscriptiones duae sunt in stylobate [2]: scilicet in latere ad ecclesiam converso :

---

[1] Kircher. interpretat. obelisci inter Isaei rudera effossi.

[2] Bonann. lib. cit. tom. 2. pag. 702. Idem pag. 700. num. 46. recenset numum Alexandri VII. hujus obelisci typo insignitum.

SAPIENTIS ÆGYPTI
INSCALPTAS OBELISCO FIGVRAS
AB ELEPHANTO BELLVARVM FORTISSIMA
GESTARI QVISQVIS HIC VIDES
DOCVMENTVM INTELLIGE
ROBVSTÆ MENTIS ESSE
SOLIDAM SAPIENTIAM SVSTINERE

in latere opposito :

VETEREM OBELISCVM
PALLADIS ÆGYPTIÆ MONVMENTVM
E TELLVRE ERVTVM
ET IN MINERVÆ OLIM
NVNC DEIPARÆ GENITRICIS
FORO ERECTVM
DIVINÆ SAPIENTIÆ ALEXANDER VII
DEDICAVIT ANNO SALVTIS
M DC LXVII

§. V I I.

Alium parvum obeliscum, qui aliquando stetit ad aedem S. Mahuti, Clemens XI. P. M. transferendum in forum Panthei, et cruce aenea atque stella apici impositis locandum curavit supra salientes illuc conductas, anno MDCCXI. Insistit obeliscus fulcimento quadrato e lapide syenite, sub quo est stylobates marmoreus modicae magnitudinis, in cujus lateribus orientali atque occidentali repetita legitur inscriptio :

CLEMENS XI.
PONT. MAX.
FONTIS ET FORI
ORNAMENTO
ANNO SAL.
MDCCXI
PONTIF. XI

V I I I.

Tres adhuc Romae visebantur obelisci prostrati et fracti, quartus autem humi obrutus jacebat, quo tempore PIVS SEXTVS Pontifex Maximus, antiquitatis artiumque amore clarus, post varia splendidaque aedificia quibus et Urbem et municipia decoraverat, ad obeliscos restituendos animum convertit. Constabat nempe veterum scriptorum testimoniis, duos obeliscos fuisse in Augusti mausoleo, quorum alterum a Sixto V. in collem Exquilinum translatum esse diximus. Remanebat alter terra abditus, usque ad annum MDCCLXXXIII, quo PIVS VI ex mausolei ruderibus erui jussit et in montem Quirinalem transvehi, ut statueretur in media area ante aedes pontificias, medio loco inter Castorum statuas co-

lossales [1], quas a thermis Constantini illuc transtulerat Sixtus V. Obelisci resarciendi ac sublevandi cura mandata fuit Joanni Antinorio Camerti, architecto in mechanicis eximie versato, qui cum videret concinnius locari obeliscum, si colossi illi, inter quos spatium relictum erat nimis angustum, dimoverentur, frontesque eorum aedes pontificias recte adspicientes in obliquum verterentur, annuente Pontifice hos una cum stylobatis suis movere instituit: ac spreta vulgari fama, quae id sine statuarum ruina fieri posse negabat, summoto pavimento, trabibusque subjectis statuarum stylobatis, locum paravit obelisco collocando aptum. Deinde stylobate exstructo e marmore candido, alto palmos circiter viginti quinque una cum podio e lapide tiburtino, alterum stylobaten superimposuit e lapide syenite, altum palmos septemdecim, cui insident aquilae aeneae quatuor, quae astragalorum loco obeliscum suffulciunt, altae ut videtur palmos binos. Ipse obeliscus longus est palmos sexaginta quinque cum dimidio; quod vero summitati ejus adjectum est ornamentum aeneum, compositum e liliis quatuor quatuorque flantium puerorum vultibus, insignibus gentis Braschiae, stellaque praeterea et crucis figura, altitudine colligere videtur palmos viginti. Totius itaque molis altitudo aestimari potest palmorum centum triginta. Opus autem absolutum fuit anno MDCCLXXXVI die XX mensis septembris.

In stylobate e lapide syenite inscriptum est in latere boreali pontificiis aedibus obverso:

PIVS. VI. PONT. MAX.
SIGNIS . ET . BASIBVS
QVAE . XYSTVS . V. AEQVATA . IN . FRONTEM
CONSTITVERAT
FAVSTA . MOLITIONE
ET . OPERE . INTACTO . IN . LATERA . AVERSIS
OBELISCVM . C. CAESARIS . AVGVSTI
GEMINVM . EIVS . QVI . IN . EXQVILIIS . STAT
E . MAVSOLEI . RVDERIBVS . TRANSLATVM
AREAE . QVIRINALI . EXORNANDAE.
INTERMEDIVM . STATVI
LACVM . ET . SALIENTES . RESTITVI . IVSSIT

In latere occidentali:

XII. KAL. OCT.
ANNO
M. DCC. LXXXVI

in latere orientali:

ANNO . XII
SACRI . PRINCIPATVS
EIVS

---

[1] Numus in hujus rei memoriam procusus, aeneus servatur in museo Borgiano: PIVS . SEXTVS . PONTIFEX . MAXIMVS : Caput hujus. In adversa: OBELISCVM . RVINIS . MAVSOLEI . AVGVSTALIS . A. TOT. SAECVLIS . OBRVTVM . EFFODI . INSTAVRARI . ORNARI . ET . EQVIS . AD. LAXANDVM . FRONTIS . SPATIVM . IN . OBLIQVVM . VERSIS . ERIGI . IVSSIT . A. MDCCLXXXIII. PONTIF. IX.

in latere meridionali :

SALVE
OPTIME . PRINCEPS
SALVE
PARENS . POPVLI . ROMANI
VOTISQVE . VIVE . NOSTRIS
VIVE . VRBI . TVAE
VIVE
ORBI . CHRISTIANO
CVI . TE . DEVS
MAXIMVM . RECTOREM
DEDIT

In eodem latere in stylobate marmoreo epigramma est :

ME . QVONDAM . AEGYPTI . DESECTVM . E . CAVTIBVS . VNDAS
VIS . QVEM . PER . MEDIAS . ROMVLA . TRANSTVLERAT
VT . STAREM . AVGVSTI . MOLES . MIRANDA . SEPVLCRI
CAESAREVM . TIBERIS . QVA . NEMVS . ADLVERET
IAM . FRVSTRA . EVERSVM . FRACTVMQVE . INFESTA . VETVSTAS
NISA . EST . AGGESTIS . CONDERE . RVDERIBVS
NAM . PIVS . IN . LVCEM . REVOCAT . SARTVMQVE . QVIRINI
SVBLIMEM . IN . COLLIS . VERTICE . STARE . IVBET
INTER . ALEXANDRI . MEDIVS . QVI . MAXIMA . SIGNA
TESTABOR . QVANTO . SIT . MINOR . ILLE . PIO

§. IX.

Mox anno MDCCLXXXIX. obeliscum Sallustianum, quem Clemens XII. P.M. ex hortis Ludovisiis transvehendum curaverat ad aedem Lateranensem, ut ante frontem ejus erigeret, quod postea omisit, PIVS SEXTVS transferri jussit in montem Pincium, ibique constitui ante aedem SS. Trinitatis, supra scalam illam amplissimam, qua ascenditur a foro Hispanico [1]. Subrigitur hic obeliscus podio e lapide tiburtino palmorum novem, et stylobate marmoreo palmorum circiter viginti novem, cui superimpositum est fulcimentum e marmore caerulescente, medio loco cinctum fascia e lapide syenite, altum palmos ut videtur sexdecim. Aeneum autem ornamentum, lilium scilicet crucis figuram super stella sustinens, quod vertici insidet, altum videtur palmos viginti. Quare cum ipse obeliscus longitudine colligat palmos sexaginta duos cum quadrante, totum opus altum putari potest palmos centum triginta quatuor.

Inscriptum est in stylobate marmoreo, latere occidentali, quod Urbem respicit:

---

[1] De hodierno hujus obelisci situ consule opusculum cui titulus ; *Annotazioni storico-critiche sull' obelisco Salustiano fatte da Nautilo Lemnio pastore Arcade*, in Roma 1792.

PIVS . VI. PONT. MAX.
OBELISCVM . SALLVSTIANVM
QVEM . PROLAPSIONE . DIFFRACTVM
SVPERIOR . AETAS
IACENTEM . RELIQVERAT
COLLI . HORTVLORVM
IN . SVBSIDENTIVM . VIARVM
PROSPECTV . IMPOSITVM
TROPAEO
CRVCIS . PRAEFIXO
TRINITATI . AVGVSTAE
DEDICAVIT

latere septentrionali :

III . EIDVS
APRIL
ANNO . M. DCC.
LXXXIX.

latere meridionali :

SACRI
PRINCIPATVS
EIVS
ANNO . XV.

In latere orientali in ima stylobatae parte legitur :

IOAN. ANTINORIO . CAMERTE . ARCHITECT.

§. X.

Obeliscus Campensis eversus et terra obrutus primum quod scimus innotuit sub Julio II., saeculo decimosexto ineunte, qua de re ita refert Antonius Laelius Podager in marginalibus manuscriptis ad inscriptiones Mazochii [1] : „ Sub Julio II. „ P. M. in regione Campi Martii post aedem D. Laurentii in Lucina et prope „ domum Cardinalis Crassi, in domunculae cujusdam tonsoris horticulo, dum in „ eo pro conficienda latrina foderetur, detecta est basis obelisci, omnium qui „ in Urbe exstent, ut conspicari erat, maximi. Obeliscus jacebat, nec videri „ poterat, an totus integer esset, quippe cujus ima tantum pars videbatur. In „ basi erat inscriptio [2], quam ego legi, sed non recte de ea memini, quamquam „ de nomine D. Augusti, et de his verbis *Aegypto in potestatem populi Romani reda-* „ *cta Soli donum dedit* memini probe. In hoc obelisco gnomon olim erat percele- „ bris, de quo Plinius meminit. Quin vicini, qui circa illum insulas habent, „ asseverabant, omnes paene se ipsos, dum pro conficiendis cellis vinariis alias „ fodissent, invenisse varia signa caelestia ex aere artificio mirabili, quae in pa-

---

[1] Cod. ms. Vatic. num. 1508. apud Bandinium in libro quem de hoc obelisco scripsit c.18.p.98., ubi et habes alia eruditorum ejus aevi de hoc obelisco testimonia et disputationes.

[2] Inscriptionem, qualem Mazochius edidit anno 1521, dedimus supra pag.52. not.1.

„ vimento circa gnomonem hunc erant. Julio principi in bellis tunc, ut semper, „ implicitissimo, ut obeliscum hunc iterum erigi et in pristinam formam, una „ etiam cum gnomone, restitui faceret, suasere quidem permulti, persuasit au- „ tem nemo. Ideo tantum antiquitatis miraculum a tonsore illo iterum sepultum „ est „. Videtur tamen non totus denuo terra fuisse contectus, sed aliqua ejus pars, licet latentis inter cellas vinarias, ab eo inde tempore aditui patuisse. Nam et Panvinius circa medium saeculum decimumsextum scriptum reliquit [3]: „ Alte- „ rum obeliscum videmus in Campo Martio in cella vinaria ex adverso domus „ Christophori Nardini, quem pro gnomone stetisse scribit Plinius; cum hac in- „ scriptione *Caesar divi Juli* caet. „; et Flaminius Vacca in memorabilibus eodem saeculo exeunte compilatis narrat [4]: „ Sixti V. aevo apud S. Laurentium in Luci- „ na in parte Campi Martii, eques Fontana e lapide Aegyptiaco obeliscum rep- „ perit, quod cum ad aures Sanctitatis Suae devenisset, ut effoderetur, eo „ ipsum erigendi animo jussit; sed cum igne admodum consumptus esset, cum- „ que ea de re pontifex certior fieret, in pristino statu relictus est „. Etiam cir- ca medium saeculum decimumseptimum Kircherus de eo adnotavit [5] „: Obeliscus „ Campomartius sane ingens, magnitudine Flaminio non cedit, et in hunc us- „ que diem spectatur in Campo Martio ad radices Montis Citatorii, ex parte „ S. Laurentii in Lucina, ubi basis ejus incipit, et reliquam molem extendit us- „ que ad cellam palatii vulgo dicti *de' Conti*. Qui tametsi totus terra obrutus sit, „ per cellas tamen vinarias vicinarum domuum nonnullae ejus adhuc partes cernun- „ tur. — Hoc loco solummodo adducemus exiguam illam obelisci, quam nobis „ per cellam videre licuit, una cum symbolis suis delineatam portionem „. Pari- terque eodem saeculo ad finem vergente Petrus Sanctius Bartolius refert [6], in Cam- po Martio cum cloacae fundamenta jacerentur conspectum esse obeliscum pulcra arte excalptum, sed in plura frusta confractum: atque in ejus vicinia repertas fuisse tabulas marmoreas nonnullas, in quibus essent lineae litteraeque numerales ex aere corinthio.

Denique [7] anno MDCCXLVIII, cum Augustiniani PP., qui coenobium in- colunt portae Flaminiae adjacens, vetustas quasdam aedes in campo Martio pone aedem S. Laurentii in Lucina evertendas curarent, ut novas ibidem exstruerent, detectus est obeliscus, sex circiter cubitos infra Urbis solum depressus, et in quinque frusta diffractus. Quod ubi ad Benedictum XIV. P. M. delatum est, prae- clarum antiquitatis monumentum ab oblivione vindicandum ratus, statim impera- vit ut molis eruendae ratio iniretur. Ad eam rem perficiendam omnium aptissimus visus est celeberrimus ille Nicolaus Zabaglia, qui cum non tantum litteras didi- cisset nullas, sed sui quoque animi sensa aegre utcunque verbis exprimeret, et rationes eorum quae ageret explicare omnino nesciret, incredibili quadam mentis

---

3 De ludis circensibus lib. 1. cap. 20.

4 Apud Bandinium cap. 19. pag. 104. et apud Feam *miscellanea filol. crit. e antiqu.* tom. 1. pag. 74. num. 45. Pariter Petr. Angelius Bargaeus in epistola de Urbis eversoribus, edita 1587, obeliscum Campensem paullo ante detectum fuisse ait.

5 Oedip. tom. 3. pag. 578., Obel. Pamphil. pag. 58. et epistola anecdota apud Bandinium loc. cit. pag. 102.

6 Apud Feam lib. cit. pag. 251. num. 103. 104.

7 Quae sequuntur verba sunt cl. Bandinii cap. 20. pag. 102. sqq., apud quem multa habes praeterea, quae pro libri nostri ratione minus facere visa sunt.

acie a natura praeditus, et in simplicissimis ad ingentia pondera attollenda ac transportanda machinis tum excogitandis ingeniosissimus tum construendis exercitatissimus, saepe universam urbem in sui admirationem rapuerat. Is rem brevi aggressus summa felicitate perfecit, machina usus quae praeter ipsam simplicitatem suam nil habuit singulare [8]. Jacebat autem obeliscus, ut retulit Thomas de Marchis architectus in statum ejus inquirere jussus, sub praefatis PP. Augustinianorum aedibus, parte sui in vinariis cellulis conspiciendus, et sub via publica quae aedibus excellentissimorum Comitum adjacet, a stylobate suo in meridiem porrectus, qui in domus cujusdam atrio stabat terra obrutus. Cujus rei ne memoria oblitteraretur, marmor positum est in fronte novi aedificii a supra dictis monachis constructo, in quo legitur:

BENEDICTUS . XIV. PONT. MAX.
OBELISCUM . HIEROGLYPHICIS . NOTIS . ELEGANTER . INSCULPTUM
ÆGYPTO . IN . POTESTATEM . POPULI . ROMANI . REDACTA
AB . IMP. CÆSARE . AUGUSTO . ROMAM . ADVECTUM
EX . STRATO . LAPIDE . REGULISQUE . EX . ÆRE . INCLUSIS
AD . DEPREHENDENDAS . SOLIS . UMBRAS
DIERUMQUE . AC . NOCTIUM . MAGNITUDINEM
IN . CAMPO . MARTIO . ERECTUM . AC . SOLI . DICATUM
TEMPORIS . ET . BARBARORUM . INJURIA . CONFRACTUM . JACENTEMQUE
TERRA . AC . ÆDIFICIIS . OBRUTUM
MAGNA . IMPENSA . AC . ARTIFICIO . ERUIT
PUBLICOQUE . REI . LITERARIÆ . BONO . PROPINQUUM . IN . LOCUM . TRANSTULIT
ET . NE . ANTIQUÆ . SEDIS . OBELISCI . MEMORIA
VETUSTATE . EXOLESCERET
MONUMENTUM . PONI . JUSSIT
AN. REP. SAL. MDCCXLVIII. PONT. IX.

Sic erutus obeliscus, et delatus in atrium quod vulgo dicitur *la Vignaccia*, humi prostratus jacuit et omnifariis sordibus obsitus, dum nimis videretur pessumdatus quam ut iterum posset erigi. At PIVS SEXTVS aegre ferens tam praeclarum monumentum negligi, persuasumque sibi habens virtuti omnia cedere, insigne hoc ornamentum Urbi reddere secum statuit. Quare opera usus Antinorii architecti pluries laudati [9], obelisci frusta et stylobaten transferenda curavit in aream Curiae Innocentianae in Monte Citatorio, frustisque apte com-

[8] Machinam describit Baudinius loco citato, et schemate post praefationem apposito illustrat.

[9] Joannes Antinorius Camerino oriundus, architectus machinarum a se adhibitarum simplicitate operarumque compendio celebris, qui post Fontanam maximam sibi obeliscis erigendis gloriam paraverat, repentino fato obiit paucis diebus postquam hujus obelisci apicem in locum suum sublevasset. Inde factum ut erectio minoris illius obelisci qui jacet in impluvio Vaticano dicto *cortile della Pigna*, quemque ipse in alio ejusdem palatii atrio, quod dicitur *cortile di Bramante*, super fontem qui ibi est, subrigere Pontifice annuente proposuerat, in aliud tempus differretur. Accidit et nobis per importune, ut quas communicare promiserat notitias de conditione loci ubi repertus fuerat obeliscus Quirinalis, deque machinarum ratione quibus obeliscos transvexerat sublevaveratque, et colossos Castorum in monte Quirinali positos incredibili nisu dimoverat et in obliquum converterat, iis liber noster privaretur.

missis, fracturis autem ejusdem lapidis syenitae segminibus apprime laevigatis resarcitis, obeliscum ut integrum denuo assurgere jussit, anno MDCCXCII die XII junii. Locatus autem est obeliscus super veteri stylobate, plane ut olim stetit in Campo, nulla interjecta coronide aliove ornamento addito, quod pulcherrimum habet effectum, et obeliscum ut nunc stat similiorem reddit obeliscis in veteri Aegypto statutis, quam sunt reliqui omnes qui Romae erecti cernuntur. Infra stylobaten, qui altus est palmos novemdecim cum quadrante, latus duodecim, podium adjectum est marmoreum altum palmos septem et dimidium, latum sexdecim cum dodrante, cui denique substernitur aliud podium e lapide tiburtino, altum palmos quinque et dodrantem, latum novemdecim cum triente. Apici imposita est pila aenea Braschiae gentis insignibus elato opere decorata, cum foramine transverso ad meridiani solis radium transmittendum, atque cum cuspide acuta in pilae vertice, quae insimul altitudine colligunt palmos circiter viginti. Itaque cum ipse obeliscus altus sit palmos nonaginta quatuor cum semisse, tota moles ab areae pavimento assurgit palmis circiter centum quadraginta quatuor.

In stylobate syenite Augusti nomine insignito, duae praeterea exaratae sunt inscriptiones, quarum altera in latere occidentali:

PIVS . VI. PONT. MAX.
OBELISCVM
REGIS . SESOSTRIDIS
A. C. CAESARE . AVGVSTO
HORARVM . INDICEM
IN . CAMPO . STATVTVM
QVEM . IGNIS . VI
ET . TEMPORVM . VETVSTATE
CORRVPTVM
BENEDICTVS . XIIII. P. M.
EX . AGGESTA . HVMO . AMOLITVS
RELIQVERAT
SQVALORE . DETERSO
CVLTVQVE . ADDITO
VRBI . CAELOQVE . RESTITVIT
ANNO . M. DCC. XCII.
SACRI . PRINCIPATVS . EIVS . XVIII.

altera in latere orientali:

QVAE CELEBRIS OLIM SIGNABAT PYRAMIS HORAS
FRACTA DEHINC LAPSV SPRETA IACEBAT HVMO
ANTIQVVM RENOVATA DECVS NVNC FRONTE SVPERBA
DINVMERAT SEXTI TEMPORA FAVSTA PII

In eodem latere in podio marmoreo legitur:

IOAN . ANTINORIO . CAMERTE . ARCHIT.

CAPUT QUINTUM

Synopsis chronologica obeliscorum.

§. I.

Obeliscorum historia per varias aetates ad nostra usque tempora deducta; superest tabulam addere quae praecipua hujus historiae momenta in unam seriem collecta oculis objiciat, quod et alii ante nos scriptores fecere, et lectori commodum gratumque fore existimamus. Sed ne nostris conjecturis nimium tribuentes reliquorum scriptorum opiniones parvi habere videamur, praemittimus tabulas a Mercato et Kirchero propositas, utpote qui totum hoc de obeliscis argumentum maxima cum laude pertractavere.

Mercatus[1] quidem chronologiam obeliscorum hoc modo exponit:	Anni ante aeram vulgarem.
Mephres Aegypti rex, inventor obeliscorum.	1662.
Mephramunthosis rex duos obeliscos erexit Heliopoli, qui nunc sunt Alexandriae, quos alii a Mephre excisos putant.	1650.
Cenchres rex Israelitas insecutus submergitur mari rubro.	1510.
Sethos sive Sothis rex potentissimus quatuor obeliscos statuit Heliopoli.	1373.
Rhamises rex, filius Sethonis, quatuor obeliscos erexit Heliopoli, quintum Thebis omnium maximum, qui nunc stat in area Lateranensi.	1318.
Trojae excidium.	1179.
Sesac sive Sesostris rex potentissimus, post Hierosolyma capta duos obeliscos statuit Heliopoli, quorum alter ab Augusto constitutus fuit in campo Martio.	1004.
Noncoreus sive Nephercheres rex, filius Sesostris, duos obeliscos posuit Heliopoli, quorum alterum C. Caligula transtulit in circum Vaticanum.	963.
Roma condita.	755.
Smarres rex excidi jussit obeliscum, qui postea stetit in mausoleo Augusti.	690.
Nechao sive Nectabis rex magnum obeliscum excidi jussit, qui postea a Ptolemaeo Philadelpho erectus est in templo Arsinoes, postremo autem a Maximo praefecto Aegypti in forum Alexandriae translatus.	611.
Ephrees sive Aphries rex, auctor alterius ex obeliscis qui fuere in mausoleo Augusti.	595.
Semneserteus sive Psammetichus rex obeliscum condidit quem Augustus in circo Maximo erigi jussit, qui grandium obeliscorum quos fecere Aegyptii, novissimus esse videtur.	522.
Cambyses Persarum rex Aegypto capta, praeter reliqua ejus provinciae aedificia, obeliscos etiam subvertit.	521.

1 *Degli obelischi di Roma* cap.44. pag.393.

Alexandri Magni initia. 334.
Ptolemaeus Philadelphus rex obeliscum Nechaonis Alexandriam delatum statuit in templo Arsinoes. 282.
Augustus Aegyptum cepit. 28.
Augustus duos obeliscos ab Heliopoli Romam deportavit, quorum alterum excisum a rege Sesostre, posuit in campo Martio, alterum regis Semnesertei, in circo Maximo. 22.

Anni aerae vulgaris.

C. Caligula obeliscum Noncorei ab Heliopoli advectum statuit in circo Vaticano. 41.
Claudius Caesar duos obeliscos, factos a regibus Smarre et Aphrie, collocavit in mausoleo Augusti: tertium pariter ex Aegypto adlatum posuit in hortis Sallustii. 47.
Antoninus Caracalla obeliscum ex Aegypto advectum erexit in circo suo. 216.
Constantinopolis condita. 334.
Constantinus Magnus maximum illum obeliscum regis Rhamisis a Thebis Alexandriam devexit, ut Constantinopolin delatum erigeret: sed morte praeventus est. 339.
Constantius Augustus eundem obeliscum ab Alexandria Romam deductum statuit in circo Maximo. 363.
Theodosius imperator obeliscum Aegyptium Constantinopoli erexit in circo. 386.
Totilas Gothorum rex Romam cepit et vastavit, ac inter caetera urbis ornamenta obeliscos quoque dejecit. 547.
Sixtus V. P. M. obeliscum a C. Caligula advectum transtulit in aream S. Petri et ante aedem ejus erexit. 1586.
Idem obeliscum a mausoleo Augusti translatum statuit in colle Exquilino. 1587.
Idem obeliscum a Constantio advectum restituit in aera Lateranensi. 1588.
Idem obeliscum ab Augusto statutum in circo Maximo erigi jussit in area S. Mariae de Populo. 1589.

§. II.

Anni ante aeram vulgarem.

Kircherus [a] temporum rationem sequenti modo explicat:
Manuphtha rex, quem alii Amenophin alii Amenophthin appellant, uti regni ita sacrae doctrinae obeliscorumque primus instaurator fuit, anno post mortem Mosis centesimo. 1366.
Sothis Manuphthae filius octo obeliscos Heliopoli una cum filio Ramesse erexit. 1356.
Ramesses filius Sothis, post mortem patris, omnium maximum obeliscum eorum qui unquam in Aegypto elaborati fuerant, Thebis erexit, et est ille quem Constantius Caesar olim in circo Maximo, postea Sixtus V. P. M. erutum in campo Lateranensi reerexit. 1297.
Hoc eodem tempore ex Graecia in Aegyptum se contulerunt Orpheus, Linus, Musaeus, Amphion. Vixere eodem tempore Sanchuniathon, Bi-

[a] Interpret. obel. Pamphilii, prolegom. et Interpret. obel. inter Isaci rudera effossi, prolegom.

tis propheta, Phoenix pariter et Cadmus qui Aegypti patrias litteras Phoenicibus et Graecis primi tradiderunt.

Trojae excidium. 1179.

Sesostris sive Sesosiris, omnium qui unquam Aegypto praefuerunt regum potentissimus, duos obeliscos erexit. 1157.

Mompheneur filius Sesostris, corrupte a Plinio dictus Nuncorius, ingentem obeliscum, at rasum erexit, postea a C. Caligula Romam delatum. 1102.

Simarres sive Simendes, acerrimus hieroglyphicae doctrinae promotor, praeter innumera fabricarum mirabilium monumenta, templa, labyrinthos, simulacra, complures erexit obeliscos in Aegypto. 1064.

Marres et Aphres nonnullos erexerunt obeliscos, sed rasos, quos postea Claudius ante mausoleum Augusti erexit. 1028.

Psammirtao, quem Plinius Sennesertaeum appellat, Heliopoli erexit illum obeliscum qui hodie spectatur ante ecclesiam B. Virginis de Populo. 807.

Viguit hoc saeculo maxime doctrina hieroglyphica.

Olympiadum initium. 772.

Roma condita. 750.

Nectanabis rex ultimus Aegypti, obeliscum praegrandem erexit Memphi, quem inde avulsum rex Ptolemaeus Philadelphus Alexandriae in templo Arsinoes erexit. 740.

Cambyses rex Persarum Aegyptum invadens, omnes obeliscos prostravit, sacerdotes trucidavit, abolita Aegyptiaca doctrina. 522.

Alexander Macedo. 331.

Augustus Caesar pulsis Graecis Aegyptum Romano adjunxit imperio. 28.

Anni aerae vulgaris.

Hic primus fuit qui obeliscos ex Aegypto avectos, unum in circo Maximo, alterum in campo Martio horis monstrandis aptum erexit. 1.

C. Caligula obeliscum Momphencuris Romam advectum erexit in circo Vaticano. 41.

Claudius Caesar duos obeliscos, sed rasos, ex Aegypto translatos ante mausoleum Augusti erexit. 57.

Antoninus Caracalla obeliscum erexit in hippodromo suo. 250.

Constantinus Magnus obeliscum omnium maximum Thebis transvexit Alexandriam, ut eum in nova Roma, Constantinopoli erigeret: sed morte praeventus est. 313.

Constantius Caesar eundem obeliscum Romam translatum erexit in circo Maximo. 343.

Theodosius imperator alium erexit Constantinopoli. 381.

Totilas Roma capta omnia antiquitatis monumenta, uti obeliscos evertit. 550.

Sixtus V. P. M. obeliscum a Nuncorio sive Momphencure olim in Aegypto, deinde a C. Caligula Romae erectum, reerexit in campo Vaticano. 1586.

Idem obeliscum Smarraeum, a Claudio olim ante mausoleum Augusti erectum, reerexit ante basilicam Liberianam S. Mariae Majoris. 1587.

Idem obeliscum Ramessaeum, a Constantio in circo Maximo erectum, reerexit in campo Lateranensi. 1588.

Idem obeliscum Psammirtanum,olim ab Augusto in circo Maximo erectum, reerexit ante aedem B. Virginis de Populo. 1589.

Innocentius X. P. M. obeliscum Sothis regis, ab Antonino Caracalla in suo hippodromo erectum, inde translatum in circo Agonali, vulgo *piazza Navona* summa magnificentia erexit. 1649.

Alexander VII. P. M. obeliscum ex Isaei Romani ruderibus effosum in foro Minervae erexit. 1666.

§. I I I.

Anni ante aeram vulgarem.

Nos supra obeliscorum tempora hoc fere modo collegimus:

Prima obeliscorum epocha usque ad Alexandriam conditam.

Primae epochae prima aetas usque ad imperium Psammetichi.

Primaevae stelae seu parvi obelisci.

Primi (magni) obelisci Thebis positi.

Amosis sive Tethmosis Thebarum rex pulsis Pastoribus Heliopolin et Pelusium occupat. 1800.

Primus obeliscus Heliopoli statutus a rege Mesphre, nepote Tethmoseos. 1700.

Sethosis, qui et Sethos, Sothis, Sesostris dicitur, filius Amenopheos, repressis denuo Pastoribus atque ad deditionem coactis, capta etiam Syriae parte, totius Aegypti rex renunciatur, ac legibus latis reipublicae statum ordinat. Is duos obeliscos Thebis statuit centenûm vicenûm cubitorum, quatuor autem Heliopoli quadragenûm octonûm: in quibus qui nunc dicuntur Campensis et Heliopolitanus. 1500.

Ramesses sive Ramestes aut Rampses, filius Sethoseos, duos obeliscos erexit Heliopoli, quorum alter nunc appellatur Flaminius. 1450.

Ramesses junior, nepos prioris, quatuor obeliscos posuit Heliopoli quadragenûm cubitorum, quintum Thebis cubitorum centum viginti, qui nunc stat in area Lateranensi. 1300.

Mestires rex duos obeliscos erexit Heliopoli, qui nunc Alexandriae sunt. 1150.

Zmarres sive Smedes rex obeliscum purum statuit Heliopoli, cubitorum quadraginta octo. 1050.

Phius sive Phusenes alterum ibidem posuit ejusdem magnitudinis, pariter purum. 1000.

Primae epochae aetas secunda usque ad Alexandriam conditam. Stelae seu parvi obelisci secundae aetatis.

Psammetichus regnare coepit. 672.

Ab hoc forsan erectus is qui Fajumae stat.

Necthebis qui et Necos, Psammetichi filius, obeliscum octoginta cubitorum excidi jussit purum. 610.

Amasis Saites, a quo forte statuti fuerunt obelisci quos Sai in Neithidis templo commemorat Herodotus, regnare coepit. 570.

Psammacherites, qui et Psammenitus et Semenpserteus, filius Amaseos, patre adhuc superstite obeliscum erexit purum, qui nunc est in Vaticano. 530.

Aegyptus a Cambyse capta. 525.

Secunda obeliscorum epocha usque ad Aegyptum Romano imperio adjectam.

Alexandria condita. 331.

Lagidarum initium. 306.

Ptolemaeus Philadelphus, qui obeliscum Necthebis Alexandriam delatum statuit in Arsioneo, regnare coepit. 284.

Obelisci duo a Ptolemaeis regibus positi Alexandriae in arce.

Ptolemaeus Evergetes, a quo forte erecti fuere obelisci qui Axumae spectantur, Aethiopiam subegit. 230.

Obelisci duo, quos exciderat Mestires, Alexandriae positi in Caesaris templo, forsan a Cleopatra ultima. 40.

Tertia obeliscorum epocha usque ad pontificatum Sixti V.

Aegyptus ab Augusto capta. 30.

Augustus duos obeliscus ab Heliopoli delatos Romae erexit, alterum excisum a rege Ramesse, in circo Maximo; alterum regis Sesostridis, in campo Martio pro gnomone. 10.

Anni aerae vulgaris.

Cajus Caesar Caligula obeliscum Semenpsertei Romam devectum statuit in circo Vaticano. 40.

Obelisci duo ante mausoleum Augusti positi, forsan a Vespasiano vel a Tito Caesare. 79.

Obeliscus Sallustius Romam advectus purus, ibique inscalptus et erectus circa aetatem Alexandri Augusti. 230.

Obeliscus purus Arelate statutus circa initia Constantini Magni. 315.

Constantius Augustus obeliscum Ramessis junioris, a Constantino patre Thebis deportatum Alexandriam, Romam mittit atque erigi jubet in circo Maximo. 357.

Romae hac aetate fuerunt obelisci magni VI. minores XLII.

Theodosius senior obeliscum erigit Constantinopoli in hippodromo. 390.

Roma a Totila capta. 546.

Obelisci Romani variis Urbis cladibus eversi.

Obeliscus Campensis dejectus quo tempore Urbem invasit Robertus Guiscardus. 1084.

Quarta obeliscorum epocha.

Sixtus V. P. M. obeliscum Caii e circo transtulit in aream Vaticanam. 1586.

Idem obeliscum a mausoleo Augusti ablatum erexit in colle Exquilino. 1587.

Idem obeliscum Constantii restituit in area Lateranensi. 1588.

Idem obeliscum ab Augusto in circo Maximo constitutum transtulit in aream Flaminiam. 1589.

Innocentius X. P. M. obeliscum jacentem in circo a Caracallae nomine dicto erexit in foro Agonali. 1651.

Alexander VII. P. M. parvum obeliscum inventum in Isaei ruderibus statuit in foro Minervae. 1667.

Obeliscus Arelatensis restitutus. 1676.

Obeliscus Aegyptius repertus Beneventi ibique erectus. 1698.


Clemens XI. P. M. parvum obeliscum Mahutaeum dictum erexit in foro Panthei. 1711.

Benedictus XIV. P. M. obeliscum Campensem, quem Augustus pro gnomone statuerat, e terra erui jussit. 1748.

PIVS SEXTVS P. M. alterum ex obeliscis qui fuere in mausoleo Augusti, e ruderibus effossum, statui jussit in colle Quirinali intermedium inter colossos Castorum. 1786.

Idem obeliscum Sallustium constituit in area collis hortulorum ante aedem SS. Trinitatis. 1789.

Idem obeliscum Campensem, ignis vi et temporum vetustate corruptum, restituit in area montis Citatorii ante curiam Innocentianam. 1792.



OBELISCVM VETERIS SVPERSTITIONIS MONVMENTV A S·P·Q·B A MDXCVIII · B·MARIAE VIRG· DICATVM·STEPH·BORGIA BENEV·RECTOR ERVDITOR·COMMODO EXCVDI C·A·MDCCLXIIII·

CORRIGENDA ET ADDENDA

Pag. 4. *col.* 2. *lin.* 5. τριακοντα *lege* τετταρακοντα.
Pag. 6. *col.* 2. *lin.* 23. διελφβατο *lege* διελωβατο
Pag. 9. *not. col.* 1. *lin.* 13. *et passim* Rezzonico *lege* Rezzonici

Pag. 32. *sect.* 1. *cap.* 1. *adde* :

Synesius sermone Aegyptio I, sive de prudentia, opp. pag. 114. *ex edit. Dionys. Petavii*, *Paris.* 1633.

Εν τουτοις οντα τον ξενον θεος αναρρωννυσιν, εναργης τε οφθεις και διακαρτερειν επιταξας. ου γαρ ενιαυτους, αλλα μηνας εφη τους είμαρτους ειναι, εν οίς τα αιγυπτια σκηπτρα ανατενει μεν τας χηλας των θηριων, κατω δε ἕξει των ίερων ορνεων τα κρανη · συμβολον αρρητον τουτο. και επεγινωσκε μεν την γραφην ὁ ξενος εγκεκολαμμενην οβελοις τε και άγιοις σηκοις · ὁ δε θεος αυτῳ και την διανοιαν της ίερογομφιας ἡρμηνευσε, και διδωσι συμθημα χρονου.

Inter haec incommoda versantem peregrinum deorum quis conspicue apparens confirmavit, bonoque animo esse jussit. Nec enim annos, sed menses divinitus praefinitos esse dixit, in quibus Aegyptia sceptra ferarum quidem ungues sursum attollant, sacrarum vero avium capita demittant deorsum: quod arcanum sane symbolum. Et vidit quidem peregrinus hanc effigiem obeliscis et sacris septis inscalptam: sacrae autem istius caelaturae mentem aperuit ei deus, temporisque signum addidit.

Not. Discessi ab interpretatione Petavii, qui Aegyptiae scalpturae non satis gnarus, malum praesagium, sceptra videlicet subversa, pro bono accepisse videtur. Conf. sect. 4. cap. 2. §. 2. not. 35. pag. 445., ubi col. 2. lin. 23. pro *ανατενει* male impressum fuit *ανατειναι*. Repone etiam ibid. lin. 27. *deus hospiti* pro *hospes*.

Pag. 41. *not.* 1. *adde* :

Huc etiam pertinere videntur quae habet Diodorus lib. 3. cap. 44., a quo post Lajaniten sinum e regione Banizomenum recensetur insula deserta quam Isidi sacram esse ajunt. Conspici autem in ea insula veterum aedificiorum fundamenta lapidea et stelas barbaricis litteris inscriptas: *νησος ερημος, ἡν ἱερασιν υπαρχειν ἱεραν ισιδι. παλαιων δε οικιων εχει λιθινας υποσαθμας, και στηλας γραμμασι βαρβαρικοις κεχαραγμενας.* Ibidem cap. 42. narrat Diodorus esse in Phoenicone Arabiae aram vetustam e duro lapide cum litteris antiquis ignorabilibus: *εςι δε και βωμος εκ ςερεȣ λιθȣ, παλαιος τοις χρονοις, επιγραφην εχων αρχαιοις γραμμασιν αγνωςοις.*

Pag. 44. *col.* 2. *lin.* 6. ἱττοριαν *lege* ἱστοριαν
Pag. 55. §. 5. *lin.* 12. ΠΡΟΚΔΩ *lege* ΠΡΟΚΛΩ
Pag. 56. *lin.* 2. EXTINCTVS *lege* EXTINCTIS

Ibid. sect. 1. *cap.* 3. *adde* :

Not. In marmore Corcyrensi apud Maffejum mus. Veron. pag. 11. 12. occurrit obelisci vocabulum - - ΡΑ ΟΒΕΛΙΣΚΟΝ ΟΡΘΟΝ ΠΩΣ - -, sed epigramma in ea parte ita est hiulcum, ut quid sibi velit me nescire lubenter fatear.

Pag. 61. *sect.* 1. *cap.* 4. §. 5. *adde* :

Sistit Caylus *recueil* tom. 6. tab. 1. num. 4. haematiten anularem, ubi super baride Nilotica inter duos obeliscos, icunculis et characteribus barbare inscalptos, intermedius stat vir juvenis cum vultu triplici, et caudis duabus introrsum flexis, for-

san crocodili. Capite gestat pileum modioformem cum disco et pennis duabus, pectus decoratur monili: caetera nudus est praeter pellem hirsutam de humeris pendentem, sinistra autem manu membrum suum arrectum sustinet, dextra elata flagrum tenuisse videtur. Infra baridem conspicitur scarabaeus sive globus alatus. Adfert etiam Raspe in *descriptive catalogue of a general collection of gems* num. 288. 297. 375. tres gemmas graeco-aegyptias, in quibus occurrunt obelisci. In harum una cernitur figura mumiaca obelisco adstituta, in quo sunt litterae ΑΕΗΙΟΥω: ita enim procul dubio legendum erat pro ΑƎΗΙθΥω, quod habet Raspius. In altera obeliscum esse ait characteribus quibusdam insignitum. Tertiam ita enarrat: Orus cum flagro, fronte ornamentum quoddam sustinens, manu sinistra tangit verticem obelisci inscripti; in area cernimus caput arietis et ornamentum quod Isis capite gerere solet; in exergo mumiam; in obelisco scriptum est: CΑΛΒΑΝΑΧΑΜΒΡΗΑΒΡΑCΑΞΙΑΗΙΗ.

Pag. 75. sect. 2. cap. 1. §. 5. adde:

Irregularis quae apparet figura pyramidii, instauratori est tribuenda. Nam quod postea telescopii ope reperi, summus apex pro media circiter altitudinis parte recentis operis est: ex veteri autem cuspide duo fragmina contigua, quae insimul efficiunt pyramidium basi et apice destitutum, nunc servantur Velitris in museo Borgiano. Scilicet frusta duo, quae a nobis commemorata pag. 83. 587. paucis abhinc diebus in praefatum museum translata fuerunt, alterum alteri applicatum et conjunctum, conveniunt in figuram pyramidii, alti plano inclinato palmos duos cum dimidio; lati in imo, ubi ab inferiori parte in ipso obelisco adhuc residua avulsa fuere, palmos tres cum dimidio; in summo, ubi acutus apex obelisco ruente contusus decidit, palmum unum et dodrantem; utraque quidem superficie scabrosa atque irregulari, eo quoque pyramidii angulo qui interjacebat lateribus occidentali et boreali, destructo una cum eorundem laterum parte dimidia. Observatur autem in meditullio pyramidii, foramen cylindricum verticale, diametro unciarum quinque, longitudine palmorum fere duum; atque in unoquoque latere deprehenditur foramen minus, directione horizontali versus illud tendens, attamen non usque ad id perforatum: quae omnia indicio sunt ornamentum aliquod olim infixum fuisse in summo vertice.

Ibid. §. 6. *lin.* 5. *post* ima parte *insere* palmos sex, in summa

Pag. 83. lin. 12. adde:

Tria ista fragmina pertinere ad obeliscum Pamphilium, stantem in foro Agonali, monui sectione 4. cap. 2. §. 5. pag. 587. Nunc sunt in museo Borgiano Velitris, deque duobus ex iis, quae pertinent ad pyramidium dixi in addendis ad pag. 75. Tertium quod est e scapi latere meridionali, altum latumque est palmos binos cum sextante.

Pag. 84. not. 2. adde:

Parvum illud obelisci imitamentum, quod olim fuit Florentiae apud Bonarrotios, nuperrime migravit in museum Borgianum. Factum est e lapide nephritico, altum plano inclinato uncias $10\frac{2}{5}$, latum in basi unc. $2\frac{3}{5}$, in summitate $1\frac{1}{5}$, pyramidio carens. Undique refertum est characteribus hieroglyphicis per lineas horizontales exaratis, sed valde incultis et agnitu difficilibus. Sunt et in tribus lateribus imo loco figurae grandiores, uti esse solent in magnis obeliscis, rudi pariter arte inscalptae: scilicet in uno latere est serpens crassus, cum capite humano nimbo radiato circumdato; in altero Typhon anguipes clypeo ac spiculo armatus, adstituto ante faciem ejus astro; in tertio latere ara ignita, cui a dextris est pes humanus, a sinistris manus elata.

Pag. 87. *Sect.* 2. *cap.* 2. §. 5. *adde :*

Pertinere utrumque fragmentum Catanense ad unum eundemque obeliscum, quin et ambo immediate cohaesisse olim, ita ut fragmentum Paternonium sit cuspis avulsa a trabe quae erecta stat in area ecclesiae cathedralis, certiorem me reddidit N. V. Camillus Borgia, qui utroque fragmento inspecto anno 1793., litteris ad me datis affirmat, in utroque agnosci eandem obelisci figuram polygonon, et protomas quae in altero cernuntur inscalptae convenire cum truncis servatis in altero.

Not. En verba ejus: *Dopo avere osservato nella piazza del duomo un obelisco di granito Egizio ornato di geroglifici, situato sopra un elefante moderno, ed avendo veduto che dalla parte superiore di questo obelisco vi erano le gambe, le cosce e la metà inferiore di quattro corpi Isiaci, ed ancora il resto del bastone che le figure dovevano tenere nelle mani, osservai inoltre che il detto obelisco era di figura ottangolare, con quattro lati più larghi e quattro più stretti. Andando poi a vedere il museo Biscari trovai un pezzo di granito d' Egitto, nel quale quantunque fosse situato in cattivissimo lume, vidi esservi dei geroglifici, e tre figure Isiache con il resto dei bastoni della parte superiore. La quarta testa deve ancora esservi, ma siccome una facciata era incontro al muro, così non si potea vedere. E però questo pezzo di granito molto corroso, ma si vede essere anche questo ottangolare della stessa maniera; e combinando la qualità del marmo, la figura ottangolare, le teste Isiache ed i resti dei bastoni, mi fa supporre fondatamente che debba essere la punta dell' obelisco della piazza del duomo. E da osservarsi ancora, che per fare che l' obelisco avesse una certa finitura, l'hanno uguagliato in punta, ed hanno fatto che non si capisca più così bene la vera antica frattura.*

Pag. 95. *lin.* 19. palmos octoginta septem, uncias fere undecim *corrige* palmos paullo plus octoginta quinque

Pag. 96. *lin.* 7. 1730. *lege* 1721.

Pag. 97. *not.* 11. *adde :*

Sicard *discours sur l' Egypte, in Nouveaux mémoires des missions au Levant* tom. 7. p. 152. *L' obélisque qui est débout a* 54 *pieds hors de terre et un peu plus de 3 dans la terre. Sa largeur d' enbas est de 6 pieds 8 pouces. Il pose sur une base de granit de 6 pieds de hauteur et 8 en quarré. M. Claude le Maire consul François en fit découvrir la base en* 1718.

Pag. 99. *not.* 21. *adde :*

Vide etiam Hundingtonum adductum sect. 4. cap. 2. §. 9. not. 7. pag. 561.

Pag. 105. *lin.* 15. palmos octoginta duos et trientem *corrige* palmos octoginta et uncias septem

Pag. 107. *not.* 19. *adde :*

Verba Hasselquisti, celebrantis pulcritudinem scalpturarum in obelisco Heliopolitano, atque affirmantis se ex eo didicisse quantum ad monumenta vetera illustranda faciat naturalis historias: cum animantia, praesertim volucria hic appareant ad naturae veritatem accurate expressa, ut qui genera eorum callueritt statim agnoscat; ex itinere ejus Palaestino Hafniae edito 1757. pag. 108. descripta mihi transmisit amicissimus Münter. En ea: *Vid Materée en by 2 timmers väg från Cairo, ses en brunn som har sött vatten, då alle andre hafve salt vatten. En obelisk, den vacareste som er qvar i Aegypten. Jag hade aldrig trott, at natural-historien hade varit så nyttig i antiqviteters skärskådende, som jag här den 25 förnam. Den som är kännare af foglar, kan vid första ögnekastet se, af hvad slägte de äro, som de gamle Aegypter har utgrafvit. Jag kände igen strix, som står aldraöfverst från tåppen på obelisken; en scolopax aldralikast en pluvialis; en anas; och det som jag håller for märkvärdigast, at jag kände tydeligen igen ardea ibis alba, i samme stälning som den ännu viser sig på alla fält i Aegypten, med uphögd hals och nedsläpt stjärt.*

Pag. 122. *not.* 5. *adde* :

Sed jam anno 1520 hos lapides vidit et satis accurate descripsit Franciscus Alvarez Lusitanus, quamquam non vocet obeliscos, sed erectos lapides. Relationem ejus sistimus sect. 5. cap. 2. §.2. not. 1. pag. 608.

Pag. 141. *not.* 9. *adde* :

CL. Wad fossil. Aegypt, pag. 1. hunc lapidem ita describit: „ Granites grande-granulosus, „ quarzo caniscenti-albo, feldspato partim la- „ cteo-albo raro, partim carneo-rubro, cujus „ plurima est pars, et quidem crystallisato „ crystallis prismaticis quatuorlateralibus me- „ diocriter grandibus; atque mica atro-nigra; „ textura densa „. Eidem accedit cl. Petrinius, litteris ad me datis die 8. novembris 1796. ita disserens: *In ossequio della verità devo notificarle, che esaminando io nell' ottobre passato due grossi frammenti di granito dell' obelisco di Piazza Navona esistenti nel Museo dell' Eminentissimo Borgia in Velletri, per discoprir le sostanze che lo compongono, vi ritrovai soltanto il felspato, il quarzo ed il mica, senza vestigio di horneblenda. Una tale osservazione mi mosse a sottoporre a nuovo esame altri saggj dell' obelisco Solare esistenti nella mia collezione; giacchè aveva ravvisato in uno dei medesimi, unitamente al Dottore Ash, anche dell' horneblenda; conforme ebbi l'onore di porgerne subito a lei riscontro nel principio del 1793. Per quanto però, in compagnia anche dei Signori Conte Gesler e Dottore Pfaff, dotti mineralogi e della scuola Werneriana ancor' essi, abbia io tormentati i detti nuovi saggj, non vi ho più potuto rinvenire un grano di horneblenda. Devo dunque confessare che il granito di Siene, ò sia quello dei nostri obelischi, è composto di trè sostanze, di felspato cioè, di quarzo e di mica, le quali sebbene siano in proporzione diversa, non contengono punto d'horneblenda.*

Pag. 142. *lineam ultimam ita restitue* : palmos quatuor et semissem; nam capitis modulus est unciarum sex.

Ibid. not. col. 2. *lin.* 4. sex *lege* septem cum dimidio, *lin.* 9. κεκηυφαλοι *lege* κεκρυφαλοι

Ibid. not. 15. *in fine adde* :

Wad fossilia Aegyptiaca musei Borgiani pag. 21. num. 440.

Pag. 194. *not.* 1. *adde* :

Confer Genes. cap. 35. v. 7.

Pag. 169. *not.* 7. *adde* :

Non satis accurata sunt quae hoc loco disputavi de significatione vocis θηκη, quae promiscue modo sepulcrum aut tumulum denotat, modo loculum aut sarcophagum: neque Strabonis verba ita operose erant interpretanda. Caeterum hactenus nullum innotuisse exemplar ms. Strabonis, in quo pro θηκαις legatur θηβαις, certior factus sum ex epistola Hillii, qui hac super re consuluit cl. Philippum Siebenkees in nova Strabonis editione paranda occupatum. Sed tamen quoniam inter apographa quae hujus libri hodie supersunt, nullum noscatur vel vetustate vel diligentiae laude insigne, cuncta vero ab uno archetypo jam olim depravato descendere videantur, satius reor stare cum codice quo usus est Mancinellus, hodie sive deperdito, sive delitescente, quam aut cum Xylandro ἐν ταῖς θηκαις vertere *juxta loculos*, aut cum Pocokio credere intra cavernas abditos fuisse obeliscos.

Pag. 203. *lin.* 15. hieracocephali *lege* criocephali *et lin.* 17. Osiririacum *lege* Ammoniacum *et lin.* 19. Osiridis Solisve *lege* Ammonis

Pag. 205. *lin.* 7. Turius *lege* Tyrius

Pag. 210. *lin.* 8. *post* avertendos *adde*, modo terminorum loco ad possessionem demonstrandam,

Pag. 225. *not. col.* 2. *lin.* 15. *pro* 12. *scribe* 2.

Pag. 231. *not.* 3. *adde* :

Confer Laërt. de vit. philos. lib. 1. segm. 10. et Clem. Alex. strom. lib. 5. cap. 5. pag. 662.

Pag. 232. *not.* 2. *adde* :

De quercubus apud veteres Germanos sacratis, inprimis de praegrandi hujus generis arbore, dicta Schwerkeiche, quae ab antiquis in Holsatia Cimbris olim divino honore culta, usque ad majorum memoriam stetit prope Bordesholm, cum immani saxo granitico minoribus lapidibus subrecto, arae loco ad pedem ejus adstituto, vide Martin. Coronaeum *beschreibung der Bordesholmischen antiquitäten*, Arnkiel *Cimbrische heidenreligion* part. 1. cap. 30. §. 11. pag. 238, et cl. Henr. Ludov. Domeyer *seltenheiten des alterthums und der kunst unserer entfernten vorfahren*, in *Schleswig-Holsteinischen provinzialberichten* anni 1789. pag. 446., qui pro humanitate sua praecipua hujus dissertationis momenta litteris datis mecum communicavit.

Pag. 241. *not.* 1. *adde* :

Pari ratione Ambraciotae leaenas coluerunt: Aelian. hist. anim. lib. 12. cap. 40. Confer quae adnotavimus sect. 4. cap. 1. §. 16. not. 34. pag. 309.

Pag. 243. *not. col.* 2. *lin.* 27. *post* pag. 20. *adde* :

Lettres édifiantes fascic. 5. pag. 278.

Pag. 250. *not.* 13. *adde* :

Observations on some Egyptian mumies opened in London by I. F. Blumenbach, in *Philosophical transactions* anni 1794.

Pag. 249. *not.* 8. *in fine adde* :

Niebuhr *reise nach Arabien* tom. 2. pag. 50. 151.

Pag. 258. *not.* 30. *adde* :

Duo praesertim mumiarum genera in nostratium museis conspici advertit V. C. Blumenbach, in *Observations on some Egyptian mummies opened in London*, qua ex dissertatione, excerpta mihi transmiserunt viri humanissimi Joh. Walker et Guil. Gunn. Ad alterum genus, natura sua pretiosius, pertinere mumias duras compactasque, bitumine omnino refertas, in quibus inveniri solent icunculae et amuleta e metallo, lapide, creta, caet. Has nunc quidem rarius occurrere, cum magna earum vis a pharmacopolis, qui medicamina olim praeparare consueverant e mumiis, diffracta sit et destructa. Alterius generis esse mumias molles quas manu comprimere possis, fasciasque earum facili negotio separare a cadavere. Ad has condiendas bituminis parum nihilve fuit adhibitum, quo fit ut intus vix aliud deprehendatur quam terra vegetabilis.

Pag. 260. *not.* 38. *adde* :

In aliis manus ventri incumbunt ut in ea, cujus se curante dissectae, Hafniae 1794, descriptionem mihi transmisit Münterus. Quae quidem, ut ipse advertit, non magna cum cura videbatur medicata. Vix enim aliud quam ossa invenerunt, fracta ex parte et disjuncta: quae vero caro relicta fuerat a taricheutis, terrae formam induerat et parvis insectis erat repleta. Nonnullis tamen in partibus, maxime in digitis tam manuum quam pedum, cutis adhuc agnoscebatur.

Ibid. not. 42. *adde* :

Similis larva e ligno sycomoro ex parte deaurata ex parte pigmentis furvo et rubro obducta, contegebat vultum mumiae linteis fasciis de more involutae, quam dissecandam curavit Münterus. Quod vero in aliis observatum non invenio, hujus mumiae fasciae interiores undique circumdatae erant strato crassiori argillae sive limi, stramine minutatim conciso commixti, cui superpositum erat extimum integumentum ex linteo gypsato, pictis figuris litterisque hieroglyphicis nitide exaratis decorum.

Pag. 261. *not. col.* 2. *lin.* 33.

Servatur hujus generis mumia in museo Borgiano alta uncias 22, *corrige* : Servantur duae hujus generis mumiae in museo Borgiano, altera alta uncias 19, cum panniculo lintei duplicis super fasciis adjecto, altera alta uncias 22.

Pag. 262. *lin.* 7. calcamine *lege* calceamine

Ibid. not. 43. *adde* :

In regio museo Hafniensi quatuor servantur mumiae, quarum notitiam mecum communicavit humanissimus Spengler eo museo praefectus. In his maxima ea est, quam olim prostantem Amstelaedami in museo Werliano, incidendam curavit Kircherus Oedipi tomo 3. pag. 429., una cum arca pulcherrima, de qua nobis sermo est §. 18. pag. 321. Postea Hafniam delatam edidit Jacobaeus in museo regio, tab. 1. Altera quae alta est palmos 4', uncias 2, arca caret, et super interioribus fasciis tria tantum habet picti integumenti segmina, figuris ornata, quorum unum pectus ambit, alterum femora, tertium imas tibias. Reliquas duas museo intulit Niebuhrius ex Aegypto redux, alteram quidem cum integumento colorum tantum varietate conspicuo absque figuris; alteram altam palmos fere 5, contectam a pectore usque ad pedes integumento figuris decoro, de quibus infra dicemus, sed hieroglyphicis characteribus destituto. In arcis harum mumiarum ex pluribus asserculis compactis, nullae occurrunt figurae neque notae hieroglyphicae. Duas praeterea advexit Niebuhrius, de quarum altera Gottingam missa pluries mentionem habuimus; alterius Hafniae dissectae integumentum, et figuris decoratum fuit et notis hieroglyphicis satis nitide pictis. Vultus contegebatur larva argento obducta et aureis maculis hinc et inde distincta. Mumiae altitudo fuit palmorum octo.

Londini sex mumias nuper examinavit Blumenbachius descripsitque in dissertatione supra laudata. In his tria fuere cadavera ad eundem fere modum praeparata ac mumia illa Gottingensis, neque integumentorum ratione multum ab ea diversa. In uno quod erat cadaver pueri annorum circiter quatuordecim, illud observatum fuit memorabile, quod utrique capitis lateri applicata esset auris fictitia e tela bitumine indurata. Alterum infantis annorum sex, integumenti partem quae femoribus incumbebat, inscriptam ostendebat characteribus iis similibus quos ex taenia in suo museo adservata sistit Caylus *recueil* tom. 5. tam. 29. sqq. Vultui autem imposita erat larva e ligno sycomoro exscalpta et massa cretacea crasse oblita coloribusque ad vivum pictis, qua in re nescio quam recte taricheutae fraudem suspicatur Blumenbachius, qui ad eam larvam faciendam usus fuisset vultu a vetere sarcophago reciso. Reliquae tres mumiae admodum exiguae, longitudine pollicum 9, 11 $\frac{6}{10}$, 14 $\frac{5}{10}$, embryones includere putabantur, sed postquam apertae fuerunt, in una ex iis inventus est fasciculus compactus ex frusto integumenti alterius mumiae, in altera ossicula quaedam ibidis, in tertia os humeri ab humano cadavere avulsum. De harum mumiarum usu apud veteres Aegyptios conjecturas nonnullas in medium affert Blumenbachius, sed quoniam ipso advertente variae peristases recentem fraudem arguere videantur, satius puto nihil de iis opinari donec reperiantur certa atque indubitata hujus generis monumenta. Arcarum loco inclusae erant in capsulas e sex asserculis sycomoreis compactas, qui ferreis clavis erant commissi.

Pag. 262. *not.* 45. *adde* :

De inauratis mumiarum ornamentis advertit V. C. Brünich, qui mumiam a Niebuhrio ex Aegypto adlatam dissecuit, et juxta chemicae artis praecepta examinavit Hafniae 1781, et observata sua inseruit actis academiae regiae scientiarum tom.3., lignum sive telam gypsatam primum esse argento tenuiter obductam, deinde aurum argento tenuissime superadditum, nulla alia inter utrumque metallum interveniente materie: unde apparet Aegyptios compertum habuisse idem artis compendium, quo nostrates hodie utuntur in rebus minoris pretii deaurandis. Haec ex epistola Spengleri supra laudati.

Pag. 263. *not.* 46. *adde* :

In mumia a Müntero dissecta, de qua dixi not. 38. 42., inter fascias interiores inventi sunt papyri scapi tres a cervice usque ad pedes pertingentes. Disco etiam e litteris amicissimi viri Guilielmi Gunn, exstare in bibliotheca universitatis Cantabrigiensis pictam tabulam repraesentantem pedem mumiae, cui in eo loco ubi pollex conjungitur cum planta pedis, subligata est radix similis radici narcissi; addita inscriptione: „ Mumiae Aegyptiacae in museo „ regiae societatis Londinensis per multos an- „ nos asservatae icon. in hac tabula delineatur „ accuratissime pedis planta, cui fasciis alli- „ gata cernitur radix bulbosa, specie quidem „ adhuc recens et vegeta ubique, religionis „ causa ut verisimile est locata, massa picea „ carnis formam induit. integra quam plurimis „ in locis cuticula lineas spirales papillarum

„ modo perquam admirabili etiamnum plane „ exhibet. hujus pedis et ungues et tendines ho„ die incorrupti servantur 1764. „ Subjungit Gunn, auditu se accepisse ejusdem generis radices eodem in loco alligatas cerni in duabus mumiis musei Hunteriani.

Ibid. not. 47. *adde* :

Prima apud Graecos scriptores de mumiis mentio occurrit in fragmento Sophoclis e Phineo tragoedia : νεκρος ταριχος εισοραν αιγυπτιος, apud Athenaeum lib. 3. cap. 32. pag. 119.

Pag. 268. *not.* 60. *adde* :

In Persiae provincia Corassan, quae veterum Bactriana esse creditur, hodie quoque sub arena inveniri ajunt corpora medicata, quorum et barba et capilli servati sint, ungues pariter pedum manuumque, quin et vultus lineamenta adhuc dignosci. Dum vero ista corpora longitudine aequare narrant pedes 7 vel 8, suspicari faciunt, reliqua etiam quae de iis feruntur, Arabum Persarumque fabulositate esse ampliata. Chardin. *voy. en Perse* tom. 2. pag. 15. tom. 3. pag. 136. In Palmyrae ruderibus reperiri fragmenta mumiarum eadem prorsus ratione conditarum ac esse solent cadavera Aegyptia, auctor est Wood *ruines de Palmyre* pag. 22. Addit praeterea, se accepisse ab Arabibus, omnia quae ibi sunt sepulcra olim repleta fuisse hujusmodi mumiis, quas ipsi Arabes spe lucri diffregissent: quare amplius nullum inveniri potuerit corpus integrum, neque arcae, nec picta mumiarum ornamenta, sed tantum fragmina cadaverum.

Pag. 270. *lin.* 18. suppeditabat *lege* suppetebat

Pag. 271. *not.* 70. *adde* :

De gente Cuci in India trans Gangem vide Rawlins in *Asiatick researches* tom. 2. pag. 192.

Pag. 279. *not.* 12. *adde* :

Sicard *discours sur l'Egypte* in *Nouv. mém. des missions au Levant* tom. 7. pag. 162. sqq.

Pag. 281. *not. col.* 1. *lin.* 14. *post* ibid. tom. 5. *adde* :

Etiam tom. 2. pag. 317. 128. tom. 5. pag. 137. sqq.

Pag. 283. *not. col.* 1. *lin.* 15. *adde* :

Egmont *travels* cap. 12. pag. 202.

Ibid. not. 16. *dele* Bernat — pag. 173. *et scribe* :

Bellonio observat. lib. 2. cap. 42. Abulfeda descr. Aegypti pag. 12. Danville *mém. sur l'Egypte* pag. 147.

Ibid. not. 17. *adde* :

Egmont cap. 12. pag. 202.

Pag. 285. *not.* 26. *adde* :

Thevenot *voy. au Levant* tom. 2. lib. 1. cap. 2. pag. 12.

Pag. 288. *not. col.* 2. *lin.* 19. *post* Tertia *insere* :

Prope Achmunain in Heptanomidos parte australi, Sicardo memorata in *Nouv. mém. des miss.* tom. 2. pag. 264. 268. Quarta

Pag. 296. *lin.* 5. prima *lege* secunda :

Pag. 297. *not. col.* 2. *in fine adde* :

Athen. lib. 7. cap. 12. pag. 296.

Pag. 314. *not.* 3. *in fine adde* :

Conf. S. Hieronym. in Daniel. cap. 11. vers. 7.

Ibid. not. 8. *lin.* 8. Fr. *corrige* P. S.

Pag. 310. *not. col.* 1. *lin.* 2. *pro* 100. *scribe* 77. 84.

Pag. 317. *not.* 15. *in fine* :

Bartolii sepulcr. fig. 25. 46. Montaucon *antiqu. expl.* tom. 5. tab. 3.

Pag. 321. *not.* 14. *adde* :

Mumia Werliana postea una cum arca sua Hafniam translata, nunc servatur in museo regis Daniae. Vide Jacobaei museum regium tab. 1.

Pag. 322. *not.* 18. *lin.* 10. 11. *insere* :

Gemelli Careri *giro del mondo* tom. 1. lib. 1, cap. 17. pag. 78. Shaw *voyag.* tom. 2. cap. 5. pag. 153. affirmat se in Aegypto vidisse complures sarcophagos lapideos ejusdem formae ac esse solent ligneae arcae mumiarum, atque hieroglyphicis characteribus ornatos, etiam plintho instructos ut recti stare possent. Sicardus in *Nouv. mém. des miss.* tom. 7. pag. 60. narrat, se cum in Delta iter faceret observasse tres arcas e marmore nigro in illa regione nuper erutas, cum hieroglyphicis pulcre insculptis. Una ex iis, inquit, adhuc gaudet operculo, in quo exscalpta mulieris effigies; a reliquis ablata fuerant opercula.

Pag. 330. *not.* 37. *adde* :

In una ex mumiis Hafniensibus a Niebuhrio adlatis, cujus delineationem mihi transmisit Spenglerus, in pectoris integumento picta est mumia jacens super feretro leontomorpho, infra quod posita sunt vascula quatuor capitibus illis quae dixi operculorum loco additis. Ad pedes mumiae stat vir succinctus ab ea aversus qui ambas manus protendit super massam ovatam et quadripartitam arulae impositam, e regione stantibus duobus ex iis geniis mumiacis quos appellavi penates Osiridis. Ad caput mumiae alia est arula similem massam sustinens, cui pariter adstant penates duo. Super mumia velut in aëre suspensus cernitur globus cum serpentibus duobus et duabus alis vulturinis, cui alter globus similis imminet. Ad utrumque globorum latus decumbit sphinx pileata, altera imberbis, altera ut videtur barbata: et pone singulas conspicitur genius pileatus grandibus alis instructus.

Pag. 341. *not.* 30. *adde* :

De tumulis qui ab Homero memorati circa Ilium, hodie quoque exstare putantur, vide in primis Lechevalier *beschreibung der ebene von Troja, mit anmerkungen von Dalzel, aus dem Englischen, mit Zusätzen von Heyne* Lipsiae 1792. pag. 18. 23. 129. 156. 179. 213.

Ibid. not. 32. *adde* :

Ubique in Peloponneso, maxime apud Lacedaemonem, magnos aggeres conspici, qui Phrygum cum Pelope advenarum sepulcra putabantur, prodit Athenaeus lib. 14. cap. 5. pag. 625: ιδοις δ' αν και της πελοποννησε πανταχε, μαλιστα δ' εν λακεδαιμονι χωματα μεγαλα, ἁ καλεσι ταφες των μετα πελοπος φρυγων.

Pag. 344. *not.* 46. *adde* :

De tumulis Cimbrorum in Holsatia vide Arnkiel *Cimbrische heidenreligion* part. 1. cap. 42., et clar. Domeyer dissertatione supra citata in addendis ad pag. 232.

Pag. 363. *not.* 63. *adde* :

Inscriptio in ollae operculo in marmore Rondininio hic adducto ita se habet:

OSSA

IVLIAE . T. L. ATTHIS

Pag. 371. *not.* 32. *adde* :

Cum hoc Apuleji loco apprime convenit operculum arcae sepulcralis e marmore, inventum ante portam S. Sebastiani, aeri incisum atque illustratum a V.C. Fogginio in Musei Capitolini tom. 4. pag. 301. Super eo exscalpta est figura juvenis decumbentis, qui pampinea co-

rona decorus altera manu poculum tenet, altera coronam e floribus compactam; adscripto disticho:

σατορνινος εγω κικλησκομαι· εκ δε με παιδος
εις διονυσου αγαλμ' εθεσαν μητηρ τε πατηρ τε.

Servatur etiam in museo Pio-Clementino cippus marmoreus, in cujus fronte legitur: *D. M. S. Pomponio Evandro et Callisto et Diadumeno et Elpidephoro Q. Pomponius Eudaemon et Pomponia Helpis filis dulcissimis et sibi fecerunt*. In latere dextro protome est viri togati aquila fulminifera subrecta, ut Jovis caput fingi solet; addita epigraphe: *Pomponius Eudaemon*. In latere sinistro protome mulieris stolatae, quam velut Junonem sustinet pavo; cum inscriptione: *Pomponia Helpis*. In postica quatuor viri exscalpti sunt, duo togati, duo paludati, infra quos est ara frugibus onusta, sacrificio heroibus offerendo parata.

Ibid. not. 33. *adde*:

Inspice etiam sepulcra Palmyrena apud Wood *ruines de Palmyre* tab. 36. 53. 56.

Pag. 374. *lin.* 9. duo *lege* duabus
Pag. 375. *lin.* 10. jaciendi *lege* jaciendo.
Pag. 396. *lin.* 13. Succarae *lege* Saccarae

Pag. 411. *not.* 65. *adde*:

Confer Wad fossil. Aegypt. pag. 28. num. 243.

Pag. 32. *not. col.* 2. *lin.* 1. *pro* cap. 7. *lege* cap. 17.

Pag. 445. *not. col.* 2. *lin.* 23. *pro* ανατειναι *lege* ανατενει. *ibid. lin.* 27. hospes *lege* deus hospiti

Pag. 447. *not.* 37. *adde*:

De' grandi scarabaeo, qni servatur in museo Naniano Venetiis, sermo nobis est sect. 4. cap. 2. §. 3. pag. 493. De aliis qui sunt in museo Britannico, quod Londini est, vide ibid. not. 42. pag. 483. De iis autem qui prostant in museo publico Parisiensi, & generatim de scarabaeis Aegyptiorum consule quae adnotavit cl. Millin in *Notice des pierres gravées Egyptiennes du muséum national des antiques*, opella sane utili, quae desumpta e *Magasin encyclopédique ou Journal des sciences, des lettres et des arts* tom. 6. ad oculos meos pervenit, cum ipsa haec additamenta jam praelo essent commissa.

Pag. 448. *not. col.* 1. *lin.* 18. *insere*:

Sed hanc conjecturam, cantharum Apidis in armis tantum fuisse, non ita in lingua, evertit alius ejusdem Herodoti locus lib. 2. cap. 38. a nobis adductus sect. 4. cap. 2. §. 5. not. 33. pag. 512., ex quo patet habuisse Apin etiam in lingua notam, dictam cantharum, diversam ab altero cantharo sive scarabaeo, quem in armis ejus sibi fingebant Aegyptii.

Pag. 453. *not.* 47. *adde*:

Sirium sive Sothin, Isidis-Lunae comitem, eundem esse quem sub Anubidis nomine venerati sunt Aegyptii, supra observavi pag. 220. not. 32.: firmatur quoque gemma anulari e lapide obsidiano dactyliothecae Borgianae nuper illata, in qua conspicitur deus cynocephalus gradiens cum baculo, hinc stella adstituta in area, inde adscripto vocabulo CωθιC.

Pag. 496. *not.* 84. *adde*:

Porphyr. de abstin. lib. 4. pag. 366. lib. 2. pag. 223.

Pag. 499. *not.* 6. *adde*:

Scriptionem huic affinem occurrere in fasciis mumiae puerilis Londini servatae, auctor est Blumenbach in dissertatione de mumiis a se apertis.

Pag. 500. not. 11. adde :

Refert etiam Paulus Lucas, loco supra adducto pag. 280. in sepulcrorum antris apud Thebas magnam conspici characterum copiam, qui primo obtutu aliquam cum Hebraicis litteris affinitatem ostendunt.

Pag. 511. not. 32. in fine adde :

Galen. de composit. medicam. secundum genera lib. 5. cap. 2.

Pag. 515. not. 36. adde :

Peculiariter etiam in templo Vulcani, quod Memphi fuit, servari consuevisse scripta morborum remedia et medicamentorum componendorum rationes, auctor nobis est Galenus de compos. medic. sec. gen. lib. 5. cap. 2: *πολυχρηστον εστι φαρμακον, ἡν προσαγορευουσιν ισιν, υπο παντων επηνημενην. εγω δε προσθησομαι, ὁσα περι αυτης εγραψεν ἡρας, (ὁ καππαδοξ εν τω λεγομενω ναρθηκι) ὑτως εχοντα κατα λεξιν· " ἡ υπο τινων μεν επιγονου λεγομενη, υπο τινων δε ισις, ποιουσα προς παν τραυμα, — και το ὁλον προς παντα αγαθη". — προσηγορευε δε αυτην, ὡς και αλλοι τινες, ἑρμωνος του ἱερογραμματεως· εν ἑτεροις δ᾽αν ἑυροις γεγραμμενην εκ των αδυτων ειναι και τηνδε κατα το ἡφαιστειον εν αιγυπτω, καθαπερ και την δια του δικταμνου. — και την δια του δικταμνου σκευαζομενην εμπλαστρον, ἱεραν ονομαζουσιν, ἑυρησθαι λεγοντες και ταυτην την γραφην εν τω κατα μεμφιν ἡφαιστειω. και μεμνηνται γε παντες αυτης. — αρκεσει δε και περι ταυτης την του ἡρα παραγραψαι λεξιν, ὑτως εχουσαν· "ἱερα ἡ εκ του εν μεμφει ἡφαιστειου, ποιει επι προσφατων εναιμων. — εκδιωκει ἡ εμπλαστρος προς θηρια θυμιωθεισα".* „ Multiplicis usus est medicamentum „ quod Isidem appellant, ab omnibus com„ mendatum. Ego vero apponam modo quae „ Heras Cappadox in libro, cui titulus est „ Narthex, de illo memoriae prodidit. Haec „ ejus verba sunt: *Medicamentum a nonnullis „ Epigoni dictum ab aliis Isis, facit ad omne „ vulnus, — in summa ad quodvis bonum est.* „ —Appellavit ipsum, uti et alii quidam, Her„ monis hierogrammatei. Alibi proditum inve„ nias, esse et hoc descriptum ex adytis tem„ pli Vulcani in Aegypto, quemadmodum il„ lud quod ex dictamno constat. — Item quod „ ex dictamno emplastrum conficitur, Sacrum „ appellant, dicentes et hanc scripturam in „ Vulcani templo apud Memphin inventam es„ se. Meminerunt ejus omnes, — sufficit au„ tem verba Herae de eo quoque adscripsisse, „ quae in hunc modum habent: „ *Sacrum ex „ Vulcani templo in Memphi, facit ad recen„ tia cruenta — necat insuper animalcula suf„ fita* „.

Pag. 520. not. col. 1. lin. 1. post 63. insere 69.

Ibid. not. 67. adde :

Maneth. apud Joseph. contra Apion. lib. 1. cap. 15. 26.

Pag. 531. lin. antepenult. quinque *lege* quatuor.

Pag. 587. adde :

Fragmina cuspidis obelisci Pamphilii, de quibus hoc loco sermo est, cum nunc prostent in museo Borgiano, accuratius de iis referre datur. Ambo conjuncta efficere pyramidium, quod binûm laterum integram ostentat latitudinem, binûm dimidiam, jam advertimus in addendis ad pag. 75. Scilicet in lateribus orientali et meridionali ternarum figurarum servantur reliquiae, in boreali duarum, in occidentali unius tantum figurae. Orientale latus recte imitatus est Kircherus, dum et sedenti deae, cujus occiput tantum superest in lapide, super vertice addiderit globum scarabaeo insignem, duabusque pennis et aspidibus duabus stipatum, quae omnia subriguntur a duobus cornubus oryginis: et viro pone eam stanti caput finxerit accipitrinum cum calantica vulgari et pileo regio. Sustinet hic manu dextra scaphium, cui insidet aspis sive uraeus globo circumvolutus, sinistra tenet sceptrum aratriforme. Mulier autem quae ante deam stat, calanticam gestat prolixam sive capillitium calamistratum, cujusmodi observamus in

Isidis simulacro colossali quod servatur in museo Capitolino, et super vertice pileum conicum. In latere orientali quae superest figura muliebris, constituta fuit ante sedentem deam, et ad ipsam conversa, dextraque attollebat pileum regium scaphio impositum, sinistra gerebat tyrsum lotinum. Capite habet eandem quam modo diximus calanticam, praetereaque exuvias vulturinas, quibus impositae sunt duae pennae rectae, adjecto globo sive disco, quem amplectuntur cornua bovina. De latere meridionali, quod descripsi pag. 587., id praeterea notandum occurrit; sedentem deum ornatum videri cincinno Harpocrateo, obscurius quidem expresso, mulieres autem illas super calantica gestare exuvias vulturinas; nec loti plantas esse quas capite sustinent, sed eorum insignium obscura imitamenta, quae alias thronum et sacellum appellavimus. Denique in latere boreali non lituus est quem sinistra tenet sedens deus, ut supra diximus, sed flagrum: adstans autem mulier praeter reliqua adhuc vulturis exuvias capiti habet impositas, exque manibus alteram adorantis more elevat, alteram ante se demittit. Sed videsis ipsam monumenti iconem aeri incisam, quam Emin. Card. BORGIA pro liberalitate sua libro nostro adjiciendam curavit.



Fragmentum statuae muliebris eiusdem qua hic cernitur magnitudinis, ex talco ollari, in Museo Borgiano Velitris V. pag. 486.



ICON OBELISCI OLIM A CAESARE AVGVSTO POSITI IN CAMPO MARTIO QVEM IN MONTE CITATORIO ANTE CVRIAM INNOCENTIANAM RESTITVENDVM CVRAVIT PIVS SEXTVS P. M. ANNO MDCCXCII.


Back of
Foldout
Not Imaged



ICON OBELISCI INVENTI IN HORTIS SALLVSTII QVEM ANTE AEDEM
SS. TRINITATIS IN MONTE PINCIO ERIGI IVSSIT
PIVS SEXTVS P. M. ANNO MDCCLXXXIX

Back of
Foldout
Not Imaged


Facies Meridionalis


Ex Facie Occidentali



Facies Orientalis

Pyramidion Obelisci Campensis

Back of
Foldout
Not Imaged




Latus Orientale




Latus Septentrionale



Latus Occidentale



Latus Meridionale



Fragmenta cuspidis Obelisci Pamphilii adservata in Museo Borgiano Velitris. V. pag. 587. 646. 654.

Back of
Foldout
Not Imaged










Obeliscus Sallustianus

Back of
Foldout
Not Imaged



C. Antonini del. p.

ICON OBELISCI QVEM EX RVDERIBVS MAVSOLEI AVGVSTI IN CAMPO MARTIO ERVTVM
IN AREA QVIRINALI MEDIO LOCO INTER CASTRORVM SIGNA COLOSSEA ADLEVARI IVSSIT
PIVS SEXTVS P. M. ANNO MDCCLXXXVI

Back of
Foldout
Not Imaged










(Obeliscus Barberinus)

Back of
Foldout
Not Imaged







Obeliscus Campensis

Back of
Foldout
Not Imaged






SPECIAL OVERSIZE 84-B 629
GETTY CENTER LIBRARY

